NAZIONALE VITT. EMANUE.
13
8 D
25

Digitized by Google

13.8.D.25

13. 8. D. 25

IN CODICIS DN. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE LIBROS IX. SVMMA A PLACENTINO LEGVM INTERPRETE EXCELLENTISSIMO, ANTE 400. FERME ANNOS CONSCRIPTA, ET NVNC PRIMVM IN LVCEM AEDITA.

ACCESSIT PRAETEREA INDEX GEMINVS, IN QVO OMNES

huius ſummæ tituli, non tam ſecundum librorum, quàm ſecundum alphabeti ordinem, pulcherrime demonſtrantur.



MOGVNTIAE ANNO
M. D. XXXVI.

Cum gratia & priuilegio Imperiali.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI IOANNI A METZENHVSEN, ARCHIEPISCOPO TREVERENSI PRINCIPI ELECTORI, SIBIQVE OBSERVANDISS. NICOLAVS RHODIVS CHAMBERGVS S. D.

ANIMADVERTI, PRAESVL AMPLISSIME, omnes,qui literarum monumenta poſteris relinquunt, in ipſo ſtatim operis ingreſſu ſolere ei rei, quam ſuſcipiunt tractandam aliquam aduocare defenſionem: idq; non tantum ut lectoris animum ſibi concilient, ſed, ut ſiquid in ipſo forte opere, rei ſuſceptæ uiſum ſit obeſſe, hoc pacto remoueant: reddantq; rationem, cur in hoc, uel potius illo ſint argumento uerſati. Quemadmodum M. Tullius, ne quis ei uicio dare poſſet, quòd relictis pulcherrimis ſplendidiſſimisq; defenſionum laboribus, ad philoſophiam ſe tanquam in umbram retuliſſet, cauſam in ipſis philoſophicorum librorum præfationibus proponit fuiſſe perturbata atq; adflicta Reipub. tempora: in quibus cum nihil eſſet, neq; in foro, neq; in ſenatu, eloquentiæ dicendiq; facultati loci omnino: hoc dicendi genus, quo dolorem ſuum conſolaretur, ſe elegiſſe non obſcure confitetur. Plinius itidem Secundus, ut inuidiam arrogantiæ quòd hiſtoriam mundi deſcribere inſtituiſſet, à ſe remoueret, nomina illorum, à quibus eſſet adiutus, ſe uoluminibus ſuis prætexuiſſe declarat. Sed & Comici poetæ, ſiquos forte ſuſpicantur ſibi futuros aduerſarios, in ipſis eos prologis confutare ſolent. Et (ne longior ſim) id apud Latinos ſanè quàm frequens eſt: idem tamen apud Græcos parcius obſeruatur, credo quòd ſibi perſuaſerunt, ſe non (ut Latini) uti inuentis aliorum, ſed inueniſſe potius ea, quibus alij deinceps uterentur. Itaq; hanc præfandi ueniam noſtri illi Latini ſuo ſibi iure uendicare potuerunt. Mihi autem in alieno opere præfanti, quis color, quæúe defenſio fuiſſet ſuſcipienda, rationem inire planè non potuiſſem: niſi honeſtiſſimis cauſis, cur hoc mihi iure liceret, adductus eſſem. Atq; uel in primis ad hoc ſuſcipiendum, beneuolentia ac humanitas tua, quibus benigne me complecteris, honeſtum mihi calcar addiderunt. Quare cum ſit cauſa cur hoc mihi liceat, non ſine exemplo, & tuo maxime patrocinio confiſus, de methodo ſiue de ſummis, quarum uidemus noſtrum illum Placentinum incredibiliter non ſtudioſum tantum fuiſſe, ſed & ſuo iure inter iuriſconſultos primas facile obtinuiſſe, breuiter ſum dicturus. Quicunq; autē

uel apud Græcos, uel apud Latinos ſummarum autores extiterunt, de ſtudioſis omnibus bene eſſe meriti, meritò ſunt exiſtimandi. Nam cum memoria ſit perceptarum, comprehenſarumq́ rerum, nihilq́ ſit æquè fragile in homine, non eſt dubium quin magnæ ſint gratiæ illis agendæ, qui ſua induſtria, ſuiſq́ laboribus, rei tam fragili diligenter uoluerunt conſultum. Quo autem modo res facilius percipi poſſunt & comprehendi, quàm ſi aut breuiter tradantur, aut ſummariè? affer huc caſus, affer occupationes, affer uarias animi paſſiones, quibus humanæ cogitationes à longo aliquo narrationis curſu facile auertuntur, quo minus uacet eis rei tam numeroſæ attendere. Sunt etiam qui relictis uerborum inuolucris atq́ lenocinijs, rerum duntaxat nudam cognitionem ſpectant: illis certe nihil gratius ſis facturus quàm ſi nude tantum ac ſimpliciter rem exponas. Nec deſunt indociles ad omnia, quibus niſi rem ſimpliciter & tanquam ante oculos proponas, fruſtra ſis narraturus. Cum igitur præclara ingenia hæc tanquam diuinitus intellexiſſent, haſce ſummas ſiue methodos, quibus res latius ac numeroſius dicta paucioribus diceretur, nobis excogitauerunt. Nam ſumma eſt ſentenciæ alicuius, aut rerum, de quibus uerba fiunt, collectio. Vnde rem aliquam breuiter enarraturi, ſubq́ compendio multa dicturi dicere ſolemus: ut ſummatim dicam. Et Iupiter apud Vergilium cum egregie mandaſſe Mercurio ea, quæ Aeneæ apud Didonem agenti diceret, ſibi perſuaſiſſet, ſic ſubijcit: Nauiget, hæc ſumma eſt. Hac itaq́ ſumma ſiue breui narratione uidemus patrem noſtrum cæleſtem præcipue fuiſſe delectatum. Paucis enim Moyſi mandat, quæ ſit Iſraëlitis dicturus. Et rurſus is ipſe, qui hanc deſcribit hiſtoriam, quàm paucis multa comprehendit? quàm nihil ſuperuacaneò? quanta denique cum fide omnia? cum tamen in ſingulis enarrandis, in deſcribenda Moyſi corporis diſpoſitione, in Pharaonis item domo, uita ac moribus prolixius rhetoricari potuiſſet. at plagas quibus idem miſeris modis eſt afflictus, integrum uolumen capere non poſſet. Quid dicam de miraculis, quæ Iſraëlitis in deſerto contigerunt, quibus ſanè deſcribendis nullius hominis ætas quamuis eloquentis ſuffecerit? at ea tamen ipſa paucis cum quanto affectu ſcripta uides diuinitus? & quid tota ſacra ſcriptura aliud agit, quàm quòd facienda nobis fugiendaq́ue breuiter proponit? At hæc tamen omnia, ſi à philoſopho deſcribenda fuiſſent, ſexcenta plauſtra eius uolumina non ueherent. Quanto autem opere medici rerum medicarum compendia probent, teſtis eſt Galenus in eo libro, quem Methodum Therapeuticam appellat. At hæc quanti fecerit artium ac philoſophiæ methodū declarat ille, qui epitomen philoſophiæ ſiue Margaritam philoſophicam opus non omnino contemnendum, ſcriptam reliquit: ut ne hic commemorem, quorum ſingulæ methodi in ſingulas artes diligenter traditæ leguntur. Nec minore ſtudio totum ius ciuile in breue quoddam compendium redigendi C. Iulius Cæſar flagrauit. ius enim magno cum

labore

labore atq; autoritate dixit, certumq; erat ei (ſi modo per occupationes licu-
iſſet) ex immenſa legum copia, non niſi optima quæq; atq; neceſſaria ſeli-
gere. Videbat enim ſui etiam temporis Iuriſcõſultis hoc uicij paſſim eſſe in-
natum, atq; hanc peſtem animos omnium inuaſiſſe, quòd in legibus inter-
pretandis, neq; finem, neq; modum facerent ullum. Nam plæriq; omnes
ſic ſunt affecti, ut citius de agro paterno, quàm de ſua quiſq; opinione dece-
dat. Eodem præterea affectu, quo Iulius Cæſar, Iuſtinianus ſacratiſſimus
princeps permotus fuiſſe exiſtimandus eſt, cum totum ius ciuile, in tot mil-
lia uerſuum tanquam membra diſſipatum, in unum quodammodo corpus
recolligeret: arbitratus ſimul, id quod erat, tam multis legendis unius homi-
nis ætatem non ſufficere: ſimul ut controuerſiæ illæ antinomicæ, ſiquæ for-
te poſſent oriri, facilius euitarentur. Et ſi rem ipſam attentius conſiderabi-
mus, ex altera parte bene quidem Iuſtinianus, ex altera uero male de ſtudio-
ſis omnibus meritus eſſe iudicandus eſt. Quod enim fecit, ſtudio omnibus
commodandi fecit, etiamſi euentus, qui poſtea ſecutus eſt, eum male feciſſe
declarit. Nam ſi omnino in controuerſijs fuiſſet nobis uerſandum, ſatius fu-
iſſet in tot elegantibus atq; doctis interpretibus ætatem cum fructu conſu-
mere, quàm in tot barbaris cum tædio, ne quid dicam aliud, ſeneſcere. Fecit
igitur Iuſtinianus quod potuit, & quod prodeſſe omnibus poſſe exiſtima-
uit, tot membra iuris ciuilis tam late diſperſa in unum quodammodo cor-
pus ac ſummam redigendo: addito inſuper edicto, quo cauit, nequis in
hanc commentaria conſcriberet. ſed quomodo ei ſit obtemperatum, uide-
rint quorum intereſt. Sed & ſummam illam, quam ex tot millibus uerſuum
iuris ciuilis redegerat, uſq; adeò facilem intellectu eſſe iudicauit, ut ei addi-
ſcendæ duntaxat quinquennium præſcriberet: nec prius quenquam in aſ-
ſeſſorum cõſortium ſuſcipere dignatus eſt. At nunc quotus quiſq; eſt, qui
poſſit uel in decennio, uel uicennio: etiamſi nihil aliud agat, tot iuris interpre
tes euoluere? Quid multis? ſiquis eſt, qui ſe à ueritate læſum iri putarit, ab
hoc me ſcrupulo dubitationis liberet quæſo. Si Iuſtinianus ſummam illam,
qua totum ius ciuile complexus eſt, legibus eouſq; intelligendis ſatis eſſe iu-
dicauit, ut etiam grauiter edixerit, ne quis in eam commentaria publice con-
ſcriberet: alterum certe efficietur, aut Iuſtinianum bene uetuiſſe, aut illos
male feciſſe, qui contra edictum in ſummam eius commentaria reliquerũt:
uel è diuerſo. Sed ſiquidem illi bene fecerunt, relinquetur Iuſtinianum ma
le uetuiſſe, id quod certe nemo dicet: niſi qui uelit legis Iuliæ reus fieri. Sed
& (ut ad propoſitum reuertar) tam eſt laudabile rem ſummarie ac breui-
ter enarrari, quàm eſt uicioſum per ambages, ut ſiquis dicat Athenis Mega-
ram ueſperi aduenit Simo: ubi aduenit Megaram, inſidias fecit uirgini:
inſidias poſtquam fecit, uim in loco attulit. ſimpliciter enim ac ſummarie ſic
dixiſſet: Simo poſtquam Athenis Megaram aduenit, inſidias fecit uirgini:
Quis autem noſtrum eſt, qui æquo ferat animo dicentem: animal rationale,

TITVLI IX. LIBRORVM

CODICIS DN. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS.

NOTA ARITHMETICA PRIOR, TITVLVM: ſequens uero, paginam indicat.

LIB I.

De ſumma Trinitate, & fide catholica ut nemo publicè de ea contendere audeat. Tit 1. 1

De ſacroſanctis eccleſijs, & de rebus ac priuilegijs earum 2. 2

De epiſcopis & clericis, orphanotrophijs, & Xenodochijs, & ptochotrophijs, & aſceterijs, & monachis, & priuilegijs eorũ, & caſtrenſi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptijs clericorum uetitis ſeu permiſſis 3. 6

De epiſcopali audientia, & diuerſis capitulis, quæ ad curam pertinent pontificalem 4. 10

De hæreticis & manichæis, & Samaritanis 5. 11

Ne ſanctum baptiſma iteretur 6. 12

De apoſtatis 7. 12

Nemini licere ſignum ſaluatoris Chriſti humi, uel in ſilice, uel in marmore ſculpere aut pingere 8. 13

De Iudæis & cœlicolis 9. 13

Ne chriſtianum mancipium hæreticus uel Iudæus, uel paganus habeat, uel poſſideat, uel circũcidat 10. 14

De paganis & ſacrificijs & templis eorum 11. 14

De his qui ad eccleſiam confugiunt, uel ibi exclamant, & ne quis ab eccleſia trahatur 12. 15

De his, qui in eccleſijs manumittuntur 13. 16

De legibus & conſtitutionibus principum, & edictis 14. 16

De mandatis principum 15. 20

De ſenatuſconſultis 16. 20

De uetere iure enucleando, & de autoritate iuris prudentium, qui in digeſtis leguntur 17. 20

De iuris & facti ignorantia 18. 21

De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus ſupplicare liceat 19. 25

Quando libellus principi datus, litis faciat conteſtationem 20. 26

Vt lite pendente, uel poſt prouocationem, aut definitiuam ſententiam nulli liceat ſupplicare 21. 26

Si contra ius, uel utilitatem publicam, uel per mendacium fuerit aliquid poſtulatum, uel impetratũ 22. 27

De diuerſis reſcriptis, & pragmaticis ſanctionibus 23. 28

De ſtatuis & imaginibus 24. 29

De his qui ad ſtatuas cõfugiunt 25. 29

De officio præfecti prætoriorũ Orientis & Illyrici 26. 29

De officio præfecti prætorio Africæ, & de omni eiuſdem diœceſeos ſtatu 27. 30

De officio præfecti urbi 28. 30

De officio magiſtri militum 29. 30

De officio quæſtoris 30. 30

De officio magiſtri officiorũ 31. 31

De officio comitis ſacrarum largitionum 32. 31

De officio comitis rerum priuatarum 33. 31

De officio comitis Orientis 34. 31

De officio procõſulis & legati 35. 31

De officio præfecti Auguſtalis 36. 32

De officio uicarij 37. 32

De officio prætorum 38. 32

De officio rectoris prouinciæ, & ut nulli patriæ ſuæ adminiſtratio ſine ſpeciali permiſſu principis permittatur 39. 32

De officio præfecti uigilum 40. 33

De officio ciuilium iudicũ 41. 33

De officio militarium iudicum 42. 33

Ne rei militaris comitibus uel tribunis lauacra præſtentur 43. 33

De officio diuerſorum iudicũ 44. 34

Vt omnes iudices, tam ciuiles, quàm militares, poſt adminiſtrationem depoſitam,

poſitam, quinquaginta dies in ciuitatibus, certis locis permaneant 45. 34
De officio eius qui uicem alicuius iudicis obtinet 46. 34
De aſſeſſoribus, & domeſticis, & cancellarijs iudicum 47. 34
De annonis, & capitu adminiſtrantiũ, uel adſeſſorum, aliorumũe publicas ſollicitudines gerentium, & eorum, qui aliquas conſecuti ſunt dignitates 48. 35
De contractibus iudicum, uel eorum, qui ſunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne adniniſtratiõis tempore proprias ædes ædificent 49. 35
De modo multarum, quæ à iudicibus infliguntur 50. 36
De defenſoribus ciuitatum 51. 36
De magiſtratibus municipalib. 52. 36
De officio iuridici Alexandriæ 53. 37

LIB II.

De ædendo 1. 37
De in ius uocando 2. 39
De pactis 3. 40
De tranſactionibus 4. 47
De errore calculi 5. 50
De poſtulando 6. 51
De aduocatis diuerſorum iudiciorum 7. 51
De aduocatis diuerſorũ iudicum 8. 52
De aduocatis fiſci 9. 53
De errore aduocatorũ, & libellos ſeu preces concipientium 10. 53
Vt quæ deſunt aduocatis partium, iudex ſuppleat 11. 53
De cauſis, ex quibus infamia irrogatur 12. 54
De procuratoribus 13. 57
Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, uel actiones in ſe transferre 14. 60
De his, qui potentiorum nomine titulos prædijs affigunt, uel eorum nomina in litem prætendunt 15. 61
Vt nemo priuatus titulos prædijs ſuis uel alijs imponat, uel uela regalia ſuſpendat 16. 61
Vt nemini liceat ſine iudicis autoritate ſigna rebus imponere alienis 17. 61
Ne fiſcus uel reſpub. procuratores alicui patrocinij cauſa illicitè præſtet 18. 61
De negotiorum geſtorũ actione 19. 61
De his, quæ ui metuſue cauſa geſta ſunt 20. 65
De dolo malo 21. 68
De in integrum reſtitutionibus minorum xxv. annis 22. 70
De filiofam. minore 23. 71
De fideiuſſoribus minorum 24. 72
Si tutor uel curator interuenerit 25. 72
Si in communi eademq; cauſa reſtitutio in integrum poſtuletur 26. 72
Si aduerſus rem iudicatam reſtitutio poſtuletur 27. 73
Si aduerſus uenditionem 28. 73
Si aduerſus uenditionem pignoris 29. 74
Si aduerſus donationem 30. 74
Si aduerſus libertatem 31. 74
Si aduerſus tranſactionem uel diuiſionem in integrum reſtitui minor uelit 32. 75
Si aduerſus ſolutionem à tutore uel à ſe factam &c. 33. 75
Si aduerſus dotem &c. 34. 76
Si aduerſus delictum ſuũ &c. 35. 76
Si aduerſus uſucapionem 36. 76
Si aduerſus fiſcum &c. 37. 77
Si aduerſus creditorem &c. 38. 77
Si ſe abſtinuit hæreditate 39. 77
Si ut omiſſam hæreditatem, uel bonorum poſſeſſionem, uel quid aliud acquirat 40. 77
Qui, & aduerſus quos in integrum reſtitui non poſſunt 41. 78
Si minor ſe maiorem dixerit 42. 79
Si ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur 43. 79
De his, qui ueniam ætatis impetrauerunt 44. 79
Si maior factus ratũ habuerit 45. 80
Vbi & apud quem cognitio in integrũ reſtitutionis ſit agenda 46. 80
De reputationibus, quæ fiunt in iudicio in integrum reſtitutionis 47. 81
Etiam per procuratorem cauſam in integrũ reſtitutionis agi poſſe 48. 81

In integrum reſtitutione poſtulata, nequid noui fiat 49. 81
De reſtitutione militum, & eorum, qui reipublicæ cauſa abſunt 50. 82
De uxoribus militum, & eorum, qui reipub. cauſa abſunt 51. 85
De temporibus in integrum reſtitutionis tam minorum, aliarumq; perſonarum quæ reſtitui poſſunt, quàm hæredum eorum 52. 85
Quibus ex cauſis maiores in integrum reſtituantur 53. 86
De alienatione iudicij mutandi cauſa facta 54. 87
De receptis arbitrijs 55. 89
De ſatiſdando 56. 93
De iuris formulis, & impetratione actionum ſublatis 57. 93
De iureiurando propter calumniam dando 58. 93

LIB. III.

De iudicijs 1. 95
De ſportulis, & ſumptibus in diuerſis iudicijs faciendis, & de executoribus 2. 97
De pedaneis iudicibus 3. 98
Qui pro ſua iuriſdictione iudices dare dariúe poſſunt 4. 98
Nequis in ſua cauſa iudicet, uel ſibi ius dicat 5. 99
Qui legitimam perſonam ſtandi in iudicijs habent, uel non 6. 99
Vt nemo inuitus agere, uel accuſare cogatur 7. 99
De ordine iudiciorum 8. 99
De litis conteſtatione 9. 100
De plus petitionibus 10. 101
De dilationibus 11. 101
De ferijs 12. 102
De iuriſdictione omnium iudicum, & de foro competenti 13. 103
Quando Imperator inter pupillos, & uiduas, uel alias miſerabiles perſonas cognoſcit, & ne exhibeantur 14. 104
Vbi de criminibus agi oportet 15. 105
Vbi de poſſeſſione agi oportet 16. 105
Vbi fideicōmiſſum peti oportet 17. 105
Vbi conueniatur, qui certo loco dare promiſit 18. 105
Vbi in rē actio exerceri debeat 19. 106
Vbi de hæreditate agatur, uel ubi hæredes ſcripti in poſſeſſionem mitti poſtulare debeant 20. 106
Vbi de ratiocinijs, tam publicis, quàm priuatis agi oporteat. 21. 106
Vbi cauſas ſtatus agi oporteat 22. 106
Vbi quis de euriali, uel cohortali, aliaúe conditione conueniatur 23. 107
Vbi ſenatores uel clariſſimi ciuiliter uel criminaliter cōueniantᷣ 24. 107
In quibus cauſis militātes fori præſcriptione uti non poſſunt 25. 107
Vbi cauſa fiſcalis, uel diuinæ domus, hominumq; eius agatur 26. 107
Qnando liceat unicuiq; ſine iudice uindicare ſe, uel publicam deuotionem 27. 108
De inofficioſo teſtamento 28. 108
De inofficioſis donationibus 29. 110
De inofficioſis dotibus 30. 111
De petitione hæreditatis 31. 111
De rei uindicatione 32. 114
De uſufructu, uſu & habitatiōe, & miniſterio ſeruorum 33. 115
De ſeruitutibus & de aqua 34. 117
De lege Aquilia 35. 119
Familiæ erciſcundæ 36. 120
Communi diuidundo 37. 122
Communia utriuſq; iudicij, tam familiæ erciſcundæ, quàm communi diuidundo 38. 124
Finium regundorum 39. 124
De conſortibus eiuſdē litis 40. 125
De noxalibus actionibus 41. 126
Ad exhibendum 42. 127
De religioſis, & ſumptibus funerū, & aleæ luſu, & aleatoribus 43. 129

LIB. IIII.

De rebus creditis, & iureiurādo 1. 132
Si certum petatur 2. 135
De ſuffragio 3. 137
De prohibita ſequeſtratione pecuniæ 4. 137
De condictione indebiti 5. 138
De cōdictiōe ob cauſam datorū 6. 140

De condictiõe ob turpẽ cauſam 7. 141
De condictione furtiua 8. 142
De condictione ex lege, & ſine cauſa, uel iniuſta cauſa 9. 143
De obligatiõibus & actiõibus 10. 144
Vt actiones & ab hæredibus & contra hæredes incipiant 11. 145
Ne uxor pro marito, uel maritus pro uxore, uel mater pro filio conueniatur 12. 145
Ne filius pro patre, uel pater pro filio emancipato, uel libertus pro patrono conueniatur 13. 146
An ſeruus pro ſuo facto poſt manumiſſionem teneatur 14. 146
Quando fiſcus uel priuatus debitoris ſui debitores cõuenire poſſit 15. 146
De actionibus hæreditarijs 16. 147
De delictis defunctorum in quantum hæredes conueniantur 17. 147
De conſtituta pecunia 18. 148
De probationibus 19. 149
De teſtibus 20. 151
De fide inſtrumentorum, & de amiſſione eorum, & apochis, & antapochis faciendis, & de his, quæ ſine ſcriptura fieri poſſunt 21. 153
Plus ualere quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur 22. 154
De commodato 23. 155
De pignoraticia actione 24. 156
De exercitoria, & inſtitoria actione 25. 158
Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur, & de peculio, ſeu quod iuſſu, & de in rem uerſo 26. 158
Per quas perſonas nobis adquiratur 27. 159
Ad ſenatuſconſultum Macedonianum 28. 160
Ad ſenatuſcon. Velleianum 29. 161
De non numerata pecunia 30. 163
De compenſationibus 31. 164
De uſuris 32. 165
De nautico fœnore 33. 167
Depoſiti uel contra 34. 168
Mandati uel contra 35. 169
Si ſeruus extero ſe emi mandauerit 36. 171
Pro ſocio 37. 171
De contrahenda emptione & uenditione 38. 172
De hæreditate uel actiõe uẽdita 39. 173
Quæ res uendi non poſſunt, et qui uendere uel mercari uetantur 40. 174
Quæ res exportari nõ debeant 41. 174
De eunuchis 42. 175
De patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt 43. 175
De reſcindenda uenditione 44. 175
Quando liceat ab emptione diſcedere 45. 176
Si propter publicas penſitationes uenditio fuerit celebrata 46. 177
Sine cenſu uel reliquis fundum comparari non poſſe 47. 177
De periculo & commodo rei uenditæ 48. 178
De actiõibus empti & uenditi 49. 179
Si quis alteri uel ſibi ſub alterius nomine uel aliena pecunia emerit 50. 180
De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, uel hypotheca 51. 181
De cõmunium rerũ alienatiõe 52. 181
Rem alienam gerentibus nõ interdici rerum ſuarum alienatione 53. 181
De pactis inter emptorem & uenditorem compoſitis 54. 182
Si ſeruus exportandus ueneat 55. 182
Si mancipium ita uenierit, ne proſtituatur 56. 183
Si mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur, uel contra 57. 183
De ædilitijs actionibus 58. 184
De monopolijs, & conuentu negotiatorum illicito, uel artificum, ergolaborum, necnon balneatorum prohibitis illicitis pactionibus 59.
De nundinis & mercatoribus 60. 187
De uectigalibus & cõmiſſis 61. 187
Vectigalia noua inſtitui non poſſe 62. 188
De cõmercijs & mercatoribus 63. 188
De rerum permutatiõe, & præſcriptis uerbis actione 64. 188
De locato & conducto 65. 189
De iure emphyteutico 66. 192

LIB. V.

De ſponſalibus & arris ſponſalitijs, & proxeneticis 1. 193
Si rector prouinciæ, uel ad eum pertinentes, ſponſalitias dederint arras 2. 194
De donationibus ante nuptias, uel propter nuptias, & ſponſalitijs 3. 195
De nuptijs 4. 196
De inceſtis & inutilibus nuptijs 5. 198
De interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem, ſeu curatorem, filiosq; eorum 6. 199
Si quacunq; præditus poteſtate, uel ad eum pertinentes, ad ſuppoſitarum iuriſdictioni ſuæ nuptias tentauerit aſpirare 7. 199
Si nuptiæ ex reſcripto petantur 8. 200
De ſecundis nuptijs 9. 200
Si ſecundo nupſerit mulier, cui maritus uſumfructum reliquit 10. 203
De dotis promiſſione, & nuda pollicitatione 11. 203
De iure dotium 12. 203
De rei uxoriæ actione in ex ſtipulatu actionem transfuſa, & de natura dotibus præſtita 13. 206
De pactis conuentis, tam ſuper dote, quàm ſuper donatione propter nuptias, & paraphernis 14. 209
De dote cauta non numerata 15. 211
De donationibus inter uirum & uxorē & à parentibus in liberos factis, & ratihabitione 16. 211
De repudijs, & iudicio de moribus ſublato 17. 214
Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur 18. 215
Si dos conſtante matrimonio ſoluta fuerit 19. 215
Ne fideiuſſores uel mandatores dotiū dentur 20. 216
Rerum amotarum 21. 216
Ne pro dote mulieris bona addicantur 22. 217
De fundo dotali 23. 217
Diuortio facto, apud quem filij nutriantur 24. 217
De alendis liberis ac parētibus 25. 218
De concubinis 26. 218
De naturalibus liberis, & matribus eorum, & ex quibus cauſis iuſti efficiantur 27. 218
De teſtamentaria tutela 28. 219
De confirmando tutore 29. 220
De legitima tutela 30. 221
Qui petant tutores uel curatores 31. 221
Vbi petantur tutores uel curatores 32. 222
De tutoribus uel curatoribus illuſtriū uel clariſſimarum perſonarū 33. 222
Qui dare tutores uel curatores poſſunt & qui dari non poſſunt 34. 222
Quando mulier tutelæ officio fungatur 35. 223
In quibus cauſis tutorem habenti tutor uel curator dari poſſit 36. 223
De adminiſtratione tutorum & curatorum, & de pecunia fœneranda, & deponenda 37. 223
De periculo tutorū & curatorū 38. 225
Quando facto tutoris uel curatoris minores agere uel conueniri poſſunt 39. 225
Si ex pluribus tutoribus uel curatoribus omnes, uel unus peragere rem minoris, uel cōueniri poſſunt 40. 225
Ne tutor uel curator uectigal conducat 41. 226
De tutore uel procuratore, qui non ſatiſdedit 42. 226
De ſuſpectis tutoribus uel curatoribus 43. 227
De in litem dando tutore uel curatore 44. 227
Si contra matris uoluntatem tutor datus ſit 45. 227
Si mater indemnitatē ꝓmiſerit 46. 227
Vt cauſæ poſt pubertatem adſit tutor 47. 227
De eo qui pro tutore negotium geſſit 48. 228
Vbi pupilli educentur 49. 228
De alimentis pupillo præſtādis 50. 228
Arbitrium tutelæ 51. 228
De diuidenda tutela 52. 229
De in litem iurando 53. 229
De hæredibus tutorum 54. 230
Si tutor non geſſerit 55. 230

De uſuris

De uſuris pupillaribus 56. 230
De fideiuſſoribus tutorum ſeu curatorum 57. 230
De contrario iudicio tutelæ 58. 231
De autoritate præſtanda 59. 231
Quando tutores uel curatores eſſe deſinant 60. 232
De actore à tutore ſeu curatore dando 61. 232
De excuſationibus tutorum & curatorum 62. 232
Si tutor uel curator falſis allegationibus excuſatus ſit 63. 233
Si tutor reipub. cauſæ abierit 64. 233
De excuſationibus ueteranorũ 65. 233
Qui numero liberorum ſe excuſant 66. 233
Qui numero tutelarum ſe excuſant 67. 234
Qui ætate ſe excuſant 68. 234
Qui morbo ſe excuſant 69. 234
De curatore furioſi & prodigi 70. 234
De prædijs & alijs rebus minorũ ſine decreto non alienandis uel obligandis 71. 234
Quando decreto opus non eſt 72. 236
Siquis ignorans rem minoris eſſe, ſine decreto comparauerit 73. 236
Si maior factus uenditionem factam ratam habuerit 74. 236
De magiſtratibus cõueniendis 75. 237

LIB VI.

De ſeruis fugitiuis, & libertis, mancipijsq́ ciuitatum artificibus, & ad diuerſa opera deputatis, & ad rem priuatam, & dominicam pertinentibus 1. 238
De furtis & ſeruo corrupto 2. 239
De operis libertorum 3. 242
De bonis libertorum 4. 244
Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta ſit 5. 245
De obſequijs patrono præſtandis 6. 245
De libertis & eorum liberis 7. 246
De iure aureorum annulorum, & de natalibus reſtituendis 8. 246
Qui ad bonorum poſſeſſionem, & intra quod tẽpus admittantur 9. 247
Quando non petentium partes petentibus accreſcant 10. 248
De bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas 11. 248
De bonorum poſſeſſione contra tabulas, quã prætor liberis pollicet̃ 12. 249
De bonorum poſſeſſione contra tabulas liberti, quæ patronis uel liberis eorum datur 13. 250
Vnde liberi 14. 250
Vnde legitimi, & unde cognati 15. 251
Vnde cognati 16. 251
De ſucceſſorio edicto 17. 251
De Carboniano edicto 18. 252
Vnde uir & uxor 19. 253
De repudianda bonorum poſſeſſione 20. 253
De collationibus 21. 254
De teſtamento militis 22. 256
Qui teſtamenta facere poſſunt, uel nõ poſſunt 23. 258
De teſtamentis, & quemadmodum teſtamenta ordinentur 24. 259
De hæredibus inſtituendis, & quæ perſonæ inſtitui non poſſunt 25. 261
De inſtitutionibus, uel ſubſtitutionibus ſeu reſtitutionibus ſub conditione factis 26. 263
De impuberum & alijs ſubſtitutionibus 27. 264
De neceſſarijs, & ſeruis hæredibus inſtituendis uel ſubſtituendis 28. 266
De liberis præteritis, uel exhæredatis 29. 268
De poſthumis hæredibus inſtituendis uel exhæredandis, uel præteritis 30. 269
De iure deliberandi, & adeunda uel adquirenda hæreditate 31. 269
De repudianda uel abſtinenda hæreditate 32. 272
De edicto diui Hadriani tollendo, & quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur 33. 272
Quemadmodum teſtamenta aperiantur, deſcribant̃, & inſpiciãtur 34. 273
Siquis aliquem teſtari prohibuerit, uel coegerit 35. 273
De his, quibus ut indignis auferuntur hæreditates, & ſenatuſconſulto Silaniano 36. 274

De codicillis 37. 276
De legatis 38. 277
De uerborum ſignificatione 39. 281
Si omiſſa ſit cauſa teſtamenti 40. 283
De indicta uiduitate, & de lege Iulia Miſcella tollenda 41. 284
De his, quæ pœnæ nomine in teſtamẽto uel codicillis ſcribuntur, uel relinquuntur 42. 284
De fideicommiſſis 43. 285
Communia de legatis & fideicommiſſis, & de in rem miſſione tollenda 44. 286
De falſa cauſa adiecta legato, uel fideicommiſſo 45. 287
De his, quæ ſub modo legata ſeu fidei commiſſa relinquuntur 46. 288
De conditionibus inſertis tam in legatis, quàm fideicommiſſis, & libertatibus 47. 288
De uſuris uel fructibus legatorum ſeu fideicommiſſorum 48. 290
De ſenatuſcõſul. Trebelliano 49. 290
Ad legem falcidiam 50. 291
De caducis tollendis 51. 294
De his qui ante apertas tabulas hæreditates tranſmittunt 52. 295
Quando dies legati uel fideicommiſſi cedit 53. 296
Vt in poſſeſſionem legatorum, uel fideicõmiſſorum ſeruandorum cauſa mittatur, & quando ſatiſdari debeat 54. 296
De ſuis & legitimis liberis, & ex filia nepotibus ab inteſtato uenientibus 55. 297
Ad ſenatuſconſul. Tertyllianũ 56. 298
Ad ſenatuſcon. Orficianum 57. 299
De legitimis hæredibus 58. 300
Communia de ſucceſſoribus 59. 301
De bonis maternis & materni generis 60. 301
De bonis, quæ liberis in poteſtate conſtitutis, ex matrimonio, uel aliter adquirũt, & eorũ adminiſtratiõe 61. 301
De hæredibus decurionum, Nauicula riorum, cohortalium, militum, & fabricenſium 62. 303

LIB. VII.

De uindicta, & apud concilium manu miſſione 1. 304
De teſtamentaria manumiſſiõe 2. 306
De lege fuſia Caninia ſublata 3. 308
De fideicõmiſſarijs libertatibus 4. 308
De dediticia libertate tollenda 5. 310
De latina libertate tollenda, & per certos modos in ciuitatem Romanam transfuſa 6. 311
De cõmuni ſeruo manumiſſo 7. 312
De ſeruo pignori dato manumiſſo 8. 313
De ſeruis reipublicæ manumittendis 9. 313
De his, qui à non domino manumiſſi ſunt 10 313
Qui manumittere non poſſunt & ne in fraudem creditorum manumittantur 11. 314
Qui non poſſunt ad libertatem peruenire 12. 314
Quibus ex cauſis ſerui pro præmio libertatem accipiunt 13. 315
De ingenuis manumiſſis 14. 315
Cõmunia de manumiſſionibus 15. 315
De liberali cauſa 16. 316
De adſertione tollenda 17. 317
Quibus ad libertatem proclamare nõ licet, & de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur 18. 318
De ordine cognitionum 19. 319
De colluſione detegenda 20. 320
Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur 21. 320
De longi temporis præſcriptione, quæ pro libertate, non aduerſus libertatem opponitur 22. 321
De peculio eius, qui libertatem meruit 23. 322
De ſenatuſconſulto Claudiano tollendo 24. 322
De nudo iure Quiritiũ tollendo 25. 322
De uſucapione pro emptore, uel pro tranſactione 26. 323
De uſucapione pro emptore, uel pro tranſactione 26. 326
De uſucapione pro donato 27. 326
De uſucapione pro dote 28. 326
De uſucapione pro hærede 29. 327

Pro de-

Pro derelicto 30. 327
Pro legato 31. 327
Pro ſuo 32. 327
Communia de uſucapionibus 33. 328
De uſucapione transformanda, & de ſublata differentia rerum mancipi & nec mancipi 34. 328
De adquirenda & retinenda poſſeſſione 35. 328
De præſcriptione longi temporis decē uel uiginti annorum 36. 333
In quibus cauſis ceſſat longi temporis præſcriptio 37. 334
Quibus non obijcitur longi temporis præſcriptio 38. 335
Si aduerſus creditorem præſcriptio opponatur 39. 335
De quadriennij præſcriptiōe 40. 336
Ne rei dominicæ, uel templorum uindicatio temporis exceptione ſubmoueatur 41. 336
De præſcriptione triginta uel quadraginta annorum 42. 337
De annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diuerſis temporibus, & exceptionibus, & præſcriptiōibus, & interruptionib. 43. 344
De alluuionibus, & paludibus, & paſcuis ad aliū ſtatū translatis 44. 345
De ſentencijs præfectorum prætorio 45. 345
Quomodo & quando iudex ſentenciam proferre debeat præſentibus partibus, uel una parte abſente 46. 345
De ſententijs ex breuiculo recitandis 47. 347
De ſentencijs & interlocutionibus omnium iudicum 48. 347
De ſentencia, quæ ſine certa quantitate profertur 49. 348
De ſentencijs, quæ pro eo, quod interest, profertur 50. 349
Si à non competenti iudice iudicatum eſſe dicatur 51. 305
De pœna iudicis, qui male iudicauit, uel eius, qui iudicem uel aduerſarium corrumpere curauit 52. 350
Sentenciam reſcindi non poſſe 53. 351
De fructibus & litium expenſis 54. 351
De re iudicata 55. 352
De executione rei iudicatæ 55. 352
De uſuris rei iudicatæ 56. 352
Si plures una ſentencia condemnati ſunt 57. 353
Quibus res iudicata nō nocet 58. 353
Cōminationes, epiſtolas, progrāmata ſubſcriptiones autoritatem rei iudicatæ non habere 59. 354
Si ex falſis inſtrumentis uel teſtimonijs iudicatum ſit 60. 354
De confeſſis 61. 354
Res inter alios acta, uel iudicata, alijs ne noceat 62. 356
De relationibus 63. 356
De appellationibus, & conſultationibus 64. 356
De temporibus, & reparationibus appellationū, ſeu cōſultationū 65. 359
Quando prouocare non eſt neceſſe 66. 360
Quorum appellationes non recipiuntur 67. 360
Si pendente appellatione mors interuenerit 68. 361
De his, qui propter metum iudicis nō appellauerunt 69. 361
Si unus ex plurib. appellauerit 70. 362
Si de momentaria poſſeſſione fuerit appellatum 71. 362
Ne liceat in una eademq; cauſa tertiò prouocare, uel poſt duas ſentencias iudicum, quas definitio præfectorū roborauerit, eas retractare 72. 362
Qui bonis cedere poſſunt 73. 363
De bonis autoritate iudicis poſſidendis, ſeu uenundandis, & de ſeparationibus bonorum 74. 363
De priuilegio fiſci 75. 365
De priuilegio dotis 76. 366
De reuocandis ijs, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt 77. 367

LIB. VIII.

De interdictis 1. 369
Quorum bonorum 2. 371
Quorum legatorum 3. 372
Vnde ui 4. 373
Vti poſſidetis 5. 376
Si per uim, uel alio modo abſentis poſſeſſio turbata ſit. 6. 377

De tabulis exhibendis 7. 377
De libero homine exhibendo 8. 378
De liberis exhibendis 9. 378
De liberis deducendis 10. 379
De precario, & Saluiano interdicto 11. 379
De precario & Saluiano interdicto 12. 380
De interdictis illis quinq;, quæ in libris pandectarum referuntur
Ne quid fiat in loco publico
Ne quid in flumine publico, ripaue eius fiat quo prius nauigetur
Quid ui aut clam
De interdicto quod clam
De ædificijs priuatis 13. 384
De operibus publicis 14. 385
De ratiocinijs operũ publicorũ, & patribus ciuitatum 15. 385
De pignoribus & hypothecis 16. 385
In quibus cauſis pignus tacitè contrahitur 17. 387
Si aliena res pignori data ſit 18. 388
Quæ res pignori obligari poſſunt, uel non, & qualiter pignus contrahatur 19. 388
Qui potiores in pignore habeantur 20. 389
De his, qui in priorum creditorũ locũ ſuccedunt 21. 390
Si antiquior creditor pignus uendiderit 22. 391
Si cõmunis res pignorata ſit 23. 391
De prætorio pignore, & ut in actionibus etiam debitorum miſſio prætorij pignoris procedat 24. 391
Si in cauſa iudicati pignus captum ſit 25. 391
Si pignus pignori datũ ſit 26. 392
De partu pignoris & omĩ cauſa 27. 392
De remiſſione pignoris 28. 392
Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri 29. 393
De diſtractione pignorum 30. 394
Debitorem uenditionem pignorũ impedire non poſſe 31. 395
Si uendito pignore agatur 32. 395
De luitione pignoris 33. 395
Si unus ex pluribus hæredibus creditoris uel debitoris partem ſuam debiti ſoluerit, uel acceperit 34. 396
Si pignoris conuentionem numeratio pecuniæ ſecuta non ſit 35. 396
De iure dominij impetrando 36. 396
De pactis pignorum, & de cõmiſſaria lege in pignorib. reſcindẽda 37. 397
De exceptionibus & proſcriptionibus 38. 398
De litigioſis 39. 399
De contrahenda & committenda ſtipulatione 40. 400
De inutilibus ſtipulationib. 41. 402
De duobus reis ſtipulandi & promittendi 42. 403
De fideiuſſoribus & mandatoribus 43. 404
De nouationibus & delegationibus 44. 405
De ſolutiõibus & liberationib. 45. 406
De acceptilationibus 46. 408
De euictionibus 47. 409
Creditorem euictionem non debere 48. 410
De patria poteſtate 49. 411
De adoptionibus 50. 411
De emancipatione liberorum 51. 412
De ingratis liberis 52. 413
De poſtliminio, & redemptis ab hoſtibus 53. 414
De infantibus expoſitis liberis & ſeruis, & de ijs, qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt 54. 415
Quæ ſit longa conſuetudo 55. 416
De donationibus 56. 416
De donationibus, quæ ſub modo, uel ſub conditione, uel ex certo tempore conficiuntur 57. 418
De reuocandis donationibus 58. 419
De mortis cauſa donatiõibus 59. 420
De infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & decimarijs ſublatis 60. 421
De iure liberorum 61. 421

LIB. IX.

Qui accuſare non poſſunt 1. 422
De accuſationibus & inſcriptionibus 2. 423

De exhi-

De exhibendis & tranſmittendis reis 3. 424
De cuſtodia reorum 4. 424
De priuatis carcerib. inhibēdis 5. 425
Si reus uel accuſator mortuus fuerit 6. 425
Si quis Imperatori maledixerit 7. 425
Ad legem Iuliam maieſtatis 8. 426
Ad legem Iuliam de adulterijs & ſtupro 9. 426
Si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit 10. 431
De mulieribus, quæ ſe proprijs ſeruis iunxerunt 11. 431
Ad legem Iuliã de ui publica, ſiue priuata 12. 431
De raptu uirginum, ſeu uiduarum, nec non ſanctimonialium 13 432
De emendatione ſeruorum 14. 433
De emendatione propinquorũ 15. 433
Ad legem Cor. de ſicarijs 16. 433
De his, qui parẽtes uel liberos occiderunt 17. 435
De maleficis, & mathematicis, & cæteris ſimilibus 18. 435
De ſepulchro uiolato 19. 436
Ad legẽ Fauiam de plagiarijs 20. 438
Ad legem Viſcelliam 21. 439
Ad legẽ Corneliam de falſis 22. 439
De his, qui ſibi adſcribunt in teſtamento 23. 440
De falſa moneta 24. 441
De mutatione nominis 25. 441
Ad legem Iuliam de ambitu 26. 441
Ad legẽ Iuliam repetundarũ 27. 441
De crimine peculatus 28. 442
De crimine ſacrilegij 29. 442
De ſeditioſis, & de ijs, qui plebem audent cõtra rempub. colligere 30. 443
Quando ciuilis actio criminali præiudicet, & an utraq; ab eodem exerceri poſſit 31. 443
De crimine expilatæ hæredita. 32. 444
De ui bonorũ raptorum 33. 444
De crimine ſtellionatus 34. 445
De iniurijs 35. 445
De famoſis libellis 36. 447
De abigeis 37. 447
De Nili aggeribus non rumpendis 38. 447
De ijs qui latrones, uel alijs criminib. reos occultauerint 39. 447
De requirendis reis 40. 447
De quæſtionibus 41. 448
De abolitionibus 42. 449
De generali abolitione 43. 450
Vt intra certũ tempus criminalis quæſtio terminetur 44. 450
Ad Senatuſcon. Turpillianũ 45. 450
De calumniatoribus 46. 451
De pœnis 47. 451
Ne ſine iuſſu principis certis iudicibus liceat confiſcare 48. 452
De bonis proſcriptorum ſeu damnatorum 49. 452
De bonis eorum, qui mortem ſibi conſciuerunt 50. 453
De ſententiã paſſis & reſtitutis 51. 454

TITVLI CODICIS DN.

IVSTINIANI PER ORDINEM ALPHABETICVM ſic diſpoſiti, ut poſſit idẽ titulus propter allegationum diuerſitatem ſub diuerſis inueniri literis.

A

Abigeis 447
Abolitionibus 448
Acceptilationibus 408
Accuſationibus & inſcriptiõibus 423
Adquirenda & retinẽda poſſeſſiõe 328
Actionibus empti 179
Actionibus hæreditarijs 147
Actionibus & obligationibus 144
Actore à tutore & curatore dando 232
Ad exhibendum 127
Ad legẽ Iuliam maieſtatis 426
Ad legem Iuliã de adulterijs 426
Ad legem Iuliam de ui publica 431

Ad legem Corneliam de ſicarijs 433
Ad legem Fauiam de plagiarijs 438
Ad legem falcidiam 292
Ad legem Viſcelliam 439
Ad legem Corneliam de falſis 439
Ad legem Iuliam de ambitu 441
Ad legem Iuliam repetundarum 441
Adminiſtratione tutorum 223
Adoptionibus 411
Ad Senatuſconſultum Velleianū 161
Ad ſenatuſc. Trebellianum 290
Ad ſenatuſcon. Tertyllianum 298
Ad ſenatuſcon. Orficianum 299
Ad ſenatuſcon. Turpillianum 450
Ad ſenatuſcon. Macedonianum 160
Ad ſenatuſcon. Silanianum 274
Aduocatis diuerſorū iudiciorum 52
Aduocatis diuerſorū iudicum 52
Aduocatis fiſci 53
Aedificijs priuatis 364
Aedilicijs actionibus 164
Alendis liberis 218
Alienatione mutandi iudicij cauſa facta 87
Alimentis pupillo præſtandis 228
Alluuionibus & paludibus 345
Annali exceptione 344
Annonis 35
An ſeruus ex ſuo facto 146
Appellationibus & cōſultationib. 356
Apoſtatis 12
Arbitris 89
Arbitrium tutelæ 228
Aſſertione tollenda 317
Aſſeſſoribus 34
Autoritate præſtanda 231

B

Bonis libertorum 244
Bonis maternis 301
Bonis quæ liberis 301
Bonis autoritate iudicis poſſidēdis 363
Bonis proſcriptorum 452
Bonis eorum, qui ſibi mortem conſciuerunt 453
Bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas 248
Bonorum poſſeſſione contra tabulas, quā prætor liberis pollicetur 149
Bonorum poſſeſſione contra tabulas liberti 250

C

Caducis tollendis 294
Calumniatoribus 451
Captiuis & poſtliminio reuerſis 414
Carboniano edicto 252
Ceſſione bonorum 363
Codicillis 276
Collationibus 254
Colluſione detegenda 320
Commercijs & mercatoribus 188
Comminationes, epiſtolas &c. 354
Commodati 155
Communi diuidundo 122
Communi ſeruo manumiſſo 312
Communia de ſucceſſionibus 301
Cōmunia de manumiſſionibus 315
Cōmunia de uſucapionibus 318
Cōmunia utriuſq; iudicij 124
Cōmunia de legatis &c. 266
Cōmunium rerū alienatione 181
Compenſationibus 164
Concubinis 218
Condictione indebiti 138
Condictione ob cauſam 140
Condictione ob turpē cauſam 141
Condictione furtiua 142
Condictione ex lege 143
Condictionibus inſertis 288
Confeſſis 354
Confirmando tutore 220
Conſortibus eiuſdem litis 125
Conſtituta pecunia 148
Contrahenda emptione 172
Contrahenda & committenda ſtipulatione 400
Contrario iudicio tutelæ 231
Contractibus iudicum 35
Creditorem euictionem pignoris non debere 410
Crimine peculatus 442
Crimine ſacrilegij 442
Crimine expilatæ hæreditatis 444
Crimine ſtellionatus 445
Curatore furioſi 234

Cuſtodia

Cuſtodia reorum 424

D

Debitorem uenditionem pignoris 395
Dediticia libertate tollenda 310
Defenſoribus ciuitatum 36
Depoſiti 168
Dilationibus 101
Diſtractione pignorum 394
Diuerſis reſcriptis 23
Diuidenda tutela 229
Diuortio facto 17
Dolo malo 68
Donationibus 416
Donationibus inter uirũ & uxorẽ 211
Donationibus cauſa mortis 420
Donationibus ante nuptias 195
Donationibus quæ ſub modo 418
Dote cauta non numerata 211
Dotis promiſſione 203
Duobus reis ſtipulandi 403

E

Edendo 37
Edicto diui Adriani tollendo 271
Emancipationibus liberorum 412
Emendatione propinquorum 433
Emendatione ſeruorum 433
Eo qui pro tutore uel curatore negotium geſſit 228
Eo quod certo loco dari oportet 105
Epiſcopis & clericis 6
Epiſcopali audientia 10
Errore calculi 50
Errore aduocatorum 53
Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri poſſe 393
Etiam per procuratorem cauſam in integrum reſtitu. 81
Euictionibus 409
Eunuchis 175
Exceptionibus & præſcriptionib. 398
Excuſatione ueteranorum 233
Excuſationibus tutorũ & curatorũ 231
Ex delictis defunctorum 147
Executione reiiudicatæ 392
Exercitoria & inſtitoria actione 158
Exhibendis & tranſmittendis reis 424
Ex quibus cauſis infamia irrogatur 54

F

Falſa cauſa adiecta 187
Falſa moneta 441
Familiæ erciſcundæ 120
Famoſis libellis 447
Ferijs 102
Fideicommiſſis 289
Fideicommiſſarijs libertatibus 308
Fideiuſſoribus minorum 72
Fideiuſſoribus & mandatoribus 404
Fideiuſſoribus tutorum 230
Fide inſtrumentorum 153
Filiofamiliâs minore 71
Finium regundorum 124
Formulis & impetratione 93
Fructibus & litium expenſis 351
Fundo dotali 217
Furtis & ſeruo corrupto 239

G

Generali abolitione 450

H

Hæreditate uel actione uendita 173
Hæreditarijs actionibus 147
Hæreditatibus Decurionum 305
Hæredibus tutorum 230
Hæredibus inſtituendis 261
Hæreticis & Manichæis 11
His quæ ſub modo legati uel fideicommiſſi relinquuntur 258
His quæ ui metusúe cauſa fiunt 65
His qui accuſare non poſſunt 422
His qui ad eccleſiam confugiunt 15
His qui in eccleſijs manumittuntur 16
His qui ad ſtatuas confugiunt 29
His, qui potentiorum nomine 61
His, qui ueniam ætatis impetrauerunt 79
His, quibus ut indignis &c. 274
His, quæ pœnæ nomine in teſtamento uel codicillis relinquuntur 284
His, qui ante apertas tabulas hæreditatem tranſmittunt 295

His,qui à non domino manumiſſi ſunt 313
His,qui per metum iudicis non appellauerunt 362
His, qui in priorum creditorum loco ſuccedunt 390
His, qui parentes uel liberos occiderunt 435
His,qui ſibi aſcribunt 440
His, qui latrones uel aliјs criminibus reos occultant 447
His,qui notantur infamia 54
His,qui non poſſunt ad libertatem peruenire 318

I

Impuberū, & aliјs ſubſtitutionib. 264
Inceſtis nuptiјs 198
Indicta uiduitate 284
Infantibus expoſitis &c̄. 415
Infirmandis pœnis cœlibatus &c̄. 421
Ingenuis manumiſſis 315
Ingratis liberis 413
In litem dando tutore 227
In litem iurando 229
In integrum reſtitutione minorū 70
In integrum reſtitutione poſtulata,nequid 81
Iniuriјs 445
Inofficioſo teſtamento 108
Inofficioſis donationibus 110
Inofficioſis dotibus 111
In ius uocando 39
In quibus cauſis in integrum reſtitutio non eſt neceſſaria 78
In quibus cauſis militantes &c̄. 107
In quibus cauſis tutorem habenti 223
In quibus cauſis ceſſat longi temporis præſcriptio 334
In quibus cauſis pignus, uel hypotheca tacitè contrahatur 387
In quibus cauſis ſerui prò præmio liberta.act. 315
Inſtitutionibus & ſubſtitutionib. 263
Inſtitoria actione 158
Inter alios acta uel iudicata aliјs non nocere 356
Interdicto matrimonio 199
Interdictis 169
Inutilibus ſtipulationibus 402
Iudæis & cœlicolis 13
Iudiciјs 95
Iure aureorum anulorum 146
Iure codicillorum 276
Iure dominiј impetrando 396
Iure deliberandi 269
Iure dotium 203
Iure emphyteutico 192
Iure liberorum 411
Iureiurando 131
Iureiurando propter calūmniam 93
Iure patronatus 144
Iuris & facti ignorancia 21
Iuriſdictione omnium iudicum 103

L

Latina libertate 311
Legatis 277
Lege Aquilia 118
Lege commiſſoria in pig.re 397
Lege fuſia Caninia tollenda 308
Legibus & cōſtitutionibus principum 16
Legitima tutela 221
Legitimis hæredibus 300
Libellis famoſis 447
Liberali cauſa 316
Liberis exhibendis 378
Liberis præteritis 268
Libertis & eorum liberis 246
Litigioſis 399
Litis conteſtatione 100
Locato & conducto 159
Longi temporis præſcriptione 321
Luitione pignoris 395

M

Magiſtratibus municipalibus 36
Magiſtratibus conueniendis 237
Maleficis & mathematicis 435
Mandati 169
Mandatis principum 20
Modo multarum 36
Monopoliјs 59
Mortis cauſa donationibus 420

Mulie-

Mulieribus quæ ſeruis proprijs ſe iunxerunt 431
Mutatione nominis 441

N

Naturalibus liberis 218
Nautico fœnore 167
Neceſſarijs ſeruis hæredibus inſtituendis 166
Ne chriſtianum mancipium 14
Ne comitibus rei militaris 33
Ne de ſtatu defunctorum 320
Ne ex delicto defunctorum hære. conue. 147
Ne fiſcus, uel reſpublica 61
Ne filius pro patre 146
Ne fideiuſſores, uel mandatores dotium dentur 216
Negotijs geſtis 61
Ne liceat potentioribus 60
Ne liceat in una eademq́ cauſa 362
Nemini licere ſignum ſaluatoris 13
Ne pro dote bona mariti addicantur 217
Nequis in ſua cauſa iudicet 99
Ne rei dominicæ, uel templorum 336
Ne ſanctum baptiſma iteretur 12
Ne ſine iuſſu principis 452
Ne tutor uel curator uectigal conducat 226
Ne uxor pro marito 145
Niſi aggeribus non rumpendis 447
Non numerata pecunia 163
Noua uectigalia 188
Nouationibus & delegationibus 405
Noxalibus actionibus 126
Nudo iure quiritium tollendo 322
Nundinis & mercatoribus 187
Nuptijs 196

O

Obſequijs patrono præſtandis 245
Officio comitis ſacrarum largitionum 31
Officio comitis rerum priuatarum 31
Officio comitis Orientis 31
Officio ciuilium iudicum 33
Officio diuerſorum iudicum 34
Officio eius, qui uicem alicuius iudicis obtinet 34
Officio iuridici Alexandriæ 37
Officio magiſtri militum 30
Officio magiſtri officiorum 31
Officio militarium iudicum 33
Officio præfecti Auguſtalis 32
Officio præfecti urbi 30
Officio præfecti uigilum 33
Officio prætoris 32
Officio præfecti prætoriæ Africæ 30
Officio præfecti prætorio Orientis & Illyrici 29
Officio proconſulis & legati 31
Officio quæſtoris 30
Officio rectoris prouinciæ 32
Officio uicarij 32
Operis libertorum 242
Operibus publicis 385
Ordine iudiciorum 99
Ordine cognitionum 319

P

Pactis 40
Pactis inter emptorem & uenditorem 182
Pactis cõuentis tam ſuper dote &c. 209
Pactis pignorum 397
Paganis & ſacrificijs, & tẽplis corũ 14
Partu pignoris & omni cauſa 392
Patria poteſtate 418
Patribus, qui filios diſtraxerunt 175
Peculio 158
Peculio eius, qui libertatem meruit 322
Pedaneis iudicibus 98
Pœna iudicis qui male iudicauit 350
Pœnis 451
Per quas perſonas nobis adquiritur 159
Periculo & cõmodo rei uenditæ 178
Periculo tutorum 229
Petitione hæreditatis 113
Pignoraticia actione 156
Pignoribus & hypothecis 389
Plus ualere quod agitur &c. 154
Plus petitionibus 101

Poſthumis hæredibus inſtituendis 269
Poſtliminio reuerſis 414
Poſtulando 51
Precario & Saluiano interdicto 379
Precibus Imperatori offerendis 25
Prædijs & alijs rebus minorum 234
Præſcriptione longi temporis quæ pro liberta &c. 321
Præſcriptione longi temporis x. uel xx. annorum 333
Præſcriptione xxx. uel xl. annorũ 337
Præſcriptis uerbis 188
Prætorio pignore 391
Priuilegio fiſci 365
Priuilegijs dotis 366
Priuatis carceribus 425
Probationibus 149
Procuratoribus 57
Pro donato 326
Pro dote 326
Pro emptore 326
Prohibita ſequeſtratione pecuniæ 137
Pro hærede 327
Pro quibus cauſis serui pro præmio libertatem accipiunt 315
Pro ſocio 171

Q.

Quando libellus principi datus litis cõteſtat. faciat 26
Quando ciuilis actio criminali præiudicet 443
Quadriennij præſcriptione 336
Quando dies legati uel fideicommiſſi cedit 296
Quando decreto opus non eſt 236
Quando ex facto tutoris 225
Quando fiſcus uel priuatus 146
Quando Imperator inter pupillos & uiduas 104
Quando liceat unicuiq; ſine iudice ſe uindicare 108
Quando liceat ab emptione diſcedere 176
Quando mulier tutelæ officio fungatur 223
Quando minores ex facto tutoris 216
Quando non petentium partes 248
Quando prouocare nõ eſt neceſſe 360
Quando tutores uel curatores eſſe deſinant 232
Quemadmodum teſtamenta aperiantur 273
Quæ res uendi non poſſunt 174
Quæ res exportari nõ debent 174
Quæ res pignori obligari poſſunt uel non 388
Quæſtionibus 448
Quæ ſit longa conſuetudo 416
Qui accuſare non poſſunt 442
Qui admitti ad bonorum poſſeſſiõem poſſunt 247
Quibus ad libertatem proclamare non licet 318
Quibus cauſis in integrum reſtitutio non poſtu. 78
Quibus cauſis pignus tacite contrahatur 387
Qui bonis cedere poſſunt 363
Quibus ex cauſis ſerui pro præmio liberta. accipiunt 315
Quibus ex cauſis maiores 86
Quibus non obijcitur longi temporis præſcriptio 335
Quibus res iudicata non nocet 353
Quibus ut indignis &c. 274
Qui dari tutores uel curatores poſſunt 222
Qui & aduerſus quos in integrum reſtitutio non poſtuletur 78
Qui ætate ſe excuſant 234
Qui legitimam perſonam habent ſtandi in iudicio uel non 99
Qui manumittere non poſſunt 314
Qui morbo ſe excuſant 234
Qui nõ poſſũt ad libertatẽ peruenire 314
Qui numero liberorũ ſe excuſant 233
Qui numero tutelarum 234
Qui potiores in pignore habeantur 389
Qui pro ſua iuriſdictione iudices dare dariúe poſſunt 98
Qui petunt tutores uel curatores 220
Qui teſtamenta facere poſſunt 258
Quod cũ eo, qui in aliena poteſtate 158
Quod metus cauſa 65
Quomodo & quando iudex 345
Quorũ appellationes nõ recipiunt 360
Quorum bonorum 371
Quorum legatorum 372

Raptu

R

Raptu uirginum ſeu uiduarum 432
Ratiotinijs operum publicorum & patribus ciuitatum 385
Rebus creditis 132
Rebus alienis non alienandis 181
Receptis arbitris 89
Rei uindicatione 114
Rei uxoriæ actione 206
Re iudicata 352
Relationibus 356
Religioſis & ſumptibus funerum 129
Rem alienam gerentibus 182
Remiſſione pignorum 392
Repudianda & abſtinenda hæreditate 272
Repudianda bonorum poſſeſſione 253
Repudijs 214
Reputationibus 81
Requirendis reis 447
Rerum amotarum 216
Rerum permutatione 188
Reſcindenda uenditione 175
Reſtitutionibus militum 82
Res inter alios acta 356
Reuocandis ijs, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt 367
Reuocandis donationibus 419

S

Sacroſanctis eccleſijs 2
Saluiano interdicto 379
Satiſdando 93
Secundis nuptijs 100
Seditioſis 443
Senatuſconſultis 20
Senatuſcõſulto Claudiano tollẽdo 322
Sentencijs præfectorũ prætorio 345
Sentencijs ex breuiculo recitandis 347
Sentencijs & interlocutionibus omnium iudicum 347
Sentencijs, quæ ſine certa quantitate proferuntur 348
Sentencijs, quæ pro eo quod intereſt proferuntur 349
Sentenciam reſcindi non poſſe 351
Sentenciam paſſis 454
Separationibus 363
Sepulchro uiolato 436
Seruitutibus & aqua 117
Seruo pignori dato manumiſſo 313
Seruis reipub. manumittendis 313
Seruis fugitiuis 238
Si aduerſus rem iudicatam reſtitutio poſtuletur 73
Si aduerſus uenditionem 73
Si aduerſus uenditionem pignoris 74
Si aduerſus donationem 74
Si aduerſus libertatem 74
Si aduerſus tranſactionem 75
Si aduerſus ſolutionem 75
Si aduerſus dotem 76
Si aduerſus delictum 76
Si aduerſus creditorem 77
Si aduerſus uſucapionem 76
Si aduerſus fiſcum 77
Si aliena res pignori data ſit 388
Si à non competenti iudice 350
Si antiquior creditor pignus uendiderit 391
Si communis res pignori data ſit 391
Si contra ius uel utilitatem publicã 27
Si certum petatur 135
Si dos conſtante matrimonio 215
Si de momentaria poſſeſſione 362
Si ex falſis inſtrumentis 354
Si ex falſis allegationibus tutor uel curator excuſatus ſit 233
Si ex pluribus tutoribus 215
Si in communi eademq́ cauſa in integrum reſtitutio poſtuletur 72
Si in cauſa iudicati pignus captũ ſit 391
Si in fraudem patroni 245
Si maior factus uenditionem factam ratam habuerit 236
Si mancipium ita ueneat 163
Si mancipiũ ita fuerit alienatum 193
Si maior factus ratum habuerit 80
Si mater indemnitatem promiſerit 217
Si minor ab hæreditate ſe abſtinue. 77
Si minor ſe maiorem dixerit, uel probatus fuerit 79
Sine cẽſu, uel reliquis fundum comparari non poſſe 177
Si nuptiæ ex reſcripto petantur 200
Si ut omiſſa hæreditate 77
Si omiſſa ſit cauſa teſtamenti 283
Si pendente appellatione mors interuenerit 360

Si per uim, uel alio modo abſentis poſſeſſio turbata ſit 377
Si pignus pignori datum ſit 392
Si pignoris conuentionem numeratio pecuniæ ſecuta non ſit 396
Si propter publicas penſitationes uenditio fuerit celebrata 177
Si plures una ſentencia condemnati ſunt 353
Si quacunq; præditus poteſtate 199
Siquis aliquem teſtari prohibuerit 273
Siquis alteri uel ſibi 180
Siquis ignorans rem minoris eſſe 236
Siquis Imperatori maledixerit 425
Siquis eam cuius tutor fuerit corruperit 431
Si rector prouinciæ 194
Si reus, uel accuſator mortuus fuerit 425
Si ſecundo nupſerit mulier 203
Si ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur 79
Si ſeruus extero 171
Si ſeruus exportandus ueneat 182
Si tutor uel curator cauſa reipub. abſuerit 233
Si tutor uel curator interuenerit 72
Si tutor contra uoluntatem matris datus ſit 227
Si tutor non geſſit 230
Si uendito pignore agatur 395
Si unus ex pluribus appellauerit 362
Si unus ex pluribus hæredibus creditoris &c. 396
Si ut ab hæreditate ſe abſtineat 77
Soluto matrimonio 215
Solutionibus & liberationibus 406
Sponſalibus 193
Sportulis 97
Statuis & imaginibus 29
Succeſſorio edicto 251
Suffragio 137
Suis & legitimis 297
Summa trinitate & fide catholica 1
Suſpectis tutoribus 227

T

Tabulis exhibendis 377
Temporibus in integrũ reſtitutionis 85
Tẽporibus & reparationibus appellationum 359
Teſtamentaria tutela 219
Teſtamento militis 256
Teſtamentis, & quemadmodum teſtamenta ordinentur 259
Teſtamentaria manumiſſione 306
Teſtibus 151
Tranſactionibus 74
Tutoribus uel curatoribus illuſtriũ uel clariſſimarum perſonarum 222
Tutore uel curatore q nõ ſatiſdedit 226

V

Vbi cauſa ſtatus agi debeat 106
Vbi cauſæ fiſcales 107
Vbi conueniatur, qui certo loco dare promiſit 105
Vbi de ratiotinijs tam publicis quã priuatis agi oporter 106
Vbi de hæreditate agatur 106
Vbi de crimine agi oportet 105
Vbi de poſſeſſione agi oportet 105
Vbi & apud quem cognitio in integrũ reſtitutionis agitanda ſit 80
Vbi fideicommiſſum peti oportet 105
Vbi in rem actio exerceri debeat 106
Vbi petantur tutores uel curatores 222
Vbi pupillus educari debeat 223
Vbi quis de curiali aliaúe conditione conueniatur 107
Vbi ſenatores uel clariſſimi 107
Vectigalia noua inſtitui nõ poſſe 188
Vectigalibus & commiſſis 187
Verborum & rerũ ſignificatione 282
Veteri iure enucleando 20
Vi bonorum raptorum 444
Vindicta libertate 304
Vnde legitimi 251
Vnde liberi 250
Vnde uir & uxor 253
Vnde ui 373
Vſucapione pro emptore 326
Vſucapione pro donato 326
Vſucapione pro dote 326
Vſucapione pro hærede 327
Vſucapione transformanda 328
Vſu & uſufructu & habitatione 115
Vſuris rei iudicatæ 352
Vſuris 165

Vſuris pupillaribus 230
Vſuris & fructibus legatorum 290
Vt actiones ab hæredibus & cōtra hæredes incipiant 145
Vt cauſæ poſt pubertatem adſit tutor 227
Vti poſſidetis 376
Vt in poſſeſſionem legatorum 296
Vt intra certum tēpus criminalis quæſtio terminetur 450
Vt nemo inuitus agere uel accuſare cogatur 99
Vt nemini liceat ſine iudicis autoritate 61
Vt nemo priuatus titulos prædijs ſuis &c. 61
Vt lite pendente 26
Vt legatorum nomine caueatur 296
Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares 34
Vt quæ deſunt aduocatis 53
Vt unicuiq; liceat ſine iudice ſe uindicare 108
Vulgari & pupillari ſubſtitutione 264
Vxoribus militum 85

AD LECTOREM

BONI VIRI officio nos poſſe perfungi ſumus arbitrati, ſi non ſolum diligentiæ, quam in hoc Placentino reſtituendo incredibiliter adhibuimus: ſed & integritatis & bonæ fidei noſtræ tibi ratio conſtaret. Itaq; de altero, ut planè nobis conſcij ſumus, ſic quoq; eſſe tibi quàm conſtantiſſime perſuadeas rogamus: alterum autem tibi ſubijciemus. Tuum eſt igitur, ſiquid hic aliter, atq; nos ſumus opinati acciderit, æquum te præbere, dareq; ueniam ijs, qui ſuis laboribus primi hunc Placentinum, ab exemplari unico eoq; adeo corrupto, ut non eſſent uel duæ in eo dictiones, quibus tutò fidere poſſemus, tranſcriptum in lucem ædere curauerunt.

NOTAE DIVERSARVM LECTIONVM.

Itaq; pagina 1 · uer · 13 · uide nunquid · pro attēcius legendū ſit authentius & rurſus ibidē uer · 31 · fides eſt expunge eſt · pag · 3 · uer · 3 · pro fecerint lege fuderint ibidē uer · 12 · pro ſed le · ſecundū · ibi · uer · 13 · le · creabunt · pa · 6 · uer · 13 · excuſatū confiſcabitur · negatio uidetur eſſe interponenda · pag · 7 · uer · 7 · pro idq; fieret lege fiet · pa · 11 · uer · 1 · lege ſacerdotio · ubicūq; repereris deprehēdo uel apprehendo cū diphthongo le · ſine diphthongo · pa · 14 uer · 36 · uidetur legendū eſſe ſociantur pro ſortiantur · pag · 15 · uer · 25 · pro ſenteuciā uidetur legendum eſſe eſſe ſæuiciam · & mox ibidem pro uidebuntur le · iubebuntur · eadē pag · uer · 34 · pro fecerunt uidetur legendū fuderunt · pag · 17 . uer · 16 · le · parcatur · pag · 18 · uer · 39 · le · reſpondeo · pag · 19 · uer · 22 · caſu contingit · interpone hoc · pag · 23 · uer · 24 · pro rerū le · uerum · ibidem uer · 39 · pro ubi le · uel · pag · 24 · uer · 2 · pro ſed le · ſecundū · pag · 26 · uer · 14 · quod imperator, interpone ſi · ibidē uer . 24 · ſi ſtatueretur · interpone ſi aliter ſtatueretur · ibidem uer · 35 · pretoria perpetua interpone & pag · 28 · uer · 17 · pro credendū uidetur eſſe legendū concedendū ibidē uer · 43 · lege Theſſalonicenſi pa · 29 · uer 23 · pro etiā legibus lege & à legibus pag · 33 · uer · 11 · lege debent pag · 35 · uer · 16 · expunge uel · pag · 37 · uer · 4 · habeat apud interpone tamen. pag · 39 · uer · 35 · ſi is qui uocatur ſine uenia · uocari petitur · lege ſi is qui uocat ſine uenia uocare potuerit pág · 42 · uer 1 · le · ſoluat · ibidem uer · 5 · pro nihil agitur lege nihil agit ibidē uer · 42 · le · exceptionē & habentem · pag · 43 · uer · 27 dē · heredibus · pag · 44 · uer 21 · le · erogaſti ibidē uer · 22 · potuit lege poterat · pag · 49 · uer · 12 . reactis expunge re · ibidē uer · 47 · pro tamen le · tantū · ibidē uer · 48 · ſed condictio interpone & pag · 53 · uer · 12 · le · abſentis · pag · 54 · uer · 36 · iudicare poſtulare interpone · & pag · 55 · uer · 29 · infamis cum expunge cum · pag · 58 · uer · 3 · le · agit ibidē · uer · 21 · expunge & · ibidē uer · 40 · pro ſuis lege ſine · pag · 59 · uer · 8 · pro reipub · lege rei ibidē uer · 21 · conteſtatam opponenda interpone eſt · pag · 61 · uer · 13 . le · ſuperior · pag · 65 · uer · 4 · pro quod le · quo · ibidem uer · 26 · pro qui le · quæ · pag · 67 · uer · 3 · Itē actio iſta infra annū &c · mihi uidetur legendū eſſe · item actio iſta infra annū competit, et ſi alia pag · 11 · le · uiolentus · pag · 69 · uer · 9 · expunge ut ibi · uer · ult · pro quod le · quo · pag · 72 · uer · 26 · expunge quod pag · 74 · uer · 3 · pro de l · Si ibidē uer · 22 · pro quam le · quem · pag · 75 · uer · 44 · ſoluens minor curatori ipſo iure

lege ſoluens minor cũ curatore & c·pag·78·uer·9·expunge nec·pag·80·uer·12·le·quẽ negotiũ·pa·84.uer·1· ante uero pone ſi·& ubicũq; inueneris reciſſoria, fac reſciſſoria·pa·86·uer·41·expunge de·pa·89·uer·36·le· cõſtituitur·pag·92·uer·31 ergo etiã interpone ſi ibidẽ uer·37·etiã nõ interpone ſi ibidẽ 43·pro cũ le·rẽũ· pa· 94·uer·32·expunnix·pag·95·uer·ul·le·indulgeri·pa·97. uer·8·le·pemptoria·ibidẽ uer·27·le·admittere·pa. 103·uer·31·pro quod lege quò, ibidẽ uer·39. pro nec le·ne·pag·108·uer·30·expunge nec. ibidẽ uer·34. babebit qualẽ interpone quantã & qualẽ·pag·109·uer·19·p nec le ·ne·pa·112·uer·12·licet fide interpone bona ibidem uer·39·ſed erem lege ſed & rẽ·pag·117·uer·37·le· eques·pag· 121·uer·18· pro relegatus lege obligatus ibidẽ uer·32·pro nec le·&·pag·122·uer ·41·lege nuncupari·pag·123·uer·1·pro hoc le·hæc·pag·126·uer·41· ſed tamẽ reliquũ uidetur legendũ eſſe in reliquũ·pag·129·uer·30· ſed pater fam· interpone ſi· pag· 130·uer· 24·qui prohibitus lege qui ipſe nõ probibitus·pag·133·uer·20·lege iuratur·pag·134·uer·47·expunge quando·pag·137·uer·44·litiganti lege à litigante, pag·139·uer·10·pro præſtita lege præterita, ibidẽ uer·33· expunge hoc·pag·139·uer·6·lege·quandoq;, ibidẽ uer·37·pro quia lege qua; pag·141·uer·30· pro præcipi lege percæpi, ibidem 43·lege idem, ibidẽ uer·44· lege alienatur·pag·143·uer.45·pro quam lege qua·pag·144· uer·46·pro res lege reos·pag·145·uer·14·lege mandato·pag·146·uer·9·pro ſic lege ſi·pag·147·uer·33·le· obligatarũ·pag·150·uer·26·le·heredẽ·pag·151·uer·33·pro tũ lege tamẽ, ibidẽ uer·37·iurati teſtimoniũ interpone ut ibidẽ uer·46·pro eſt lege eſſe, pag·153·uer·2·lege poßint, ibidẽ uer·32·le·continetur, pag·168·uer·38 lege depoſitor ibidẽ uer· 40· pro contra lege contraria·pag·170· uer·27·lege creditor, ibidem uer·32· lege alia·pag·171· uer·39·pro tantũ uidetur legendũ eſſe tamẽ·pag·172·uer·44. le·Stichos·pa·175·uer·12·le·decapitabitur·pag·189·uer·24·le·cũ mota, pag·190·uer·44·le·in eã in primis, pag·194·uer·31·le·à uiro, pag· 196·uer·42·le·cõſignificancia ſunt, pag·200.uer·12·le·promiſſæ, ibidẽ uer·29· lege abolitionẽue, pag·203· uer·15·lege perpetuã, pag·204·uer·27·le·profectitia, pag·208·uer·24 pro patris lege filiæ, pag· 210·uer· 9·paratus le·pactus, pag·214·uer·44·pro adficientẽ lege affectam, ibidẽ uer·ult·aufer omne, pag·215·le·quadraginta, pag·219·uer·6·Reprobatus alius ſi fit ab uxore habente aliũ, ab eo qui uxorem nõ habet, le·Reprobatus alius fit ab uxorẽ habente, ab eo·qui uxorẽ habet, ibidẽ uer·7·fit ab uxore habente aliũ, lege fit ab uxorem habente, ibidẽ uer·11·& ab uxore nõ habente aliũ, lege & ab uxorẽ non habente, pag·223 uer·9·aufer alterũ: ſi, pag·226·uer·38·alterũ, eſt, aufer, pag·228·uer·14·le·tutor & curator, pag·230·uer·40·quincunces quæ dantis trientes, le· quincuntes aut trientes, pag·233·uer·8·le·labor eſt & tußis, pag·235·uer·18·etiã fuerint, lege etiamſi, ibidem uer·31. num le. quòd non, ibidẽ uer·42·le·tutor & curator, & rurſus in eo·uer· l·furioſi & prodigi, pa·242·uer·15·intercipere lucrũ uidetur hic legẽdũ eſſe intercipere lancẽ & inuolucrũ cõtrectauit totũ, pa·243·uer·20·le·inſtitutis, pag·244·uer·3·& 4·pro niſi le·ſi, pa·248·uer·4·le·petentibus, pag·255.uer·6·pro qua, uidetur legendũ quæ, ibidẽ uer·44·lege ſit, pag·256·uer 43·le.pretorijs pag· 258·uer·13·ex pag· teſtamento fiet numerũ, uidetur legendũ ex pagani teſtamẽto nõ fiet idẽ, pa·262· uer·41· pro pretiũ le·præteritũ, ibidẽ uer. 42·p aſcendit le·aſſenſit, pa.263·uer·35. itẽ nec, le·necẽ, pa·266·uer·20: expunge ſuntq;, pag.267·uer·26·le·in incommodo, pag·268·uer·9·le·amiſit, pag·269·uer·27·uide an ne legendum ſit onerabatur, ibidẽ uer·38·pro etiã le·& pag·271·uer·47·pro tres le·res, pag·273·uer·46·le·capit, pag·277·uer·25·quædam defuncto, le·quædã à defuncto, pag·278·uer·35 lege res incorporea, ibidẽ uer· 37·pro tantũ le·tamẽ, pag·279.uer·15·pro etiã le·eam, pag·280·uer·22·ex hac, le·& ex hac, pag. 281· uer. 5·le·legantis, ibidẽ uer·43·habuerit redemit lege habuerit qui redemit, pag· 291·uer ·37· lege ergo ſi ſibi, pag·293·uer·8 expunge ſaleem, pagina 305·uer· 5· lege concordat & conſonat, pagina. 306. uerſu 37. pro qui·lege quando, pagina·308·uer·29·pro tacendum le·dicendum, pag· 312·uer·19·le·ridebitur, ibidem uer·41·pro ſuũ uidetur legendũ eſſe ſeruum, pag·314·uer·ult·pro dominũ le·odium, pag·315·uer·8· pro iurgium le·uirginũ, pag·321·uer·19·ſi tutore expunge ſi, pag·329·uer·44·pro quæſit le·quærit, pa·331·uer· 2· pro ſit le·fit, pag·333·uer·36·le·habitationẽ, ibidẽ uer·47·le·uendicatio, pag·334·uer·36·pro tamẽ le·tantũ & in ſequenti uer·le·ſed & à, pag·340·uer·2·le·deuolutã, pag·343·uer·46·le·poſſidentes, pag·345· uer· 23·pro ſcribentis le·reſpondentis, pag·353·uer·13·le·expreſſum, ibidẽ uer·21·le·nõ interſuerũt, pag·356·uer· 36·le·admiſſa, pag·362·uer·37. le. prouocare et ſupplicare, pag.363.uer.18. expunge ſacro, pag.364.uer. 9. le. defenſore, pag.373.uer.23. le. poßidebat, ibidẽ uer.41. le. in heredẽ, pag.374.uer.45. expunge ſed, pag.376.uer.4. expunge coloni, pag.377.uer.28. le. adimitur, ibidẽ uer.26. lege directe, pag.380.uer.6 le. rogantis, pag.387.uer.42·le. fuerat, pa.390.uer.7. le. idochiris, pag. 402.uer.38. pro non tamẽ ipſo iure, ſed, lege nõ tantũ ipſo iure, ſed &, pag.403.uer.8. pro quæ lege cui, pag.407. uer.33. lege argenti, pag. 411.uer.41. lege adaptatio, pag.414.uer.26. lege habent, ibidẽ uer.30. lege poſtliminium, pag.418 uer.3. lege donationũ, pag.423.uer 41. le. is, pag.425.uer.2. le. ſubſtantia, pag. 426. uer.8. le. à cõmittente, pag.432.uer.15. pro cõmodauerit le. conuocauerit, pag. 433.uer.13. lege liberã, pag.443.uer.25. lege ſeditionum,

IN CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE, LIBRVM PRIMVM SVMMA PLACENTINI.

DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA, VT NEMO PVBLICE DE EA CONTENDERE AVDEAT. TIT. I.

PRAEMISSIS CONSTITVTIONIBVS uice prologi, accedit Iuſtinianus ad exponenda iura propria Romanorum. Sed quia ius aliud eſt diuinum, aliud humanum, aliud priuatum, aliud publicum : conſtatq́ quia diuinum publico attentius eſt, & dignius, de eo dicamus. Et quia ius publicum conſiſtit in ſacris, & ſacrorum alia ſunt diuina, alia humana, de diuinis primum agamus. Et quia diuina ſacra præcipuè uerſantur in catholica fide, & in ſummæ Trinitatis, & unitatis credulitate, de his uideamus Vel aliter. præmiſſis conſtitutionibus accedit Imperator ad materiam ſuam pertractandam, id eſt ad iuſtitiam. Et quia iuſticiæ potentiſſima pars eſt religio, de religione, & fide loquamur. Et quia de fide catholica publicè, id eſt, coadunatis turbis, id eſt laicis & idiotis, qui turbant, & facile turbantur, non eſt diſputandum, ut de ea, nemo publicè contendere audeat, audiamus. Videamus itaq́ quid ſit religio, & unde dicatur, quid ſit fides, & unde dicatur, & quæ ſit qualitas fidei. Quæ ſit retributio credentium malè boneúe. Quæ ſit pœna contendentium publicè de fide catholica. Religio, quam quidam ſuperiorum diuinam uocant, eſt uis animæ, quæ curam cæremoniamq́ affert. Religio dicta eſt quaſi relegatio, quia per eam alligamur. fides duobus modis accipitur, & duobus deſcribitur. Fides eſt quæ exigitur in contractibus, ut C. de act. & obligat. l. bonam. Nihil aliud eſt, quàm conuentorum, & pactorum, & negotiorum iuſticia & perſeuerantia. Fides de qua agitur uirtus eſt, & catholicæ religionis principium credulitas, nō cuiuslibet rei, ſed Trinitatis. Item quid eſt fides niſi credere quod non uides Amplius apoſtolus ait. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Dicitur autem ideo, quia fiet quod dicitur, futurum eſt quod ſperatur. Videmus enim nunc in ænigmate, & per ſpeculum, in futuro autem facie ténus contemplabimur. Qualitas fidei ea eſt, ut credamus deum trinum, & unum: trinum in perſonis, unum in ſubſtantia, id eſt credimus patrem & filium & ſanctum ſpiritum. Item credimus patrem genitorem, filium genitum, ſpiritum ab utroq́ procedentem. patrem deum, filium deum, ſpiritum ſanctum deum, deum de deo, lumen de lumine, non tamen tres deos, trina numina. Nam & Sedulius uerſificator egregius ait. Nec quia quod ſumus pater eſt & filius hic eſt. Item debemus credere deum, de homine factum dei filium id eſt uerbum patris de ſpiritu ſancto, & ex Maria uirgine incarnatum ultimis diebus : & colaphiſatum, flagellatum, conſputum, crucifixum, mortuum, ſe-

pultum: tertia die reſurrexiſſe, & ad cœlum poſt dies quadraginta aſcendiſſe, & poſtmodum, ut iudicet uiuos, & mortuos, uenturum eſſe, & in nubibus ſicut aſcendit, ita ueniet. Hæc omnia credere compellimur, ſed & apoſtolicã doctrinam, euangelicamq; diſciplinam, ſed & traditionem ſanctorum patrum ueteris teſtamenti, prophetarum, & patriarcharum: ſed & expoſitiones uirorum ſanctorum, ſed & decreta quatuor generalium conciliorum, id eſt Niceni, Calcedonenſis, Epheſi primi, & Conſtantinopolitani. Retributio bene credentium ea eſt, ut dicamur catholici, orthodoxi, & per adoptionem filij dei: & ipſi ſoli ualeãt aduocare, & iudicare & honores publicos aſſumere. Chriſtiani male credentes Veſani dicũtur, infames uel de facto cenſebuntur: ſi enim de iure fuerint infames teſtificari non poſſunt. Porrò in teſtamentis, & in contractibus, per Codicẽ etiam contra catholicum, quidam hæretici teſtificantur: &, ſicut legitur in nouellis, hodie ſaltem in eo caſu, ubi criminalis ad curiam reuocatur. ergo hæretici infames non ſunt. Item diuina, id eſt eccleſiaſtica uindicta feriendi ſunt. Item hæreticis ad miniſteria ſua nullus locus patebit. item ſi reſcriptum impetrauerint, eis non proderit. item ſiquid tentauerint turbulentum, initaq; factione irruerint ab urbium mœnibus expellentur. Mulieres quoq; hæreticæ mulierum priuilegia non habebunt, ut C. eo. l. j. & ij. & C. de hæret. l. j. pœna publicè contendentium, etiam coram tribus, de fide catholica, ea eſt: ſi fuerint clerici remouebuntur à clero, ſimiliter priuabuntur cingulo: ſi aliàs liberi homines fuerint, de ſacratiſſima ciuitate pellentur, & extra ordinem plectentur, ſi fuerint ſerui, decapitabuntur. Hæc tamen ita oportebit intelligi, ſi fiat diſputatio ad oſtentationem, id eſt ut ueritas falſitati ſubijciatur, oratio orationi præferatur. Nec enim ea quæ certa ſunt, & indubitata, in dubium per conflictũ ſunt deducenda, ut C. eo. l. nemo. Porrò diſputationem illam non reprobamus, quæ fit ad doctrinam, uel ad conuerſionem hæreticorum, Iudæorum, paganorum, ut C. de hæret. l. damnato.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, ET DE REBVS AC priuilegijs earum. TIT. II.

Expoſitis articulis catholicæ fidei, cuius mater eſt ſacroſancta eccleſia, de ſacroſanctis eccleſijs audiamus, & quia eccleſijs, uiriſq; eccleſiaſticis opus eſt, diuino uſui ſuppeditantibus, reſq; eccleſiaſticæ priuilegijs gaudent, & eccleſiæ, de rebus & priuilegijs earum, id eſt eccleſiarum adnectamus. In primis quæri poteſt, quare de eccleſijs titulus inſcribatur pluratiuè, & non ſingulariter Reſponderi poteſt, quia ſub hoc titulo, nõ tantum de eccleſia Romana agitur, ſed de omnibus eccleſijs, quæ ſunt in toto orbe terrarum. Vel forte ideo titulat pluratiuè, quia nomine eccleſiarum, etiam alia loca uenerabilia pijs actibus deputata ſignificantur: ut Xenodochia, & his cõſimilia, de quibus quoq; ſub hoc titulo diſputatur. Videamus itaq; quot modis eccleſia dicatur, quæ priuilegia ſortiatur, in acquirendo, in retinendo, in amittendo, in transferendo, & quæ ſit pœna alienantium œconomicorum: prædia quoq; eccleſiaſtica contra uetitum accipientium, & qualiter eccleſiæ quoq; ſubiaceant iuri communi. Et quidem eccleſia, dicitur locus uenerabilis, in quo diuinum miniſterium celebratur, euchariſtia conſecratur. Ita tamen intelligo ſi locus ſit, uel parietibus circundatus. nec enim ſi ſub libero aëre, id eſt ſub dio, in aliquo loco miſſa canitur. locus ille uacuus eccleſia rectè uocabitur. Secundum hanc acceptationem eccleſia talia ſortitur priuilegia. Ecce enim locus uenerabilis non poteſt alienari, non debet in ea laicus ſepeliri, non debent in ea hoſpites recipi, nec equi ſtabulari. nam & in ſynagoga Iudæorum talia deberent fieri, ut C. de Iudæis. l. iij. Non debent

debent in eccleſia homines comedere, & bibere, dormire, uel aliquod negotium ſeruile, uel ſæculare exercere. Item ſiqui confugerint ad eccleſiam: niſi forte in eccleſia ſanguinem fecerint, uel niſi ſerui fuerint, extrahi non debent, etiamſi fuerint criminibus irretiti, uel mole debiti prægrauati, ut C. de his qui ad eccle. confug. l. præſenti. Item in eccleſia tumultus mouendus non eſt, ut C. de his qui ad eccle. confu. l. denunciamus. Item libertas ſeruis in eccleſijs data, perinde ualebit, ac ſi coram ciuilibus magiſtratibus fuerit impertita, ut C. de his qui in eccle. manumittuntur. Item ſecundo loco eccleſia dicitur omnium fidelium conuocatio tanquam rationabilium. E contra, ſynagoga eſt congregatio infidelium tanquam irrationabilium, hoc modo raro eccleſiæ nomen in legibus ponitur, ut C. de fid. catho. l. ult. & penult. & C. ne ſanct. bap. l. iij. & C. de hæret. l. iij. Sed hanc ſignificationẽ ſoli chriſtiani, & catholici aduocabunt, magiſtratus creabuntur & creantur, ut C. de epiſ. audien. l. nemo & l. iubemus. & C. de Iudæis l. ult. Item ſoli catholici filij, agnati, cognati, hæreticis parentibus, & conſanguineis ſuccedunt, & ex teſtamento, & ab inteſtato, ut C. de hæreti. l. cognouimus. Item duntaxat catholicus, contra catholicum regulariter hodie teſtificabitur, ut infra uberius exponemus. Amplius tribus modis eccleſia dicitur, collectio, uel coadunatio uirorum uel mulierum in aliquo ſacro loco conſtitutorum uel conſtitutarum, ad ſeruiendum deo. Sed hanc ſignificationem, penè omnia, quæ ſub hoc titulo legũtur, ſancita muniunt. Ecce enim priuilegia ſortitur in acquirendo, aliâs principaliter, aliâs ad inſtar, aliâs per conſequentiã. Principaliter, ut olim collegium nihil capiebat ex teſtamento, hodie capit collegium, decanorum, monachorum, ſanctimonialium, & miſerabilium perſonarum in xenodochijs degentium. Sed & pauperibus, & captiuis etiam incertis iure relinquitur pietatis zelo, diuini numinis intuitu, iuris rigore mitigato, ut C. eo. tit. l. j. C. de epi. l. quid. l. nulli. l. ſiquis. Item eccleſiæ in infinitum ſine inſinuatione ritæ donatur. Donatarum enim rerum modus eſt immenſitas, ut aut. de alienatione. Item ſecundum penè omnium ſententiam, exemptione, donationeq́; etiam non inſecuta traditione, eccleſiæ uindicatio directa, uel utilis datur: ergo & dominium ei acquiritur, ut C. eo. l. ult. Et ad inſtar (ut puto) eccleſiæ quæritur dominium, puta: ſi œconomus comparauerit, qui ex pecunia eccleſiæ ſuo, id eſt œconomi nomine. Cum enim militi, adulto pupillo, per eorum defenſores ſic quæratur, cur non etiam eccleſiæ? ut C. arbit. tutel. l. curator & C. de ſer. pig. dat. l. ſi tutor. Per conſequentiam acquirit eccleſia pluriſariam ex priuilegijs. Ecce enim per Codicem, ſi eccleſia alicui rei immobilis uſufructum temporalem conceſſerit, exacto præfixo tempore, etiam rei conſimilis dominium nanciſcitur, ut C. eo. l. iubemus in fi. Item ſiquis ab eccleſia rem immobilem acceperit per donationem, & rem æque bonam ex priuilegio per conſequentiam nanciſcetur eccleſia, ut C. & authentica qui res. Item per conſequentiam ex priuilegio eccleſia dominium quærit, ſiquis legitime ſe monachum fecerit. Ecce enim ſiue reliquerit aſcendentes, uel deſcendentes omnia quondam ſui monaſterij fiunt. Nec enim poſtea teſtari poteſt, ergo nec teſtamentum conditum mutare, ſi iam ſit monachus factus. Sanè in experimento adhuc conſtitutus, & poterit mutare, & ex nouo componere, ut C. eo. authentica ingreſſi. Item nec aliâs relinquet legando, fideicommittendo, donando, ut in authentica C. de epiſcopis Nunc autem. Sed per illam authenticam, catenus detrahetur, ſi opus eſt, ut filij parenteſúe legitimam habeant. Porrò per poſteriorem authenticam ſi qua mulier C. eo. ſi pater non diuiſerat inter liberos, etiã monachus factus, inter eos diuidere poterit non tamen teſtabitur: quia ſuorum bonorum eſſe dominus deſijt. Quippe etiam non dominus, ut arbiter amicus

rite diuidit. ergo hæc authentica non corrigit authenticam. Nunc autem &c. Ex prædictis colligitur ita, ſi diuiſerat antea uel male non diuidet poſtea. ergo ſi plus dedit legitima, cætera erunt monaſterij. ſi legitima tantum ſimiliter, ſin minus facienda ſuppletio eſt, non per eum, ſed per iudicem, uel per legem ſimiliter. Atqui ſi non diuiſerat anteà, poſtea diuidere poterit, & quidem, ſi magis dilexerit adhuc prolem quàm monaſterium, ei omnia concedere poterit: præter id, quod ſibi uice monaſterij tanquam uni ex liberis, id eſt debitum ſubſidium aſſignare conceditur. Si uero plus dilexerit monaſterium, ei omnia poterit aſſignare: dum tamen unicuiq; liberorum, uel legitimam reliquerit. Ergo ſi non antea quàm monachus fieret, nec poſtea, diuiſit, omnia monaſterij fient: dum tamen, ſi minus legitima, uel ſi nihil liberi habuerint, eis detur, & ſuppleatur. Idem puta ſi filius monachus, & emancipatus, uel pro emancipato habendus, aſcendentes reliquerit. hi enim ſi non habuerint à filio legitimã, dabitur eis, aut ſupplebitur. Non tamen dico, quòd filius prædictus monachus inter parentes poſſit diuidere, licet pater inter filios poſſit id agere. nam & aliâs qualis qualis uoluntas parentis, inter filios tenet, non filij inter parentes. Item quis poteſt filium ſibi facere per adoptionem non tamen patrem. Item filius ſui ſuperioris tranſmittit eo animo aditam hæreditatem ad ſuum filium, non econtra. Item pater uocatur ad legitimam ſucceſſionem filij emancipati, ſed nõ econtra. Item retinendo hæc priuilegia habet eccleſia. prædia eccleſiarum muneribus ſordidis, ut calcis coquendæ, uexari non debent: & præſertim ſi fuerint dedicata, ut ex frumento, uinoq; in his nato, euchariſtia conficiatur. Item nihil præſtabunt principi eccleſiæ, niſi ordinatum, id eſt tributariam collationem, & unam extraordinariam, ut ſi contigerit Imperatorem inde proficiſci, ut C. eo. l. placet. & l. neminem. Item licet prædia clericorum propter ceſſationem tributorum infiſcentur, non tamen prædia eccleſiarum transferuntur, ut C. de epiſc. l. de his & C. eo. l. placet. Item prohibetur, ne qua ſterilis poſſeſſio eccleſiæ donetur, hoc quoq; forte eò fit, ne rebus ſuis eccleſia priuetur eas uendendo, ſi nõ habuerit pecuniam, quam in ſterili poſſeſſione melioranda impendat, ut C. eo. authentica ſicut. Item eccleſia poſſeſſionem ſuam differenti modo à priuatis retinet: quia poſſeſſionem ſuam alicui in emphyteuſim conceſſam, canone non præſtito poſt biennium recuperat, ut C. eo. l. ſancimus. Item eccleſia in retinendo gaudet priuilegio, quòd ut priuatus x. uel xx. annorum ſilentio excluditur, eccleſia, locusue alius uenerabilis, non niſi quadraginta annis remouetur iudicio, etiam ſi ab alio cœperit præſcriptio. Nam & uſuræ aliâs minores ſi fiſco cœperint deberi, fiunt maiores, ut. ff. de uſur. l. cum quidam. Sanè præſcriptionibus minoribus omnibus, id eſt illis quæ ſunt intra decem annos, ut quadriennij, triennij, biennij, anni, forte & ſemeſtris, & duorũ menſium, centum dierum remouebitur eccleſia, ut C. de hæret. authen. idem & C. de eccleſijs authen. quas. Porrò contra prædictas præſcriptiones, uelut iuuencula, reſtituetur. ergo eccleſia minus priuilegiata eſt, quã pupillus, uel fiſcus, quia res eccleſiæ mobilis prophana, non ſacra, uſucapitur: non pupilli, uel fiſci. Priuilegiatior eſt eccleſia, quia non remouetur: niſi quadraginta annis, fiſcus uiginti, ut ff. de diuer. præſ. l. in omnibus. Aeque priuilegiata eſt, quia ſicut prædium minoris longo tẽpore non præſcribitur ita nec eccleſiaſticũ. Quid ergo dicemus de actione ciuitati competente, nunquid uſq; ad centũ annos durabit, ſicut in C. legitur, uel duntaxat uſq; ad quadraginta annos, quia authen. nõ loquitur niſi de actione eccleſiaſtica. Sanè dictum intelligi debet etiam in actione ciuili à maiori, cũ eo tempore actio ſupponatur eccleſiæ iure Codicis. Nec eccleſia Conſtantinopolitana immobilia poterit alienare, ſed non quaſi alienare: niſi in uno

caſu, id eſt

caſu,id eſt in uſumfructum temporalem concedere. Porrò hodie multis modis omnis eccleſia,& omnis alius uenerabilis locus,poterit res immobiles quaſi alienare,& uere alienare,non aliâs:etiamſi omnes clerici conſentiant,ut C.eo.tit. l.iubemus.Ecce enim quaſi alienabit locando,ſed tamen uſq; ad annos xxx. ut C.eo. Item quaſi alienabit dando in emphyteuſim,ut C.eo.authen.perpetua. item quaſi alienabit pignorando quando debitum urget, quod ex mobilibus ſolui non poſſit. item propter mores prælati eccleſiarum,Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ infeudant: ergo quaſi alienant. item propter fiſcalia onera inutile prædium eccleſiaſticum iure alienatur, ut C.eo. authen. item. Secus in prædio minoris. item uere alienatur permutando cum principe. item permutanda eſt alia eccleſia,cum utriuſq; indemnitate. eccleſia tamen nec eccleſiæ nec principi uendere poterit. Cum ergo poſſit permutare eccleſia prædia cum eccleſia, & cum Imperatore,& permutator ſit in omni diuiſione,poterit etiam diuidere: Si habeat communia cum priuato non prouocans, ſed prouocata, ſi cum alia eccleſia etiam prouocabit.Item:iudicio meo,& pro redemptione captiuorum, & pro exhibitione miſerorum,& languentium, eccleſia, id eſt rector eccleſiæ immobilia,& ea,quæ computantur inter immobilia, uere & legitime poterit alienare. Abſurdum enim eſt cauſas,uel res quaſcunq;,animabus,id eſt uitis hominum præferre,ut C.eo.l.ſancimus.Item ſi debitum urget, & ex ſe mouentibus,& ex mobilibus, ſolui non poterit prædium eccleſiaſticum, poterit uendi, cuiquam plus offerenti:non tamen œconomo,cognato,uel affini, ut C. eo.authen.quibuſcunq;.Poterit etiam creditori in ſolutum dari,addita tamen in pretio parte decima,& ita tamen:ſi res illa uenalis ſit mediocris, & ita demum ſi id debitum in utilitatem eccleſiæ fuerit conuerſum, ut C. eo.authen.hoc ius. Ex prædictis colligitur quia uaſa ſacra,minus priuilegiata ſunt,quàm prædia:quia pro debito,& pro redemptione captiuorum,& exhibitione pauperum uenduntur,ſed non immobilia. Sunt & in duobus magis priuilegiata,quia priuilegiata non ueneduntur,niſi ſint ſuperflua.Integra duntaxat alij eccleſiæ,confracta cuicunq; perſonæ,ut C.eo.authen. præterea.pœnæ œconomorum,aliâs uere, uel quaſi, alienantium contra Conſtitutiones principum,ſunt hæ. Contrahentibus ſecum tenebuntur. Eccleſijs quoq;, ſiquod damnum, propter tales de facto factas alienationes, eccleſiæ ſenſerunt. puniuntur etiam acceptores, diſtinguuntur tamen lucratiui à non lucratiuis. Ecce enim donatarius, rem immobilem ſibi donatam cum omni cauſa medij temporis reſtituit, aliam rem ſuam immobilem æque bonam eccleſiæ dabit. Pignoris acceptor, excepto caſu ſuperius poſito,& pignus reddet,& fructus omnes, & actionem contra eccleſiam amittet:ſed contra alienatorem habebit. Emphyteuta, & ab emphyteuſi cadet, & quod dedit non repetet: imò ſtatim totum ſoluet, quod ſoluturus eſſet, etiam futuri temporis nomine,perinde acſi uere contraxiſſet. Emptor rem reſtituet, & ſi pretium dedit,non repetet: ſed ſi uendiderit, dare non compellitur, & fructum omnem non percipiendum.quia titulo quali quali gaudet,ſed perceptum etiam conſumptum reſtituet. Idem in permutatione, ut C. eo.authen.qui res. Nec enim bonæ fidei poſſeſſor dici debet, qui contra legum interdicta mercatur. Puniuntur ſcriptores inſtrumentorum, quæ fiunt ſuper prædictis contractibus uetitis. Puniuntur etiam iudices,apud quos talia conficiuntur,ut C.eo.l. iubemus. Quæri poteſt qualiter emptor punitur, cum pretium ſoluit, uel ab œconomo repetit? imò punitur,quia etiam fructum conſumptum reſtituit: niſi forte quatenus pro fructibus quærendis impendit. Sed in eo grauatur,quia tantum contra œconomum agit, à quo forte nihil repetit, quia nihil habet. Quid ergo? nunquid eccleſiæ prædium alienatum contra uetitum uendicabitur? utiq;

per œconomum pro tempore: ſed ſi hi deficiunt, per alios clericos. Sed ſi alij defecerunt, per quoſcunque parrochianos: ad inſtar curialium qui retrahuntur per quoslibet, ut C. eo. & C. ubi quis de curiali uel coartal. l. ſiquis. Amplius, forte idem œconomus, qui uendidit, reuocabit eccleſiæ fauore: ut pater filiũ uenditũ ſicut maritus quod donauit uxori, & ſicut donator ab ingrato donatario, & ab eo cui ſine inſinuatione donauit ultra modum. Expoſitis priuilegijs, quæ tribuuntur eccleſijs, in acquirendo, in retinendo, amittẽdo, in alienando: ne nimiũ inſultent clerici, iuris cõmunis rigorẽ, cui eccleſiæ ſubijciũtur, interſeramus. Ecce (ſicut dictũ eſt) eccleſiæ, & clerici principi per loca proxima, ꝓficiſcenti miniſtrãt & obſequia exhibent. Item ad extructionẽ pontium, & itinerũ circa poſſeſſiões ſuas conſtitutorum, conferre compelluntur, ut C. eo. l. ad inſtructiones. Item ſi eccleſiaſticum nauigium, ut non transferat felicẽ embolam fuerit ab œconomo excuſatũ confiſcabitur: ſed ad excuſantẽ pertinebit periculũ. Item ſicut prædia priuata clericorum debent tributum, ita prædia eccleſiarum debent tributum, ut C. eo. l. placet. Sanè ita oportet intelligi ſi eccleſiæ fuerint. Italica enim prædia: ergo nec eccleſiaſtica, tributa dabunt, ut C. de epiſco. & cleri. l. de his. In ſumma ſciendum eſt, quòd prædia Theſſalonicenſium eccleſiarum, & Theſſalonicenſium clericorum, tributa non præbent, ut C. eo. ſacroſancta. Item illud prætereundum non puto, quòd in authen. legitur. Si res fuerit pretioſa, quæ datur in emphyteuſim, parum tamen aut nihil præſtet penſionum, res ſubtiliter in xx. annis æſtimetur, & ex hoc iuſta penſio conſtituatur. Hoc ita exaudio: domus pretioſa ualebat centum, de centum in anno poſſunt haberi decem, & de decem libris, xx. ſolidi: ergo ſiquis uelit domum talem accipere in emphyteuſim, debet ſtatim eccleſiæ xx. libras. Vel aliter, domus ualebat centum: ergo quinque libras debet ſingulis annis, quippe quinque libræ datæ ſingulis annis uſque ad uiginti annos, faciunt centum. Item in ſumma notandum eſt, quòd prædia, quæ ab Imperiali domo ad eccleſiam peruenerunt, pro debito alienari non poſſunt: licet pro redemptione captiuorum poſſint, forte & cum alia eccleſia, & cũ principe ualent permutari.

DE EPISCOPIS ET CLERICIS, ORPHANOTROPHIIS, ET XENOdochijs, & ptochotrophijs, & aſceterijs, & monachis, & priuilegijs eorum, & caſtrenſi peculio, & de redimẽdis captiuis, & de nuptijs clericorum uetitis ſeu permiſſis. TIT. III.

HAbito tractatu eccleſiarum, & rerum eccleſiaſticarum, dicamus de miniſtris earum: & quia inter miniſtros eccleſiæ, alij ſunt minores, ut clerici, alij maiores, ut epiſcopi, de epiſcopis primo, & de clericis ſecundo loco loquamur. Quia Xenodochij, & cæteri his conſimiles: qui uulgari ſermone hoſpitales ſe nuncupant, tertium locum obtinent, tanquam clerici (licet non ſint clerici) de his annectamus. Quia monachi, & conſimiles, maiori priuilegio gaudent, quàm alij clerici: licet quandoque ſint laici, de his uideamus. Quia per epiſcopos redimendi ſunt captiui, & pauperes exhibendi, ex pecunijs ad cauſas iſtas relictis, de redimẽdis captiuis dicamus. Et quia clerici, quaſi caſtrenſe peculiũ habent, in quo teſtari poſſunt, etiã de his audiamus. Et quia clericorum alij permittuntur, alij uetantur contrahere nuptias, de clericorũ nuptijs uetitis ſeu permiſſis diſſeramus. Sed quia de redimendis captiuis, & de peculio quaſi caſtrenſi eorum, de nuptijs eorũ pauca dicturi ſumus, etiam de his quatuor capitulis primũ audiamus. Siquid pro redemptione captiuorũ, uel exhibitione pauperum, uel

perū, uel iure inſtitutionis, uel iure relicti ſingulari intendatur, peti poterit: etiā ſi captiuis, uel pauperibus incertis, teſtator reliquerit, ut C. eo. l. id quod: multo magis ſi captiuos ſpecificauerit. Et ſiquidē teſtator dixerit per quos, & quas, & quantis pecunijs, debeant prædicta fieri, id obſeruabit. Si uero epiſcopus ipſius ciuitatis, ex qua originē defunctus duxerit, peccans illas acceperit, etiā erogabit, ſi quæſtio non referatur unde originē duxerit. Si uero ignoretur ubi defunctus obierit, epiſcopus illius ciuitatis prædicta celebrabit: idq; fieret etiam ſi teſtator ſic dixerit. Idem œconomus faciet deficiente epiſcopo, ut C. eo. Prædictarum autem eccleſiarum prælati, pro talibus experientur, & conuenientur: quia hæredes ſunt non ad commodum, ſed ad onus ſuum, quia teſtator in his falcidiam declinauit, ut C. eo. l. nulli. & l. ſiquis ad declinandam. Si quod peculium habent clerici filij fam. illud quaſi caſtrenſe nuncupatur, & de eo teſtari poſſunt multo fortius ſi patresfam. ſint, qui patrimonium habent, ſiue rectores eccleſiarum ſint, ſiue rectoribus ſubditi, differunt tamen. Ecce enim epiſcopus, & omnis alius rector eccleſiæ, teſtabitur recte de rebus, quas habuit, ante regnum eccleſiæ. Item de illis, quæ obuenerunt ei, poſt regnum à cognatis uſq; ad gradum quartum ab inteſtatò: ex teſtamento, iure ſingulari, uel uniuerſali, ex uoluntate ſuperſtite prædictorum cognatorum. Ita tamen teſtabitur omnis prædictus, ſi non fuerit monachus. Porrò ſi inteſtatus deceſſerit, non eccleſia, ſed catholica cognatio in prædicta ſibi ſuccedat. Res certas undecunq; & quomodocunq; ſint obuentæ, eccleſiæ reſeruare debet: ergo ſi ſua induſtria quæſitas & donatas reliquiſſet ſimpliciter, intuitu etiam ſuæ perſonæ, multo magis, ſi intuitu eccleſiæ. Porrò ſi conſumpſerit in opera pietatis non delinquit, ut C. eo. authen. licentiam. Clerici alij de omnibus quæ undecunq; habuerunt, uel quæſierunt, teſtari poterunt iure, tamen ſi fuerint patresfam. Si uero fuerint filijfam. de quaſi caſtrenſibus tantum. Sed hodie, licet non olim, aſcendentes legitimam partem ferant, ut C. eo. authen. ſed hodie: hoc ita, niſi monachi fuerint, uel niſi ex re eccleſiæ, uel præſumptione quæſierint. Clerici duntaxat, qui cantores ſunt, uel lectores, permittuntur contrahere nuptias primas, & ſecundas, non tertias. Et quidem ſi contraxerint ſecundas, ad culmen maioris ſacerdotij non aſcendunt. Sanè propter primas, ut promoueantur, nō inhibentur: niſi & ipſas primas contraxerint cum uidua, uel aliàs interdicta: multo magis ceſſant cum extraneis mulieribus clericorum cōſortia, ut C. eo. authen. multo magis. Sanè cum matribus, cum filiabus, & cum alijs: cum quibus nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit, alij clerici habitare poterunt, ſed & cum uxoribus quondam, ut C. eo. l. eum. Atqui ſi mihi credidiſſent hoc non permiſiſſent. Porrò epiſcopus cum nulla muliere habitabit, ut C. eo. authen. epiſcopo. Xenodochij, & his conſimiles, licet non ſint clerici, tanquam clerici tamen ſunt honorificandi. Quippe depauperauerunt ſe propter dominum. Orphanotrophi adoleſcentium ſunt quaſi curatores, ac orphanorum pupillorum ſunt quaſi tutores. Nec enim teſtamentarij ſunt, neq; legitimi, quandoq; nec à iudicibus dantur. Hi conueniri & experiri nomine miſerorum, ſicut clerici, neq; ad cautionem nec ſi peccauerint: tanquam patres, ad ratiocinia non artabuntur, ut C. eo. l. orphanotrophos. & l. omnes. Quatuor capitulis ſub compendio pertractatis, exponamus, quæ ſingularia priuilegia ab alijs clericis habeat, quæq; iura communia. Dicitur autem epiſcopus ab epi, quod eſt ſupra, & à ſcopo, quod eſt intendo: inde epiſcopus qui ſuper intendit. Hæc ſunt epiſcopi priuilegia. Epiſcopus teſtimonium dicere nō compellitur, ſed nec ut iuret ad teſtimonium admittitur: uerū, ſi uolet, ſine ſacramento teſtimonium dicet, eiq; creditur tanquam alij, qui iuraſſet, ut C. eo. l. nec honore authen. ſed iudex. Porrò omnis

alius clericus, & presbyter, tactis euangelijs compellitur. Sanè presbyter, & diaconi, ſi in cauſa ciuili falſum teſtimonium dixerint, à diuino miniſterio triennio prohibentur: ſi in cauſa criminali, clericatus honore nudabuntur. Cæteri clerici ſine delectu cauſæ, legitime compellentur & coercebuntur, ut C.eo.l.presbyteri. Item Epiſcopus in ſe delinquentibus ignoſcere debet, ut C. eo.l.clericus. Item parabolani in matriculis ſcripti epiſcopis præ cæteris obſecundare debent, ut C. eo. l. parabolani. Item pœnitenciam clericis iniunctam epiſcopus imminuere poteſt, ut C.eo. authen. interdicimus. Item epiſcopo per calumniam criminaliter accuſato, in xxx. pondo auri accuſator percellitur, ut C.eo.l. ſiqua. Item nullus epiſcopus ſub ciuili iudice litigabit, niſi uoluerit, uel princeps mandauerit ut C. eo. anthen. nullus. Item literis epiſcopi clericus munitus eſſe debet qui proficiſcitur ut C. eo. l. ſiqua. Item epiſcopus pro rebus eccleſiæ ſuæ conuentus nullas ſportulas dabit ut. C. eo.authen. ſed hodie. Item nouas ſanctorũ reliquias Epiſcoporũ arbitrio reponere expedit ut. C. eo. l. decernimus. Epiſcopus nedum pedibus ſed non manibus percutere debet ut. C. eo. authen. ſed neq;. Item Epiſcopalis ordo à patria poteſtate, et à ſeruili, & aſſcriptitia conditione liberat, ſed non à curiali, uel officiali, ut C. de decur. l. ſiquis. Sed hoc eſt fatuiſſimum, quia non durant in illuſtribus hæ conditiones, ut authen. ſed epiſcopalis dignitas & authen. epiſcopalis ordo. Item ſi ſeruus, etiam ignorante domino, fuerit clericus factus, & infra annum fuerit etiam in epiſcopum promotus, poſtea non retrahetur: licet alius clericus infra annum re uocetur, ut C.eo. authen. ſi ſeruus. Item epiſcopus ad nullam tutelam compelli debet, uel admitti: nec monachus. Sanè omnis alius clericus, admitti, uel cõpelli debet, ad teſtamãtariam uel datiuam. Admiſſus ad unam legitimã, excuſabit ſe ab alia, ſi uolet: ſi tamen ſcripſerit intra quatuor menſes, legitimam tutelam ſe ſuſcepiſſe ſpontanea uoluntate: ſi non ſcripſerit compelletur etiam ad aliam legitimam, ut infra authen. presbyteros. hoc in caſu tutela unica, etiam non negotioſa præbet excuſationem. Item iudicio epiſcopi œconomus debet ordinari ut C.eo.l.omnes. Item quondam ſerui hæreticorum, iudæorum, ſi chriſtiani facti ſunt, liberi ſunt facti, & per epiſcopos ſunt defendendi, ut C. eo.l.ult. Item epiſcopi prouidere debent, ne negotiatores etiam Imperiales, commodum mer candi excedant. Item uindicare debet clericos, qui reos ad pœnam pergentes manutenent & defendunt. Item epiſcopi iuriſdictiõem habent adeo, ut ab eius ſentencia olim apellari non poſſit. Item ne in carcere detenti ultra modum opprimantur, inſinuare debet. Item epiſcopus curare debet, ut magica uolumina comburantur, ut in authen. Item ne lenocinio patrum, uel dominorum, filiæ, ſeruæue proſtituantur. Item qui creantur defenſores, ſi dubitetur, ſint ne catholici, ſe chriſtianos eſſe coram epiſcopo iurare debent. Item expoſitos à parentibus dominisúe, adultos poſtea factos, aduerſus parentes dominosúe epiſcopi manutenere debent. Item iudicio epiſcoporum, furioſi curatores habere debent: & furioſorum filij & filiæ propter nuptias donationes & dotes. Item & apud epiſcopum actio & exceptio per libelli oblationem perpetuatur, ut C. de epiſcopa. audien. l. j. & l. addictos. & l. ſiquis. & l. epiſcopalis. & l. iudices. & l. mathematicos. & l. decernimus. & l. ſi lenones. & l. iubemus. & l. nemini. & l. de creationibus. & l. ſi præſes. & l. ſancimus. Expoſuimus epiſcoporum ſingularia, nunc audiamus omnium clericorum, tam epiſcoporum quàm aliorum clericorum communia. Ecce nulli clerici hoſpites milites ſuſcipere compellun tur, ut C.eo.l.j. Item nulli clerici debent inhoneſtè negotiari, ſed nec angariari uel per angariari per principem: niſi per loca proxima proficiſcuntur. Sed & ſi aſſcriptitij fiant clerici, niſi fiant epiſcopi per dominum poſſunt angariari, ut C. eo.l.ſe-

eo.l.ſecum l.quiſquis. Item curiales clerici fieri non debent, factiq́ retrahi illico debent per iudicantes, ut C.eo.l.ſiquis: ſi iudicantes nolint per quoſcunq́ populares, ut C. de decurio l. ſiquis. niſi in monaſterio honeſte uixerint per annos xv. ut C.eo.authen. ſed neq́. uel niſi adeo proceſſerunt, ut creati ſint preſbyteri, epiſcopi, uel diaconi, ut C.eo.l. ad ſimilitudinem. Item nulli clerici lachrymoſis ſpectaculis, uel alearum ludis intereſſe debent, ut C. eo. parabolani. Item omnes clerici iudicio ſiſti iurare prohibentur, ut C.eo.cum clericis. Sanè illud tantum clericis priuilegio dari non extimo, ut ſi in cauſa obtinuerunt decimam quantitatem in libello comprehenſæ, petere poſſint, ut C.eo.authen. generaliter. Item nullus clericus ultra quatuor ſiliquas pro ſportulis dabit ut authen. ſed neq́ C.eo. Item omnis clericus, ergo & epiſcopus reatus conuenietur, puta de crimine eccleſiaſtico, de pecunia. Sanè in quatuor cauſis etiam apud ciuilem iudicem conuenietur de crimine ciuili de ſtatu per appellationem, ut C. eo.authen.clericus. & C. de epiſcopa.audien.authen. ſiquis. Porrò non epiſcopus, non is qui ultra epiſcopum eſt, non monachus: ſiue ſit tantum monachus, nec monachus & clericus, non niſi apud epiſcopum inuitus conuenietur de quocũq́ negotio, ut C. eo. authen. licet & authen. cauſa. Item aſſcriptitij etiam præter dominorũ uoluntatem clerici fiunt, ut C.eo.authen. aſſcripticios. Item ſi dominus ſeruum clericum facit ordinari, ſeruus quondam eo ſolo liber fit & ingenuus. Idem fit à ſciente, maiori tamen, & non contradicente, clericus ordinatur. Idem puta de ſerua ſi ſtat clerica uel monacha. Quid dicemus? ſi ignorante domino ordinantur profectò ſi domino ignorante epiſcopus factus ſit, retineri poterit, poſtea minime, ut C.eo. authen. ſi ſeruus. Et eſt quidem notabile quod ſeruus anno libertatem præſcribit, & dominus dominium amittit. Item ſeruus experimento per triennium probabitur, priuſquam fiat monachus: niſi fuerit probatæ, & notæ uitæ, ut authen. eo. ſiquis ignotæ uitæ uir ante trienniũ monachus fieri non debet. non enim facilis eſt in re mutatio, nec ſine animæ ſit labore, ut in authen. de monachis. Item nulli clerici promoueri debent pretio, uel precibus porrectis à ſe: alioquin, & qui ordinat, & qui ordinatur, degradabitur, & ad inſtar publici criminis, læſæq́ maieſtatis, accuſator poterit inſcribi, ut C.eo.l. ſi quenquam. Sed nec clerici propter priuilegiorum multiplicitatem, impune deſæuiant, nimiumq́ ſuperbiant, elatiq́ inſoleſcant. onerantur aliquando, nec eis honor defertur in omnibus. Ecce enim epiſcopus degradatus ſi tentauerit epiſcopatum repetere, quàm procul depellетur, & in monaſterium detrudetur, ut in eo degens defleat, quod in epiſcopatu deliquit, ut authen. eo. Sed & ſi intra ſepta domorum ſuarum mulierem detinuerit (ſicut iam dictum eſt) de epiſcopatu deijcitur. Quippe non tantum epiſcopi, imò & minores clerici, tanto magis ſunt puniendi, ſi exceſſerint: quibus cum plurimum honoris delatum eſt, ſi in occulto inueniantur crimine, ut C.eo.l. presbyteri. Item clericus ſi fuerit executor: quod eſt notabile, & modum exceſſerit, à clero remouebitur, ut C.eo.authen. ſed neq́. In ſumma illud notandum eſt, quòd illis clericis tribuuntur priuilegia, non uagis, palantibus, & deſidibus circa diuina miniſteria, ut C. eo. l. generaliter. Amplius illud notandum eſt, quòd epiſcopus ſine conceſſione, & ſine literis ſui metropolitani, eccleſias ſuas relinquere non debet. Sed neq́ citra Imperialem iuſſionem ultra annum abeſſe debet, ut authen. quom. oporteat epiſcopo. Item in ſumma illud notandum eſt, quòd ſponſus ſponſaúe, ſi monachicam uitam elegerint, in nullo grauantur, ſecus in coniugibus: quippe ſi maritus ſe monachum fecerit, uel mulier ſe monachauerit, is qui remanſerit in ſæculo, tantum conſequatur, quantum dotis nomine, uel donationis propter nuptias fuerat lucraturus ex morte: ſed ita demum ſi inter-

ceſſit pactum, ut C. de rei uxor. act. l. rem in præſenti. Quid ergo quod diſiunctiue dicitur, C. eo. l. ult. legitime uel ex pacto. Et quidem legitime ita debet intelligi, id eſt ex pacto lege formato: puta, ſi pacta inæqualia fuerunt, pactum maius trahatur ad minus, ex pacto ſimplici, id eſt ex pacto per omnia ſeruato, puta ſi æqualiter pepigerunt. Amplius ſciendum eſt, quòd pater laicus filium monachum: etiam iure ueteri, in poteſtate cogitur conſtitutum inſtituere, uel exhæredare, ſicq; in hoc caſu, monachus habetur pro uiuo: licet in ſuperiori, id eſt in lucrando habeatur pro mortuo. Item filius laicus ſiquid habuit, etiam nō à patre, & econuerſo, patrem monachum cògitur inſtituere, licet talis ſit. Nec enim mortuus uiuentis, deceſſor ſucceſſoris, teſtator hæredis, ſuccedaneus eſſe poteſt, ſed uix eſt ut id obtineat.

DE EPISCOPALI AVDIENCIA, ET DIVERSIS CAPITVlis, quæ ad curam pertinent pontificalem. TIT. IIII.

QVia inter cætera priuilegia, quæ epiſcopus habet, ut audiri debeat, de epiſcopali audientia ſubijciamus. Exponamus itaq;, quæ ſit diſtinctio cauſarum, & quas cauſas poſſit epiſcopus iudicare, & inter quas perſonas. Cauſa alia eſt eccleſiaſtica, ſiue diuina, alia humana. Eccleſiaſtica, alia criminalis, ut de crimine eccleſiaſtico, alia non criminalis. hæc alia ſæcularis, ut de pecunia, alia ſpiritualis, ut de decimis, primitijs, de ſepulturis, & de oblationibus: & ſi quæratur, an eccleſia ad hunc epiſcopum, uel ad illum, debeat pertinere. Humana cauſa, alia pecuniaria, alia ciuilis, ut de ſtatu: alia criminalis, ut de homicidio, de falſa moneta. Et quidem epiſcopus audit duo genera cauſarum pecuniarum, ſcilicet & criminis eccleſiaſtici, ut Symoniæ. Cæteræ cauſæ ad iudicem duntaxat ciuilem pertinent. Audit epiſcopus cauſas, aliâs ex neceſſitate, aliâs ex partium uoluntate. Ex neceſſitate iudicat inter clericos ſibi ſubiectos & ſine damno actorum conficiendorum, nec ſportularum: ut dicamus authenticam priorem corrigi per poſteriorem. Item ex neceſſitate iudicabit, ſi laicus uel clericus extraneus, conueniat ſuum clericum. Ex tribus caſibus, ex uoluntate partium iudicabit, puta inter duos laicos, inter duos extraneos clericos: etiamſi unus clericus laicum conuenit, ſemper tamen ut iudex iudicabit, ſiue id expreſſim agatur, ſiue ab extraneis eum ex ſententia adeuntibus, in contrarium ſpecialiter non exprimatur. Tunc demum tanquam arbiter pronunciat, cum id expreſſim dicitur, ut ex compromiſſo pronunciet: hoc tamen inter non ſibi ſubiectos, quippe nullus iudex ordinarius: nec ergo epiſcopus, inter eos, quibus præeſt, uelut arbiter cognoſcere poteſt, ut ff. de recept. arb. l. iiij. Quid eſt quod dicitur, quòd epiſcopus inter extraneos more arbitri reſidebit, hoc ideò dictū puto, non quaſi inter eos ſemper ſit arbiter: ſed quia ex ſententia epiſcopi, ſicut nec à ſententia arbitri olim appellabatur. Item de ciuili duntaxat negotio, & non de crimine eccleſiaſtico arbitri more reſidebit. Porrò (meo iudicio) hodie à ſententia epiſcopi appellabitur, & ad ciuilem iudicem cauſa transfertur: maxime, ſi epiſcopus cauſam pecuniariam ſententiauit, ut C. eo. authen. ſiquis. forte ſi ſuper crimine eccleſiaſtico pronunciauit arbiter, ad Metropolitanum. Sicut enim iam dictum eſt, criminis eccleſiaſtici cauſam, etiam pecuniariam tantummodo, terminabit epiſcopus: ergo & Metropolitanus. Notabile tamen eſt, quòd ab epiſcopo non appellatur ſemper ad Metropolitanum. Cæteras cauſas inter clericos uertentes, ciuilis iudex examinabit, ut de ſtatu, item de crimine ciuili: ſed tamen lis illa infra duos menſes eſt terminanda, ſed tamen non prius

à ciuili

à ciuili iudice caſtigabitur, quàm per epiſcopum ſacerdotij ſpolietur, ut C. de epiſco & cleri. authen. clericus. In ſumma notandum eſt, quòd etiam ſine ſcriptis, epiſcopus iudicare poteſt, etiam lites non breues, ut authen. ut clerici apud proprios epiſcopos &c. & de diuerſis capitulis, quæ ad curam epiſcopi, & reuerentiam pertinent pontificalem. Licet de his in titulo ponatur, ideo in præſentiarum nihil dico, quia in ſuperiori titulo ſufficienter dictum exiſtimo.

DE HAERETICIS, ET MANICHAEIS, ET SAMARITANIS. TIT. V.

DIſſeruimus in ſuperioribus de miniſtris catholicæ fidei, de cultoribus chriſtianæ religionis, qui fidem chriſti cuſtodiunt: nunc audiamus generaliter de hæreticis, & ſpecialiter de Manichæis, & Samaritanis, qui contra fidem promiſſam ueniunt, qui fidem uiolant, & confundunt. Audiamus itaque, qui ſint hæretici, & uerè dicantur hæretici, & quæ ſint ſpecies hæreticorum, & quæ ſit pœna eorum. Hæretici ſunt, qui uel leui argumento à iudicio, uel tramite catholicæ religionis detecti fuerunt deuiare, ut C. eo. l. quicunque. Hæreſis græce ualet diuiſio, inde hæretici quaſi diuiſi, id eſt ſeparati à fide catholica, à religione orthodoxa. Inde hercìſcunde uerbum trahitur. Hæreticorum alij maximam hæreſim prædicant, alij ſapiunt leuiorem. Maiores hæritici ſunt hi Manichæi, Arriani, Eutichiani, Samaritani, Ophitæ, Donatiſtæ, Priſcillianiſtæ. His omnibus legitimus actus interdictus eſt, omnis legitima conuerſatio adempta, his nihil ex moribus, nihil ex legibus eſt commune cum cæteris, horum bona publicantur. Hi non à parente, nec à parentibus, aliquid quocunque titulo percipere poterunt, non in alium conferre: forte in filios catholicos, alioſúe homines orthodoxos. Ergo horum bona, aut filij catholici, & conſimiles cognati habebunt, aut forte minime, tanquam in maieſtatis crimine. Ergo prædicti hæretici in neutra ſignificatione habent factionem teſtamenti, ſed neque hæretici inter ſe teſtificari poſſunt, ut C. eo. l. penult. Porrò alijs hæreticis, qui lenius errant, per miſſum eſt teſtari in filios catholicos, & in cognatos orthodoxos: forte & in quoſcunque catholicos, ergo & abinteſtatò hæreticis conſanguinei catholici ſuccedunt. Quid ergo ſi parens hæreticus, filios habuit duntaxat catholicos, catholici conſanguinei uenient: His non interuenientibus, uel quia noluit, uel quia non potuit: fiſcus ſuccedat hæretico, ſi laicus fuerit, ſi clericus fuerit, eccleſia infra annum, anno tranſacto fiſcus ueniat. hoc in caſu præſcriptione annua remouetur eccleſia. Si parens hæreticus habuerit filios, & catholicos, & hæreticos, infidelium portio tantum apud catholicos reſidebit: ſed tamen quondam hæreticis ſine fructibus & adminiſtratione reſtituetur, ſi poſtea catholici fiant, ut C. eo. authen. idem eſt. Permittitur quoque minoribus hæreticis inter ſe & contra ſe, etiam iudicialia teſtimonia dare. Sanè pro orthodoxo, ergo multo minus pro hæretico, contra orthodoxum non dicetur teſtimonium: ſed pro hæretico, ergo pro catholico, illud dicetur contra hæreticum. Porrò in contractibus teſtimonium dicent hæretici, non tantum pro catholico, ſed pro hæretico contra hæreticum, & contra catholicum. Idem in teſtamentarijs ſi hæretici fuerint maſculi. idem de Iudæis: idque per Codicem l. penul. ſed forte hodie (ſicut in nouellis legitur) nullus hæreticus in nullo caſu: niſi ubi curialis reuocatur, contra catholicum admittitur. Porrò cum de Iudæo nihil corrigatur, etiam contra catholicum pro teſtimonio contractuque admittitur. Hæ ſunt pœnæ omnium hæreticorum, ut mulier hæretica dotis priuilegium non habeat, non Velleiani auxilium, ut C. eo. authen. item. Item mulier hæretica locuples com-

pellitur prolem ſuam exhibere, & pro ea dotem & donationem conſtituere, ut C.eo.l.ult. Item hæretici non ſunt creandi miniſtri eccleſiæ, nec ipſi creabunt, ut C.eo.l.ij.ad regimen reipub.promoueri non debent, ut C.eo.l.iij. Item ſi conuenerint, ut hæreſim doceant: loca, in quibus conueniunt, ſiue fuerint eorũ ſiue aliorum, conuenienter eccleſiæ adijciuntur, ut C.eo.l.iij. Sanè ſiqui in hæreticos prædia tranſtulerunt, ea fiſci iuribus aggregabuntur, ut C.eo.l.quicunque. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſi procurator, conductorúe, in domini domo inſcio domino, propter hæreſim fecerit conuenire: ſi fuerit plebeius fuſtigabitur, ſi fuerit nobilis, in decem libris auri multabitur, ut C.eo.l.quicũq;.

NE SANCTVM BAPTISMA ITERETVR. TIT. VI.

QVia iterare baptiſma hæreſis eſt ſumma, ne iteretur audiamus. Videamus itaq; quare prohibitum, & quemadmodum puniatur, qui rebaptizat, & qui ſe rebaptizari patitur. Prohibitum eſt ſecundum baptiſma, quia non purificat ſed inceſtat, polluit non lauat, ut C.eo.l.j. Sanè pœnitencia etiam milleſima commendatur. Qui rebaptizat ſi fuerit epiſcopus, degradatur, ſi fuerit alius clericus, capite plectitur: ſi nobilis non fuerit, ut C.eo.l.j.& ij. ſi fuerit nobilis, ſufficit ſi exulet, & in x.libris auri multetur, ut C.eo.l.iij. Nec enim ægrè ferendum eſt, ſi epiſcopali dignitati in pœnis deferatur, ut aliàs nobilitati. Quippe nobilis non facile torquetur, fuſtigabitur, uel in eculeum leuatur, ut C. de pœnis l.decurionum. Vel quod melius eſt, poſſumus dicere, quòd in prima lege ſub hoc titulo, Imperator loquatur, ubi epiſcopus rebaptiſat laicum: in ſecunda, ubi epiſcopus catholicæ fidei miniſter, rebaptiſat clericum. Qui patitur ſe rebaptiſari, ſi fuerit capax doli, & laicus, & plebeius, capite plectitur: ſi fuerit nobilis in perpetuũ exiliũ mittitur, & in x.libris auri multabitur, ut C.eo.l.iij.

DE APOSTATIS. TIT. VII.

ET quia apoſtatæ ſunt plus quàm hæretici, de apoſtatis loquamur. Videamus ergo qui apoſtatæ dicantur, & qualiter puniantur apoſtatæ, & illi qui fecerunt eos apoſtare. Apoſtatæ ſunt qui cum primo fuerunt chriſtiani, facti ſunt Iudæi, uel pagani, Sarraceni. Apoſtatarum bona catholicis & conſanguineis applicantur, ſiue adhuc uiuant apoſtatæ, ſiue iam obierint. Hij ita ſi fuerint laici uel clerici tranſacto anno, ſi clerici præfato modo fiant apoſtatæ, infra annum ſuccedet eccleſia: ſi apoſtatæ deceſſerunt nullis relictis conſanguineis orthodoxis, ut C.eo.l.iiij. forte hodie (ſicut ſuperius dictum eſt) ut in crimine maieſtatis, etiam liberis bona auferuntur. Item apoſtatæ iuuenes in perpetuum accuſabuntur, ut C.eo.l.iiij. poſt mortem intra iuge quinquennium, ut C.eo.l.ij. Item inſtitui non poſſunt, ſed neq; teſtamentum facere, poſtquàm apoſtauerint Sanè ſi priuſquàm apoſtauerint, inoffitioſè teſtati fuerint: eorum teſtamentum inoffitioſum poſt eorum mortem, intra iuge quinquennium per querelam inoffitioſi poterit uitiari, ut C.eo.l.ij. Item nunquam poſſunt teſtificari. item nunquam pœnitere poterunt. Errantibus enim & lapſis ſubuenitur, non deperditis non ſtultis, ut C.eo.l.iiij.& ff.de iur.& fact.igno.l.ult. Licet enim hoc peccatum pœnitentia abluatur quantum ad dominum, non tamen deletur pœnitentia, quantum ad reges uel leges ſæculi: nempe ad ueteres non remeabunt honores, ut C.eo.l.iiij. forte nec tempus eis infamiam relaxabit, uel relaxare poterit. Is qui quenquam, uel ſeruum, uel ingenuum, per iniquam ſuaſionem, turpemúe duxe-

pemúe duxerit in ritum Iudaícum, uel paganicum: cum diſpendio fortunarum capite plectitur, ut C.eo.l.penult. Quippe plus eſt perſuadere, quàm compellere, ut de ſenatuſconſult.

NEMINI LICERE SIGNVM SALVATORIS CHRISTI humi uel in ſilice, uel in marmore ſculpere aut pingere. TIT. VIII.

SAluatoris Chriſti ſaluificum ſignum, crucis uexillum, ſalutis noſtræ ſalutare ſignaculum, ab omnibus eſt uenerandum, ab omnibus eſt adorandum: huic ſigno, ſi manibus geſtatur, omnes debemus aſſurgere. Sic ut inſtitutum eſt cum deuotione honorem debemus impendere. Enimuero humi non debet imponi, inúe aliqua materia humi poſita, nō debet inſculpi, aut depingi, ne ualeat pedibus conculcari. Ergo ſiquis ita poſuit, itaúe poſitum protinus non cælauerit, pro motu iudicis debet multari, ut C.eo.l.unica.

DE IVDAEIS ET COELICOLIS. TIT. IX.

AVdiuimus ſuprà de his qui diuinam religionem pleniſſimè coluerunt, id eſt de chriſtianis: nunc audiamus de cœlicolis, & de Iudæis, qui ſemiplenè, & ad literam dominum reuerentur & colunt. Videamus qualiter Iudæi premijs inuitentur, ut Chriſtum & in Chriſtum credant: & qualiter terreantur, ut Chriſto adhæreant, ſed primum de cœlicolis aliquid dicamus. Cœlicolæ dicuntur qui cœlum colunt & cœli lumina. Hi niſi fana habere deſierint, tanquā ſummi hæretici aſtringentur, & ædificia in quæ ſuæ doctrinæ peruerſæ gratia conuenerint, eccleſijs applicabuntur. Quicquid enim à fide chriſtiana diſcrepat ei contrarium eſt, ut C.eo.l.cœlicolarum. unde dominus ait: Qui mecum non eſt, contra me eſt. Nec Iudæi uel pagani credere cogendi ſunt, & deus ſpontaneam non coactam comprobat fidem. Paulum tamen Chriſtus coegit, & furioſi ligantur, nequid mali in ſe, uel in alios moliantur. Inuitandi ſunt Iudæi ut credant. Ecce enim eorum ſynagogam, utpote religionis domum, habitandi uel ſtabulandi gratia ingredi non licet, ut C.eo.l.iij. Item cauſas pecuniarias inter Iudæos, alij Iudæi terminare permittuntur, ut C. eo.l.Iudæi. Item Iudæi per Chriſtianos compelli non debent res ſuas uendere alio pretio, quàm quo uelint uendere, ut C.eo.l.nemo. Item in ſabbato, uel in alijs ſuis feſtiuitatibus, per iudices noſtros uel per eorum apparitores Iudæi conueniendi non ſunt, ut C. eo. l.die. Item nullus Iudæus, eò quod ſit Iudæus, obteratur à iudice publicè, ſi ſit innocens: ſed nec nocens per quencunq; opprimi debet, idcirco enim iudex in medio conſtitutus eſt ut nemo ſibi ultionem præſumat, ut C.eo.l.nullus. Contrarium intellectum non admitto, ut ſi nullus iudex ſit in medio, ualeat ſumi ultio. Interdum tamen licet uindictam ſumere, ut nocturnum populatorem occidere, furem quoq;, ſi non patiatur ſe apprehendi, ac debitorem fugientem capere: Compertum item in adulterio maritus poteſt occidere. item aquæductum citra ſeruitutem in domum tuam traiectum tua autoritate poteris intercidere, ſed & uicinas ædes ex horto deponere: ſed & merces alienas exorta tempeſtate in mare iactare licet, ut C. quando lic. ſine iudi. ſe uin. & ff. ad leg. Aquil. l. itaq; & l. quemadmodum, & de his quæ in fraud. credi. l. Ait Prætor, & ad l. Iuliam de adult. & de præſcript. uerb. l. qui ſeruandarum. Item Iudæi tributa debent ut C.eo.l.Iudæorum, & ff. de muner. Prædictis modis inuitantur Iudæi ut credant, terrētur quoq; ut ad fidem Chriſti ueniant. Ecce enim ſiquid fuerit Iudæis

relictum, & maxime Iudæorum uniuerſitati: etiam à chriſtiano, peti non poterit. item Iudæus concrematur, qui in Iudæum ſæuierit, qui ad Chriſtum ſe contulerit. item Curialium munerum immunitas à Iudæis adempta eſt. Item nec Iudæus chriſtianã, nec chriſtianus Iudæam habebit in coniugem: ſi de facto habuerit, adulterium erit. item Iudæi in diuerſa coniugia eodem tempore conuenire non debent. Item ſi Iudæus chriſtianum, uel chriſtianus Iudæum de quocunq; negotio conueniat, uel duo Iudæi criminaliter litigent, apud iudices noſtros tantum contendere debent. Item nullum honorem in repub. Iudæus ſortiri debebit, ut C. eo. l. j. & ij. iiij. & v. vj. vij. & l. ult. In ſumma & illud ſciendum eſt quòd Iudæi ueteres ſynagogas permittuntur reparare atq; fulcire non nouas fabricare, ut C. eo. l. ult.

NE CHRISTIANVM MANCIPIVM HAERETICVS, VEL Iudæus, uel paganus, habeat, uel poſſideat, uel circumcidat. TIT. X.

NEq; Iudæus, neq; paganus, neq; hæreticus, chriſtianum mancipium poſſidere debebit: ſi poſſederit, bene mancipio erit, quia in libertatem eripietur ſi uero prædictus dominus tale mancipium libertate frui non permiſerit, nequiſſimus dominus capite plectetur. Sanè & paganus, & Iudæus, & hæreticus, mancipium non chriſtianum poſſidere poterit, nec quidem ex eo punietur, ſed ſi circumciderit, decapitabitur, ut C. eo. l. j. & C. de epiſ. l. ult.

DE PAGANIS ET SACRIFICIIS ET TEMPLIS EORVM. TIT. XI.

AVdiuimus ſuprà de his, qui dominum ubicunq; excolunt, nũc audiamus de paganis, id eſt idolatris, qui deos innumeros, deaſq;, imò dæmones uenerantur, adorant. Imperant Imperatores templa deorum, delubra dæmonum in perpetuum claudi, & licentiam delinquendi perditis abnegari. Prohibent templa aperiri, ſacrificia fieri execrandis ſimulachris, honorem priſtinum reddi templorum impios poſtes ſertis redimiri: prophanos ignes aris Iouis uel Apollinis accendi, thura in his adoleri, pateris uina libari, uictimas cædi: futura execrabili cõſultatione exquiri, inſpectione iecoris, extorumq; præſagio, uanæ ſpem promiſſionis aſſumi. Siquis contra hæc fecerit & ſubſtantiam amittet & animam, ut C. eo. l. j. & ij. & l. ult. publicorum operum tantum ornamenta ſeruamus, & feſtos conuentus ciuium, & populorum uoluptates: & feſta conuiuia, & communem omnium lætitiam non ſubmouemus, ut C. eo. l. iij. & iiij. Item in eo puniuntur pagani, quòd omnia loca, quæ ſacris execratus ueterum error deputauit in rem reipub. ſortiantur: exceptis his quæ uenerabilis eccleſia chriſtianaq; religio, ab Imperatoribus impetrauit: ut templum, quod uocabatur Pantheon, quod inquã à Phoca Cæſare beatus Bonifacius, qui quartus extitit à beato Gregorio, impetrauit. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi pagani in prædia etiam Chriſtianorum conuenerint dominis conſentientibus pro ſua idolatria celebranda, illa prædia fiſco addicentur, ut C. eo. l. ult. Item nedum Iudæis, ſed neq; paganis nihil turbulentum tentantibus, legibuſq; contrarium chriſtianus audeat manus inferre. Porrò ſi contrà fecerint, & Iudæorum uel paganorum bona rapuerint, actione ui bonorum raptorum conuicti, in hoc caſu duntaxat in duplum reſtituere compellentur, ut C. eo. l. chriſtianis.

HIS QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVNT, VEL IBI exclamant, & nequis ab eccleſia trahatur.

TIT. XII.

inter cætera priuilegia, quæ eccleſiæ ſunt conceſſa, hoc excellit ut ad eccleſias confugientes, temerè abduci non debeant: de his qui ad eccleonfugiunt, & ibi exclamant, audiamus. Exclamant, ut admittantur, uel clamant, ut non extrahantur, uel exclamant, ut in eccleſijs conclamationibus utantur, moueantq́ tumultum: hi inquã, niſi à tali ſtrepitu iniuriaq́ diuini numinis ceſſauerint, ultimo ſupplicio ſubiacebunt, ut C. eo. l. iiij. Pagani uel Iudæi ſi ad fores eccleſiæ ueniunt ut intrent: etiamſi chriſtianæ legi ſe uelle iungi ſimulent, admitti non debent: multo fortius ſi criminibus fuerint irretiti, uel mole debitorum grauati, etiamſi forte denuò uellent chriſtiani fieri: niſi primũ innocẽtiam ſuam purgauerint, uel debita uniuerſa reddiderint. Quæ dicta ſunt oportet intelligi, niſi forte creditor uel accuſator ſua autoritate, non ex iuris uel iudicis permiſſione, paganos uel Iudæos perſequatur, ut occidat: Quippe tunc debent admitti, nunquam tamen (ut æſtimo) ſi admiſſi fuerint, uel inopinatò irruerint, extrahi debent: niſi forte in eccleſia fecerint, etiamſi fuerint pagani uel iudæi, multo minus ſi fuerint chriſtiani, ut C. eo. l. ult: niſi malicioſè cauſa creandæ in alios inuidiæ cõfugerint, tunc enim ultrix ſentencia in eos dabitur, ut infra de his qui confugi. ad ſtatuas. uel forte hi non punientur; quia ad dominum confugiunt: nam & aliâs, hi qui per deum deierant, non puniuntur: licet per principem, ut ff. de iureiur. l. ſi duo patroni. Hæc de non chriſtianis. In chriſtianis diſtinguitur, fuerint ſerui uel liberi qui ad eccleſias confugiunt. Serui qui confugiunt non ſunt admittendi, ſed dominis perſequẽtibus eos ſunt relinquendi: niſi forte dominorum ſentenciam fugiunt, tunc enim uidebuntur bonis conditionibus eos uenundare, uel ſi ſerui maluerint redire, iurabunt dominis quod propter hanc fugam nihil eis mali uelint inferre. Idem eſt, ſi admiſſi fuerint uel aliâs iurauerint: ſanè ſi ſerui redire noluerint, licet eorum dominis, uel eos alijs poſſidentibus, uiribus quibus poſſunt extrahere: etiamſi contigerit ſeruum in concertatione configi, nulla erit eius noxa, nec conflandi criminis relinquetur occaſio, ut C. eo. l. iij. liberi chriſtiani ſi admiſſi fuerint in eccleſijs, uel aliâs intrauerint, ſiue fuerint criminum rei debitoresúe, ſiue non fuerint, extrahi non debent: & illi qui extraxerunt, tanquam rei maieſtatis, capite plectentur, ut C. eo. l. ij. & ult, niſi forte ſanguinem in eccleſia fecerunt. Quid ergo fiet ſi debitores fuerunt? certè ſi in locis ſacris ſe quærentibus cõueniendos publicè obtulerunt, ibidem ſub iudice competenti, per ſe, uel per procuratorẽ, reſpondebunt. Si latitent in finibus eccleſiæ, uel in domibus clericorũ detenti: etiã ſine ullo incõmodo, ut reſpondeant ab œconomis deducantur ad fores eccleſiæ: enimuero ſi nec uenire uelint, nec ſe paciantur abduci, iudiciorũ legumq́ ſolitus ordo ſeruatur hoc eſt primo loco mobilia, ſecundo immobilia, tertio loco incorporalia eorum bona, occupabuntur, ut creditoribus ſatisfiat. Idem in his, qui eodem animo debent, obſeruabitur, ſi criminaliter accuſentur, requirentur & anotabuntur, ut infra de requir. reis. In ſumma ſciendum eſt, quòd non conuenit libertos aut ſeruos adſcriptitios, qui ad eccleſias cõfugerunt, in eccleſijs diuinis communicari: ne patrono & dominis per eorũ abſentiam iuſta obſequia denegentur, & ne clerici (quod ægrè ferunt) grauentur in expenſis. Item illud ſciendum eſt, quòd ad œconomorum officium pertinet ut confugientiũ ad eccleſias perſonas cauſasq́ inceſſanter inquirant, id eſt qui ſint, & unde uenerint, & quare confugerint.

QVI IN ECCLESIIS MANVMITTVNTVR. TIT. XIII.

OLim ciuitatem Romanam, ſeruus qui manumittebatur, non ac tur: niſi is qui apud iudicem ciuilem manumittebatur. Porrò hoc eccleſiaſticæ prærogatiuæ, ſiquis manumittitur in eccleſijs ſub aſpect & antiſtite, ciuitatem Romanam conſequitur: ita tamen, ſi uice actorum qualis ſcriptura proceſſerit, in qua manumiſſione ipſi manumittentes uice te um ſignent. Ergo in caſu ſine teſtibus & ſine ciuilibus iudicibus, ſeruis à dominis ſuis: forte etiam minoribus quindecim annis, ciuitas Romana tribuitur. Amplius hoc idem clericis ſeruorum dominis conceditur, ecce enim ſi in poſtremis iudicijs ſuis libertates reliquerint directò ſeruis proprijs, competunt libertates, etiam ante hæreditatis aditionem: ſed poſt uóluntatis publicatiōem factam etiam ſine aliquo iuris teſte uel interprete: forte hoc in caſu etiam fideicommiſſaria libertas ſine præſtatione hæredi competet, ut C. eo. l. ult. Ergo etiam inter duos pœnalia iudicia quæ laicis dominis dantur, in eccleſijs manumittentibus conceduntur.

DE LEGIBVS ET CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM, & edictis. TIT. XIIII.

EXPOSVIMVS in ſuperioribus de rebus diuinis, reliquum eſt ut loquamur de rebus humanis: & quia inter res humanas excellunt ſacratiſſimæ leges, & quia inter leges omni prærogatiua gaudent Imperiales, de his dicamus: & quia Imperialium legum quædam ſunt perſonales, & hæ dicuntur Conſtitutiones, quædam ſunt generales & uocantur edicta, & de his omnibus perſequamur. Videamus itaq; quot modis lex dicatur, & qualiter deſcribatur, & qualiter hic accipiatur, quare leges ſint conditæ, quæ ſit potentia legum, & qualiter ſub hoc titulo tradatur de legibus. Verum in primis quæri poteſt quare de legibus prius intitulauerit, quàm de Conſtitutionibus? reſponderi poteſt, quia populi cenſura lex ſpecialiter appellatur, populusq; primo habuit poteſtatem condendi legem Item quæri poteſt quare poſt uerbum de legibus in titulo, ſubiecerit de edictis & conſtitutionibus? reſpondeo, quia etiam generaliter loquitur de legibus, & ſpecialiter de edictis uel conſtitutionibus. Item ſupra in titulo de hæreticis, item in l. Aquilia, ibi enim primo ponitur hoc uerbum ruptum, quod generale eſt, poſtea ſubduntur ſpecialia fractum, ſciſſum, colliſum. Item quæri poteſt quare hic titulus ponatur de legibus, licet per totum legatur de legibus, infra tamen non agitur de legibus gratia legum, ſed gratia negotiorum. Sanè hic agitur de legibus gratia legum: id eſt ut leges iſtæ dicantur leges legum, cæteræ leges quæ leguntur in ſequentibus titulis, dicuntur leges caſuum & negotiorum. lex dicitur ſtricto modo propriè cenſura; lex uocatur largiſſimo modo quæcunq; lectio, ut lex Iuliana: dicitur largo modo quicquid ſancitur de Iuſticia, ſecundumq; hanc exceptionem lectio eſt ſanctio ſancta, iubens honeſta, prohibens contraria, uel lex eſt commune præceptum &c. Item ſtrictiſſimo modo lex dicitur, ſicut in hoc titulo, Imperialis ſanctio. Conditæ ſunt leges propter duo uitia repellenda, puta ut humana refrænetur audatia, & ut expellatur ignorantia. Potentia legum ea eſt, ut uetent, permittant, puniant: ſi fiat quod uetant, ſi prætereatur quod imperant. De legibus tractetur duobus modis, de condendis & conditis. De condendis exponitur à quo debeant condi, & dicitur ab Imperatore, uel ab eo tantum cui Imperator permiſerit. Quando? id eſt cum

nouum

nouum negotium emerſerit. Et quare, id eſt quia iura prodita non ſufficiunt. Et qualiter, id eſt ut negocium nouum introducatur in conſiſtorium, & de eo inter proceres diſputetur, & cum fuerit per diſputationes diſcuſſum; dictetur, & poſtea ſcribatur: & ſi omnibus uel penè omnibus placuerit; tunc denuò collectis omnibus debebit recenſeri, ſi omnes uel penè omnes conſenſerint, tunc demum in ſacro noſtri nominis conſiſtorio debebit recitari: & ſi noſtra maieſtas annuerit, lex erit, ut C. eo. l. humanum. Sanè leges extrauagantes, id eſt reſcripta extrauagantia, etiam alio modo confecta, ualebunt: ſi tamen purpuream ſcripturam, diemq́ inſertam habuerint, ut infra de diuer. præſcript. Leges præfato modo debere condi non præcipit, non enim poteſt utpote par pari præcipere, ſed ſuadet & conſulit: ac ſi apertè diceret Imperator, ſicut ego facio, ita alijs faciendum conſulo, & ut faciant ita geſtio. De legibus conditis tripliciter agitur de legibus intelligendis, interpretandis, obſeruandis: ut ab omnibus inquam intelligantur præſcribitur, ut C. eo. l. leges ſacratiſſimæ. Ab omnibus inquam intelligi debent etiam à ruſticis, etiam à fœminis, à clericis, à militibus, licet quandoq́ parcatur prædictis: hoc ita ſi leges poſſunt intelligi. Siquid ergo in legibus obſcurè dictum inueniatur, ad principem referatur ut dilucidet, ſiquid durum ſimiliter ut mitiget: hæc ita ſi principis ſit copia. Cæterum id accipiatur quod pro lege eſt, & caret uitio, ut lex ſit inſtitutio. Porrò ſi is qui contrahit ambiguũ quid dixerit, contra eum interpretandum eſt. Enimuero in iudicijs pro actore non pro reo fit interpretatio, ut ff. de uerb. obligat. l. inter ſtipulantem. Agitur de legibus interpretandis dupliciter; de obſcuro in lucem, hoc iam expoſitum eſt, & de iniquo ad æquum, ut C. eo. l. j. Ecce enim ius ſummum iniquè ſtatuit ſoluentẽ alij non liberari, poſtea etiã per principem, & per interpretes, ex æquitate ſtatutum eſt, per exceptionẽ quandoq́ liberari, ut in inſtitu. manda. puta ſi ex errore probabili ſoluatur alij, quã cui debeat ſolui. Eſt & tertia interpretatio .ſ. de occulto in publicũ, de qua dictũ eſt, fit cũ noua lex conditur. Has in prædictis interpretatiões ſcilicet de iniquo ad æquũ, de obſcuro in lucẽ, de occulto in publicũ, ſolus Imperator facit, iſue cui Imperator permittit: hoc ita, ut interpretatiores ſint pbabiles, neceſſariæ, generales, & ſcriptæ. Quippe eſt interpretatio probabilis, & nõ. Non probabilis ut hominis fatui. Probabilis alia neceſſaria. Neceſſaria alia non generalis ut iudicis, alia generalis. item generalis alia non ſcripta ut conſuetudinis, alia de ſcripto patet, ut legum xij. tabularum populi Romani, ſenatus, prætorum, & iuriſconſultorum. Porrò hodie (ut puto, & aliâs diſtinxi) ſolus Imperator, uel is cui Imperator permiſit, poteſtatem habet condendi iura, & interpretandi. Ergo hodie nec populus Romanus, nec Senatus. Item ceſſante omni antinomia (ſicut & aliâs diſtinxi) & leges ſcriptas abrogare ſolus Imperator poteſt. Hactenus de legibus intelligendis, interpretandis nunc de obſeruandis. Inquit Imperator leges obſeruari debere à ſubiectis ex neceſſitate, à principibus ex uoluntate: hocq́ Imperator dicit ſuadendo, digna uox inquit &c. Suaſionis cauſa ponendo cum dicit quia de autoritate legis, pendet autoritas regis. item cõmendatas fieri cupit cum dicit. Et re uera maius &c. Sui quoq́ exemplum tribuit dicendo, quod nobis licere non patimur indicamus. Obſeruandæ autem ſunt leges tribus modis, hoc eſt nequis faciat uel iubeat contra formam interpretandi: nequis faciat contra legum uerba, & mentem nequis faciat contra uerba tantum. Contra formam interpretandi fit, puta ſiquis agit uel ait, ne pro pupillo decernatur infra pubertatem cui ſtatus moueatur quæſtio. Quod enim fauori quorundam conſtitutum eſt per legem (ut dictũ eſt) contra eos detorquendum non eſt. Item dico ſi per contrahentium uoluntatem, puta ſi permiſerit creditori debitor, ut poſt menſem poſſit pignus uendere:

profecto non minus uenditor poterit debitum flagitare, ut ff. de pignorati. act. l. quamuis. fauore autem conſtitutum oportet intelligi ſi ſit iuſte & ſalubriter conſtitutum, ut ff. eo. l. nulla. Nempe ſi quis iniquum ius impetrauerit eodem iure utetur, Et uerba legis & mentem offendit is, qui credit pecuniam filiofam. mentem tantum legis offendit, qui uerba legis ſeruat, ac ſententiam legis circumuenit: ut puto is qui ſpeciem uendendam filiofam. tribuit fraude excogitata: nec huic abſimilis eſt, is qui loco patris litis pecuniam ſubminiſtrat. Hi inquam omnes, ſiue alter, ſiue uterque hoc admittat, eaſdem pœnas ſuſtinebunt: ſi lex aliquas impoſuerit tacitas, id eſt infirmationis & irritationis, & ſi lex quod factum eſt tantum prohibuerit. Ecce enim lex prohibet fundum etiam dotalem uendi, ac matrimonium cum ſorore contrahi: hæc inquam ſiue principaliter, ſiue primo loco fiant, quia lege prohibentur, iure irrita & inutilia ſunt, & pro infectis habentur. Item ſi quid eorum, eo quòd interdicente lege factum eſt, inutile eſt, ſubſecutum inutile eſt: ut fundi dotalis traditio, ſororis in coniugem ductio. Sed & ſi quod, ob id quod ſequitur prohibitum eſt, inutile eſt: ut pignoris datio, fideiuſſoris præbitio, ſacramenti præſtatio: ergo ſtipulatio contra ius facta, puta ut liber homo præſtetur, nihil ualet. Item mandatum interdicente lege factum, puta ut ſacra domus expolietur, inutile erit. Opponitur in primo articulo de his quæ geruntur loco primo. Maleficia lege interdicente perpetrantur, ergo punienda non ſunt, ſed pro infectis habeantur. Item opponitur, nec enim lex de maleficijs loquitur, ſed de his, quæ ſunt negotia, uel quaſi: quæ aguntur, & agenda ſunt, ut negotia, elogia ultima? atqui maleficia licet fiant, fieri non debent, quia non de iure fiunt, ſed contra ius. Item opponitur, curialis factus ſacerdos non retrahitur, nec ſententia lata ſub conditione retractatur? Reſpondeo hæc non ſunt prohibita ſed non admiſſa, uel non ſunt perpetuò prohibita. Item, de matrimonio cum præſide contracto poſt præſidatum fit ualidum. Item opponitur quòd donatio in urbanum magiſtratũ inutiliter collata poſt confirmationem, ſi poſt adminiſtrationem depoſitam ſpecialiter in ſcriptis donator eam ratam habuerit, uel quinquennium ſine querela tranſierit fit ualida? Idem reſpondeo quod in prædictis. Idem opponitur & reſpondetur in uenditione prædij minoris ſine decreto. Idem in donatione coniugali, ſed amplius poteſt dici, quòd non moribus, ſed legibus eſt prohibita. Item opponitur numeratio fœneratoris in filiumfam. collata, parit actionem, licet in efficacem? Reſpondeo, ſed non perpetuam cauſam prohibitionis ſeruat, ut ff. de uerb. obli. l. ſi ſtipuler, quia inutilis eſt numeratio tamen operatur exceptio. Idem reſpondeatur ſi ſtipulatio per metum dolumue extorqueatur. Quippe nihil refert quoad effectum ipſo iure quis tueatur ſeſe, uel exceptionis ope. Item durius opponitur in ſacris, religioſis, ſanctis, ac liberis perſonis, harum emptiones actionem pariunt efficacem? Reſpondere de his Imperator intelligitur, ut os aureum dicit, in quibus uterque non delinquit. Ergo non ſit abſurdum ſi in prædictis actio detur ignaris, uel poteſt dici quòd inutiliter agitur ex prædictis rei ratione, licet fidei bonæ. In ſecundo articulo, id eſt in eo quod ſequitur, ex eo talis fit obiectio. ex doloſo contractu transfertur dominium, ergo ex eo ſubſecutiuum, ualet? imò non ualet reuocatur enim nihilque refert, cum id quod agitur, inutile ſit ipſo iure, ut matrimonium cum ſorore: Et per exceptionem, ut actio inferentis metum: uel per reuocationem ut in prædicto caſu. Item opponitur id quod iure interdicitur, non repetitur? Reſpondeo, quia non tribuit, nec quia accipit lege interdicente, uel turpiter agit. Item durius opponitur, ubi turpitudo contingit tantum accipientem dominium tranſit? Reſpondeo iam reſponſum eſt. Repetitur enim per condictionem ob cauſam turpem. Item

durißimè

duriſſimè obijcitur, quia ſi uterq; turpiter agit repetitio non competit? Reſpondeo, fiſcus forte aduocabit, uel etiam hoc ſuadet æquitas repeti: licet dator non repetat, quia uitio laborat conſimili. Aliquando tamen contingit, quòd licet is qui turpiter dedit non condicat, alius tamen, propter quē calumnioſè uexandū datum eſt, per actionē in factū repetit, ut ff. de calū. l. iiij. In eo quod ſequitur, ob id ſcilicet confirmandū qđ interdicente lege fuerit factū, opponitur in hunc modum. pignus datum propter uenditionē prædij minoris ſine decreto ualet, ſi fuerit curatoris? Reſpondeo, hoc non eſt perpetuo prohibitum, uel non prohibitum, ut curator non minoris pignus obliget, ſed ſuum. Item opponitur quòd fideiuſſor datus à pupillo contrahens ſine tutore tenetur? Reſpondeo, quia nec hoc perpetuò eſt prohibitum, uel quia melius dici debet, non admiſſum, quàm uetitum. Item fortiter opponitur, quia ſi minor prædium uendiderit, eiusúe curator etiam ſine decreto, & iurauit ſe non moturū controuerſiam non auditur? Quippe (ſicut iam dictum eſt) id propter quod iurauerit, non debet dici prohibitum, uel ſi eſt, non eſt perpetuò prohibitum: item hoc iuſiurandum non turpe eſt nec turpiter eſt ortum ſed derelictū & honeſtum, ideoq; permiſſum. Ex his quæ dicta ſunt colligere poſſumus, quòd negotia quæ cōtra leges fiunt inutilia ſunt, tribus modis: aut ipſo iure ut matrimoniū cū ſorore, aut per exceptionē ut actio quæ naſcitur ex metu, aut per repetitionē, ut qđ repetitur ab eo qui ſolus turpiter capit. Quid ergo dicemus, quòd dominiū pecuniæ filiof. creditæ apud eum irreuocabiliter perſeuerat? Et quid dicemus, quòd res per metū cauta poſt ea ſponte tradita, non reuocatur? Reſpondeo, ut primo caſu contingit propter fœneratoris odiū: Licet enim fœnerator delinquit intercedendo, filius tamē nō peccat in accipiendo. In ſecundo caſu, turpitudo proxima per ſpontaneā ſolutionem æſtimatur ſublata. Sed & compendioſius adhuc determinare poſſumus. Quæ contra leges fiunt inutilia ſunt, non dico priuatiuè ſed negatiuè, id eſt nullam utilitatem delinquentibus ſunt ablatura, ut ignaris rerum, & filijſſam. creditarum pecuniarum acceptoribus. Secundum hæc quæ dicta ſunt, non obloquitur, quod de pecunia filiofam. credita opponitur: quamuis enim utilitas obtingat filioſam. qui non delinquit, iactura tamen non repetendi afficitur creditor qui peccauit. In metu reſpondeo, licet lucrum afferatur inferenti metum nō hoc contingit eius fauore, ſed propter renunciationem partis aduerſæ. Sed & præſumitur donatum, quia ſponte ſolutum eſt, & ex ea forte exceptione, quæ introducta eſt propter odium. Sed nec furtum aleatorum ſuſceptorum factum, eſt prohibitum: imò laudabile eſt & permiſſum, ut ff. de aleato. l. j. In ſumma ſciendum eſt, quod ſi princeps iudicauerit, quòd ſimiliter in ſimilibus iudicandum eſt ab alijs iudicibus: licet enim principis ſententia propriè non ſit lex, ſeruatur tamen pro lege, ut C. eo. l. ult. Nam & ſecundum ea quæ perpetuò ſunt iudicata, iudicari debet, ut ff. eo. Item notandum eſt, quòd leges non ſpecialiter proditæ ſed generaliter conſtitutæ debent intelligi, ſi uoluminibus noſtris inſertæ inueniantur, ut ff. eo. l. iura: hoc tamen ita, niſi legislator expreſſim dixerit, ſe uelle leges aliquas in uoluminibus legum poſitas perſonales fore. Quippe etiam Imperialium ſanctionum quædam ſunt perſonales, ut C. eo. l. ij. quædam ſunt generales, ut C. eo. l. iij. hoc autem dignoſcitur ſex modis. Si uocentur generales. Si uocētur edicta. Si mittantur ad ſenatum uel populū. Si iuſſæ ſunt ad omnes pertinere. Si iuſſæ ſunt per populos iudicū programmate diuulgari. Si dicatur quia id quod principes cenſuerunt, ſimiliū quoq; cauſarū uolunt facta quoq; componere. Amplius in ſumma illud ſciendum eſt, quòd ſi lex perſonalis, & non iniqua fuerit impetrata, nec perſonam tranſgreditur, non producitur: ſecus ſi lex fuerit iniqua, uel ſi ius iniquum fuerit impetratum, ut ff. quod

quiſq; iur. & C. de lit. ex. l. ult. Amplius illud prætereundum non exiſtimo, quòd ex his quæ dicta ſunt colligere licet, ea quæ contra leges fiunt ab initio ſunt inutilia, poſtea tamen propter uim ſubſecutam totum efficiuntur utilia: ut in pecunia credita filiofam. propter creditoris odium, ut in metu propter ſoluentis conſenſum; ut in prædijs minorũ uenditis, & in his quæ donantur magiſtratibus, propter donatorum ſilentium, ut C. de contract. iudicum.

DE MANDATIS PRINCIPVM. TIT. XV.

AIt Imperator nemini credendum fore, & ſi magnos honores iactitet: niſi literas Imperiales attulerit, uel niſi apices ſacros exhibuerit, quibus contineatur ſe cum mandatis noſtris ueniſſe ſecretis. Sed & ſiquis clericus ad Imperatorẽ uenerit, inter uiliſſimos idiotas deputabitur, ſi literis epiſcopi ſui munitus non acceſſerit, ut ſupra de epiſ. l. ſiqua. Sed nec quis agere uolens abſentis nomine agere poterit de iure regulariter, niſi probauerit mandatum interceſſiſſe: niſi is qui conuenitur actori offerenti contentus ſit cautione, ut C. de procurato. l. exigendi. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd mandata principum non ſunt conſtitutiones, ſed ponuntur loco conſtitutionum, ut ff. de requir. reis. l. mandatis. & ff. de colleg. illic. l. ij. ſed & ex eo probatur mandata non eſſe iura, quia mandatis prohibetur matrimonium inter præſidem & ſubiectam, ut C. de inceſt. nupt. l. qui contra, & poſtea dicitur conſtitutio.

DE SENATVSCONSVLTIS. TIT. XVI.

SEnatuſconſulta ſunt iura, quæ ſenatorum conſulto, id eſt conſilio ſunt conſtituta, ut Macedonianum, Velleianum. Quamuis autem Senatuſconſulta per ſe ualeant, ea tamen pœna irrogatur: quia ſiquis contra ſenatuſconſultum eligat reſcriptum, etiam tertia parte bonorum multabitur, & damnatus de crimine ambitus perpetuò erit infamis. forte erit dicendum, idem ſiquis contra alias partes iuris ſcriptas, impetrauerit reſcriptum. De ſenatuſconſultis ideò poſt conſtitutiones adnectitur, quia etiam ante principem ſenatus habuit per populum omnem poteſtatem. Nam & ſenatu uetante, ſicut & Imperatore, de flumine nauigabili uel non nauigabili, non licet aquam ducere, ut ff. de flum. l. antepenult. Sed & ſenatui ille honor exhibetur, ut ab eius ſentencia Imperator non ualeat appellare, ut ff. à quibus appellan. non li. l. j.

DE VETERE IVRE ENVCLEANDO, ET DE AVTORITATE iuris prudentium, qui in digeſtis leguntur. TIT. XVII.

AVdiuimus ſuprà de duabus partibus iuris ſcripti, id eſt de legibus principum, de ſtatutis ſenatorum: Nunc proſequamur de alijs partibus, id eſt de plebiſcitis, edictis prætoris, & de prudentium reſponſis, ſicq; de uetere iure enucleando, & de autoritate prudentium, qui in ff. referuntur. Omnium autorum, qui in digeſtis reſponſa conſtituunt, par eſt autoritas, & nemini prærogatiua ſeruatur. Nec enim omnes in omnia, ſed certi per certa deteriores uel meliores inueniuntur. Item unius etiam minima ſententia maiores uincit autores. Quippe omnia quæ in digeſtis ſcribuntur (inquit Iuſtinianus) perinde habeantur, ac ſi noſtro fuerint ore profuſa. Nempe qui non ſubtiliter factum emendat, laudabilior eſt eo qui primus inuenit. In digeſtis iura uetera enucleantur; id eſt

tamquam

anquam extra nucleum in lucem producuntur: ecce enim in nuce poſtquàm perueniatur ad illud dulciſſimum, & ſaporiferum quædam pellicula amara inuenitur, ſimiliter etiam in iure fuerant amara: & ut in nuce inuenitur teſta dura, ſic & in iure fuerant acerba ſuperflua. Iuſſit itaq; Iuſtinianus Triboniano, & xvij. alijs prudentibus, ut librũ digeſtorũ conficerent ex duobus penè millibus librorũ & tricies centenis millibus uerſuũ, & redigeretur totus liber digeſtorũ in centũ quinquaginta millia uerſuum, id eſt reſponſorũ uel paragraphorũ. Itẽ iuſſit ut omnia cõtraria demerent, & ſimilia, & ſuperflua exceptis illis ſimilibus & ſuperfluis, quæ excepimus. Item inhibet Imperator cõmentaria fieri. item inhibet per maliciã ſignorũ libros legum cõſcribi, ſi cõtra fiat conſcriptoribus, allegantibus, & aduocatis, pœna falſitatis irrogabitur. Itẽ talis libri dominus ſcire debebit ſe inutilis libri dominum fore, agere tamen poterit contra ſcriptorem cõditione ex lege in duplũ: ſi dominus tamen ignorans talem comparauerit uel confici curauerit, ut C. eo. l. tanta. In ſumma notandum eſt, quòd libri digeſtorum, digeſti ſunt in ſeptem partes, ſecundum numerorum naturam & artem. Quippe ſepties ſeptem quinquaginta uno minus faciunt. Sed ad unitatem omnia referuntur, hocq; forte eò factum eſt, quia homo propter quem leges omnes factæ ſunt ex ſeptem formatus eſt, id eſt ex quatuor elementis, & tribus animæ proprietatibus. Sed & ſeptenarius laudabilis & celebris numerus eſt. Ecce enim ſeptem ſunt uirtutes. ſeptem liberales artes. ſeptem climata. ſeptem beatitudines. ſeptem dies. ſeptem uitia. ſeptem chariſmata. ſeptem candelabra. ſeptẽ planetæ. ſeptem circumſtantiæ. Amplius illud ſciendum eſt, quòd leges noſtræ tribus uoluminibus legum, id eſt in Codice, in ff. in Inſtitu. Romanis, id eſt latinis literis ſunt compoſitæ, ut C. eo. l. tanta penult. colum.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA. TIT. XVIII.

IN titulo ſuperiore de legibus legitur, leges ab omnibus debere intelligi: & quia ſæpe contingit & in cauſis & in alijs negotijs ius ignorari, factiq; ignorantia ſæpiſſimè allegatur in cauſis, de iuris & facti ignorantia audiamus. Audiamus quid ſit ignorare, quid neſcire, quid errare, quot modis dicatur quis ius ignorare, quot modis factũ: in quibus præterea datur ignorancia, ex quibus, & per quæ ab ignorantibus petatur auxiliũ, & propter quæ, & qualiter diſtinguatur utraq; ignorantia, & quando nõ ſubueniatur uel ſubueniatur ignorantibus uel ſcientibus ius factũue. Ignorare eſt id neſcire quod ſciri debet inde eſt quòd qui ignorat ignorabitur. Nec ſcire latius patet quã ignorare: quippe omnis qui ignorat neſcit ſed non conuertitur, ita enim hæc duo uerba copulantur ignoro & neſcio, ut C. per quas perſo. l. ult. Errare aliud eſt, quàm neſcire uel ignorare, hocq; ex eo arguitur, quia talis argumentatio legitur, ſi poſſeſſio ignoranti poteſt acquiri, ergo & erranti, ut ff. de acquir. poſſeſ. l. ſi me. Ignorare dicitur ius quis duobus modis, puta ſiquis non nouerit hæreditatem abinteſtatò deferri ſibi poſſe, hic prorſus ius ignorat: ſi uero iſtud nouerit, ignoret autem proximiorem conſanguineum debere eſſe potiorem, is quidem ius ignorat, ſed non prorſus. Item factum quis ignorat duobus modis puta, ſiquis ignorat deceſſiſſe cognatum. Sed & ius ignorat qui titubat & errat, puta qui animo incerto ſoluit ut C. de condict. inde. l. ult. In duobus prætendirur ignorantia in damno, & lucro. Ex duobus prætenditur ex faciendo, & omittendo. Tria ſunt genera per quæ ignorans petit auxilium, per exceptionem, ut C. eo. l. j. per actionem, ut C. eo. l. iiij. per iudicis offitium, ut C. ſi aduer. ſolut. l. ult. propter res duas ignorantia allegatur, ut quis illæſus conſeruetur, ac deſtitutus releuetur. Igno-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rantia diſtinguitur ita, alia eſt facti, alia iuris. facti alia eſt probabilis & iuſta, alia iniuſta, craſſa & ſupina. Iuſta non in damno, nec in lucro obeſt. Siquidem error facti probabilis & probatus nemini nocet, negotio necdum deciſo, hoc in quam uerum eſt, ſi erretur non in facto proprio, ſed in alieno. Nam in alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt eo excepto (iudicio meo) quòd errorem aduocati corrigere licet duntaxat infra triduum. Enimuero cauſa deciſa ſub prætextu erroris non reuocatur, niſi fiat propter priuilegium militis, uel odium fœneratoris, uel falſi patroni, uel aduocati, uel inſtrumenti propter rei æquitatẽ, ut C. de re iudi. l. j. uel propter remediũ reſtitutionis, uel appellationis, uel corruptorum teſtium, uel falſorum ſacramentorũ à iudice delatorũ: hoc & aliâs diſtinxi. Iuſta facti ignorancia eſt, ſiquis ignoret trans mare conſtitutum deceſſiſſe, & ſi magiſtratus prior quid decreuerit cum nondum cognouerit adueniſſe ſucceſſorem, ut ff. de offi. præſi. l. ſi forte. Iniuſta facti ignorancia eſt, ut ſi fullo permutauerit pallium, uenditor locatorúe, uendiderit uel locauerit uas uitioſum: idem ſi animal morboſum, idem ſi uires & emolumenta propriæ rei ignorauit, ut ff. locat. & ff. de act. empt. l. tenetur. & C. de rei uindicat. l. ſiquis. & ff. de ædilit. edict. l. j. Ignorancia iuris: alia eſt iuris naturalis, alia iuriſgentium, alia iuris prætorij, alia iuris ciuilis. Ius naturale ignorat, qui non nouit ſe debere patrem pauperem procurare, captiuum redimere, hic non excuſatur: dummodo peruenerit ad annos diſcretionis. Ius gentium ignorat dominus, qui non nouit ſeruum eſſe ſeruandum, ſed exiſtimat quod ſine delectu poſſit occidere. Ius prætorium ignorat, qui debitam reuerentiam & in faciendo, & in non faciendo, patrono non exhibet. Ignorancia iuris ciuilis, alia eſt legum xij. tabu. alia eſt ſenatuſconſultorum, alia Imperialium ſanctionum. Has inquam nec ignorare, nec diſſimulare permittimus quenquam. Quippe ſiquis in eas deliquerit punietur, etiamſi ignorauerit, ut C. unde ui. l. ſiquis. & l. cum quærebatur. Siquidem ſacratiſſimæ leges, quæ ſacra uocantur humana, ab omnibus ſciri atque intelligi debent: ut uniuerſi (earum præſcripto manifeſtius cognito) uel uetita declinent, uel permiſſa imperataque ſectentur. Quid enim legum prudentia melius eſt? quæ homines impunè malignari non patitur, & ad benefaciendum præmiorum exhortationibus inuitat, hortatur, & allicit. Item quid legum autoritate ſanctius? quæ res diuinas humanasque bene diſponit, omnem iniquitatem expellit, lites ſedat & dirimit, mores bonos informat & inſtituit, ignoranciam depellit. Cunque omne ius noſtrum ſit ſtabile (certis quippe finibus clauditur) conuenit, ut ſiquis iuris ciuilis inſcius in aliquo corruat, ſæpiſſimè deſtituatur auxilio. Vnde fit ut ſi tibi falcidiam per errorem nõ detraxeris, omitteres quod facere potueris, adiuuari non debeas. Sed & ſi putates tibi licere, rem tuam poſſeſſori abſtuleris, faceres quod non debueris, rei dominio priuaris, ut C. unde ui. Idem in omnis generis iure reperies, ſi feceris omiſerisue. Ecce enim iure prætorio ſi feceris, puta per iuris errorem patronum ſcilicet temerè in ius uocaueris, in quinquaginta ſolidos punieris: ſed ſi omiſeris (ubi de liberis eſſes) ut infra annum bonorum poſſeſſionem non petieris, uel infra centum dies, cum eſſes non parens, non filius, priuaris auxilio, ut Inſt. de bonorum poſſeſſ. §. cum igitur. Eo ſaluo quòd filius, unde liberi omittens, ad ſequentes bonorum poſſeſſio unde legitimi pertinet, & unde cognati admittit, ut ff. de ſucceſ. edict. l. j. Contra ius gentium quoque feceris, ſi feſtinans hæreditatem adhuc uiuentis cognati donaueris, uel aliâs ſuper ea contraxeris, facies quæ non debueris: cognato etiam mortuo, forte ab eo inſtitutus, eius ſucceſſione carebis, ut ff. de donat. l. hæreditatem. Sed & ſi iuriſgentium inſcius feceris quod non debueris, ut ſi belli ducem non adiuueris, uel deſerueris: niſi cito reuerſus fueris punieris, ut ff. de re mi-

de re milita. l. deſertorem. Multo magis iuris naturalis errore labens, ſi parentem pulſaueris, uel uiolenter in ius uocaueris, faceres, quod nō debueris: uel in opem non exhibueris, omitteres quod facere debueris, exhæredari iure poteris ut in authent. ut cum, de appellat. cognoſ. Nempe plus culpæ, ius naturale, quā gentium, ciuile, uel Prætorium in prædictis caſibus admittit ſi iuris ignaro non parcitur multo minus conſcio. Idem in animale & uaſe uicioſo uendito locatoúe, & ſiquis rem uenerabilem uendit, & ignarus & conſcius tenetur. Item ſiquis renuntiauerit maternæ hæreditati, fori præſcriptioni, fauorabili exceptioni, factum ignorans: niſi craſſa ſit, & ſupina ignorancia, iuuabitur. Ecce enim repetitis caſibus, ſi non detraxeris falcidiam, quòd putaueris amplas facultates ſupereſſe, & cognatum credideris mortuum fore: & parentem patronumúe, & ſiquem iniuria affeceris, alium eſſe exiſtimando, damnificari non debeas: niſi iuſta afficiaris ignorantia, ut inſti. mand. At enim ſunt caſus, in quibus omnis iuris ciuilis, uel prætorij ignaro ſuccurritur: ut ſi filius mutuam pecuniam acceperit, ſi quis ſine cauſa ſe obligauerit, ſi mulier interceſſerit, uel poſtea ſine iudice ſoluerit: ſiquis id quod iure naturæ non debuerit ſoluerit. Sed & ſi prolata ſcriptura uice teſtamenti, quod aut falſum, aut ſolennibus deſtitutum, cum falſo cohærede hæreditatem diuiſeris, in priore caſu omnia uindicabis atq; condices, ut ff. fam. her. l. cum putarem, Non obſtante eo quod naturale debitum dicatur agnitum. Neq; enim cohæredi antea debitor conſtituitur quàm de communibus perceperit, & in communibus deliquerit impēderitúe. hæc cæteri. Ego autem puto in caſu poſteriore non aliquid poſſe condici propter exceptionem deſcendentem ex uoluntate defuncti iuſta, tamen minus ſolenni, ut C. de fideicō. l. ſi creditoris. Quanquam (ut exiſtimo) non ſit locus his, ſiue per rerum, ſiue per falſum cohæredem diuiſio fiat, ut C. de iur. & fact. ignoran. l. iiij. de ſimplici enim diuiſione non inſecuta traditione ea lege cauetur, etiamſi non ſolidam ſucceſſionem obtineas. Eſt alius caſus, in quo iuris & facti tam ignaro quàm conſcio fertur auxilium: ſiquidem falſa demonſtratio nemini præiudicat, ut ſi maternum fore reſpondeat, quod fuerat paternum, uel contra: & præcipue extra iudicium, ſed in iure licebit pœnitere reſponſi, confeſſionemq; ſuam corrigere uſq; ad ſententiam, ut ff de interrog. act. per plurimum quidem refert confiteamur aliquid eſſe, & non debere, ut C. de repu. hære. Interdum tamen ueritas, & figmento, & falſa demonſtratione ſuperatur: puta iudicatione, tranſactione, religione confeſſi, accepti iuſto errore, temporis curſu, fictione legis Corneliæ, & poſt lit. conteſta. ſed fal. cauſa relicto non oberit. Ex prædictis colligi poteſt iuris ignorantiam regulariter nemini de damno certando nocere, ut ſuperius in quibuſdam caſibus, & notatum & diſtinctum eſt. Nocet autem iuris ignorantia aliquando, imò & ſæpiſſime, etiam in damno uitando: puta ſi deliqueris, ubi ſubripueris, uel te uendi ad pretium participandum paſſus fueris, etiamſi minor anno. xxv. inueniaris: niſi quatenus miſeratio ætatis pœnam mitigandā ſuaſerit, hoc, ubi contra minorem criminaliter agitur, præterquam de adulterio ut ff. de mino. l. auxilium. Sed nec in furti actione minori ſuccurritur, niſi pro fure decidere uel confiteri potuerit, & negare maluerit, ut ff. de minor. l. ſi ex cauſa. Tibi quoq; iuris ignaro (ſicut dictum eſt) non ſuccurritur, ſi naturale debitum agnoueris. Naturale debitum intellige propriè, uel conuentione, uel ex uoluntate, ſiue ab initio, ſiue ex poſt facto. Ab initio ſi uel per pactum nudum quid pepigeris. Ex poſt facto ſi iudicatus fueris uel tranſegeris. Ex his enim cauſis, ſi solueris, non repetis: niſi mulier fueris, & poſt interceſſionem ſolueris ut ff. de condict. indebi. l. qui exceptionem. uel niſi nomine ſeruilis interceſſionis extra cauſam peculiarem ſine iudice quid ſolueris, ut ff. de fide. l. ſed ſi ſerui.

Sed ſi ex aliena uoluntate quid debitum ſolueris, licet antè indebitum, omnino non repetis: puta ſi legata integra per iuris errorem, ſed uoluntatem defuncti præſtiteris. Eo facto quoq; extraneo quid debitum, à te poſtmodum confeſſione propria, uel inficiatione: ut infra ad l. Aquiliam, & in legato uenerabili loco relicto (quæ duo per inficiationem creſcunt) incipit deberi. Inde eſt quòd efficaciter tenearis, & ſi ſolueris, ad repetendum non admittaris, ut infra de obligat. ex qua. contract. Quanquam aũt iuris ignorantia, ius ciuile uel prætoriũ ignorantibus de damno certantibus nõ noceat, lucrũ tamen captare uolentibus etiã maioribus fœminis omnino nõ prodeſt. Ergo mulieres ignaræ iuris circa ius ſuum uel ſubſtantiã damnũ paſſæ iuuantur in omnibus cauſis, in quibus & mares in cõpendijs minime, ſicut & mares. At uero in quinq; caſibus, etiam per iuris ignorantiam mulieres damnum non ſubeunt, etiam ſeorſum à maribus, puta ſi intercedant: regulariter hodie ſe ipſo iure tuentur, mulieribus quoq; ſuccurritur ut eis de integro caueatur, ut ff. qui ſatiſda. cogan. l. de die. & ff. de eden. Subuenitur etiam ſi ſe detulerint. Et ſi legatum ſibi adſcripſerunt, ut ff. de iur. fiſ. l. ij. & ff. de fal. l. diuus. ſi à debitore locupleti ad inopẽ nouauerit, ut ff. ſolut. matri. l. ſi cum. At hic cum ignorantiam prætendis, aduertam quid ignoraueris, ignorans quid feceris, te faciente quid obtigerit, delictũ an negotiũ: quid quoq; poſtules defenſionem an actionem, cuius iuris errore lapſus fueris naturalis an ciuilis. Item aduertam priuilegio gaudeas nec ne, ut ſi fueris minor, fœmina, agricola. Item aduertam contendas de lucro uel damno, ſiquidem iuris ignorantia omnibus in lucro obeſt, id eſt non prodeſt præterquã minoribus, ut C. eo. l. quamuis Alijs prodeſſe debere, non fœminis nec ruſticis, ego me legiſſe non memini. Sanè error facti, etiam in lucro non obeſt: imò aliquando prodeſt, ut in uſucapione. Porrò iuris ignorantia regulariter (ſicut dictum eſt) in damnis uitandis non nocet, puta in profeſſione materna, in non debiti ſolutione, in diuiſione cum falſo cohærede, & ex ordine in mulieris ſucceſſione. Siquis ſine cauſa obligetur uel liberetur. Si quis à filiofam. per iuris errorem mutuam pecuniam accipiat. ſi liber ſe ſeruum, uel dominus ſeruum ſuum uel liberum etiam per iuris errorem profiteatur. Itẽm ſiquis non putans ſe liberatum cum ſoluerit, alij ex mandato domini ſoluerit. Idem ſi in eo caſu cum dederit uolenti creditori aliud pro alio in ſolutum, iteratò fecerit ſolutionem. Idem in caſibus ſimilibus, ſiqui poſſunt reperiri. Ex his quæ dicta ſunt colligere poſſumus, quòd iſtæ tres regulæ rumpunt naturaliter cauſam inhibitionis, repetitionis, exceptiõis: præterquã in muliere intercedente, & in legato integrè præſtito per errorẽ facti. Itẽ iuris ignorantia omnibus in lucro nocet, præterquam minori, & militi, ut ff. eo. l. ul. Iuris ignorantia in damno nemini nocet: excipe niſi res cadat in nomen criminis, uel niſi res longè ulterius procedat, forte ad adiudicationem, quidúe ſimiliter, ut infra ad l. Aquiliam: ad inficiationem, uel transactionem, uel naturalis debiti agnitionem. in his enim potius ex ui ſubſecutiuorum damnum infligitur. Aut propter iuris errorem. Nam etiã ſupra de legibus ſubſecutiuum reddit id debitum utile, ut in metu, in quo contra leges eſt actum: hocq; (ſicut de legibus diximus) fit aliàs propter ſoluentis conſenſum, aliàs propter fœneratoris odium, aliàs propter quinquennale maiuſúe ſilentiũ. Nam & quod fuerat in uoluntate inutili relictum, ſi fuerit per triennium præſtitum, obligationem conſtituit in poſterum. Quid ergo dominus quod antea non debebat ex tranſactionis cauſa uel ſimili, ſi promiſerit uel ſoluerit, cur non in damno iuuatur? Et cur quis damnificatur, ſi tributarium uel emphyteucum canonem ſuo tempore non ſoluerit, uel nauigiũ excuſauerit, ſi ex inutili teſtamento uel pacto nudo debita ſoluerit. Certe in prædictis omnibus ideo non iuuatur, quia ſi repeteret

cum deberet,

cum deberet, lucrũ captaret: item cõtra fidẽ promiſſam ueniret. item cõtra delictum iuuaretur, ubi non præberet nauigiũ. Quid ergo dicemus, ſi quis parentẽ patronum offenderit, nõ exhibuerit, non redemerit? non iuuatur, quia ius naturale uel quaſi, ignorat, & quia delinquit. Cur ergo creditor admittens mulierẽ intercedentem per iuris errorẽ periclitatur? Reſpondeo, nõ damnificatur, quia debitorẽ conuenire poteſt. Itẽ fœnerator cur à filiof. patreúe nõ repetit? reſpondeo, quia ius quaſi naturale ignorauit: debuit eñ ſuſpicari patrẽ à filio facile necandũ, ſi filius nõ habet unde ſoluat iudici. Sanè mulier infra annos pupillares, licet aliàs puniatur, in proprijs non damnificatur. Sanè ſiquis cũ conſanguinea contraxerit, inceſtum etiam in matrimonio admittit, & quia peccauit, & quia ius naturale ignorauit. Quid ergo dicimus, ſiquis per iuris errorem non fecerit non reſpondeo, quia ius quaſi naturale ignorauit, debuit enim ſcire creditoribus ſe illigari cum adit: tunc enim uidetur contrahere: ergo ſi non teneretur, contra ſuam quaſi promiſſionem uerſaretur. Item ſiquis per iuris errorem quid turpiter fecerit, uel ſoluerit, ut non repetat ſufficit quia delinquit. Item quid dicimus ſiquis per iuris errorem in l. Aquilia negauit, tranſactionem damnoſam ſubijt, ſiniſtram ſententiam reportauit? reſpondeo, iſte ueritati præiudicat, & reddit utile quod ab initio eſt inutile. Quid ergo dicimus, ſi mas pro alio interceſſerit, quia per iuris errorem crediderit quod artari non debuerit? Reſpondeo non auditur, ne contra fidem ueniat, ne uanus & inconſtans habeatur. Sanè mulieri ſuccurritur propter ſexus fragilitatem, & ei iteratò editur, maſculo minime Nam cum primam editionem admiſerit iuri renunciauit, & ideò poſt (quaſi contra primam ueniens) non debet audiri. Item quid dicimus ſi à locuplete debitore ad inopem nouauerit? profectò non iuuatur, ſed meritò damnificatur. damnum enim quod quis ſua culpa ſubit ſentire non intelligitur, ut ff. de regu. iur. l. quod quis. Quid dicimus ſi mas ſe in fiſcum detulerit? profectò damnificatur, quia ſeipſum detulit. Quid quoq; dicemus, ſi legatum ſibi mas adſcripſerit? & quidem damnificabitur, quia ius quaſi naturale ignorauit: debuit enim ſciſſe & ſuſpicari ſiniſtram ſuſpitionem de ſe potuiſſe haberi, ne plus ſibi adſcribat, quàm teſtator mandat aut relinquit. In ſumma ex prædictis colligere licet, quia in uitando damno iuris ignorantia nemini nocet: niſi (ſicut dictum eſt) id fiat propter uim ſubſecutorum, uel quia ſimpliciter ius non ignoratur, uel quia ius naturale uel quaſi, ignoratur, uel quia delinquitur, uel contra fidem promiſſam uenitur, uel quia ſi auxilium daretur lucrum captaretur. Illud ſanè prætereundum non puto, quia ſiquis rem ſuam apud alium conſtitutam putans ſibi licere per iuris errorem inuaſerit, uel uacantem occupauerit, damnum ſubit: & quia deliquit, & quia ius quaſi naturale emptor ignorauit, damnificatur. Quid ergo dici poteſt, ſi filius emancipatus, uel extraneus hæres alius, infra annum non adierit, an ne poſtea iuuetur? reſpondeo: nõ damnificatur, ſed nõ lucratur.

DE PRAECIBVS IMPERATORI OFFERENDIS, ET DE quibus rebus ſupplicare liceat. TIT. XIX.

QVa ratione poſt tractatum diuinorum ſacrorum adnectitur de ſacerdotibus, id eſt de miniſtris eorum, eadem ratione poſt tractatum legum, id eſt humanorum ſacrorum, audiamus de ſacerdotibus eorum, id eſt magiſtratibus. Quippe magiſtratus Vlpianus iuris ſacerdotes appellat, & quia magiſtratuum omnium & dominus, & caput eſt Imperator, de Imperatore loquamur. & quia dominus Imperator non temerè, ſed ſimpliciter poplitibus flexis palmis ex ordine nexis, adiri debet, de Imperatore uideamus. Exponamus itaq;

qualiter adiri debeat,& per quem,& pro quibus rebus. Adiri debet(ſicut dictũ eſt)ſimpliciter cum humilitate & deuotione, non temerè: non per reũ criminis maieſtatis,eiusúe filiũ, ſed neq; per conſimiles,non per ſeruũ, niſi deferat reos maximorũ criminũ, uel quia ſerui dominus dicatur interfectus,& maxime à cõ ſeruis. Supplicare licet de præſcriptione moratoria non peremptoria, de iure, æquo,nõ iniquo. Quippe reſcripta cõtra ius elicita ab omnibus ſunt refutanda dicunt quidã ſunt utiq; refutanda, etiam ſi fuerint ſine mandato impetrata, ſi fuerint contraria iuri communi, publico,fiſcali. Ego autem puto etiam ſi fuerint cõſentanea omnino eſſe refutanda, ſi fuerint per emendicatũ ſuffragium elicita: niſi ſint in omni cauſa iniquitatem auferentia,uel crimen indulgentia, & hoc eſt q d' excipitur:niſi forte aliquid eſt quod nõ lædit alium,ſcilicet nullo modo, uel modice, uel crimẽ ſupplicanti indulgeat: hoc enim nemini debet incutere indignationem,ſi Imperator exerceat miſericordiã & pietatem. Sed & hæc omnia infrà in titulo iij. plenius exponemus. In ſumma illud ſciendum eſt,quòd Imperator moratoriam præſcriptionem conceſſerit, ut fideiuſſor detur à debitore creditori ualebit,ut C.eo.l.quoties. Nec uideatur abſurdum, ſi princeps dilationem indulgere cum poſſit, crimen & infamiam abolere ualeat, rem meam alienam efficiat. Item illud ſciendum eſt, quòd licet à ſententia præfecti prætorio non appelletur,tamen ſupplicatur etiam præfecto & principi. Non autem niſi ſemel ſi tamen principaliter cognouerit. Si enim cognitio naturalem ſententiam tulerit, id eſt ſuper alterius iudicis ſententia pronunciauerit, tunc nec ſemel ſupplicabitur,ut C.ne liceat in una eademq; cau. Illud prætereundum non puto,quòd ſi ſeruus à domino opprimatur, ſupplicare poterit & principibus & iudicibus alijs,alioquin ſi ſtatueretur iniquiſſimè & ineptiſſimè fore. Item & illud prætereundum non puto, quòd & ubi à ſententia præfecti prætorio principi ſupplicatur,non eo minus ſententia executioni mandatur: ſi tamen uictor fideiubeat quod facta ſupplicatione omnia reſtituet, ſi legitima retractatione ſententia reſoluatur. Ergo licet poſt appellationem nõ tamen poſt ſupplicationem omnia pendent,ut C.eo.authen.quæ ſupplicatio. Sed & in eo ſecernitur ſupplicatio ab appellatione, quia ſupplicatur non niſi ſemel, prouocatur ſæpius, ut C.eo.l.ſiquis.

QVANDO LIBELLVS PRINCIPI DATVS, LITIS FACIAT conteſtationem. TIT. XX.

IMperiali celſitudini facta impetrataq; reſcriptio pro conteſtatione habetur, & hæredi & in hæredem perpetuat actionem:ita tamen ſi actio, ſuper qua ſuerit ſupplicatum,fuerit annua & prætoria. Ciuilis uero& prætoria perpetua,ut furti actio, non niſi ſolitis & communibus modis perpetuatur: puta per conteſtationem, per conuentionem. Nempe & in hoc ultimo caſu, tanquam lite conteſtata cum mortuo,etiam pœnalis tranſit & perpetuatur actio,ut ff.de act. & obligat.l.conſtitutionibus. Excipitur niſi is,qui fuerat conueniendus,erat in abſentia, uel furore, uel potentatu laborat, uel infantia. In his enim quatuor caſibus,etiam per ſimplicem conuentionem, quæcunq; actio in rem hypothecaria perpetuatur,ut C.de anna.except.l.penult.

VT LITE PENDENTE, VEL POST PROVOCATIONEM, aut definitiuam ſententiam nulli liceat ſupplicare. TIT. XXI.

Expoſuimus

EXpoſuimus qualiter ſuprà ſit ſupplicandum principi, & à quo, & de quo: nunc audiamus quo tempore. Poſt definitionem cauſæ non licet principi ſupplicare facta prouocatione: ſed nec ante prouocationem, niſi à ſententia præfecti prætorio. Hoc enim in caſu ſupplicatio admitti debebit, quia in ſubſidium inuicem appellationis ſit. Item poſt litem conteſtatam, nec appellatur, nec datus iudex recuſatur, nec ſupplicatur. In tempore enim medio non eſt locus remedio. Sanè poſt conteſtationem, ſi actorum, & per interlocutionem pronunciatorum nõ fiat æditio, porrigitur ſupplicatio, ut C. eo. l. ij. Enimuero ante litem motam principi, de cauſa ſupplicare licet, ſi fiat ſicut debet, & de quo debet, & per quem debet. Poſt conteſtationem regulariter (ſicut dictum eſt) ſupplicare non licet, ſed non poſt cauſæ definitionem. Ergo qui licitam prouocationem omiſit perpetuò ſilebit, niſi forte iubeatur per reſtitutionem, uel per exceptionem, uel per ſubſidiariam contra præfecti prætorio ſententiam ſupplicare, & hæc in ſuperioribus diſtinximus. In ſumma illud notandum eſſe puto, quòd pro eo iure quod non eſt in controuerſia, liceat quocunq; tempore ſupplicare, puta ut liceat de flumine publico aquã ducere, uel in publico ædificare.

SI CONTRA IVS, VEL VTILITATEM PVBLICAM, VEL per mendacium fuerit aliquid poſtulatum, uel impetratum. TIT. XXII.

DIximus ſuprà de reſcriptis illicitis elicitis, ſed modicè, nunc audiamus pleniſſimè. Reſcripta contra ius commune, publicum, fiſcale elicita, ſunt refutanda. dicunt quidam (ſicut ſuprà diximus) ſi fuerint etiam ſine mandato impetrata. Contra ius commune elicitum, ſi impetretur ut actio iudicati legitima reſoluatur. Contra ius publicum, ſi impetretur ut in mari, in flumine publico ædificetur cum magno aliorum incommodo. Sanè (meo iudicio) etiam iuri præfato triplici contraria reſcripta impetrata ſine mendatio ſunt admittenda. Contra ius fiſcale elicitum reſcriptum, ſi impetretur, ut res fiſci uſucapiatur, capitatio non præbeatur, quadriennij præſcriptio à fiſco non obijciatur. profectò contra prædicta iura impetrata reſcripta ſunt refutanda, hoc ita: ſi ſint contra ius elicita ſiue ſint contra ius prodita, id eſt ſi ſint iuri contraria, ſiue ſint iuri cognita. Nam qualiacunq; ſint reſcripta, ſi ſint contra ius elicita, id eſt per improbitatem mentiendi impetrata, ab omnibus iudicibus ſunt refutanda: ſic tamen elicita interdum ſunt toleranda, ut ſi modicam iniquitatem contineant, & ad hoc pertinet ſubiecta exceptio, niſi forte &c. Ecce enim matrimonium illicitum ſuſceptis liberis ſtare permittitur, ut C. de nupt. l. & ſi contra. Curialis ſacerdos factus non retrahitur, ut C. de epiſco. Sententia conditionalis non retractatur, ut ff. quando. appell. ſit. Creditor ex pacto ingreſſus poſſeſſionem fundi ſibi obligati licet præſide autore debuerit ingredi, à præſide tamen non præcipietur expelli ut C. de pig. l. creditores. Ergo (ſicut dictum eſt) elicita reſcripta, id eſt in precibus ueritate omiſſa, quanquam ſubtilius non poſſint dici nulla, impetrata tamen non ſunt irritanda: ſi tamen (ut dictum eſt) non immodicam læſionem adferant. Ex his rectè colligitur, reſcripta contra ius elicita, qualiacunq; ſint iuri ciuili uel gentium aduerſa, peremptoriam puta præſcriptionem indulgentia, fore omnia rata. At enim ſi diuinis, alijsúe naturalibus præceptionibus obuient non ſunt ſeruanda. Inde eſt quòd ſi quiſpiam expreſſim rogauerit ut liceat ſibi teſtari qualiter uoluerit, quomodolibet teſtatus, nequaquam dicendus eſt deceſſiſſe inteſtatus. Verum ſiquis inteſtabilis teſtamenti factionem ſimpliciter rogauerit, princepsq; Romanus indulſerit, non tamen niſi iure communi teſtari

poterit. Neq; enim credendum eſt Romanum principem qui iura tuetur huiuſmodi uerbis obſeruationem teſtatorum uoluiſſe ſubuertere, ut C. de inoff. teſt. Quare enim non debent ualere reſcripta, quæ Imperator ſupplici ex mera liberalitate indulget, non diſtinguenda principis fide, non exploranda principis de iure ſcientia, quia non de eius licet diſputare iudicio: nam princeps Romanus nihil perperam agere uel dicere, uel ignorare, quod ad ius pertineat, exiſtimandus eſt: utpote cum in eius ſcrinijs ſint omnia iura poſita, ut C. de teſt. & quare quod princeps ſtatuerit tuum ac tibi debitum transferre non ualebit? cum ad hoc ipſum tacitè interdum moueatur à lege. Ecce enim dominum ſerui admittit, ut pretium à fiſco percipiat, cum ſeruus adulterinæ monetæ fabricatorem, in publicum detulerit, ut C. pro. qui cau. ſer. l. ſerui. Sed & rem tuam, quam princeps uel fiſcus ut ſuam alienauerit, in dominio habere deſinis. In prædictis tamen caſibus aduerſus fiſcum & principem regreſſus infra quadriennium habetur, ne inde iniuriarum naſcatur occaſio, unde iura fluxerunt, ut C. unde uí. l. meminerint. Sed ex eo ſententia dicta firmatur, quia quod principi placet lex eſt, & legis habet uigorem, pro iure tamen ſtatuendo. Sed & ex eo, quia ſiquis ſuppliciter impetrauit, ut in publico loco ædificet nō eſt credendum, ut cū incō modo magno aliorum id faciat. Neq; enim ſic conceditur: niſi forte id ſibi concedi impetrauit, ut ff. nequid in loco publico. l. ij. Reſcripta itaq; quæ ſunt prodita contra ius, ſalua exceptione prædicta, non ualebunt, ipſis aliquando obſtatura, qui impetrauerunt: quoniam quod quiſq; iuris in alium ſtatuerit eodem iure uti debet, ut ff. quod quiſq; iur. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi mendaciorum præſcriptio obijciatur, ueritas inquiri debet. Nempe enim uera per mendacium ſunt extorquenda. Nam & mendacium uero admixtum iuuat uerum, & excuſationem tutoris etiā iuſtam euacuat, ut ſi ex fal. allegat. Multatur autem iudex qui præcum falſitatem argui uetuit. Nam & ſi Imperator uel dominus Papa mandauerit, ut in poſſeſſionem quis mittatur, de ueritate tamen precum inquiri oportet, ſi mendaciorum præſcriptio obijciatur, ut C. eo. l. iiij, & unde ui l. meminerint. deſinant ergo timere miſeri epiſcopi, non expaueſcant ſtultiſſimi prælati, qui putant ſi non effectui mancipauerint, quod preciſè eis iniungitur, ſe debere puniri, ac ſe de iure poſſe degradari. Nempe reſcripta per mendacium impetrata non ualent, quia extra aſſenſum principis æſtimantur elicita, ut C. qui milita. non poſſ. l. v. & ff. de appellat. l. j. Sæpe enim quædam in ſermone tacitè excipiuntur, ut in reſtitutione nataliū quæ priuilegium in ſe continet & conceſſionem ſeruitutum, ut ff. de natali. reſti. l. j. & in diuinis poſt triduum Niniue ſubuerteretur Nec uideatur abſurdum, ſi reſcripta nullam modicamúe iniquitatem æquitate pacti in ſe continent multo fortius tolerari debet autoritas reſcripti.

DE DIVERSIS RESCRIPTIS, ET PRAGMATICIS ſanctionibus. TIT. XXIII.

Expoſuimus ſuprà de reſcriptis quæ non ualent, nunc audiamus de his quæ ualent. Et quidem reſcripta ualent, ſi ius commune continent. Item ſi ius ſingulare indulgent, ſi tamen id quod indulgetur in Codice, puta ſi immunitas tributorum hodie concedatur alteri eccleſiæ, ſicut olim conceſſa eſt Theſſalonicenſi eccleſiæ. Item reſpripta ualent (ſicut dictum eſt) quæ nullo modo lædunt uel modicè, uel quæ crimen remittunt, etiam ſi per mendacium extorqueantur: ita tamen ualebunt ſi habuerint purpuream inſcriptionem & principis ſubſcriptionem & quaſi eius ſubnotationem, ut C. eo. l. iiij. Item diem, & Con-

ſulem

ſulem, uel Imperatorem: domini hodie incarnatione continere debet, ut C. eo. l. iiij. Item in reſcriptis expreſſim inſeri debet ſi preces ueritate nitantur. Ait enim Imperator nimia aditione petentium ſe & concedenda & non concedenda concedere. Veruntamen (iudicio meo) & ſi hoc non fuerit inſertum, non ideo erit reſcriptum inualidum: ita tamen hoc puto diſtinguendum, ſi, quod eſt dictum, impetranti inferret reſcriptum compendium: neq; ab eo contra quem pro ducitur probetur quod ſit extortum per mendacium. Enimuero ſi non fuerit inſertum (ſi preces ueritate nitantur) contra impetrantem præſumitur. Ergo ſi ex eo impetrator uelit obtinere, neceſſe habet probare ſe apud principem ueritatem aſſeueraſſe. Nam & in inſtrumento idem dicitur, ut ſi iudici uideatur ſuſpectum, is qui producit probet, ſi uero fuerit in prima figura ei ſtabitur, niſi per aduerſarium probetur falſum, ut C. de probat. l. ult.

DE STATVIS ET IMAGINIBVS. TIT. XXIIII.

SVprà de principibus, nunc loquamur de eorum ſtatuis & imaginibus ad honorem. Licet ſtatuas erigere nulli alij, niſi alicui Imperator expreſſim permiſerit. Sed non eo caſu ex deſcriptionibus tenuiorum ruſticorum uel egentiũ ſumptus aut præſtationes colligi debent, ſed à magiſtratibus ſtatuæ erigi debent: ergo ſi iudices contrà fecerint & honores amittent, & emolumenta quæ fuerunt conſecuti in quadruplum fiſco præſtabunt, ut C. eo. l. j.

DE HIS QVI AD STATVAS CONFVGIVNT. TIT. XXV.

HI qui ad principis ſtatuas confugiunt, ſi cauſas habuerunt ob quas confugere debuerunt etiam legibus, & à iudicibus defendentur: ſi uero per maliciam confugiunt, ut in alios crcent inuidiam uinculis publicis mancipabuntur, ut ff. de pœn. l. capitalium. Sanè ſiquis confugerit ad ſummi regis ſtatuam, id eſt ad omnipotentis dei eccleſiam minimè turpiter extrahitur. Nam & aliàs qui per principem deierat punitur, qui per deum, impunitus relinquitur, ut C. de iureiur. l. ſi duo & l. iuriſiurandi.

DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIORVM ORIENTIS & Illyrici. TIT. XXVI.

EXplicauimus de principe qui eſt caput omnium magiſtratuum: Nunc audiamus de alijs magiſtratibus qui ſint principis tanquam capitis membra. Horum membrorum quædam ſunt ſuperiora, id eſt hominum ut illuſtres, alij ſunt medij ut ſpectabiles, alij ſunt inferiores ut clariſſimi, ſicq; primo loquamur de illuſtribus. Alij gerunt armatam militiam, alij inermem. Horum alij ſunt extra urbem, alij in urbe. Ergo primum audiamus de præfectis, poſtmodum tractabimus de alijs illuſtribus, qui in urbe conſtituti, aliâs ſunt in palatio, aliâs extra palatium. præfecti ſunt vij. tres ſunt illuſtres: præfectus prætorio Orientis. præfectus prætorio Illyrici. præfectus prætorio Africæ. Eſt & quartus qui uocatur præfectus urbis. Sunt alij extraordinarij: præfectus annonæ, p̃fectus uigilum, præfectus Auguſtalis, hic dicitur præfectus Aegypti, ut C. de poſtulan. l. j. Sicut ubi legitur quem eſſe præfectum operis publici, uel eſſe præfectũ ærarij, intellige abuſiuè dictum, id eſt præpoſitum, ut ff. nequid in loco publico l. ij. Ibi enim dicitur, præfecti prætorio duo, id eſt Orientis & Illyrici ſunt excel-

lentiſſimi, de his primò dicamus. hi præfecti tria habent ſpecialia. Ecce enim ab eorum ſentencijs non appellatur. item contra eorum ſentencias nulli reſtituunt niſi ijdem ipſi. item formam à præfecto prætorio datam obſeruari generaliter oportet, ut C. eo. l. ij. ita tamen, ſi princeps contrà non ſtatuerit. porrò iudices alij hoc non poſſunt, niſi poteſtatem condendi iura ſpecialiter à principe acceperint, ut iuris interpretes, & prætores.

DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO AFRICAE, ET DE omni eiuſdem diœceſeos ſtatu. TIT. XXVII.

PRæfectus Africæ, ſimiliter præfectus prætorio, cui ſedes eſt urbs Romani Imperij æmula, id eſt Carthago, ut C. eo. l. j. Sub hoc titulo l. j. Iuſtinianus ſeſe eſſe ultimum ſeruum Chriſti confitetur. Item in hoc titulo legitur l. ij. quia milites ideo inſtituuntur ut per eos prouinciæ uindicentur & defendantur. Item ibidem legitur, ſi præfectus Africæ. Africæ caſtella & ciuitates deprehenderit, minimæ magnitudinis eſſe, poterit minuere, & ad competentem formam redigere, ut per milites melius ualeant cuſtodiri. Ergo Imperator multo magis poterit efficere. Sed & dominus Papa de duobus epiſcopatibus unum, & de uno duos efficere ualet.

DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI. TIT. XXVIII.

PRæfectus urbi cunctis poteſtatibus quæ inter urbem ſunt excellit, ut C. eo. l. iij. Curet ergo præfectus urbi ut ſit præfectus re & utilitate, ſicut præfectus eſt nomine. Præfectus urbi omnia crimina punit, ut ff. eo. l. j. Non tamen militares uiros, ut C. de offit. magi. milit. punit autem crimina quæ in urbe perpetrantur, & extra, infra centum lapides: Si ultrà delictum fiat, ad officium correctoris Italiæ & prouincialium magiſtratuum pertinebit. Seruos querentes de dominis ut manumittantur uel ut non male tractentur, patronoſq; egentes de libertiſq; cõquerentes, ut ab eis alantur, audiet. Tutores in tutela graſſantes, uel tutelam redimentes punit. ut ſpectacula pacificè cernantur, & officia urbis ſine fraude exerceantur prouidebit. Item curabit ut caro uendatur pretio iuſto & ne fiat morboſa, ut ff. eo. l. j.

DE OFFICIO MAGISTRI MILITVM. TIT. XXIX.

ET Magiſter militum illuſtris eſt, hic inquam cauſas audit inter milites, ſed & inter non milites, & inter militem. Quippe iudex alius militem punire non poteſt, ut C. de iuriſdict. l. magiſteriæ. & C. eo. l. j. niſi ſe ſubdiderit miles iudici alij, ut C. de pact. l. penult. uel niſi in prouincia alterius iudicis deliquerit etiam maximè leuiter: tunc etiam præſes militem puniet, ut ff. de offi. præſi. l. præſes. & C. ubi ſenato. l. j. & C. ad l. Corneliam de ſica. l. j. & authen. qua in prouincia. In ſumma ſciendum eſt, quòd omnes illuſtres, & præfecti prætorio, & præfecti urbi, & magiſtri militum, & quæſtores, in dignitatibus exæquati ſunt, ut C. de præfect. præto. & præfect. urb. & magiſtris militum.

DE OFFICIO QVAESTORIS. TIT. XXX.

SVprà de illuſtribus, qui ſunt in urbe, & extra palatium, nunc de quæſtore dicamus qui eſt in palatio. hic libris Imperialibus uacabat, & principis apices in ſenatu legebat, & candidatus principis uocabatur, ut ff. eo. reſcripta bullabat. Erat & alius quæſtor qui homines torquebat. Erat & tertius qui annonas colligebat, & quærebat.

DE OFFICIO MAGISTRI OFFICIORVM. TIT. XXXI.

HVcuſq; de illuſtribus, nũc audiamus de ſpectabilibus qui gerunt mediam adminiſtrationem, ut authen. de reb. eccle. non alie. §. ult. Talis debet eſſe magiſter officiorum quem ſtipendia meliora laborq; prolyxior fecerit antei re, ut C. eo. l. ij. Ad officium huius pertinet principi quotannis ſignificare, quemadmodum numerus militum ſe habeat caſtrorumq; ſeries procedat, ut C. eo. l. iij.

DE OFFICIO COMITIS SACRARVM LARGITIONVM. TIT. XXXII.

SEd comes ſacrarum largitionum ſpectabilis eſt, per hunc princeps emeritis ſtipendia largiebatur, hic forte erat procurator Reipub. qui logiſta nuncupabatur.

DE OFFICIO COMITIS RERVM PRIVATARVM. TIT. XXXIII.

SEd & Comes rerum priuatarum ſpectabilis eſt. hic forte erat procurator Cæſaris ſiue priuatæ rationis. hic habebat hoc præcipuum quia eius iuſſu, principis ſeruus hæreditatem adire poterat in quam princeps inſtitutus fuerat, ut ff. eo. l. j. Item cauſas audiebat inter priuatum & Cæſarem, ſicut ſuperior inter priuatum & fiſcum.

DE OFFICIO COMITIS ORIENTIS. TIT. XXXIIII.

COmes Orientis quoque ſpectabilis eſt, ad quem honorem Curialis admitti non debet, ut C. eo.

DE OFFICIO PROCONSVLIS ET LEGATI. TIT. XXXV.

PRoconſul quoq; ſpectabilis eſt, & habet plura ſpecialia. Ecce enim inſignis prouincia, puta Phrigya quæ Conſuli decernebatur ſub eo erat, nec inſignes prouinciæ ſub præſidibus regebantur. Item proconſul ſemper ſub ſe habet legatum ſuum quaſi quendam ordinarium. Eum mittebat aliquando ante ſe in prouinciam, ut ibi iudicaret antequam proconſul in prouinciam ueniſſet, ut ff. eo. l. aliquando. Item proconſul poſtquam egreſſus eſt urbem gerit proconſularia inſignia, ut ff. eo. l. j. Item etiam antequam ueniat ad prouinciam ſibi decretam, exercet iuriſditionem uoluntariam non tamen contentioſam, nec poteſtatem gladij. Caueat tamen ne etiam in ſua prouincia fiſcalem cauſam audiat. Sed & amplius quàm ſex faſcibus uti non debet, ut ff. eo. l. nec & l. proconſules. Caueat quoq; proconſul, ut ea parte ingrediatur prouinciam, quam mo-

ris eſt: magis enim prouincialem ſeruari morem oportet. Caueat quoq; ut non ſemper, nec ab omnibus, nec omnia xenia ſuſcipiat, ut ff. eo. l. ſolent. Caueat quoq; proconſul ne eius uxor in prouincia delinquat, quia in hoc caſu perinde punietur ac ſi ipſe deliquiſſet. Legatus proconſulis non principem ſed proconſulem qui iudicaturus eſt conſulere debet, ut ff. eo. l. ſolent. Item legatus cauſam ciuilem audire poterit & terminare, criminales maiores poterit quidem audire, ſed terminandas ad proconſulem debebit remittere, ut C. eo. l. j.

DE OFFICIO PRAEFECTI AVGVSTALIS. TIT. XXXVI.

PRæfectus quoq; Auguſtalis ſpectabilis eſt. hic tributa per Aegyptum colligere debet, ut C. eo. l. j. hic ordinariorum ſub ſe iudicum examinandi flagitia, & non amouendi uel puniendi, ſed ſuper his referendi habeat poteſtatem, ut C. eo. l. ult.

DE OFFICIO VICARII. TIT. XXXVII.

SEd & Vicarij magiſtratus erant ſpectabiles. horum relationes libenter audimus, ne adminiſtratorum decreſcere uideatur autoritas, & ne eorum uoces ueluti prophanorum preces à noſtris adytis repellamus, ut C. eo. l. j. & ij.

DE OFFICIO PRAETORVM. TIT. XXXVIII.

PRætor quoq; ſpectabilis eſt. huius eſt iuriſdictio decreta interponere in tutelis, in curationibus, in reſtitutionibus, in uendendis prædijs minorum. Hoc ita ſi hæc agantur Romæ, in prouincijs enim ſufficiunt præſides. Sed & ad prætoris officium præcipuè pertinet ut iura condat, edicta ſub breuiloquio & compendio, & in albo conſcribat. Albi huius corruptio inducit iudicium quingentorum ſolidorum, ut ff. de iuriſdict. om. iud. l. ſiquis. Horum prætoriorum edictorum compendioſa breuitas amplam materiam præbuit iuriſconſultis interpretandi & reſpondendi de iure. Reſponſa enim dicuntur interpretum, edicta prætorum, conſulta ſenatorum, reſcripta Imperatorum, plebiſcita plebeiorum. In ſumma ſciendum eſt, quòd is ſolus prætor conſtitui debet, qui Romæ larem habet, uel à natiuitate, uel à conſtitutione. Nam & barbarius Philippus Romam uenit præturam petijt & accepit, ut ff. eo. l. ult. Præſidis nomen, quod eſt generale omnium magiſtratuum, prouincialis magiſtratus propter inopiam nominum ſibi ueluti proprium uendicauit.

DE OFFICIO RECTORIS PROVINCIAE, ET VT NVLLI patriæ ſuæ adminiſtratio ſine ſpeciali permiſſu principis permittatur. TIT. XXXIX.

PRæſes prouinciæ purgare debet prouinciam ſuam malis hominibus, & eos opprimat & reijciat, ita ſi fuerint ſibi ſubditi: porrò alienigenas poterit reijcere non punire, niſi forte (ſicut ſuperius dictum eſt) eius iuriſditionem ſponte ſubierint, uel niſi forte in ea prouincia contraxerint, uel niſi ibi peccauerint, Cum tamen non ſint mulieres, nec clerici: niſi forte & hi ibidem leuiora admiſerint. Item curare debet, ut in prouincijs tecta ſint ſarta, & ædificia collapſa reſtituantur, ut ff. de offit. præſi. l. præſes. Item curare debet ne tenuiores à potentioribus opprimantur, ut C. eo. l. moderatores, & ff. de offit. præſi. l. illicitas. Item præſes pecuniariam multam minuere poterit, ut ff. eo. l. illicitas. Sanè neq;

præſidatum abdicare, nec executorem ſpecialem iudicem ſe poterit dare, ut ff. eo. l. præſes. & l. penult. Item non eſculentum neq; poculentum à prouincialibus accipere debet, niſi ſolum quod intra dies proximos prodigatur, ut ff. eo. l. plebiſcito. Sed obſeruandum eſt præſidi ut in adeundo ſe facilem præbeat, ſed tamen contemni ſe non patiatur. Sed nec in ulteriorem familiaritatem prouinciales admittat. Nam ex conuerſatione æquali contemptio naſcitur dignitatis. ſed & in cognoſcendo, neq; excandeſcat aduerſus eos quos malos putat, neq; precibus calamitoſorum illachrymari oportet, ut ff. eo. l. obſeruandum. In ſumma ſciendum eſt, quòd is qui prouinciam regit non debet fines eius excedere, nec etiam abnoctare, niſi cauſa ſoluendi uoti, ut ff. eo. l. illud. Sed neq; urbem auguſtiſſimam ſine auguſti iuſſione adire debet. Sed & illud ſciendum eſt, quod ſicut iuſtiſſimi iudices collaudari debeat à ſubiectis, ita ſi fuerint iniqui & malefici ab eiſdem poterunt accuſari, ut C. eo. l. iij.

DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM. TIT. XL.

PRæfectus uigilum ut puto propter ſeriem titulorum clariſſimus eſt, ſicut & præſes prouinciæ de quo proxime diximus. Inde eſt quod miror quòd ſpectabilis dicitur ff. l. iij. Huic à principe iniungebatur ut tota nocte, ac ſi eſſet noctua, uigilaret, & calciatus caligis ferreis incederet, & iuberet ut unuſquiſq; propter incendia aquam in domo haberet. Huic officio primo triumuiri præerant qui & nocturni dicti ſunt. Et his ædiles ſuffragium præſtabant, poſtea præfectus uigilum conſtitutus eſt per Auguſtum, ut eo. l. j. & ij. Hic cognoſcit de incẽdiarijs, eoſq; punit, ſi fiant incendia per culpam, niſi perſona & atrox & nobilis & famoſa fuerat, quæ incendium per culpam admiſerat. Talis enim perſona ad præfectum urbis remittetur punienda. Sicut & omnis ea perſona cuius dolo factum ſit incendium, ut ff. eo. l. iij. Nam cum in hoc caſu capitalis ſententia ſit promenda præfectus uigilum non iudicabit, ſed præfecto demandabit, ut C. eo. Contra campſarios quoq;, id eſt contra eos qui accepta mercede ueſtimenta cuſtodiunt præfectus iſte iudex eſt conſtitutus, ut ff. eo. l. iij. §. ult. Magiſtratus iſte (meo iudicio) non honorem gerit, ſed onus, quia de nocte non dormit. Idem (ut puto) magiſtratus iſte non tantum in urbe conſtituebatur, ſed etiam in municipijs.

DE OFFICIO CIVILIVM IVDICVM. TIT. XLI.

DE officio ciuilium Iudicum iſtud legitur, quòd honorati qui litigant honori ſuo nihil detrahi putare debent, ſi his temporibus, quibus cauſarum ſuarum merita, uel fata panduntur, cum iudicibus non ſedeant, ut C. eo. l. j.

DE OFFICIO MILITARIVM IVDICVM. TIT. XLII.

DE officio militarium iudicum hoc habetur, ne in negotio priuatorum uel tuitio uel executio militaris adhibeatur. Item curialis uel alterius conditionis homo, ad militare iudicium ut agat reſpondeatúe compelli non debet, ut C. eo. l. ij.

NE REI MILITARIS COMITIBVS VEL TRIBVNIS lauacra præſtentur. TIT. XLIII.

TRibunis militum,& ducibus,ciuitates uel uillæ uel oppida ut balnea faciant compelli non debent,ut C.eo.

DE OFFICIO DIVERSORVM IVDICVM. TIT. XLIIII.

DE officio diuerſorum iudicum legitur, quòd neq; iudex neq; eius officialis matrem fam.inuitam, ut iudicium ſubeat, de domo extrahere debet: ſi contrà fiat decapitatio imminebit,ut C.eo.l.j. Nempe nec mas extrahi debet, ſed nec uerbotenus uocari debet,ſi lateat. Porrò ſi conſpiciatur ex publico,ut ſi ſedeat in meniano,uel ſi aliâs ad ſe aditum præſtet uerbotenus uocari poterit, ſed extrahi non debebit, ut ff. de in ius uocan. In ſumma ſciendum eſt, quod ſinguli iudices celſioribus uiris, & maxime his quorum iudicio prouehuntur, honorificentiam debitam debeant præſtare, nec in ſubſcriptionibus ſuis eos fratres audeant nominare. Sed & celſioribus uiris iudices licentiam ingrediendi ad ſe,& ſecum cum iudicant aditum præſtare debent, eoſq; cum reuerentia ſalutare,ut C. eo.l.ij.& iij.

VT OMNES IVDICES, TAM CIVILES, QVAM MILITARES, poſt adminiſtrationem depoſitam,quinquaginta dies in ciuitatibus, certis locis permaneant. TIT. XLV.

IVbet Imperator ut per quinquaginta dies in prouincia remaneat,qui prouincias rexit poſt honorem depoſitum, ut omnibus contra ſe uolentibus actionem uel accuſationem proponere,ualeat reſpondere. Et quidem ſi ciuiliter conuentus fuerit terminata lite abire poterit: ſed & ſi intra quinquaginta dies ciuilis cauſa non fuerit ſopita,relicto procuratore abire permittatur. Sanè ſi fuerit cauſa criminalis tandiu in prouincia morari debebit,quandiu cauſa cœpta infra quinquaginta dies poſtea terminata fuerit. Porrò ſi magiſtratus aufugerit etiã inuitus per ſex menſes detinebitur. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd uiginti dies præfixi ſunt, in quibus cauſa debeat terminari, in decem libras alioquin, aut iudex cõtra priorem iudicẽ,uel priori iudici iudicaturus multabit, ut C.eo.

DE OFFICIO EIVS QVI VICEM ALICVIVS IVDICIS obtinet. TIT. XLVI.

IS qui à iudice alterius iudicis ut præſidis conſtitutus eſt, præſidis more iudicare poteſt,& decernere in cauſa quæ ad rempub.pertinet. Sanè reſpub.ueluti ſemper pupilla reſtitutionem poterit flagitare. Simili cenſura forte & eccleſia. Nec moueat quod ſuprà titulus inſcribitur de uicarijs, qui ordinarij magiſtratus erant, hic inſcribitur de officio eius qui accidentaliter & temporaliter uicem ordinarij iudicis obtinet.

DE ADSESSORIBVS, ET DOMESTICIS, ET CANCELlarijs Iudicum. TIT. XLVII.

STudiorum labor meretur, ut ſpe præmiorum & honorificencia ſua,nõ metu terribili & neceſſitate libertati incongrua prudentes uiri ad obſequium iudicum prouocentur,ut C.eo.l.j. Hi inquam ſiue fuerint adſeſſores ordinarij, ultra quatuor menſes adſidere non debent, ut C. eo. l. in conſilarijs. Item qui

ſemel

ſemel adſeſſor uel cancellarius conſtitutus eſt amplius idem officium accipere debet, ut C. eo. l. liceat. Sanè præſides per ſe non per aſſeſſores libellis ſubſcribere debent, ut C. eo. l. ij. Item adſeſſor in prouincia aſſeſſione functus per quinquaginta dies ibi remanere debet. Ergo pro confeſſo tenebitur qui accuſatus huiuſmodi perſonam ſubtexerit, per aſſeſſorem quoq; nequiter ablata in quadruplum reſtituantur, ut duplum ſpoliatus accipiat, duplũ fiſcus noſter acquirat, ut C. eo. l. iij. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſiquis fuerit aduocatus in aliquo negotio, in eodem amplius iudex eſſe non debebit, etiamſi iudex ordinarius fuerit. Tunc enim licet iudicare poſſit, urbanius tamen fecerit ſi demandauerit. Sed & primò iudex in aliqua cauſa, in eadem non aduocabit: niſi forte tutor curatorúe alterius litigantium fuerit cõſtitutus, ſed pro alterutro quondam aduocatus contra eundem ob neceſſitatem aduocabit. Sanè regulariter facile credendum non eſt duabus rebus etiam neceſſarijs, aduerſus eundem ſufficere poſſe, ne dum in utrumq; feſtinat neutrum bene peragat, ut C. eo. l. ult.

DE ANNONIS ET CAPITV ADMINISTRANTIVM, VEL adſeſſorum, uel aliorumúe publicas ſollicidutines gerentium, & eorum, qui aliquas conſecuti ſunt dignitates. TIT. XLVIII.

IN annonarum prebendis ſolacijs hic fixus ac ſtabilis ſeruabitur modus, ut ea pro annonis, & capite, id eſt magiſtratus debita ſibi conſequantur pretia, quæ in particularibus dignitatibus, id eſt ſingulorum deſcriptionibus cauta leguntur, ut C. eo.

DE CONTRACTIBVS IVDICVM, VEL EORVM, QVI SVNT circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne adminiſtrationis tempore proprias ædes ædificent. TIT. XLIX.

DIſtinguitur emat uel per donationem accipiat magiſtratus urbicus à prouinciali. Et quidem magiſtratus urbicus non ritè emit mobilia uel immobilia, niſi paterna uendantur, uel niſi Imperator permiſerit: ſed nec domum extruet, niſi principe permittente. Sanè per donationem nihil accipiet etiam principe permittente. Sanè aliâs collata donatio in magiſtratum urbicum non habebit robur, niſi ſpecialiter in ſcriptis donator eandem donationem confirmauerit uel quinquennium ſine querela donatoris, uel eius hæredis tranſierit: ſecus in donatione quæ ab ingrato reuocatur per donantem uel eius hæredem. Sanè emptio facta per magiſtratũ urbicũ nec per ſpecialẽ uenditoris aſſenſum cõfirmatur, nec per quinquennale ſilenciũ. Porrò præſides prouinciarũ nec domos ædificare in prouincia poſſunt, etiamſi ſacri apices hoc permiſerint, nec per emptionem, nec per donationem, uel per alium titulum accipere poſſunt mobilia uel immobilia: niſi uendantur paterna, uel niſi ea quæ pertinent ad eſculentum uel poculentum, uel indumentum. Sed nec aliâs in præſidem collata tradentis ſpeciali confirmatione, uel quinquennali taciturnitate confirmabuntur, forte tempore longo aut ſaltem largiſſimo confirmabuntur. In ſumma ſciendum eſt, quòd hæc omnia in domeſticis & conſiliarijs iudicum locum habent. Item (iudicio meo) illud notandum puto, quòd licet magiſtratus paſſim emere & per donationem accipere non poſſunt, uendere tamen & donare permittuntur.

DE MODO MVLTARVM, QVAE A IVDICIBVS infliguntur. TIT. L.

DIſſeruimus ſuprà de omnibus magiſtratibus, nunc diſputemus de modo multarum. Videamus itaq; quid ſit multa, & quis poſſit multare & qui non, & quis ſit modus multarum, & quibus multæ præſtentur. Multa eſt pœna pecuniaria extraordinaria. Sicubi ergo legatur quem multari incertam pecuniam lege ſtatutam, impropriè dictum intelligatur, ut C. de epiſcopa. au. l. j. & C. ne lice. potent. l. ult. Multare non poſſunt defenſores ciuitatum, ut C. de defenſo. l. defenſores: nec procuratores fiſci uel Cæſaris, ut C. eo. l. j. & ij. Multare poſſunt illuſtres, ſpectabiles, clariſſimi. Illuſtres uſq; ad quinquaginta auri libras. Spectabiles aliàs uſq; ad ſex uncias auri ut proconſul, præfectus Aegypti, Comes orientis: aliàs uſq; ad tres uncias ut ſpectabiles. Aliàs uſq; ad duas uncias ut præſides. Si magiſtratus prædictum modum exceſſerint, in duplum tenebuntur, & alterum ſimplum multato reſtituetur, & alterum fiſco dabitur, ut C. eo. l. ult. Id quoq; in multando obſeruandum erit, à moderatore ut in correptione unius perſonæ (ſi ad id peccati cõtinuatio impulerit) trinæ tantũmodo in anno condemnationis ſub præſtituta ſumma ſeueritas exeratur: ſecus ſiquis fugitiuum alienum ſæpius ſuſceperit. Tunc enim toties punietur, quoties ſuſceperit ut C. de ſer. fugi. l. ſiquis. Multarum ſeuera compendia fiſco applicantur, niſi multator aliud ſtatuerit, ut C. eo. l. v. uel niſi aliud lex ſanxerit, ut C. de epiſco. aud. l. j. In ſumma ſciendum eſt, quòd multa infamiam non irrogat. Item (ſicut dictum eſt) multa impoſita ob paupertatem imminui poterit, ut C. eo. l. ult.

DE DEFENSORIBVS CIVITATVM. TIT. LI.

DEfenſores ciuitatum eligi non debent niſi catholici, ut C. eo. l. viij. Item anno adminiſtrabunt, hodie autem biennio, ut authen. eo. Sed olim per quinquennium adminiſtrabant, ut C. eo. l. iiij. Item defenſores olim duntaxat pecuniariam cauſam uſq; ad quinquaginta ſolidos audiebant, ut C. eo. l. j. Hodie uſq; ad trecentos, ut in authen. eo. defenſores ruſticos tueri debent, & plebi uicem parentis exhibere. Sed nec agricolas, ſuburbanosq; deſcriptionibus adfligi pati debent, ut C. eo. l. iiij. Debent enim curare ut id faciant uerè quod dicuntur eſſe, ut C. eo. l. v. Caueant tamen defenſores ne criminaliter accuſatos puniant, uel in criminibus deprehenſos, ſed accuſatoribus mox ſub idonea perſecutione ad iudicium ordinarij dirigant, ut C. eo. l. vij. Item prouideant defenſores ne iniquis & falſis menſuris poſſeſſores à ſuſceptoribus & peræquatoribus grauentur, ut C. eo. l. penult. item apud defenſores quaſi acta conficiuntur. Item nulli defenſorum liceat ſine principis affatibus ante tempus iniunctũ ab officio defenſionis ſe liberare, ut C. eo. l. ult. & penult.

DE MAGISTRATIBVS MVNICIPALIBVS. TIT. LII.

DEcuriones ad gerendum magiſtratum, ad exactionem annonarum, antequam ſubeant per tres menſes uocandi ſunt: ut ſi eorum querimonia uideatur iuſta, alios in abſoluendi locum ualeant ſubrogare, ut C. eo. l. j. forte ſimili æquitate in alijs magiſtratibus eligendis idem dici poteſt. magiſtratus municipales rite acta conficiunt, ut C. eo. l. ult.

De officio

DE OFFICIO IVRIDICI ALEXANDRIAE. TIT. LIII.

ALexandria propter ſui conditoris, id eſt Alexandri pueri magis prærogatiuam, licet non iudicem habeat. Apud hunc donationes conſcriptæ publicantur, legitimiq; actus celebrantur, ut C. eod. & ff. eod. forte & teſtamenta apud eunden inſinuantur.

IN CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAElectione, librum Secundum Placentini ſumma.

DE EDENDO. TIT. I.

EXPLICAVIMVS in ſuperiori libro de magiſtratibus per quos iura prouehuntur, iurgia ſopiuntur, iudicia terminantur. Ergo de iudicijs diſſeramus, uel de iudicibus expoſuimus, nũc loquamur de iudicijs. Et quia iudiciorũ quædam ſunt præparatoria, & multa præueniunt iudicia tanquam quædam præludia, ut actionis editio, in ius uocatio, de his inſeramus. Et quia ſecundum ordinem naturalem prius eſt edere, quàm in ius uocare, prius de edendo, id eſt de actione edenda tractemus. Exponamus itaq; quid ſit edere, & unde dictũ ſit edere, & quare debeat quis edere, & quo iure compellatur quis edere, & ſumpta occaſione ab actionis editione, quis cuiq; inſtrumenta cõpellatur edere. Nihil aliud eſt edere quàm ſpeciem uel formam litis futuræ declarare: hoc autem ita fit, ſi actio ſit edenda ſpecialis, puta ſiquis ait, intendo condictionẽ certi ad centum quæ dedi mutuo, uel actionem ex uendito ad centũ quia pro centum tibi uendidi duo mancipia. Porrò condictionem certi generaliter intendendo, actionem non edo. Quid enim refert ſiue nullam quis edat actionem ſiue malitioſè, id eſt perfunctoriè obſcurè, id eſt generaliter, non ſpecialiter: utiq; nihil intereſt, ut ff. eo. l. ubi. Nam & qui non redhibet, nec exhibet ſicut debet, nõ exhibet, nec redhibet, ut ff. commodi l. iij. et ff. ad exhib. l. Iulianus § ſed ſiquis. Sed & is qui rem uenditam tradidit, ſed non ut oportuit tradidit, ut ff. de uerb. oblig. l. Iulianus. Sed & non dicitur actum quod non eſt ritè actum, imò nec male, ſed nihil dicitur actum, ut ff. quando dies uſufruct. lega. ced. Accedit his quia ff. eo. l. j. legitur, actorem debere cedere actionem, ergo ſpecialem actor editurus eſt, ut proinde ſciat reus utrum cedere an contendere debeat. Quid ergo dicemus, quòd ff. de except. rei iudici l. ſi mater an legitur, uindicationem generaliter intendi poſſe? Reſpondeo non obloquitur tum quia in rem actio non propriè dicitur actio, tum quia non cõpellit cauſam agendi exprimere. Nam cum in rem generaliter ago nec cauſam generaliter exprimo omnes cauſæ apprehendentur, ut ff. de except. rei iudic. l. & an. Sed & ſuperioribus accedit quod in ff. de interroga. acti. legitur, nihil intereſt an interro-

gatus non reſpondeat, uel ſicut debet non reſpondeat ideſt incertum dimittat interrogatorem. Eſt autem dictum edere quaſi extra dare uel dicere, ut exhibere extra habere. Edit autem quis multis modis ſi deſcribendi copiam facit, ſi in libello complectitur & tribuit, ſi roganti dictauerit, ſi reum ad album ducit et demonſtrat ei quiddicturus eſt, ibidem id dicendo quo uti uelit, ut ff. eo. l. j. Edere debet actor actionem ob hanc cauſam ut actione edita reus deliberet an cedat uł contendat, & ſi putauerit deſiſtendum, cedat, ut ff. de interrog. l. nō alienum ſi putauerit cōtendendum inſtructus ad reluctandum ueniat (iudicio meo) ſicut nemo cogitur agere, ita nemo præciſe actione uel officio compellitur actionem edere. porrò ſi actor uelit reum reſpondere cauſatiuè neceſſe habet actionem ſpecialiter edere. actionem autē editam ſpecialem emendare licet & mutare. Emendare ut ſi prius intenderit in minus, poſtea intendat in amplius, & contrà. Sed & mutare poteſt actionem dum modo intendat coæqueua ideſt ut beneficium editionis reo ſit ſaluum hoc eſt ut peræq; ſit inſtructus reſpondere ſecūdæ, ſicut fuerat inſtructus reſpondere primæ: ergo non diuerſam actionem poſtea debebit intendere, ut ſi primò intenderit negociorum geſtorum actionem, non debebit poſtea intendere de deiectis & effuſis. Quid ergo ſi hoc fecerit? iudicio meo, reus reſpondere non cogitur, niſi ei nouum & tantum tempus ideſt xx. dierum detur, uel ſicut alij dicunt reſpondere compelletur, ſed actione in factum ex hoc edicto ad intereſſe reus contra actorem experietur, ut ff. eo. Sanè ſi actor primò intenderit actionem furti, & poſtea mutauerit & intenderit ui bono. rapto. reus reſpondere compellitur omnino, quia editiōis beneficiū ei relinquitur ſaluum. His dictis quæ ad editionis actionem pertinent, inde accepta occaſione de edendis inſtrumentis diſſeramus. Inſtrumenta hic dicuntur quæ ſcriptis cōtinentur. Inſtrumentorum alia ſunt publica ut acta, alia communia, alia priuata. priuatorum quædam ſunt petentium, quædam ſunt eorum à quibus petitur. publica à quocunq; & cuicunq; etiam actori à reo, & ab actore reo exhibenda ſunt. Sed et ſi officiales ea poſſideant exhibere debeat uel per officium uel per cōdictionem ex lege, ut C. eo. l. ij. Simili modo et communia exhibenda ſunt etiam à fiſco minori cohæredi, ut C. eo. l. procurator. Simili modo priuata inſtrumenta petentis prorſus propria, cuicunq; & à quocunq; edenda ſunt. porrò reus ſua inſtrumenta actori edere ideſt exhibere non cogitur ut C. eo. l. iiij. Quippe odioſum eſt impugnare, fauorabile defendere. Sanè etiā id ex cauſa ideſt ſua inſtrumenta reus edit actori, ut C. eo. l. j. dicunt quidam etiam ad actionem fundandā argumento legis l. ſiquis ff. tit. eo. Atqui (iudicio meo) illud intelligatur ubi argentarius conuenitur, uel ibi legitur nō de edenda actione, ſed de alia ratione. Item (iudicio meo) id ex cauſa &c. ad replicationem debet intelligi. Quippe æquum eſt actorem replicantem utpote factum reum, ab actore actionis inſtrumēta poſtulare. Sicut enim reus fit actor cum excipit, quia probat licet ſit reus cum excipit, quia ſe defendit: ita è cōuerſo actor cum replicat fit reus, quia ſe defendit, liceat remaneat actor, & qui mouet actionem, & qui probat replicationē. Hic referūt quod multum interſit, ut C. eo. l. ult. Sed modicè intereſt, quia qui actor eſt principaliter ad actionem fundandam (ut dixi) rei inſtrumenta non poſtulat, ſed factus reus ex poſt facto ſiue ſecundario, in replicando poſtulat: hoc pater Antoninus & Alexander edixit, & in reſcriptis extrà uagātibus (meo iudicio) ſtatuit non autem ut quidam dicunt C. eo. l. j. Ex his quæ dicta ſunt intelligere licet, & quòd reus ſemper poſtulare poterit inſtrumēta ſibi exhiberi ab actore, & quia reus eſt, uel in eo quod reus eſt. Actor autem non ſemper poſtulare poteſt à reo, ſed & cum poſtulat actor, non quia actor eſt, ſed quia actor in replicando reus eſt factus. quod enim aliâs dicitur actore non probante reus debet

obtinere

obtinere,non dicitur accuſatore non probante. Nam ſicut accuſatori, ita & accuſato in criminibus interdum,puta in crimine falſi probatio iniungitur, ut C. de fal.l.ult.& C.de abolit.l.v.In ſumma notandum eſt,quòd regula prædicta actore non probante &c. ita debet intelligi uel quaſi probante. Hoc fit duobus modis.per præſumptionem & per religionem. Per præſumptionem aliàs ratione naturæ,aliàs ex facto. Ratione naturæ puta filius agens de inofficioſo, licet ſit actor,non probat ſe fuiſſe ingratum,imo ſcriptis debet probari filiū extitiſſe ingratum. Simile eſt quòd legitur,ut C.de probat.l.ſiue.In his enim caſibus pſumptio pbat pro filio. Ex facto præſumitur quaſi probaſſe(meo iudicio)ſi probet ſe retrò poſſediſſe,debebitq; actor reportare ſententiæ emolumentum, niſi poſſeſſor probet contrariū. Obtinet quoq; actor aliàs ubi nō probat, ſed quaſi probat,ut ſi iurat iudice deferente ac reo referente,tunc reo iuſiurandum remittetur. Idem fiet ſi actor ſacramentum reo deferat reuſq; nō iuret nec referat.

DE IN IVS VOCANDO. TIT. II.

FActa editione actionis ſequitur de in ius uocando,ſicq; loquamur de in ius uocando. Videamus itaq; quid ſit in ius uocare,qui poſſint uocare,& quando,& qui uocant,& qui nō,& quæ ſit pœna uocantiū cōtra ius in ius. In ius uocare eſt uocare ad ius,ideſt ad eum qui ius dicit,ſiue inter uocantem aduocatum ius dicere poſſit,ſiue non. Nam & uocatus ad iudicem alienum ire debet,allegaturus quare apud eum litigare non debeat,ut ff.de iudic.l.v. Vocare autem uidetur actor non reus,licet ſæpius iudicem interpellet, ut uocatus ipſe à iudicio dimittatur. Sed nec ille uocat qui libellum principi uel præſidi aduerſus patronum porrigit,ut ff.eo.l.libertus. Is ergo domum uocat, qui non uerbo tenus, ſed cum effectu uocat,inuitum ad iudicium uenire cogit, ſicq; in edictū incidit. Nam ita demum libertus punitur,ſi patronus ab eo uocatus & uenerit,& inuitus uenerit antequam libertus pœniteat,ut ff.eo.l.quamuis.uocari in ius per ſe non poſſunt,ſed nec uocare regulariter,impubes,furioſus,prodigus. prohibetur autem quis uocari aliàs ratione perſonarum,aliàs ratione negociorum. Ratione perſonarum aliàs ex iure publico,aliàs ex iure priuato. Ex iure publico, aliàs ex iure diuino,ut pontificem dum ſacra facit nec extraneus uocabit: aliàs ex iure humano ut magiſtratum ordinarium tuum uel alienum conſtante magiſtratu nō uocabis,Sed nec ipſe te uocabit ſanè minores magiſtratus etiā eorum officiolo conſtante conueniri poterunt & conuenire. Veruntamen nullas perſonas quibus reuerentia præſtanda eſt ſine uenia prætoris uocare poſſumus,ut ff. eo.l.generaliter:hoc ita intelligo,ſi is qui uocatur ſine uenia,uocari petitur. Itē non uocatur quis propter ætatem ut impubes.item propter caſum ut furioſus, item propter iuris interdictionem ut prodigus. Item nec pater filium uocabit ut ſecum ciuiliter litiget:Nec filiusfamil.patrem etiam petita uenia,niſi de caſtrenſibus,ſed tamen impetrata uenia,& niſi ut emancipet eum,ut ff.de in ius uocando,ſed ſi, & niſi quia eum non exhibet,uel aliàs male tractet eum,etiam ſine uenia uocabit, porrò & pater filium & filiusfam. patrem ritè accuſabit de crimine excepto,aliàs filiusfam.patrem ciuiliter non conueniet, etiam ſi ſit adoptatus ab extraneo auoúe. Sanè arrogatus ab alio filius tuus uel emancipatus parentem ſine uenia non uocabit,parentem inquam naturalem & legitimum, ſed nec huius parentis parentes in infinitum. Sed & licet adoptiui patris parentes uocare poſſis, adoptiuum tamen patrem id eſt arrogatorem etiam petita uenia non uocabis:ſed nec adoptiuum extraneum, etiamſi in eius poteſtatem non redigaris, eo ſolo inſpecto quòd pater tuus eſt,ut ff. eo adoptiuum,forte nec poſt

adoptionem diſſolutam uocabitur patèr adoptiuus quondam,niſi impetrata ue
nia.Item illum patrem tantum naturalem quicunq; eſſet qui te genuit etiam li-
ber factus ſine uenia non uocabis.Sanè aliâs uulgò quæſitus forte ex concubi-
natu legitimo patrem talem multo magis indigniorem etiam ſine uenia non uo
cabit,ut ff.eod.l.iij. Porrò matrem quia ſemper eſt certa filius ſine uenia impu-
nè non uocabit,ut ff.eo.l.iiij.forte diſtingui poteſt niſi mater conceperit ex peſ-
ſimo & dãnato coitu,uel illuſtris ex concubinatu, hoc eſt , ut ſicut his matribus
talium filiorum ſucceſſio non debetur,nec talium matrũ in tales filios ſucceſſio
tranſmittitur,ita nec ab eis inter ſe reuerẽtia exhibeatur. Item libertus niſi ſit na
talibus reſtitutus,uel niſi ſit patronus indigus in ius patronum ſine uenia nõ uo
cabit. patroni inquam fiunt per manumiſſionem, per iudicationem,per iuratio
nem,per legem,ut ff.eo.l.adoptiuum.Item nec filius liberti etiam ingenuus im
punè ſine uenia patris ſui patronum uocabit,alij liberti conſanguinei,uel liber-
ti hæredes extranei,hanc reuerentiam non debent.atqui patrono & patronæ &
multis alijs perſonis gracia patronorum & patronarum,liberti & libertorumfi
lij reuerentiam debent , ut parentibus & etiam extraneis hæredibus & maritis
patronarum & uxoribus patronorũ,ut C.eo.l.j.prædicti ergo,ſi eos quibus re
uerentiam debent,ſine uenia in ius uocauerint,actiõe in factum in quinquagin
ta aureis cõuenientur,& hæc actio nec datur hæredi,nec in hæredem , nec ultra
annum,ſi uero non poſſint exoluere luent in corpore pœnam,ut ff.eo.l.penult.
& ult. Vidimus ſuprà quomodo prohibetur in ius uocari ratione perſonarum,
nũc uideamus quomodo ratione negociorum. Hoc autem fit tribus modis,ob
neceſſitates communes ut meſſium & uindemairum , ob publicas ut ob expedi
tiones indictas , & ob ferias ſolennes repentinasúe , & ob priuatas neceſſitates
ut ſiquis uxorem ducit ſepelitúe.In ſumma notandum eſt quòd etiam uniuerſi-
tati quæ manumiſit libertus honorem debet quamuis actorem unũ hominem
de uniuerſitate,nomine uniuerſitatis ſit pulſaturus,nulli autem libertus iſte re-
uerentiam debet,quia ita eſt libertus omnium quòd nullorum,ut ff.eo.l. ſed &
ſi. ſanè nõ debet patronus in ius ſine uenia uocari à liberto,ſiue conueniatur no
mine ſuo uel alieno,ut ff.eo.l.ſed & ſi,Sed & per libertum duntaxat nõ ſuo no-
mine agentem,ut ff.eo.l.quæſitũ. Quæ ſit huius uarietatis ratio ſolicitus lector
inquirat.Item in ſumma notandum eſt quòd filio patroni in ius temerè uocato
datur in factum actio,etiam abſente patre,ut ff.eo l.ſi libertus,ut & aliâs de uia
ticulo credito,ut ff. de iudic.l. ſi longius. Sed & innocens filius temerè uocan-
dus non eſt,licet pater nocens ſine uenia uocari potuit, ut ff. eo. l. adoptiuũ §
ult.Item notãdum eſt,quòd licet(ſicut dictum eſt) de domo quis uocari poteſt,
ſed tantum uerbotenus, non ſi lateat ſed ſi cõpareat, uel aditum ad ſe præbeat,
inuitus tamen non debet de domo extrahi,ut ff.eo.l.ſed & ſi is:multo minus de
domo dei nullus debet inuitus extrahi.

DE PACTIS. TIT. III.

AVdiuimus de in ius uocatis,dicendum eſſet de iudicijs:ſed quia in ius uo-
cati ſæpe malunt paciſci & tranſigere,quàm ad iudicium uenire, quia me-
ticuloſa res eſt iudicium ſubire , primò tractemus de pactis & tranſactionibus.
& quia pacta ſunt generaliora quàm tranſacta primo de pactis loquamur. Vi-
deamus itaq; quid ſit pactum,& unde dicatur pactũ,quæ ſit æquitas pacti,quæ
æqualitas pacti, quis poſſit paciſci, quis nõ,de qua re liceat paciſci. de qua nõ,
quæ ſit inſpectio mixta,quæ ſit diſtinctio pactorum , & quis effectus quæúe ſit
potentia pactorum.Pactum eſt conſenſus & placitum in idem duorum uel plu-
rium.

rium. Conſenſus inquam placitus quia nemo ſecum ſentiendo paciſci poteſt, imò opus eſt ut cōſentiat ideſt cum alio ſentiat, Ergo inter duos pluresúe pactū initur ex neceſſitate. Sequitur in idem, non dicitur in eodem. Nam ſi duo conſentiant in eodem, puta quòd Socrates eſt Socrates, non eſt pactum ſed opus eſt ut conſentiant in idem, ſcilicet dandū faciendumúe ex diuerſis motibus animorum, poſtmodum cōuenientes in quid unum faciendum uel dandum. Sicut enim ſcholares ubi ad unum locum ut addiſcant ueniunt, ex diuerſis domibus conuenire dicuntur, ita qui paciſcuntur cōuenire dicuntur, cum ex diuerſis motibus in aliquid dandum faciendumúe decurrunt. Adnecti debet & ſubaudiri in idem dandū faciendumúe ſcilicet inuicem ideſt ab altero alteri, nec enim ſi duo conſentiant, ut quid cui abſenti tribuant paciſcuntur, ſed ita ſi alter alteri ſpondet, hocq; in caſu alterius cōditio melior eſt, ut eius cui promittitur, alterius durior ut promittentis, alio modo ſe habet pollicitatio: Quippe eſt ſolius offerentis promiſſum, ut ff. de pollici l. iij. Dictum eſt pactum quaſi pacis actum, eſtq; pactum à pactione ideſt manuum percuſſione detortum. Veteres enim manus ſibi percutiebant cum pacta componebant. Sed poſt palmatam apud montem Peſulanum altero inuito alteri à pacto reſilere nō licet. Inde eſt quòd uulgò metricè dicitur.

Pango ſonans pegi uel pactum uel docet ictum,
Per pango pepigi componere pacta ſolemus,
Per pango panxi carmen cano ſignificamus;

Pactorū æquitas eſt naturalis ſumma. Quippe ſummè æquū eſt paciſcentiū pacta, licet non omnium, nec omnia debere conſeruari. Nihil enim tam cōgruum eſt humanæ fidei quàm ea, licet non omnia, ea, quæ inter homines placuerunt: non tamen quomodo libet, debere cuſtodiri. Tria ſunt quæ admonent nos ad obſeruationem pactorum, fides, ueritas, autoritas. Fidei debemus ut adimpleamus quod propoſuimus. Varij enim & inconſtantis hominis eſt ſibi diſplicere hoc quod ab initio placuit, Stellionis eſt non agere quod iuſtè pepigerit. Veritati debemus, ſicut diximus ita fore. Autoritas prætoria tuetur pacta ritè interpoſita, ac iuſticia ſolidata. Item in pactis diſtinguuntur alia tria, id quod promittitur, ut quid dari fieriúe cauſa promittendi, ut uenditio locatioúe, qualitas promiſſionis, ut ceſſet dolus et fides mala, ſed aſſit fides bona. Paciſci poteſt pubes, mentis compos, iure non uetitus, ut prodigus furioſus, qui ſanè necdum contra ſe, ſed nec pro ſe paciſci ualent. Sunt aliqui qui aliquādo ritè paciſcuntur, ut pupilli etiam ſine tutoribus, contra ſe minime: niſi cum tutoribus hoc eſt ut obligentur ciuiliter, niſi locupletiores facti fuerint, uel pubertati proximiores extiterint. Sanè pupilli ſi ſapiunt, paciſcentes ſemper uel naturaliter obligantur, niſi cum tutore contraxerint, ut ff. de auto. tut. l. pupillus. Porrò ex quaſi contractu etiam infantes ciuiliter obligātur, ut C. de nego. l. ij. Item filijfam. licet aliàs obligentur ſi contrahant, ſi tamen mutuum accipiant, regulariter non urgentur. Sed & fœminæ intercedendo paciſcentes regulariter non tenentur. Item prodigi, licet poſſint hæreditatem adire, & forte ſibi paciſci, contra ſe tamen minime paciſcuntur. Item ſerui paciſcendo nec ſibi proſunt nec obſunt, ideſt nec ab alijs obligantur nec alios ſibi ciuiliter obligant. Porrò dominus alijs obligatur. ſerui ex contractibus ſuis neq; ſerui manentes, neq; facti liberi regulariter poterunt conueniri uel agere, uel excipere: naturaliter tamē obligantur, etiam ſi cum dominis paciſcantur. Sanè ſi ſerui deliquerunt in non dominos & naturaliter & ciuiliter obligantur, factiq; liberi poterunt conueniri. atque ſi in dominos deliquerunt nullo tempore poterunt conueniri regulariter. Sanè ſeruus inſtitutus hæres nondumq; hæreditate adita ſi cū creditoribus hæreditarijs paciſcitur ut mi-

nus ſoluatur hæres factus poſtea utetur exceptione non pacti ſed doli,ut ff. eo. l.ſed ſi. hoc ideo quia cũ ſeruus eſſet pepigit, & quia ſeruus manumiſſus factus eſt homo alius. De re licet paciſci quæ nõ ſit naturæ,iuri,uel bonis moribus ad uerſa. Ecce enim ſiquis promiſerit hominem immortalem etiam per ſtipulationem, item homicidium ſe facturum,corporisúe ludibrium,nihil agitur. Sed & ſiquis paciſcatur alij regulariter nihil agit uel ſibi nec alij. Ergo in pactum uenit id duntaxat quod eſt poſſibile,iuſtum,honeſtum, uel non inhoneſtum. Siquis enim promiſerit mihi rem meam propriam,rem ſacram,ſanctam, religioſam,liberã perſonam,nulla eſt pactio neq; agitur ex pacto. Amplius ſi filiusfa. uiuente patre cum creditoribus paternis paciſcatur, ut minus ſoluatur mortuo patre,factus hæres utetur non pacti ſed doli exceptione,ut ff. eo. l. ſed & ſi. forte ſi promitteret ut poſtea plus ſolueret non teneretur. Ergo in ſubſidium exceptionis pacti ſæpe ſubrogatur utilis exceptio doli mali ut ff. eo. l. reſcriptum. Nam in ſubſidium directæ actionis actio ſubrogatur utilis uel in factum. Ecce ſi procurator contrahit uel in iudicio obtinet utilis actio domino datur. Nam & iuſiurandum procuratoris nõ tantum parat imò etiam parit domino actionem, ut ff. de iureiuran. l. nam poſtquam. hoc ita intelligo ſi procurator paciſcatur ſibi,uel imperſonaliter. Nam ſi paciſcatur domino,niſi forte præſenti in iudicio, nihil agit,nec ſibi nec domino,nec ut dominus agat nec ut excipiat. Sanè etiam ſi tutor paciſcatur pupillo,curator adulto,ritè paciſcitur occaſione officij publici:aliàs regulariter minimè,ut in ſumma Inſtitutionum de inutilibus ſtipulationibus explicaui. Et non tantum pactum procuratoris prodeſt domino ſed obeſt. Si tamẽ fuerit procurator in rem ſuam,uel generale & liberum mandatum habuerit uel ſpeciale ad id ut ff. eo. l. nam. Sed & pactum domini procuratori et proderit & nocebit,ut ff. eo. l. ſi cum. Item pactum emptoris hæreditatis proderit & nocebit uenditori. item & è cõtrà,maxime ſi uenditor pepigerit in rem,ut ff. eo. l. ſi cum & l. ſi tibi. Item pactum bonæ fidei poſſeſſoris,legitimo hæredi pderit ut ff. de conſti. pecu. Item pactũ debitoris fideiuſſori proderit & nocebit, niſi gratis fideiuſſerit, uel niſi in contrarium debitor egerit ut ff. eo. l. & hæredi & l. niſi. Sanè fideiuſſoris pactum debitori non proderit, niſi & in rem pepigerit,ut nõ à reo quoq; petatur,ut ff. eo. l. uidelicet. Porrò rei unius pactum etiam in rem cum reo,non oberit:niſi ſit tranſactum,acceptolatum,iuratum, ut ff. de iureiur. l. duobus. Item filij & ſerui pactum ne à patre dominoúe petatur proderit & in dominicis & in paternis,ſed non oberit. Sanè in peculiaribus etiã oberit,ſiue paciſcatur in rem,uel ut non petatur à domino patreúe. Sanè filiusfam. ſi paciſcatur ne à ſe petatur,proderit & ſibi & patri & hæredi patris,ſed tantum uiuo filio,ut ff. eo. l. acquirẽt & l. & hæredi. Sanè ſi ſeruus ne à ſe petatur pactus fuerit,nihil ualebit pactum quoad pacti exceptionem,niſi ſeruo uiuente: ſed ſi in rem paciſcatur,proderit etiam domino & hæredi eius uiuente tamen ſeruo non pacti ſed doli exceptio. Econuerſo pater non rectè ſiue directè filio paciſcitur:quippe nec directam actionem ſed utilem,nec exceptionem pacti,ſed exceptione doli eundem effectum habente,pater filio quærit, ut ff. eo. l. & hæredi. Mixta inſpectio in eo ſpectatur,quandoq; quis paciſci poteſt,& res talis eſt de qua pactum fieri poteſt, & quandoqúe quis de ea re paciſci non poteſt, ut de ea noui operis nunciatione quæ ad publicam læſionem pertinet,ut ff. eo. l. iuriſ gentium. Sed & procurator paciſci poteſt,non tamen tranſigere:curator tranſigere,non paciſci,ut ff. de furt. l. interdum. Item mixta inſpectio in eo ſeruatur quòd quis paciſci debet de re ſua,de facto ſuo,ſibi quid dari fieriúe, non alium daturum facturumúe,nec alij dari fieriúe,ut ff. eo. l. ſi unus. Hæc enim regulariter nihil

ter nihil ualent. Pactorum diſtinctiones ſiue diuiſiones multæ ſunt. Ecce enim
pactorum quædam ſunt publica, quædam priuata. Publica ſunt ut quæ fiunt
inter duces bellorum ſiquando inducias præbent. Priuata aliâs ſunt legitima,
aliâs iuriſgentium. Legitima ut emphiteuſis, ſtipulatio, contractus literarum,
aliâs ſunt iuriſgentium ut creditorũ pacta: iuriſgentium uero alia pariunt actio-
nes, alia exceptiones, alia neutrum, ut matrimonium. Item pactorum quædam
ſunt tacita, quædam expreſſa. Tacita pacta tribus modis inueniuntur introdu-
cta, propter rei æquitatẽ, ut C. eod. l. ij. & ff. eo. l. qui in. propter odium ut ſi liti
uel tacite renuncietur ut C. eo. l. iiij. Ex facto quocꝫ tacitum pactum præſumi-
tur ut cum creditor unum de tribus reis debendi pro parte tantum tertia conue-
nerit, ut cũ C. eo. l. ſi creditores. pactorum expreſſorum alia ſunt acceſſoria, a-
lia principalia. Acceſſoria alia ſunt de natura negotij ut de euictiõe, alia ſunt de
ſubſtantia ut de agendo precio, alia ſunt accidentalia: puta ut Codex uendi-
tus detur ad exemplũ. Item acceſſoria, alia ſunt obſcura ſiue ambigua, alia ſunt
manifeſta, ut ff. eo. l. ueteribus. Pactorum principalium alia ſunt inutilia pro-
pter perſonam, alia propter ætatem, alia propter ſexum, alia propter cauſam,
alia propter paciſcentis cõditionem. propter rem ut ſiquis ſtipuletur dari ſibi li-
berum corpus uel ſeruum, propter utrunꝫ ut ſi pupillus in mutui cauſa nume-
ret pecuniam alienam. Propter cauſam, aliâs propter naturam ut ſiquis ſtipule-
tur ab aliquo de corporis ludibrio, aliâs contra iura. Contra iura, aliâs contra le
ges ut contra legem Iuliam de fundo dotali, aliâs contra ſenatuſconſulta, puta
ut domus diruatur cauſa negociandi: Aliâs contra principũ reſcripta, ut de par
te litis præſtanda, aliâs contra prætorum edicta, puta ut res per metum extor-
queatur: aliâs contra Aedilitia edicta, ut pecus morboſum uendatur, aliâs con-
tra plebiſcita, puta ut munus non modicum præſidi detur. Item quædam pacta
ſunt inutilia, quædam uero turpia, ut de homicidio faciendo. Quædam non ho
neſtè interpoſita ut de hæredis inſtituendis. Quædam ſunt aliâs inutilia quia
ius eis non adſiſtit. Horum pactorum quia ius eis nõ aſſiſtit. Quædã fiunt inu-
tilia propter ſubiectam pœnam, ut ſiquis primò ſtipulatus alij, poſtea ſub pœ-
na ſtipuletur ſibi, ſi non detur illi: ualet quidem in pacto pœna, nõ ut agatur ex
ea, ſed metu ſequentis pœnæ aliquando paretur ei. Quædam ſunt inutilia, ita
ut nec pœna ſubiecta ualeat uel firmet ea Hoc fit aliâs fauore, aliâs odio. fauore
puta ſiquis pepigerit ſe ducturum uxorem aliquam, & ſubiecerit pœnam, nec
prima nec ſecunda tenet promiſſio: quia matrimonia regulariter uinculo pœnæ
aſtringi non debent. Odio, puta ſiquis ſtipuletur ab aliquo quod furtum faciat,
& ſi non fecerit ſtipuletur pœnam, certè ne una quidem ſtipulatio tenet. Licet
enim pactum teneat ne agatur de furto facto non tamen ualet ne agatur de fur-
to faciendo. item nõ ualet pactum ne agatur de dolo futuro. Sanè ne agatur de-
poſiti etiam in futurum ualet licet in ipſa uideatur id ipſum eſſe quod eſt ne aga
tur de dolo, ff. eo. l. ſi unus § illud & § pacta. Item pactorum inutilium quædam
ſunt ſuperuacua, quædam iniqua. Iniquum pactum eſt extortum dolo de non
petendo. Superuacuum eſt extortum poſtea etiam fide bona de repetendo. Suf
ficiebat enim creditori replicatio, ut ff. eo. iuriſgentium. Item pactorum inuti-
lium quædam ſunt inutilia ipſo iure, quædam per exceptionem. Item quædam
ſunt inutilia quia fiunt contra uerba legum, quædam quia fiunt cõtra mentem
eorum. Quædam ſunt inutilia ab initio ut extorta dolo, quædam ex poſtfacto,
ut priora rupta ꝑ poſteriora. Quippe in his caſibus pactũ prius ꝑ poſterius tolli
tur ipſo iure quo ad naturalẽ debitionẽ, ut ff. de ſolut. l. Stichũ: nẽpe ſi ſoluitur
poſtea quocũcꝫ errore repetitur, ut C. eo. l. creditori. Eliditur dũtaxat exceptio-
ne & replicatione: Sicut eñ pacto facto de nõ petendo remanet actio ꝗa excipi

tur,ita pacto facto de repetendo durat exceptio quia replicabitur, ut ff. eo. l. ſi unus § pactus. Ita tamen niſi quis pepigerit ſe non intentare actionem turpiſſimam, uel actionem bonæ fidei re adhuc integra. his enim caſibus tollitur actio ipſo iure per pactum, ſicut ſtipulatio per ſtipulationem, ſi hoc agatur. Item acceptilatio, quæ pactum nudum eſt (licet ſolenne) ſi utilis fuerit, ipſo iure actionẽ tollit. Hactenus de inutilibus pactis, nũc de utilibus pactis. Vtilium pactorum (ſicut dictum eſt) quædam ſunt expreſſa, quædam tacita. Quædam principalia quædam acceſſoria. Item quædam ſunt nuda, quædam induta. Nuda quædam fiunt per ſe, quædam in contractu non in continenti, ſed poſtea. per ſe facta pariunt retentionem non exceptionem, ſed actionem: niſi in dote, & cõſtitutione. In contractu etiam poſtea facta nuda pacta pariunt exceptionẽ, ſi fiunt ad eam: Sanè ſi fiunt ad actionem, poſtea (niſi ſint de ſubſtantia negotij) actionem quidem non pariunt, ſed exceptionem: etiam ſi ad id non fiant, ut ff. de contrahen. empt. l. pacta. Pacta induta modis quinq; ueſtiũtur. Rebus ut mutuum. uerbis, ut ſtipulatio. Literis, ut chirographum. Conſenſu formato in nomen ſpeciale tranſeunte, ut uenditio locatio. Sed & lege dicta in re ſua tradenda ueſtiuntur pacta ut C. eo. l. lege, non tamen omni lege: Ecce enim ſi creditor paciſcatur ut pro decem mutuis ſibi reddantur xi. uel dentur uſuræ, nihil agit. Sed & ſi data dote matrimonio copulato pàter etiam incontinenti paciſcatur ſimpliciter eam ſibi reddi nihil agit, ut infra de iur. do. l. auia & de pact. conuen. l. quamuis. Sed & ſi tibi ea, quæ pro colonis conducti prædij prorogaſti, dominus ſine ſtipulatione promiſerit conueniri non potuit, ut C. loca l. ſi tibi. Sed & ſi fundo uendito ſimplici pacto exceperis ut in eum liceat inferre mortuum nihil agis ut ff. de relig. l. quod ſi. Itẽ pactorum utilium quædam nomen habent, quædam nomine carent. Nomen habent contractus nominati, ut mutuum, uenditio, locatio, commodatum, pignus, depoſitum, mandatum, pro ſocio, ſtipulatio. Nomine carent pacta, quæ ſunt innominati cõtractus, ut do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Sed & innominata pacta ſunt ea quæ in cõtractibus fiũt. Itẽ pactorum utilium quædam fiunt ad agendum, quædam ad defendendũ. Quædam ex parte actorum, quædam ex parte reorum, quædam incontinenti, quædam poſtea. Quæ fiunt poſtea pariunt exceptionem non actionem, niſi ſint de ſubſtantia negotij, uel niſi de eis faciendis ſtipulatio præceſſit: tunc enim pacta poſtea facta etiam retro id eſt incontinenti in contractu facta æſtimantur, quia ſtipulationi ineſſe credũtur, ut C. eo. l. petens. Item pactorum utilium quædam ſunt realia, quædam ſunt perſonalia. Quædam tranſeunt, quædam non, ut C. eo. l. ex conuentione. Quædam nituntur iure ſingulari, ut pacta militum ad diſcrimen prælij pergentium: puta, ut ſuperſtites ſuccedant decedenti. Quædam nituntur iure communi. item quædam fiunt de dando, quædam de faciendo. item quædam fiunt adfirmatiuè, quædam negatiuè. item quædam in diem certam, quædam in incertam. item quædam fiunt purè, quædam ſub conditione. item conditionalium quædam incipiunt à præcedenti pactione, quædam à conditione. A pactione aliâs nuda, aliâs obligatoria. Quæ incipiunt à conditione, aliâs ab ea quæ pendet ex inſidijs fortunæ, aliâs ab ea quæ pendet ex arbitrio pſonæ. Hæc omnia pacta ſiue hæ ſtipulationes quando committantur, & quando purgentur, quando non, ex ſummula l. ſi pacto quo pœnam C. eo. tit. &c. & ex carminibus. Subdita ſi fuerit pacto ſtipulatio pœnæ &c. pleniſſimè colligere licet. Item pactorum utilium quædam pariunt actiones, quædã informãt, quædam elidunt, quædam adiuuant, quædam perimunt. Pariunt & informant iudicio meo in contractibus ſtricti iuris, ut ff. ſi cert. pet. l. lecta. quædam in contractibus bonæ fidei, ut ff. eo. l. iuriſgentium: hoc ita, ſi in continenti fiant. Amplius

plius in ſtrictis iudicijs non tantum noua actio, id eſt præſcriptis uerbis, ſed pa
riter & uetus informatur. Sed & ſiquid fuerit datum nec fiat quod conuenit, ut
id quod datum eſt repetatur, cōdictio generatur. Elidunt pacta quæ ſunt ad ex
ceptionem. Adiuuant quæ ſunt ad replicationem. perimunt actiones turpes &
ex conſenſu proficiſcentes re integra. Item pactorum utilium quædam ſunt ta-
lia quibus remittuntur iura iam competentia, quædam quibus iura competitu-
ra, & ea quæ ad utrumlibet ſe habent. Nam & ſpe futuræ perceptionis uel ſpe-
ratæ licet pacto remittere, ut ff. eo. l. pactum. Sed & conditionis incertum rectè
pacto remittitur puta fideicommiſſi perſecutio, ut C. eo. l. j. Porrò conditionali-
ter relicta uniuerſalia & ſingularia, licet pacto remittantur, non repudiantur, ut
ff. de acquir. hære. l. iiij. ut ff. de legat. ij. l. ſi ita. Quippe longè aliud eſt repudia-
re quàm pacto remittere. Nec enim propriè repudiamus niſi ea quæ iam nobis
delata ſunt, & quæ ſi uellemus ea admittere poſſemus, ut ff. de acquir. hæredi. l.
iiij. & ff. de regu. iur. l. qui poteſt. § quod quis ſe uelit. Voluntas ergo ab hærede
futuro accōmodata eſt legatario ut occupet legata ante hæreditatē aditam, cū
poſt aditionem non noceat quia fit de relictis quia adfinior extimatur repudia-
tioni quàm pactioni, ut ff. quorum legat. l. j. § quod prætor ait. Vires pactorum
(ſicut dictum eſt) ſunt quinq; pariunt actionē, pariunt exceptionem, informant
elidunt quoq; et adiuuant. Porrò etiā aliquando perimunt (ſicut iam dictum eſt)
ſed tunc pacta naturam pactorum excedunt, & ſtipulationis & acceptilationis
uires aſſumunt. Nam & (ſicut ſuperius dictum eſt) contra ſui naturam hæredita
tem transferunt, ut inter milites, ut C. eo. l. licet. Item contra ſui naturam domi-
nium transferunt, ut ſocietatis forte pactum, & ſecūdum quoſdam uenditio col
lata in locum ſacrum: aliâs enim non pactis, ſed traditionibus, & uſucapionibus
& longis præſcriptionibus, dominia transferuntur. Transferuntur inquam tra
ditionibus expreſſis & tacitis. Expreſſis ut ſi res manualiter tradatur iuſta cau-
ſa præcedente regulariter. Tacitis, ut per pacientiam, per exceptionem uſufru-
ctus, et alijs modis, quos in ſumma Inſtitutionum de rerum diuiſione fas eſt in-
uenire. Fit autem traditio corporis expreſſim (ſicut dictum eſt) aliâs re una tradi
tā ut inſtrumento tradito, ut tradatur res, aliâs puta Codex uenditus, qui conti-
netur in inſtrumento, debet intelligi. Sed & per conſequentiam dominium con
tingit transferri, ut ſiquis ſe monachum fieri arrogariúe paſſus ſit. Nam his mo-
dis, ſicut aditione, ſocietate, bonorum poſſeſſione dominia trāsferuntur. Tranſ
feruntur inquam (ſicut dictum eſt) non tamen per hominis factum, ſed per legis
imperium. Hoc enim modo tranſeunt hæreditaria legata commiſſa ad fiſcum fi
deicommiſſa illicita. Quippe ipſo iure horum dominia quæruntur, ut Inſtitut.
per quas perſo. Adhæc indagare oportet quid ſit, uel quomodo debeat intelligi
quod dicitur, ſi pactum ſit remotum à iure communi non debeat ſeruari. Profe-
cto pactum eſt remotum à iure communi, ut per contrarium intelligatur quod
eſt (ut ita dixerim) admotum publico iuri: puta ſiquis paciſcatur in læſionem iu
ris publici, id eſt ne dolus futurus præſtetur, ne tributa dentur, ſic enim paciſci
non licet. Ergo ius commune dicatur quod eſt collectiuum, quod priuatum eſt
in ſingulis id eſt quod alicui iam competit, uel cōpetiturum eſt. Et de his (ſicut
dictum eſt) paciſci licet de iure publico, imò contra ius publicum non licet, pro
iure publico paciſci fas eſt. Nam & ſiquis dixerit ſe uiolati ſepulchri non actu-
rum poſtea pœnitentia acta ante litem ab alio cōteſtatam, ſi uolet aget, ut ff. de
ſepulchro uiolat. l. ij. Amplius pactum contra leges factū nullam uim habere
dicatur, ut C. eo. l. pacta. Conſtat autē quod ædilitium edictum lex eſt, iuriſq;
prætorij portio quædam, ob id explorandum arbitror quid ſit quod legitur lice
re paciſci cōtra edictum Aedilium, ut ff. eod. l. paciſci: puta ſi is, qui emit pecus

morboſum,uícioſum ſeruum,fundum peſtiferũ,paciſcatur ne de morbo queratur,ne pro uicioſis experiatur. Idem dici poteſt de ſenatuſconſultis. Ecce enim filiofamilias accipiente mutuam pecuniam pater urgebitur contra ſenatuſconſultum ſi renunciauerit Macedoniano. Item mulier quæ interceſſit artabitur ſi dixerit non uſuram Velle iani remedio. Quid ergo dicemus ad has antinomias quomodo reſoluemus? Hæc iuris ænigmata qualiter enodabimus? quas leges inducemus,quos iuris articulos allegabimus,ut ſufficienter reſpondeamus? ꝑfectò ita reſpondendum & diſtinguendum puto. Pacta quidem prima ſiue principalia quæ fiunt contra iura prædicta,id eſt uenditio morboſorum pecorum celebrata per uenditorem etiam ignarum,numeratio numorum contra Macedonianum Senatuſcon. interceſſio mulieris omnino nullam uim habẽt:uel per exceptionem,obſtat enim exceptio. Quippe emptor morboſi pecoris precium repetet ſi pecus redhibet. Mulier quoq; iuris ignara ſi ex interceſſioneſine iudice ſolueret repetere poſſet, filiusfam.minime. Atqui pacta prima ſiueprincipalia (ſicut iam dictũ eſt)quia interdicente lege facta ſunt, inutilia ſunt , & nullã uim habent per exceptionem. Excipiunt enim ſi conueniantur pater,mulier,morboſi animalis emptor:hoc ita,niſi iuri ſibi cõpetenti renunciauerint, hæc enim pacta ſequentia ſiue ſecunda id eſt de renunciando facta,cum non interdicente iure ſed permittente ſint conſerta ualent,& omnimodam uim habent. Quamuis enim ſenatuſconſulta , & ædilium edicta inhibeant pacta prima id eſt morboſi pecoris uenditionẽ,pecuniam filiofam.creditam,mulierem intercedentem admitti non tamen prohibẽt emptorem,filiumfam.& mulierem renunciare ſuo iuri:imò licet cuiq; renunciare his quæ pro ſe ſunt introducta. Excipitur ubi conuenerit ne pignus uendatur,ne precarium ante diem præfixũ reuocetur , ne exceptio ulla in iudicio obijciatur,ut maritus in ſolidũ excutiatur, ut dos ulteriori die ſoluatur,ut ab eo q̃ poſtulare prohibitus eſt poſtuletur , ut ſeruus cõmunis contra ſocium torqueatur,ut fundo fructuario : etiam conſentiente fructuario, ſeruitus imponatur,ut pecunia non ſoluta die præfixo pignus efficiatur creditoris,ut ff. de pignoribus l.iiij.& ff.de preca.l.cum precario,et ff.ſiquis caut.l.ſed &,& ff.de pact. dotali l.de die,& ff.de poſtulan.l.quos ꝓhibet,& C. de quæſt. l.ſeruos,& ff.de uſufruct.l.ſed & ſiquid. forte utcũq; dici poteſt,quòd ideo ſcriptum eſt ualere pactum contra ædilitium edictum , quia nõ eſt principalis pars iuris id eſt una de ſeptem partibus iuris ſcripti,ſed eſt pars partis id eſt prætorij iuris. In ſumma diligenter attendendum eſt,quòd pactum quod fit de hæreditate obuentura,aliâs ualet,aliâs non ualet. Valet,ſi duo pluresúe paciſcantur de ſucceſſione tertij illo tertio conſentiente & conſenſum poſtea non reuocante, ut C.eo.l.ult. Valet quoq; inter ſocios ſi paciſcantur hæreditatem , ſiqua obuenerit,ſe communicaturos ut ff.pro ſocio.l.iij. Item ualet pactum de futura ſucceſſione liberti præſtanda emptori, eo ſcilicet in caſu cum dominus ſeruum uenditum non tradidit ſed manumiſit, ut ff.de act.empt.l. ſiquis. Sed & is qui eſt inſtitutus idemq; impuberi ſubſtitutus,ſi uendidit hæreditatem de qua fuit inſtitutus,paciſci poteſt:imò cauere debet quòd hæreditatem ſibi ex impuberis ſubſtitutione obuenientem præſtabit,ut ff. de hære. uendi.l.ij. § ij. Prædicta omnia pacta ualent quia ceſſat malitia & ſublata eſt ſpes acerbiſſima. Non ualet pactũ de futura ſucceſſione,ſi duo pluresúe paciſcãtur de ſucceſſione tertij,illo inſcio, uel conſcio ſeq; non reſiſtente,uel conſentiente,ſed non in conſenſu perſeuerante. Idem forte fiet ſi prædictis concurrentibus alter alteri non uice mutua hæreditatem tertij ſpopondit. item pactum , quod fit à patre cũ filia ut ſuccedat cum fratre ex parte æqua,uel de dote conuenta nõ habeat regreſſum ad bona paterna,non ualet:& quia fit inter patrem et filiam contra bonos mores,quia adimit

liberta-

libertatem teſtandi,& quia meritis non pactis ad obſequia paterna adſtringendi ſunt filij. Sanè iudicio meo pactum quod fit de hæreditate obuentura ualet, quippe nuncupatur de ſucceſſione futura,ſed quod fit de obuentura hæreditate non ualet:Nam & talis transpoſitio aliâs non abſimilem uarietatem inducit.Ecce enim ſi dicimus hic eſt Magiſter Petrus artis literariæ præceptorem deſignamus,ſi dicimus hic eſt Petrus Magiſter aliquando cerdonem,aliquando locorum ipſorum purgatorem ſignificamus. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd nemo ſimplici pacto ſe poteſt prægrauare,ut non liceat ſibi ſuum locum ædificare uel dedicare,ut ff.eo.l.nemo.forte ſtipulatione hoc fieri poteſt. Item & illud ſciendum eſt,quòd agnatio,filiatio,paternitas,libertas,pacto repudiari nõ poſſunt, ut ff.eo.l.ius agnationis,& C.de patria poteſt.l.abdicatio. Item & illud dicendum eſt ,quòd ſi conuenerit ne dominus à colono qd petat,colonus tamen non ideo minus petere poterit à domino,ut ff.eo.l.ſi conuenerit. Sed & illud ſciendum eſt,quòd ſi pupillus in eo eſſet ut ab hæreditate delata abſtineret, ideo tutor cum creditoribus decidit, tutor idemq́ creditor eadem parte contentus eſſe debebit in quam alios creditores prouocauit,ut ff.eo.l.cum in eo. Quippe qui negocia aliena ſuſceperit idipſum in ſe pati debet quod in alijs egit,ut ff. mand. l.ſi negocia. Adhæc & illud noſſe expedit quòd ſi creditor debenti ſibi centum dixerit,ſi mihi quinquaginta uſq́ ad dies quinquaginta dederis reſiduum tibi accepto feram:licet creditor nolit accepto ferre quinquaginta, tñ ſolutis quinquaginta infra dies quinquaginta debitor pacti uel doli utetur exceptiõe, ut ff. eod.l.ſi intra.forte ſimili ratione ſiquis cui dederit ut ſecum tranſigat, nec is qui accepit tranſigere uelit iſte qui dedit ſi conuenietur, licet non rei tranſactæ pacto doli tamen utetur exceptione.

DE TRANSACTIONIBVS. TIT. IIII.

EXplicauimus de pactis in genere,nunc audiamus in ſpecie id eſt de tranſactionibus. Vel aliter diſſeruimus de pactis gratuitis & æquis nunc loquamur de pactis non gratuitis & iniquis. Omnis enim tranſactio iniqua eſt.Et quidem iniqua eſt rei intuitu,æquiſſima eſt ratione finis & pacti. Videamus itaq́ quid ſit tranſactio,unde dicatur, qd ſit æquitas tranſactionis,quis poſſit tranſigere,quis non,& de qua re,& de qua non, quæ ſit inſpectio mixta, quæ ſit diſtinctio tranſactionum,quis ſit effectus earum. Tranſactio eſt de re dubia & lite incerta deciſio non gratuita id eſt aliquo dato uel promiſſo,ut C.eo.eo.l. tranſactio.& hoc quoq́ fit aliâs uerè,aliâs per interpretationem. Ecce enim ſi duo inſtituti & inuicem ſibi reſtituere rogati tranſegerũt, licet nihil ſibi dent, ius tamẽ interpretatur eos dare quamuis nihil detur et alterum alteri uice mutua dare. Sequitur de re dubia & incerta lite id eſt per litem aliâs cœptam, aliâs futuram. Nam & ante litem conteſtatam rite tranſigitur,ut C.eo.l.cauſas & ff.de condi. indeb.l.eleganter. Quarta dicta eſt tranſactio quaſi actionis tranſitio,ab actione enim tranſit qui tranſigit,& is qui agit propriè tranſigere dicitur: ſed & is cũ quo agitur tranſigere dicitur,ſed abuſiue,ut C.eo.l.ij. Tranſactionem ſeruari utile eſt. Si enim expedit ſeruari ſimplicem pactionẽ multo magis & tranſactionem. Sed & non dominus ut tutor curator ritè tranſigit? Nempe nullus legitimus reprobaretur,ut C.eo.l.fratris,aut quia tot lites emergerent quod terminari non poſſent, aut quia ſiquis alius eſt litium finis legitimus,& tranſactio eſt non minus litium finis legitimus. Tranſigere poteſt dominus, compos mentis maior xxv. paterfam. liberam habens adminiſtrationem. Sed & non dominus rite tranſigit ut tutor,curator,procurator ſimplex minimè, ut ff. de procurato.

l.mādato:etiā ſi ſit Cæſaris ꝓcurator,ut ff.eo.l.nulli & C.eo.l.præſes. Trāſigere licet de ſtatu ꝑſonæ,& primitiùe de ſeruiture,accidentaliter ut de emācipatione,de ſpecie,de quātitate,de priuato crimine,de publico crimine,qđ pœnā ſanguinis ingerit:præterquam de adulterio propter caſtitatis priuilegia ; de publico crimine quod pœnam non adimit minimè ; præterquam de falſo inſtrumento,quod quidem crimen quandoꝗ publicum eſt,nec uitam adimit,ut falſi teſtamenti,quandoꝗ adimit ut falſæ monetæ.Item de alimentis futuris ſine prætore tranſigere nō licet,ut C.eo.l.de alimentis:niſi longe meliorem alimentarius obſequioris uitæ ſuam reddiderit conditionem.Item de re iudicata tranſactio facta nō ualet,ſi tamen ceſſet eſſe iudicatum.& ſi negetur,ualebit,ut ff.eo.l.poſt. Idem ſi ignorari poteſt.Idem ſi ſit appellatum uel appellari poſſit,ut ff.eod.l.& poſt.Idem ſi reſtitutionis cauſa pendeat ut C.eod.l.ſi cauſa.Sed nec de controuerſijs quæ ex teſtamento pendent tranſigi poteſt,niſi inſpectis cognitisꝗ uerbis teſtamēti,ut ff.eo.l.de his.poſſunt em̄ uerba eſſe inſpecta uel cognita, & tamem lis mouetur,& præſtatio denegatur. Quid ergo ſi poſt rem pro certo iudicatam fuerit tranſactum,& quidem nihil agitur quoad hoc ut ſine cauſa perimatur,ſed ſiquid fuerit datum extenuabit iudicatum ut ff.eo.l.& poſt.Porrò iudicio meo poſt tranſactionem,& poſt iudicationē , & poſt acceptilationem lis ſopita cum pacto poterit reſtaurari,ut C.eo.l.ſi diuerſa.Mixta inſpectio ſeruatur meo iudicio,quia licet res talis ſit,de qua tranſigi poteſt,& perſona ſit talis quæ tranſigere poteſt,non tamen ea perſona de re filiorum emancipatorum ad eorū incommodum tranſigere poteſt,ut ff.eo.l.de re filiorum.Sed nec tranſactio matris non tutricis filijs præiudicabit,ut C.eo.l.tranſactione.ſed nec procuratoris ſimplicis,ſicut ſuperius dictum eſt.Tranſactio aliâs celebratur bona fide, aliâs dolo:in fide bona niſi fiat quod conuenit,exceptio cum effectu obſtabit , & replicatio locum non habebit.Si non ſeruetur à tranſigente quod conuenit,ſi prima actio uiuit,inſtaurabitur,& per replicationem adiuuabitur : ſi acceptilatum eſt de dolo agitur,niſi & de dolo tranſactum ſit,ſine dolo tamen: Sicut enim de re facta tranſactio dolo,non ualet,ita nec de dolo per dolū iudicio meo,ut ff.de condit.inde l.eleganter.Si dolo fuerit extorta tranſactio & ſine acceptilatione, ſi excipitur,perpetuò de dolo replicabitur : licet non niſi infra biennium contra doloſum de dolo agatur,ualebit ergo tranſactio facta de quo debet,& à quo debet,& ſicut debet,& cui debet.Item tranſactio alia eſt ſpecialis,ut C.eo.l.age, alia generalis,ut C.eod.l.ſub prætextu.Item tranſactio alia innititur ſolo conſenſu partium,alia innitur conſenſu & partium,& amicorum,& iudicum.Item tanſactio fit aliâs generalibus uerbis & eſt generalis ut C.eo.l.ſub prætextu,aliâs fit generalibus uerbis & eſt ſpecialis:ſiquis enim de ſpecie certa uel quantitate egerit & tranſegerit,ſeꝗ nihil amplius petiturum ſcripſerit , licet generalia uerba profuderit,non tamen eo minus de alijs poterit agere , ſubauditur enim eo nomine,ut C.eod.l.ſi de certa,& C. de ſolut.inquiſitio,& ff.de pact.dota.l.ij.Item tranſactio alia ſimplex,alia duplex. Simplex eſt illa quando alter tranſigit,alter eſt is cui tranſigitur,alter accipit,alter tribuit.Duplex eſt quādo uterꝗ tranſigit,& uterꝗ eſt is cui tranſigitur,uterꝗ accipit,uterꝗ tribuit , ut C.eod.l.ſi ſuper.Item tranſactio aliâs recipit conditionem tacitam,ueluti ſiquis auunculo puta tranſegit,eo in corde concepto qui ab eo hæres inſtituet,licet enim non inſtituatur tranſactio non irritatur,ut C.eo.l.ſi maior.Idem foret hoc in caſu iudicio meo ſi conditionem expreſſiſſet,aliâs ſecus,ut C.de condict.ob cauſam l.ſi repetendi et ff.de condict.ob cau.l.iij.Cōditionem tacitam recipit tranſactio, puta ſiquis ex falſis inſtrumentis tranſegit ineſt enim cōditio tacita ſi inſtrumenta ſint uera,ut C.eo.l.ſi ex falſis.Idem puto ſi ex falſis inſtrumentis iuramento

à iudice

à iudice delato, ſecus exiſtimo ſi metu iuramẽti à me delati alicui tranſegi, puta ſi is cui detuli iuramentum admiſit & iurare uoluit. Reſcinditur autẽ tranſactio prædicta per tranſigentem, non per eum cui tranſigitur. Eſſet enim abſurdum ſi is cui tranſigitur audiretur quod falſum inſtrumẽtum adduxerit. auditur etiam is qui tranſegit etiamſi iurauit, ſimilis conditio tacita ſubintelligitur, ut C. de nõ nume. pecu. l. ult. & ff. loca. l. quæro. Legitimæ tranſactionis effectus hic eſt, ut ei qui conuenitur exceptionem pariat, ſi pacto paret, ſicq; conuenit, quod ſi nihil tale conuenit, exceptio ei, non tamen repetio eorum quæ dedit, competit, ut C. eo. l. cum proponas hoc ita ſi tranſactum eſt forte etiam idem eſt ſi non tranſigigatur. Sed & præſcriptis uerbis is cui tranſigendũ fuerat agere poterit (iudicio meo) ſi ei non tranſigatur. Porrò ſi is cui tranſigitur pacto non pareat, diſtinguitur utrum re actio uiuat, aut extincta ſit. de dolo agitur (ſicut iam dictum eſt) ſi tamen nec biennium exceſſit, nec dolo tranſactum ſit. Si uiuit ad eam reditur, ſed ſi excipiatur, de dolo uel infactum replicatur, ut aduerſarius ad obſequium placitorum urgeatur, ut Codicis eodem. l. ſiue. Hoc ita, ſi actio uiuit in tali uita, ſi enim ſpirat præſcriptis uerbis agitur non de dolo, non priſtina. Ecce enim ſi pro fundo quem petebas, prædium tranſactionis cauſa traditum fuerit euictum, non de dolo agitur, quia prior de rigore competit: non priſtina, quia cum effectu obſtat exceptio, nec competit replicatio. Cumq; nec de dolo, nec priſtina agi poſſit, conſtatq; quia ob euictionem agi debeat, in ſubſidiũ præſcriptis uerbis agitur, pro prædio, inquam, non de quo tranſigitur. Sufficit ſi is qui trãſigit deſtituit, nec enim titulũ præbet ei cui tranſigitur, ſed is cui tranſigitur præbet ei cui tranſigit. Sed & quod dicitur conuenit prædium dari, oportet intelligere tradi. Nam cum uenditor non teneatur, ut rem accipientis faciat, multo minus is cui tranſigitur, ad id teneri debebit. Sed nec obſtat quod conuenit dari prædium liberum, eſt enim uerbum liberum principis non paciſcentis, ut C. eo. l. cum proponas. Item ſi mater exhæredata tranſegit, nec accepit & deceſſit, querelam niſi fuerit præparata etiam ad filium non tranſmittit. in patre ſecus eſt hodie. Sed ſi fuerit conteſtata, ab hærede non inſtauratur, ſi fuerit remiſſa à matre: licet enim mater ſi uiueret querelam poſſet repetere, filius tamẽ non ualet id efficere, ſed nec de dolo hoc in caſu filijs datur, quia nec iure ꝓprio, nec hæreditario. Item nec ad querelam rediri poteſt, uel quia pacto ipſo iure ſpeciali ratione querela tollitur, quo ad hæredem, licet nõ quo ad matrem. Vel ſi non tollitur propter odium tanquam ſublata cenſetur. Cum ergo nec prior, nec de dolo competit, conſtatq; quia aliqua competere debet præſcriptis uerbis actio datur, ubi ſtipulatio non interceſſit, ut C. eo. l. cum mota. Forte etiam præſcriptis uerbis actio naſcitur, ut C. eod. l. ſi pro fundo iure ſpeciali, ſiue caſualiter, uel (quod melius puto) non naſcitur ſed datur. Ait enim Imperator in l. cũ mota danda eſt, & in l. ſi pro fundo actione ciuili ſubdita. Nec enim ex tranſactiõis pacto naſci poteſt actio, ut C. eo. l. ſiue & C. de pact. l. cum proponas. Ideo aũt non naſcitur ex tranſactione actio, quia licet tranſactio rigore inſpecto uideatur facio ut des, ex tali tamen facio ut des, ut ita dixerim actio non oritur: uel quia in tranſactione nec adeſt nec abeſt, uel ſi adeſt & abeſt, incertum eſt quid abſit uel qd adſit, uel (quod melius puto) magis propriè dici poteſt non facio ut des, quàm facio ut des. Nec enim qui tranſigit facit id eſt deſiſtit. Quod autem dicitur ex tranſactione actio non naſcitur tranſigenti, ſic intelligitur, quia uel primã uel de doli nouam actionem habet. Porrò ei cui tranſigitur non tamen competit exceptio, ſed condictio datur, ſi tranſactioni factæ non ſtatur, ſed ſi poſt dationem non tranſigitur, danti præſcriptis uerbis (ſicut ſuperius dictum eſt) actio datur. nec moueat quia datio utpote ob cauſam facta actionem parit tranſigen-

ti, ceſſatio minimè. Eſt enim fortior datio quàm nuda pactio, id eſt tranſactio. Item nec obſtat quod dicitur in tranſactione duos contractus notari poſſe do ut facias, facio ut des, & primum actionem parere, ſecundum minimè. Item nec illud moueat quod C. eo. l. cum te, tranſactio contractus appellatur, nec eñ propriè contractus eſt: licet duos uideatur in ſe continere contractus, nec propriè quaſi contractus eſt, imò nuda pactio. licet notabile & mirabile uideatur continere in ſe contractum geminum; quorum primus (ut iam dictum eſt) actionem parit, alter minimè. Inde eſt quod mirabuntur ut tranſactio dicatur nudum pactum. Quippe (ſicut dictum eſt) tranſigere impropriè dicitur qui tranſigit nō is cui tranſigitur. Tranſactio inquam (ut dictum eſt) cum ſit nudum pactum neq; contractus eſt, neq; quaſi contractus: imò, ut certiorem rationem ſequamur, magis propriè diſtractus eſt, nec eñ qui tranſigit diſſimilis eſt ei qui ſoluit. In ſumma notandum eſt, quòd tranſactio tenet, etiam ſi non Aquiliana ſtipulatio, ſed ſimplex pactio interceſſit, ut ff. eo. l. ij. Sed & ubi Aquiliana interponitur lites in ſuo ſtatu remanent, de quibus non eſt cognitum cogitatumúe. Liberalitatem enim captioſam interpretatio prudentiam fregit, ut ff. eo. l. v. Item ſiquis ignorans ea quæ in teſtamento erant tranſegerit nō tam paciſcitur quàm decipitur, ut ff. eo. l. iiij. §. j. Itē tranſactio, quæ de alimentis certis, & profectò in futurum debitis interponitur, etiam prætore autore, impropriè tranſactio dicit̃, ſed æqui uocè tranſactio id eſt finis ſiue refutatio nuncupatur. Similis eſt de fideicommiſſo uiciſſim relicto facta tranſactio, ut C. eo. l. de fideicommiſſo. Item & illud notandum eſt, quòd tranſactio facta de hominis conditione, & maxime pro libertate ualet, ut C. eo. l. ult. Item & illud ſciendum eſt, quòd ſiquis cōtra tranſactionem per principem iuratam uenerit ipſo iure infamis erit, ut C. eo. l. ſiquis Amplius ſciendum eſt, quòd ſi tranſigenti non fiat, uel detur quod conuenit, ad primam actionem acceptolatam non reditur, ſed excipitur de dolo, uel in factum replicabitur: ſicq; aduerſarius ad obſequium etiam nudo pacto promiſſorum urgebitur metu actionis priſtinæ, uerum (iudicio meo) aduerſarius poterit duplicare, ſi uelit, & adhuc idem conuenit facere, maximè cum nihil agentis interſit, etiam ante litem conteſtatam. Sed nec amplius tranſigens petere poterit uel debebit, etiamſi ſibi dari placita repræſentata necdum probentur, nec offerantur, ut C. eo. l. ſi maior. Amplius in ſumma ſciendum eſt, quòd tranſactio non minorem autoritatem habet quàm res iudicata, ut C. eo. l. non minorem. hoc quantum ad exceptionem. Item minorem habet autoritatem quia nō parit actionem niſi ſecundum quoſdam in l. commodati & in l. ſi pro fundo. Sed & maiorem id eſt multipliciorem autoritatem habet tranſactio quàm iudicatio. Quippe quando interponitur ex conſenſu partium & iudicantium, iudicatio nullius conſenſum exigit niſi iudicantium. Sed & propriè maiorem autoritatem habet. Ecce enim miles licet poſſit excipere poſt iudicationem ante ſolutionem, non tamen poterit (iudicio meo) poſt tranſactionem. Sed & ſecundum quoſdam ſub prætextu ſpecierum poſtea repertarum inſtauratur iudicatio, & non tranſactio. Sed & per errorem calculi lata ſentētia quandoq; reſcinditur, tranſactio minimè.

DE ERRORE CALCVLI. TIT. V.

Fit ſæpe ut tranſactio fiat per errorem calculi & ideo de errore calculi loquamur. De errore calculi ita debet intelligi, id eſt de tranſactione quæ fit per errorem calculi, id eſt computationis poſito eo per quod fit, pro eo quod fit ut apud Perſium.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

Quod

Quod inquam lapillus per.contrarium uocatur calculus quia nō impune calcatur. Sed & cauſæ examinatio calculus appellatur, ut C. de iudit. l. rem non nouam. Item ſententia definitiua calculus nuncupatur, id eſt quia per eam lis calcatur id eſt terminatur, ut C. de appell. l. ſi actor. Et quidem errore calculi reuelato falſitas exulabit, ueritas præualebit: niſi tranſactio interceſſerit, uel iudicio contineatur expreſſim. Tunc enim ſententia adeo nulla eſt quòd non eſt opus ut reſcindatur, nec eſt opus appellatione, ut per appellationem infringatur. Sanè ſi iudex errorem non expreſſerit, ſed duntaxat in corde conceperit & ſic pronunciauerit ſentētia tenebit. Ecce enim ſiquis in corde ſuo putauerit quod xxv. & quinquaginta faciunt centum, ideoq; dixerit, Luti Titi condemno te in centum ſententia tenet, ſi uero expreſſerit & dixerit, quia depræhendo te ex hac ſpecie debere xxv. ex alia quinquaginta, ideo cōdemno te in centum ſententia nulla eſt. Nam & ſi iudex dixerit cenſeo hunc potuiſſe teſtari licet hic impubes fuerit ſententia ualet. Quippe nomen impuberis expreſſum non eſt, ſi uero fuerit expreſſum, puta ſi iudex dixerit, Cenſeo hunc impuberem teſtari potuiſſe ſententia prorſus nulla eſt, ut ff. quando ſent. l. j.

DE POSTVLANDO. TIT. VI.

HAbito tractatu de edendo incidenter de pactis et tranſactiōibus Imperator ad materiam ſuam inſeruit. Cum ergo de edendo & in ius uocando diximus, de poſtulando adnectamus. Quippe poſtulationibus opus eſt, ut iudicia uentilētur, iurgia diſcutiantur. Videamus itaq; quid ſit poſtulare, & qui non poſſint poſtulare, ut ſic per conſequentiā intelligamus, qui ſint illi qui poſtulare ualeant. Poſtulare eſt deſideriū ſuum uel amici, in iure apud eū qui iuriſdictioni præeſt exponere. Hoc fit agendo ſiue intendendo, uel deſiderio alterius contradicendo, uel excipiendo uel negando. A poſtulando remouentur quidam, aliâs ſententia, aliâs iure. Sententia aliâs ad tempus, aliâs in perpetuum. Ad tempus prohibitus poſtea poſtulabit, perpetuo poſtulare prohibitus, non, ut C. eo. l. j. Et quidem indiſtinctè prohibitus apud neminem poſtulabit ſuperſtite prohibente, ſi uero apud ſe prohibitus fuerit, apud alium & prohibētis ſucceſſorem poterit poſtulare, ut ff. eo. l. puto. Iure prohibetur quis, aliâs iure principum, aliâs iure interpretum, aliâs iure prætorio. Iure principum remouentur litium redemptores, & qui non ſunt catholici, ut C. eo. l. ſiqui, & l. nemo. Iure interpretum remouentur qui ſunt iudicaturi uel arbitraturi ut C. eo. l. quiſquis & ff. eo. l. j. Sed & qui adſident non poſtulabunt ut ff. de aſſeſſo. l. nemo. Iure prætorio tripliciter. Quippe alij in totum repelluntur, alij pro ſe tantum permittuntur, alij pro ſe & pro certis alijs perſonis poſtulant. In totum repelluntur prorſus ſurdi & minores xvij. annis, niſi procedant in publicum cauſam abſentiæ allegando, non cauſām cauſæ reddendo, ut C. de procurat. l. exigendi & ff. eo. l. ſeruū. Sed & in ætate prætextata, aut Paulo maiore, fertur Nerua filius publicè de iure reſpondiſſe. Pro ſe tantum permittuntur cæci, & muliebria in corpore ſuo paſſi, & qui aliā maximā turpitudinem contraxerunt. Et pro ſe & pro certis perſonis poſtulant mulieres, interdū etiam qui ex leniore cauſa efficiuntur infames. In ſumma notandum eſt, quòd etiam liberti & maximè literis eruditi poſtulare poſſunt, ut C. eo. l. ij. Item & illud ſciendum eſt, quòd de exilio reuerſus ritè poſtulat, nec adhibetur diſtinctio quo crimine ſilentium uel exilium ſit irrogatum, ne cui ſcilicet pœna tempore determinata contra fidem ſententiæ ulterius porrigatur, ut ff. eo. l. Imperator. Hoc ita intelligo, ſi crimen ſit leuius nec importet infamiam, ut infrà poteſt intelligi.

quia licet ſit infamis pro ſe non poſtulabit, & pro certis perſonis. Item eos quos prætor apud ſe poſtulare prohibet, etiam ſi aduerſarius eos poſtulare paciatur, omni modo prohibet, ut ff. eo. l. quos. Item illud notandum eſt, quod ex cauſa ꝓhibitus pro alio poſtulare, poteſt ex ea quæ infamiã non irrogat, ideoq; ius poſtulandi pro omnibus non aufertur, in ea tamen prouincia pro alijs nõ recte poſtulat in qua præſes fuit qui ſententiam dixit. in alia uero non prohibetur licet eiuſdem nominis ſit ut Miſia & Germania.

DE ADVOCATIS DIVERSORVM IVDICIORVM. TIT. VII.

AVdiuimus de poſtulationibus in genere, nunc audiamus per ſingulas ſpecies, id eſt de aduocatione & procuratione. Verum quia dignior eſt condicio aduocatorum, de aduocatis primo dicamus. Videamus itaq; qui dicantur aduocati, & quot nominibus nuncupentur, & quid debeant agere ut honorentur, & quid debeant omittere ne puniantur. Aduocati ſunt omnes omnino qui cauſis agendis quoquo ſtudio operantur, ut ff. de uarijs cognit. l. j. Aduocat quis interdum pro ſe, interdum pro alio, interdum de iure tantum, interdum de facto tantum, interdum de utroq;, interdum allegãdo cauſam cauſæ, interdum allegando cauſam abſentiæ. Hi dicuntur non tantum aduocati, ſed & rogati, & cauſarum patroni, & milites, inermi militia ideſt literatoria militantes. Militant nanq; patroni cauſarum, qui glorioſæ uocis confiſi munimine laborantium uitam, ne amittant quod habent, & ut acquirant quod nondũ habent, poſterosq; defendunt, ne plectãtur, ne infamentur, ne in ſeruitutem detrudantur, ut C. eo. l. aduocati. Et temperare debent ab iniuria, nullam cum cliente ſuo cõferant pactionem, ex induſtria nõ protrahant iurgium: honori ſuo non putent eſſe detractum ſi ius non habeant ſedendi, cum neceſſitatem elegerint ſtandi. Item de parte litis paciſci non debent, ſed neq; de ſalario immoderato, id eſt quod excedit centum aureos in cauſis ſingulis: Hoc enim ſalarium & non amplius, aduocato de iure promittatur pro facundia aduocati, pro magnitudine iudicij pro conſuetudine fori, ut ff. de uar. cognit. l. j. & C. de poſtul. l. ſiqui. Item gaudeant aduocati quia quidquid quæſierunt ex ſua profeſſiõe ultra peculium caſtrenſe habebunt, & poſt patris obitum præcipuum uindicabunt, & de eo teſtari poterũt etiam uiuente patre communi tamen iure, ut C. eo. l. fori. Caueant tamen aduocati in matricula ſcripti ne contra rempub. à qua aluntur aduocationem exerceant. Excipitur niſi fiant tutores curatoresúe, tunc enim etiam ſi aduocauerint ꝓ repub. contra deceſſorem minoris uel in minorem, poſtea tamen uerſa uice contra rempub. etiã in eadem cauſa pro minore poterunt aduocare, ut ff. de poſtul. l. puto & l. ult. Item caueant aduocati ne præuaricentur. Nempe probato crimine, & extra ordinem puniuntur. & iterato quæritur de cauſa etiam poſt ſententiam. forte & poſt ſolutionem adinſtar corruptorum teſtium & falſorum inſtrumentorum ab iudice delatorum & iuramentorum. In ſumma notandum eſt, ꝙ uelamento abſentiæ patroni cauſæ ex ordine finita cauſa non inſtauratur, ut C. de poſtul. l. uelamento. Item ſicut iam dictũ eſt, in eodem negocio nemo debet eſſe aduocatus, iudex, adſeſſorúe ex ordine, ut C. de poſtulan. l. quiſquis.

DE ADVOCATIS DIVERSORVM IVDICVM. TIT. VIII.

SVpra de aduocatis diuerſorum iudiciorum diximus, nunc audiamus de aduocatis diuerſorum iudicum. Inter hũc titulum & ſuperiorem diſtinguitur, quia

quia in ſuperiori agitur de aduocatis inſcriptis in matricula, ſub hoc titulo agitur de his qui non ſunt ſcripti in matricula, uel aliter, Suprà de aduocatorum officio, hic de eorum priuilegio. Aduocatorum officium laudabile, & uitæ hominum neceſſarium, maximè principalibus præmijs oportet remunerari, ut C. eodem l. laudabile. Item eo priuilegio gaudent aduocati ut eis nulla inſpectio, nulla ingeratur peræquatio, nulla operis inſtructio, nulla diſcuſſio, nullum imponatur ratiocinium, nullum deniq; eis aliud mandetur, præter arbitrium in eodem duntaxat loco, ubi aduocationis exercent officium, ut Cod. de aduocatis diuerſorum iudiciorum l. vj.

DE ADVOCATIS FISCI. TIT. IX.

SVprà de aduocatis generaliter, nunc de aduocatis fiſci uideamus. habet fiſcus aduocatum perpetuum, habet ad tempus id eſt accidentaliter & aſſumptiue, non ſubſtancialiter. Aduocati fiſci perpetuo abſentes ſingulari iure contra fiſcum ſententia lata non tenet, ut C. eo. l. ult. & C. ſi aduerſ. fiſc. l. ij. & ff. de iur. fiſ. l. fiſcus. Caueat tamen fiſci aduocatus ne fiſcalia cõmoda occultet, ne'ue priuatos calumnioſe inquietet. Item caueat ne in cauſa fiſci quamuis ſalarium nondum percepit, contra fiſcum patronumúe præſtet, ut C. eo. l. j. forte per contrarium intellectum non percepto ſalario aduocabit contra priuatum, uel ne, id quod iniquum eſt, ſtatuatur maximè ſubauditur. In ſumma notandũ eſt, quòd etiam aduerſus fiſcum, is qui non eſt aduocatus fiſci, exhibebit ſi uolet patrocinium, dum eam, ſcilicet cauſam quam cum fiſci aduocatus uel accidentaliter fuerat, tractauit, ſuſcipere declinet: excepto (quod ſuperius diximus) id eſt niſi tutor curatorúe ei, contra quem aduocauit, poſtea fuerit conſtitutus.

DE ERRORE ADVOCATORVM, ET LIBELLOS SEV PRECES CONCIPIENTIVM. TIT. X.

ERrant ſæpe aduocati, etiam ſcriptores libellorum ſententiarum & precum ſcriptores, id eſt conuentionalium libellorum. Et certe ſi aduocati errauerunt in facto, narrando, confitendo, iudicando his præſentibus quorum cauſæ aguntur, perinde dominis præiudiciũ irrogabitur ac ſi ab ipſis dominis litium proferatur: licet & in præiudicio diſtinguatur, & in erroris quoq; correctione diſtinguitur. Ecce enim proprium errorem litigator uſq; ad ſententiam corrigere poterit, ut C. de iur. ignoran. l. error. Error aduocati nõ niſi infra triduum corrigitur nec aliud iudicio meo diſſimulari uel dici poteſt, ut C. eo. l. ult. Nam & alijs pactum quod quis fecit de ſucceſſione danda ſibi, prorſus eſt nullum. Si tamen alijs paciſcentibus de ſua conſenſerit ſucceſſione, & in cõſenſu uſq; ad mortem perſeuerauerit, pactũ ualebit. Errores ſcribentium preces, ſententiasúe nõ præiudicant. Quippe ſi probabitur aliud fuiſſe ſententiatum quàm inueniatur ſcriptum, ſcripto non irrogabitur præiudicium. In ſumma notandum eſt, obſtare non debere quod C. eo. l. ij. legitur, probari poſſe condemnationem non interceſſiſſe, ſubaudiri enim debet, ſicut ſcriptura perhibet, ac ſi apertè diceretur ſed interceſſit aliter, ergo non eſt abſurdum, ſed condemnatus probare debet, quia non ſimpliciter negat, ſed & aliquid adfirmat.

VT QVAE DESVNT ADVOCATIS PARTIVM, IVDEX SVPPLEAT. TIT. XI.

EXpoſuimus quid iuris ſit,ſi aduocati malè dicũt,ideſt in facto errant,nunc audiamus quid iuris ſit,ſi minus allegant,inquiunt,quidam iudex ſupplebit de facto tantum,alij de iure tantum. Ergo de utroq;, nempe etiam eremoditio contracto iudex pro abſente debet allegare & eius partes implere, ut C.de appellat.l.ult.& de tempore appellat.l.ij. Idem exiſtimo iudicem facere debere,quando mortuus accuſatur:Nam & abſentis litigatoris uel mortui abſentia,dei repletur præſentia. Cũ em̃ iudex iudicat quid aliud credi debet quàm deum iudicare?in Euãgelijs coram poſitis præſentem. Item ſi litigatores minus dixerint iudex ſupplere debet ut C.eo. Supplere inquam debet antequam ſententiam dicat,ut poſtmodum legibus & æquitati conuenientem ſententiã promat. Porrò poſt Sententiam aliquãdo ſupplet ut de fructibus. Sanè in quæſtionibus criminum iudex inquirere debet generaliter,quis homicidium fecerit,nõ ſpecialiter id eſt an Titius perpetrauerit.primum enim eſt inquirentis,alterum ſuggerentis,ut ff.de qũæſtio.l.j.In ſumma notandũ eſt, quòd non obſtat quod ff.de ædilit edict. l.j.ædilit legitur,id quod ante iudicium factum eſt ad iudicis officium non ualde pertinere, licet enim non ualde pertinet tamen utcunq;,id eſt ut ſupplere poſſit.

DE CAVSIS, EX QVIBVS INFAMIA IRROGATVR. TIT. XII.

A poſtulando de quo dictum eſt remouentur infames quandoq;,ideoq; de cauſis ex quibus infamia irrogatur audiamus.Infamis eſt qui fama caret. Ea propter quid ſit fama,quidq; infamia,& ex quibus cauſis irrogetur exponamus.Fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus moribus & legibus comprobatus, & in nullo diminutus.Idem eſt exiſtimatio,& opinio. Conſignificant enim hæc tria uocabula ut enſis,mucro, gladius,illæſæ dignitatis, id eſt humanæ naturæ. Quippe dignior eſt homo omni creatura cum etiam ei ſeruiat, ſed & angelica natura:Nam & angelus hominis ſeruitio deputatus eſt,ſicut in diuinis legitur. Sed & ex eo exiſtimatur homo dignior,quòd omnis creaturæ proprietates in ſe admittit. Cum inanimatis commune habet,ſcilicet cum hærbis & arboribus ut uiuat,cum brutis ut ſentiat, cum angelis ut diſcernat & mente cõtempletur cæleſtia,unde Ouidius j. transformationum.

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit,cœlumq; uidere
Iuſſit & erectos ad cœlum tollere uultus.

Et apud Virgilium,Cœleſtis uigor illis eſt. Huius,inquam, ſtatus meritò qui fama eſt,ſi fuerit in homine integer poterit quilibet de iure iudicare poſtulare. Corrumpitur autem fama aliàs prorſus,ut cum libertas amittitur,aliàs non minuitur,ut cum circa ſtatum quis plectitur,ut ff.de extraord. cognit. Sciendum hic quòd infamia eſt conſumptio,uel abſumptio,uel priuatio famæ,aliàs eſt diminutio uel detrimentum famæ. Irrogatur infamia aliàs per ſententiam, aliàs ipſo iure,ſiue ipſo facto.Per ſententiam aliàs per quaſi ſententiam, aliàs per ueram ſententiam.per quaſi ſententiam,puta ſi cui primum fuſtibus cæſo,ꝑ preconem ἐσυκοφάντησας dicatur,opus eſt utroq;,& uocibus & ictibus,ut C.eo.l. fuſtibus.per ueram ſententiam,aliàs ex genere pœnæ,aliàs non inſpecto genere pœnæ.per ſententiam ex genere pœnæ infamis redditur, ab ordine motus, relegatus,fuſtibus cæſus. Ex criminibus tamen quæ nõ important infamiam. pœna aucta minutaúe remittit infamiam,ut C.eo.l.iij.& iiij.& ff.de decur.l.ad tempus.Non enim in omni crimine ſententia infamat,ut ff.de publ.iud.l. infamem.

mem. Ex importantibus infamiam aucta mitigat, mitigata non remittit. In pecuniaria autem pœna ſecus eſt. Nam ea ſi fuerit aucta auget infamiam, ut ff. eo. Quid ergo ſi ſit diminuta quid eſſe debeat? non legitur. per ſententiam iudicis, inquam, non arbitri. nam inſpecto genere pœnæ ſcilicet corporalis irrogat infamiam: puta ſiquis cõdemnatus eſt de furto, iniuria, ui bono. rapto. ſimilibusúe. Idem in cõtractibus quibuſdam. In criminibus tamen quibuſdam diſtinguitur. quòd ſi aucta ſit pœna remittitur infamia, ſi mitigata augetur ut ff. de decur. l. ad tempus, & ff. ad municipa. l. ordine. Sed in criminibus ex pacto, & præter ſententiam infamatur quis, puta ſiquis numerauit numum pro mala cõſcientia ex tranſactione, uel ſe numeraturum pepigit notandus erit, ſecus ſi iuſſu prætoris pretium dederit, uel aliâs precibus ſuis, uel ſuorũ ueniam meruit: multo minus notatus erit, qui iureiurando ſibi delato & præſtito innocentiam approbauerit, ut ff. eo. l. furti § pactus & C. eo. l. nõ damnatos. Ad hæc per confeſſionẽ, infamia in criminibus irrogatur, ut ff. eo. l. quoniam. In contractibus tamen ex pactione confeſſioneúe nequaquam, ſed duntaxat ſententia. Quippe non tam turpis eſt in cõtractibus pactio uel confeſſio, ut in criminibus, ut ff. eo. l. in actionibus. Condemnatus autem ſiue de delictis, ſiue de negotio, ita demũ infamatur, ſi & ſuò nomine condemnatur: Nam ſi per procuratorem litigaſti, & procurator condemnatus eſt, procurator non notabitur, quia nõ ſuo noĩe condemnatus eſt, ſed nec tu notaberis q̃a nullo modo condemnatus fueris, ſi ab initio cauſam per procuratorem agitaueris, ut ff. eo. l. furti. § ſiquis alieno. præterea ſciendum eſt, quòd non ſatis eſt, quòd quis fuerit condemnatus actiõe ex cõtractu, uel quaſi, ut tutelæ: niſi fuerit condemnatus directa, non contraria. Item contrarius ſiquidem non de perfidia agitur, ſed de calculo. Excipitur mandati contraria, fortaſſis nec ipſa, niſi in caſu. Nam ſi pro te fideiuſſi & ſolui, mandati ſi te cõdemnauero, famoſum facio, ut ff. eo. l. furti. Illud autem ſciendum eſt, quòd nõ omnis actio directa ex contractu, uel quaſi, infamiam irrogat, ut empti, uendi-ti, locati, conducti, & condictio quælibet. Reſtat ut uideamus quando ipſo facto quis reddatur infamis cum ipſum factum, ſcilicet per ſe & ſolum non expectata pactione confeſſioneúe infamat. Quippe ſæpe lex non ſententia notat, ut ff. de ritu nupt. l. palam. Ecce enim mulier depræhenſa in adulterio fit infamis, etiam non condemnata, pacta, confeſſaúe. Secus forſitan in uiro. Nam & aliâs mulier ſi infra annum nubat fit infamis, non uir. Sponſalia autem nec fœminæ contrahere intra annum prohibentur ut ff. eo. l. de nuptijs & l. illud. Sanè mulier ſi infra annum peperit, cum uirum elugendum non haberet, uel ſi à Cæſare impetrauerit poterit nubere. ſed & notandũ eſt, quòd ſi mulier uidua filiafam. & uir filiusfam. iuſſu eorum, quorum in poteſtate fuerint nuptias cõtraxerint, non ipſi, ſed eorum parentes infamabuntur. Adhæc uir qui eodẽ tempore duas uxores habuit ipſo facto infamatur: licet poſterior ſit uxor tantum de facto, nõ enim effectus ſed adfectus hoc caſu punitur, ut ff. de adult. Sed & ignominioſè dimiſſus, & qui in ſcænam prodijt. Ludicri certaminis cauſa, & ſi nõ luſerit etiã ſine mercede. Sed & qui deſcendit in arenam pugnaturus, licet nõ pugnauerit, non ob uirtutem, ſed mercedem, ſed & qui exegerit uſuram uſurarum. Et qui uenit cõtra tranſactionem iuratam. Mulier quoq; quæ adſumpta tutela contra ſacramentum ſecundò nupſerit. Et ſi mas in mulierem, uel mulier in uirum flagitioſè nupſerit. Item ipſo iure ſiue ipſo facto mulier infamatur quæ mortuo uel repudiato marito infra annum nupſerit, cum uir irracionabiliter eam abijciens ſuccubuerit pœnis ut authen. de nupt. Item idem fiet ſi mulier iniuſtè diuertens infra quinquennium nupſerit, ut C. de repu. l. conſenſu. forte idem in uiro. Idẽ erit ſi milites fundos alienos cõduxerint, ut C. locat. l. ult. Idem fiet ſi ſenatores

uel præfecti ſummi uiri matrimonium contraxerint cum muliere ſcænica, ut C. de natura. li. l. j. Idem fiet ſiquis uel ſiqua mancipia quæſtuaria ob cauponam exercendam habuit, multo fortius filias ſuas ſiquis proſtituerit, ut ff. eo. l. furti. In ſumma notandum eſt, quòd condemnatus furti actione fit infamis, non furtiua condictione: hoc ſi furtum fecerit uel feciſſe iudicatus erit. Sententia enim ueritati præiudicat, imò & mutilat, nec obſtat quod dicitur C. eo. l. ſi furti, cum apud quem res furtiua comperta eſt non infamari, intelligo enim quod ibi fuerit conuentio facta per rei uindicationem, uel per actionem furti concepti, non per actionem furti. Nec enim præſes prouinciæ efficere poteſt ut damnatū furti non ſequatur infamia. forte excipitur pater ſi condemnetur. Item ut quis infametur, opus eſt ut condemnetur nomine ſuo, non procuratorio, tutorio, curatorio. item per iudicem non per arbitrum. Item propter furtum à ſe perpetratum, uel ex ſententia ſua datum, ſecus ſi ob opem præſtitam condemnetur, ſecus ſi noxaliter iudicetur. Quid ergo dicemus? ſi iudex dixerit, quia deprehendo te propter furtum ad curiam tractum ſurripuiſſe equum, ideo condemno te ut reſtituas illum, uel eius precium: forte condemnatus non erit infamis, tum quia nihil ultra rem reſtituit, tum quia licet pro furto condemnetur, non tamen furti actione, ſed rei uindicatione, uel furti condictione condemnatus creditur: ſecus in expilatione, & in iniuria, ibi enim ſufficit cōdemnatio ad infamiam, licet nulla pœna ſit ſubdita uel iniuncta. Item in ſumma notandum eſt quia ſi iudex cui dixerit ἐσυκοφάντησας, uel calumniatus es infamia irrogatur: ſecus ſi dixerit nō iniuſtè uel temerè accuſaſti, ut ff. ad turp. l. Item iudicio meo l. Aquil. ob dolum condemnatus fit infamis. Quid ergo dicemus? ſiquis conuentus furti, dixerit actori, nihil equidem mihi conſcius ſum, ſed quia ad curiam erubeſco trahi, numero tibi centum numos: hic erit infamis utiq;. Quòd enim dici poteſt præſumitur contra eum. Idem ſi dixerit, quia rem tuam ſubripui tibi, & quia in te peccaui numero tibi centum. Sed & condemnatus actione ex contractu ut pro ſocio, ita demum ſubit infamiam iudicio meo, ſi hic ob dolum condemnatus fuerit, non ob culpam. Nam & tutor remotus ob dolum non ob culpam, fit infamis. Quid ergo dicemus? ſi minor ſpectaculum populo præbuit, equidem non infamatur, quia licet ex animo ſtultè agat, ſe tamen non alium lædit. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſicut actio uenditi, locati, nullaq; condictio etiam furtiua infamat, ita nullum interdictum nec unde ui. Item notandum eſt, quòd infamia reperitur etiam facti, ut C. eo. l. ea & ff. quod met. cau. l. nec & ff. de obſequijs. Sed & illud ſciendum eſt, quòd in C. decimo de infamibus titulus inuenitur. Item notandum eſt, quòd dicitur ignominioſè dimiſſum infamari, ita debere intelligi, ſi is qui dimiſit ignomiæ cauſam adiecerit, uel id fecerit quod pro adiectione habeatur, puta militem exautorauerit, id eſt inſignia militaria detraxerit, hicq; miles nuſquam ubi Imperator ſit, morari debeat, ut ff. eo. l. ij. Item illud notandum, quòd licet ſeruus ſeruaúe, proſtitutus proſtitutaúe, poſt libertatem nō tenetur, in ſeruitute tamen proſtitutus proſtitutaúe poſt libertatem non infamatur, ut ff. eo. l. iiij. & l. penult. Item illud notandum eſt, quòd condemnatus furti ſi appellauerit, & fatales omnes effluere permiſit retro infamis eſt. Porrò ſi iniuſta appellatio ſit pronunciata hodie retro notatur, ut ff. eo. l. furti. Item illud notandū eſt, quòd ubi pater notaretur, ſi filiafa. mortuo marito infra annum nupſerit, non notatur ex eo ſolo quia ratum habeat. Prætor enim ad initiū nuptiarū ſe retulit, ut ff. eo. l. quid ergo §. j. Item illud notandum eſt, quòd ſi cui præſes dixerit callido commento uideris accuſationis inſtigator fuiſſe, pudor potius oneratur quàm infamia irrogatur. Nō enim qui exhortatur mandatoris officio fungitur, ut ff. eodem lege ob hæc.

DE PROCVRATORIBVS. TIT. XIII.

EXpoſuimus ſuprà de aduocatis qui gerentes morẽ amicis exponũt eorum deſyderium, non ut eos uel pro eis ſententia dicatur. Nũc audiamus de procuratoribus qui dominorum gerendo perſonas experiuntur, cõueniuntur, condemnantur, abſoluuntur, & inde occaſione ſumpta de procuratoribus etiã, non iudiciorum ſed aliorum negociorum audiamus. Videamus itaq; quid diſtinguatur inter hunc titulum, & de mandatis, quare procuratores admiſſi ſint, quis dicatur ꝓcurator, et qualiter inſtituaẽ, quis inſtituat procuratorẽ, quis inſtitui debeat, de qua re, qualiter officium procuratoris explicetur, qualiter diſſoluatur, quis ſit effectus procuratoris. Profectò ſub hoc titulo agitur de procuratoribus cauſarum principaliter & plenè, de procuratoribus aliorum negociorum incidenter & ſemiplenè, et in duabus duntaxat legibus l. ſi procuratorem & l. ſi precium titulo de mandatis pleniſſimè agitur & principaliter, de procuratoribus iudiciorum & aliorum negociorum. Quia negocijs ſuis hominis ſupereſſe uel nolunt uel non poſſunt receptum eſt ut per alios poſſint agere, gerere, conueniri, ut ff. eo. l. j. Procurator is eſt qui adminiſtrat ſcilicet iam, uel miniſtranda ſuſcepit negocia aliena, uel negocium alienum, mandato generali uel ſpeciali domini, rei, uel litis. Quippe licet tutor pro domino habeatur, tamen quia non eſt dominus rei, litis ſuæ ante litem conteſta. procurator non obligatur. Sanè pupillus nõ tamen infans tutore autore procuratorem ordinat, ut ff. de adimit. tuto. l. ita, procurator quoq; poſt litem à ſe, uel contra ſe conteſtatam. Atqui procurator conſtitus ad non iudicium etiam ante negocij inchoationem procurator ritè cõſtituitur, ut ff. manda. l. ſi procuratorem. Procurator cõſtituitur eo quod poſſit mandare mandatum, etiã in mandatario ſupponente. Quippe inuitus procurationem ſuſcipere nemo cogitur, ut C. eo. l. inuitus. Sanè ff. eo. l. filiusfam. dicitur, quòd inuitus procurator dari non ſolet, ita intelligo contra proprietatẽ uerbi, ideſt non poteſt non debet. Conſtituere poteſt procuratorem regulariter homo liber, paterfam. maior ſua autoritate, mentis compos, dominus rei cauſæúe ſanè ad non iudicium, ut in peculiaribus etiam ſeruus procuratorem cõſtituit, ſed ad iudicium puta ubi in ſeruitutem petitur, ut ff. eodem .l. ſeruum. Item & filiusfamil. quando ꝗ tam agens quàm excipiens procuratorem inſtituit maximè ſi pater ſit abſens, uel pro abſente habetur, uel ſi pater procuratorem nõ habet, uel ſi habet, & procurator nolit experiri. Item minor cum autoritate ſui defenſoris ritè procuratorem inſtituit, uerum tamen ſi minor procuratorem dederit ad adminiſtrandum quamuis non legitimè, ſi tamen procurator male geſſerit mandati minori tenebitur ut ff. de mino. l. cum mandato. Item exigitur ut ſit mentis compos & non prodigus, is qui procuratorem conſtituit. Item ut ſit dominus rei uel litis, ſaltem ut tutor, curator, procuratorúe primus poſt litem conteſt. Inſtitui poteſt procurator ad cauſam etiam filiusfam. maior ut alleget cauſam cauſæ, etiam prodigus, non furioſus, non accuſatus pendente actione, non mulier: niſi forte pro parente, pro filio, non curialis licet ueteranus, non miles: niſi ſit procurator in rem ſuam uel niſi fiat ſindicus ſui numeri, uel niſi pro libertate, uel niſi pro eo qui ad patibulum ducitur, hocq; uerũ eſt de milite etiam ſi aduerſarius eum admittit ut ff. eo. l. ſi. Sanè miles admiſſus à ſciente milite poſtea non reprobatur, ut C. eo. l. ita. Idem in falſo procuratore, niſi poſt litem cõteſtatam. forte etiam ſi poſt ſententiã fuerit probatus falſus, ut C. eo. l. licet, tũc enim controuerſiæ ſunt nullæ, iudicium nullum, niſi dominus habuerit ratum. Sed & ſi minor cauſam agi mandauerit uel egerit ſi pro ſe ſententiam reportauerit ei proderit, ſed ſi contra ſe non oberit, ut C. eod. l. nõ eo minus. Res agenda

procuratori mandatur, ſi fuerit honeſta, iuri cognita, priuata, ciuilis, id eſt pecuniaria, uel quaſi honeſta, ideo quia mandatum rei turpis nullum eſt. Iuri cognita, ideo ſiquis mandet ut ſibi credatur, uel ut in genere credatur nihil agitur, ut inſtitu. mandati. Publica ideo, quia popularis actio dari nõ poteſt niſi de uia publica agens priuato damno ex prohibitione adficiatur, ut ff. eo. l. licet. Ideo dixerim ciuilem, & pecuniariam cauſam, quia criminalis cauſa nõ ritè mandatur, niſi iniuriarum ab illuſtribus, ut ff. de iniurijs, aliâs ad crimẽ agitandum fruſtra procurator uenit. Sanè ciuilem cauſam ex ordine quis pro ſe procurator agitat. Interdum tamen pro ſe tantum ut illuſtris, ut C. eod. authen. hoc ius. Interdum interdictum de liberis exhibendis pater non niſi pro ſe mouebit, niſi uel ſpecialiter cui mandauerit, uel pater ualetudine impediatur, ut ff. eod. l. Pomponius. Item ſi tutor pupillum ſuum conuenit, procuratore à ſe dato, & curatore pupillo cõſtituto, litigare debet, ut C. de in lit. dan. tut. l. ult. Per ſe tamen quis expedit quandoq; negocium: ecce enim ſeruus per ſe tantum ex poſſeſſione ſeruitutis in libertatem proclamat, ut ff. eod. l. ſeruum. Item ætatis uèniam à principe impetratam apud iudicem ſuum non niſi per ſe allegabit. Item ubi emphiteuta alienat ius ſuum, proprietarius non niſi per ſe nouum emphiteutam in poſſeſſionem inducit, ut C. de iur. emphi. Sed & forte iudex poſt depoſitum officium in prouincia quam rexit conuentus, per ſe & non per procuratorem reſpondere debebit, ut C. ut infra quinquaginta dies, Explicandũ eſt mandatum niſi fuerit renunciatum & tempeſtiuè, alioquin qui ſuſcepit tenebitur niſi ſubſit cauſa quare non ſit renunciatum uel in tempeſtiuè, ut Iuſti. mandati. Explicare debet procurator quod eſt ſibi mandatum ſicut fuerit iniunctum. Ergo ſi cui mandatũ fuerit, ut emat fundum, non debet emere equum. Si cui fuerit mandatũ, ut emat fundum Cornelianum, non ritè emit Seianum. Item ſi cui fuerit mandatum ut emat quinquaginta, non debet centum emere. Et interdum tamẽ iure quis mandatum excedit, & infrà ſubſiſtit. Excedit ſi ut cauſam ageret mandatum ſuſcepit, appellet, debet enim appellare & appellationis cauſam reddere, ut ff. ſi tut. appell. Infrà ſubſiſtit etiam iure, puta ſiquis mandatum ſuſcepit ut fundũ Cornelianum emat centum, & quidem tacitè mandatum ei intelligitur, ut poſſit precio minori emere, ut Inſtitut. mandati. Interdum quoq; procurator quiddam facere cogitur, quod à mandato uidetur utcunq; aliud. Ecce enim is cui mandatũ eſt, ut petat legatum, de tabulis exhibendis intendere poteſt interdictum, ut ff. eod. l. ad legatum. Sanè omnia licet non ſint in mandato, non tamen ſunt cõtra mandatum, imò ſunt quaſi iuxta mandatum, ut ff. iudica. ſol. l. iam tamen. Vbi autem procurator ad cauſam agendam uel ſuſcipiendam datus ritè procedit, diſtingui debet, ſit ne procurator rei, uel actoris. Et quidem procurator rei ſi conſtet ceſſare mandatum admitti debet ad defendendum, ut C. eo. l. exigendi. Cauere tamen debet de iudicat. ſoluendo, niſi dominus iam cauerit pro eo, ſed & cauere debet de defendendo. Nam nec locupletiſſimus ſuis ſatiſdatione defenſor idoneus eſt. Sed nec qui defendit locuples habetũ, quo ad hoc ut à ſatiſdatione excuſetur, ubi quis agit ueluti procurator actoris; aut cõſtat quia habet mandatum, aut dubitatur de mandato. Si conſtat de mandato, non eſt opus ut caueatur de rato, ſed de defendendo. pœna enim procuratoris nõ defendentis; id eſt non defenſionem cauentis, hæc eſt ut actio denegetur, ut ff. eod. l. ſeruum, & C. eod. l. actionem: hoc ita ſi procurator ſit ſimplex, hoc eſt ſi procurator ſit in rem ſuam ex neceſſitate in fraudem creditorum, ſanè procurator factus in rem ex neceſſitate ſine fraude non cogitur defendere, ut ff. eod. l. ſeruum. Quid ergo dicemus quod C. eod. l. inuitus dicitur, actoris procuratorem non eſſe cogendũ ſuſcipere defenſionem, quia ſufficiat implere fidem? profecto præciſè nõ cogitur, quia

quia nec hoc ei mandatum eſt,ergo abire poterit etiam impune. Sufficit enim ei quia paratus eſt,id quod ei mandatum eſt agere,ut ff. de iureiur. l. iuſiurãdum. Porrò ſi nolit agere cauet tamen cogitur defendere,uel quod melius eſt,etiamſi iam egit & cauet ſufficit ſi patiatur ſtipulationem committi. Quod ergo ff. eo. l. ſed & hæ legitur,procuratorẽ qui cauet defendere cogendum niſi ex iuſta cauſa recuſauerit,etiam ad agendum:ſic intelligatur ſicut ibidem in ſequenti paragrapho habetur hoc eſt tunc,licet contra proprietatem uerbi etiam is defendit, qui non defendit ſed cedit deſiſtit in poſſeſſionem reipub. mittit. ubi conſtat ceſſare mandatum repellitur is qui cauet ut tanquam procurator experiatur,etiam ſi pleniſſimè paratus ſit ſatiſdare. Excipitur niſi ſit ſanguine affinitateue coniunctus: is enim erſi conſtat ceſſare mandatum, dum tamen non ſit euidens experiri contra mandatum,admittitur,ut ff. eod. l. Pomponius: dum tamen caueat de rato,& de defendendo,ut ff. de negot. geſt. l. ſi autem. Vbi dubitatur de mandato,repellitur procurator,niſi uel probet mandatum,uel caueat dominum habiturum ratum. diſtinguunt quidã, ſi negatur mandatum, procurator cogitur ad illud probandũ. Si dubitatur dicunt ſufficit ſi de rato caueatur. Ego indiſtinctè dico,quia ſiue dubitetur,ſiue negetur,in arbitrio eſt rei qui conuenitur, uelit nè cogere procuratorem ad cauendum, uel ad probandũ, huius rei argumentum nec probat conſtitutio C. eod. l. exigendi, ibi enim legitur, quia ſi filius pro patre agit mandatum præſtare non cogitur,ac ſi aperte diceret alius probare compellitur. Hæc autem exceptio procuratoria ante litem conteſtatam opponenda quo ad hoc ut procurator probare debeat,uel cauere. Porrò etiã poſtea ritè opponitur,ſi is qui conuenitur uelit probare eum qui ſe conuenit falſum procuratorem eſſe,ut C. eo. l. licet. Diſſoluitur procuratio mandata mortẽ etiam ſolius mandantis re integra. Verum ſi procurator ignorans mandantẽ deceſſiſſe mandatum compleuerit,ritè contraria mandati agit, ut Inſti. mandati. Diſſoluitur quoq; renunciatione mandatarij tempeſtiua. Mandantis quoq; reuocatione ſed re integra,poſt litis cõteſtationem ex ordine minimè. Excipitur niſi procurator magis uelit purgare conuitium,quam exequi mandatum, uel niſi ſit factus procurator in rem ſuam,uel niſi retentione aliqua procurator uti uelit: aliàs nõ eſt ferendus procurator qui ſibi adſerit procurationem. nam hoc ipſo ſuſpectus eſt qui operas ſuas ingerit inuito,ut ff. eod. l. quæ omnia. Ita demum à procuratore iudicium transferri permittitur ſi omnia iudicia transferantur: Cæterũ aliàs procurator hanc inconſtantiam recuſabit,ut ff. eod. l. in cauſæ. Effectus procurationis hic eſt,ſi quis ex mandato contraxerit utilis actio dominò comparatur directè pro re iudicata quæ procuratori decernitur. Excipitur niſi quis procurator ſit in rem ſuam,ut ff. eod. l. ſi procurator. Sed & procurator cõdemnatus nõ debet conueniri niſi in rem ſuam datus fuerit,aut cum ſciret cautum non eſſe,ſe liti obtulerit,ut ff. eod. l. ſi procurator. Aliàs ſi procurator in cauſa obtinuerit uel ſuccubuerit ſolus dominus cum effectu experitur. In ſumma notandum eſt, quod procurator ad unam rem tantum conſtitui poteſt,& coràm, & per nuncium,& per epiſtolam,& abſens: dummodo ſit certus, & non furioſus,ut ff. eod. l. j. & ij. non minus ad agendum quàm ad adminiſtrandum,ut C. eod. l. nõ eo minus. Item procurator dari poteſt & ad litem futuram,& in diem, & ſub conditione, & in perpetuum,ut ff. eod. l. iiij. Item in rem ſuam procuratore notandum eſt, licere actori dominum præſentem potius conuenire, quàm eum qui in ſuam rem procurator factus eſt. Item actoris procurator non in rem ſuam datus propter impenſas,quas uerifimiliter fecit,poteſt deſiderare ut ſibi ex iudicati actione ſatisfiat,ſi dominus litis non ſit ſoluendo,ut ff. eod. l. actoris. Item ſiquis dedit diuerſis temporibus procuratores duos, dando poſteriorem uidetur prohibuiſſe

priorem. Sed & pluribus procuratoribus datis etiam in ſolidum & ſimul, occupantis erit conditio melior, ut poſterior non ſit procurator in eo quod petijt prior, ut ff. eod. l. ſiquis & l. pluribus. Item & illud ſciendū eſt, quòd ubicunq; quis abſens ciuiliter, uel criminaliter condemnari poteſt, ibi quemlibet allegaturum cauſam abſentiæ audiri æquum eſt, ut ff. eodem. l. ſeruum. Ergo mulier, miles uiginti quinq; annis minor, licet iuſto iure poſſint à procuratiōe repelli, iuſtiore tamē iure debent admitti, ut C. eod. l. exigendi. Nam & furi res reſtituenda eſt ab eo depoſita, ſi dominus ad eam petendam non ueniat, ut ff. depoſit. l. bona. Sed & adulter depræhenſus ſi pecuniam dedit non iure iuſto, id eſt ciuili quod inſpicitur repoſcit. Item illud notandum eſt, quòd cauſæ ingratitudinis, ut filij, liberti, donatarij, etiam per procuratorem poteſt agitari: Sed & cauſa ſuſpecti tutoris, ut ff. eod. l. ſed & hæ. Item ad res duas petendas ꝓcurator datus unam tantum petere poterit, ut ff. eod. l. ultima, non tamen ſi decem petantur, defenſores in quinq; audiuntur, ut ff. eod. l. non tamen. Sed nec is cui fundus relictus ſit, ſi dederit decem, dando quinq; ceſpitem terræ uel modicū conſequitur. Idem in luendo pignore. Sed nec is cui fundus Cornelianus relictus eſt, eius uſumfructum petere poterit, nec enim uſusfructus eſt pars rei, licet ſit pars dominij. Itē illud notandum eſt, quòd ſiquis non prohibetur dare procuratorē, uel dari procurator, & dari poterit, & dare, ut ff. eod. l. mutus, idem in teſtibus puto. Item procurator qui ædificat nomine alieno ſi prohibitus interdicto utatur ne ei uis fiat: licet interdictum ſit quaſi actio, is tamen, quaſi defenſor, nō cauet de rato, ut ff. eod. l. non cogendum. item datus ut confeſtim agat, etiā poſtea agere non poterit. Sed & licet exceptio falſi procuratoris poſt conteſtationem non poſſit opponi, de procuratoris tamen ætate ſiue furore poterit diſputari. Item, ſicut is qui ad cauſam defendendam procuratorem dedit, cauſæ ſuæ adeſſe non prohibetur, ita regulariter is cuius nomine defenſor exiſtit: maximè ſi ante litem conteſtatam in præſentia fuerit, & poſtulet ſuo nomine litem ſuſcipere, audiendus eſt, ut ff. eod. l. is, & l. Paulus. Item nec ciuitatis actor negociū publicum ꝑ procuratorem agitat, ut ff. eod. l. nec. Item procurator idemq; uenditor, de euictiōe non tenetur: niſi ex pacto, ſicut nec creditor, ut ff. eod. l. procurator. Item quandoq; omnis procurator & actoris & rei, omnem cautionem exponit, id eſt de rato defendendo, de iudicato ſoluendo, ut in iudicijs mixtis, in liberalibus & realibus, & in reſtituendis minoribus, in crimine ſuſpecti, ut ff. eod. l. Pomponius § ij. In fine & illud notandum eſt, quòd ubi cauſa per procuratorem agitur, uel excipitur, uſq; ad conſummationem poterit agitari: niſi forte quoſdam nonnunquam iuſtiores ob cauſas, uehementiores maximi iudicis uocabit autoritas, ut Codicis eodem lege ultima.

NE LICEAT POTENTIORIBVS PATROCINIVM LITIGANTIBVS PRAESTARE, VEL ACTIONES IN SE TRANSFERRE. TIT. IIII.

OMnia mala exempla ex bonis initijs oriuntur, uicia etiam uirtutes imitantur. Inde occaſione licitæ procuratiōis, de illicita tractat. Ergo ſi potentiores contra tenuiores aduocauerint, ueluti procuratores agentium creditorum litigauerint, infamabuntur, creditores autem cauſæ iactura adficientur. Aperta enim creditorum uidetur eſſe uoracitas, qui tales calumniarum redimunt exactores, noua malitia nouus modus liberationis. Qui ſint iſti potentiores in ſingulis regionibꝰ ſinguli iudices animaduertere poterunt, de his legitur Codicis quod met. cau. l. ultima.

DE HIS QVI POTENTIORVM NOMINE TITVLOS prædijs affigunt, uel eorũ nomina in litem prætendunt. Tit. xv.

POſſeſſores conuenti ſi poſſeſſionibus de quibus cõueniuntur, potentiorum nomine titulos affixerunt, uel eorum nomina in litem prætendunt, plumbo uerberati metallis deduntur, & cauſæ amiſſione plectentur. potentiores autem ſi aſſenſum p̃buerunt, et hos ueluti famæ ſuæ ꝓdigos notari oportebit, ut C. eo.

VT NEMO PRIVATVS TITVLOS PRAEDIIS SVIS VEL alijs imponat, uel uela regalia ſuſpendat. Tit. xvj.

NEmo titulos id eſt proſas, aut rythmos, aut carmina, poſſeſſiõibus alienis debet imprimere, ſed nec uela regalia ſuſpendere. Hoc enim ad principẽ poſſeſſiones pertinet. Siquis prædicta fecerit deportabitur, quod eſt notabile, libertate priuabitur ſi fuerit nobilis, plebeius decapitabitur, deponendi autem uel frangendi titulos, & ſcindendi uela, licentia cuilibet etiam ſeruo tribuitur ſine criminis metu. Ergo ſi iudex contra talem admiſerit accuſationem, tricenis libris auri multabitur, ut C. eod. l. ij.

VT NEMINI LICEAT SINE IVDICIS AVTORITATE SIGNA rebus imponere alienis. Tit. xvij.

NEmini in lite pendente nedum uela, ſed nec etiam inſignia minora, rebus quas alius detinet imprimere debet, etiam ſi ſuas, uel ſibi obligatas eas eſſe aliquis adfirmet. Inde eſt, ut rebus aut fructibus apud ſe conſtitutis, ſigna illicitè impoſita propria autoritate detrahere poterit, & poſtea cauſa agitari debebit. In ſumma notandum eſt, quòd titulus iſte loquitur lite pendente, ſuperiore ante litem, & in lite, & poſt litem conteſtatam. Quippe nec tituli nec uela à priuato ullo tempore debent imprimi. Sanè ſigna minora, licet non lite pendente, tamen ante litem motam, & poſt ſententiam imprimi poterunt.

NE FISCVS, VEL RESPVB. PROCVRATORES ALICVI patrocinij cauſa illicitè præſtet. Tit. xviij.

PRohibentur tenuiores patrocinium præſtare, & potentior alius, multo fortius prohibetur fiſcus qui eſt potentiſſimus, etiam ob id quod ei debetur, etiam ſi pars dimidia actionis ei donetur, ut C. eod. l. j. & ij. Amplius & reſpub. alia, ut Toloſa, Narbona, ſimiliter prohibetur. Tunc enim intelligo fiſcum patrocinari.

DE NEGOCIORVM GESTORVM ACTIONĒ. TITVLVS XIX.

EXplicauimus de negocijs geſtis ex mandato, nunc audiamus de negocijs geſtis ſponte etiam ſine mandato. Ergo etiam illa negocia geſta, & hæc negocia geſta, ſtant in nomine generali, non ex prærogatiua, ſed ex uocabulorũ inopia. Videamus itaq; qualiter hic oporteant intelligi negocia geſta, & cuius, & qualiter diſtinguantur negocia, quot modis gerantur negocia, quot actiones oriantur ex negocijs geſtis, quibus, in quos, & quæ cauſæ per cõtrarium nego-

gociorum geſtorum actionem inducant quæ repetitionem, et quæ faciant eam
ceſſare,& in quantum competant,& quales ſint actiones. In primis tamen illud
ſciendum eſt,quòd edictum de negocijs geſtis ob maximam utilitatem introdu
ctum eſt,puta ne abſentium pignora diſtrahantur,uel pœnæ cōmittendæ actio
nem paciantur,& ne abſentium bona poſſideantur,præſcribantur,& diſtrahan
tur,ut ff. eod. l. j. Negocia geſta intelligo ſiquis abſentis nomine ſubijt iudicia.
Item negocia geſta intelligo , etiamſi unum ſit geſtū. Idem in bonis rapt. Idem
& in quare fremuerunt gentes , & in ſecundo uerſiculo cuius , id eſt uiuentis &
mortui, uiuentis & furioſi,etiam impuberis,etiam eius qui portatur in uentre.
Mortui ut negocia hæreditatis quæ gerit perſonam mortui. Nam & ea quæ ac-
ceſſerunt poſt mortem,ut partus, fœtus,fructus, & quæſita per ſeruos etiam ſi
his uerbis non contineantur,ex æquitate tamē pro adiectis debent accipi, ut ff.
eod. l. iij. Geruntur negocia quæ non ſunt iudicia necintercessiones,etiam p mu
lieres,& ex hoc edicto experientur et conuenientur. ut agat quis ex hoc edicto,
exigitur ut eius ſit negocium,uel ipſo geſtu,uel per ratihabitionem. Ipſo geſtu
intelligitur negocium tuum,quod præter ſcientiam tuam ratihabitione tuū eſt,
cum non poſſis habere non ratum,puta ſi inſula tua fulciatur , uel perſona lan-
guens ad te pertinens medicetur,ut ff. eod. l. ſi pupilli. Ratihabitione negocium
fit tuum,quod re ipſa eſt alienum,puta ſiquis nomine tuo creditorem uel debi-
torem exegerit alienum,tuq; habueris ratum,ut ff. eod. l. ſi pupilli § ſi Titij. Ex
negocio ita geſto duntaxat regulariter actionibus agitur. Sanè licet nec ſic nec
ſic geratur,agitur caſualiter. Ecce enim ſiquis rem meam uendidit nomine ſuo,
ſi eam uindicare non ualeo extra ordinem faciens uenditionem ratā utpote non
meo nomine celebratam,in ſubſidium utili negot. geſto. contra primum uen-
ditorem ad pretium ago,ut ff. eod. l. ult. & ff. ſi cert. pet. l. ſi ſeruum tribus mo-
dis negotiū geritur ſponte,neceſſitate, & neceſſitatis ſuſpicione. In primo mem
bro edictum de nego. geſt. propriè & originaliter ponitur, in alijs non , ſed illis
accommodatur. Spōte gerit quis abſentis negociū,uel unicum,uel pauca. Suf-
ficit enim ſi uel in paucis, amici labore conſulatur . Ex ſpontanea geſtione na-
ſcuntur actiones duæ,directa,& contraria. Neceſſitate gerit curator. Ex neceſ-
ſaria geſtione duæ naſcuntur directa utilis,& contraria utilis. Neceſſitatis ſuſpi
cione gerit qui putat ſe curatorem eſſe,cum non ſit. Ex hac quoq; geſtione na-
ſcuntur actiones duæ,directa utilis,uel cōtraria,utilis directa negot. geſto com
petit domino negociorū geſtorum. Cōtraria competit ſpontaneo geſtori. Di-
recta utilis competit adulto cuius cura adminiſtrata eſt. Contraria utilis compe
tit curatori quondam . Directa utilis competit ei cuius negocia geſta ſunt per
eum,qui putauit ſe eſſe curatorem. Contraria utilis competit ei qui uelut cura-
tor adminiſtrat cum non eſſet. Ex his quæ dicta ſunt patet , quòd ſex actiones
oriuntur ex negocijs geſtis. Item patet,& quibus, & in quos competant ex his
quæ dicta ſunt. In directam actionem negotiorum geſtorum uenit dolus,etiam
ſi pacto ſit remiſſus,culpa etiam leuis: niſi quis acceſſerit ad negotia amici deſer
ta,tunc enim ſolus dolus uenit,ut ff. eod. l. iij . Veniunt geſta non gerenda,niſi
diligentiſſimus propter minus diligentem non acceſſit, uel niſi coniuncta perſo
na cum facile ſatiſdare poſſet non egit. Veniunt etiam uſuræ , niſi conuertit ge-
ſtor domini pecuniam in ſuos uſus,uel ſi fuerit in mora reſtituendi. Venit in cō
trariam impendium ſi factum eſt in ſolidum,cum pro parte fieri potuerit. Cæte
rum agitur fam. herciſ. uel com. diui. niſi fuerint dictata. Tūc enim in ſubſidium
decurritur ad actionem negot. geſto. uenit & uſura in contrariam in tribus caſi
bus,ſi geſtor pecuniam acceperit ſub uſuris,ſi ſuam pecuniam expendit cū ſoli
tus eſſet fœnerare,ſi dominus fuerit in mora reſtituendi. eadem dicantur in dire

cta utili

cta utili,& contraria utili. Sanè in directam utilem ueniunt negocia geſta & gerenda,& dolus,& lata culpa & leuis. Hoc ultimum ita tamen ſi agitur cõtra curatorem, nempe curatoris ſucceſſor licet de ſua leui culpa arguatur, tamen de leui culpa ſui deceſſoris non conuenitur, niſi in tribus caſibus, ut C. de teſtamenta tute. l. j. In contrariam utilem ueniunt prædicta, uenit etiam ſi procurator pro adulto obligatus eſt, ut C. eod. l. tutori. præter præfatas actiones ſex; directa, contraria, directa utilis, contraria utilis, directa, utilis, & ſexta quæ alio modo utilis eſt. Ecce enim ſiquis rem meam uendidit ſuo nomine, cum non poſſit uindicare, ſicut ſuperius dictum eſt. Item ſi geſſi negocia Titij, cum putarem gerere negocia Seij licet enim non Titium aliquem tamen uolui habere obligatum, ut ff. eod. l. ſi pupilli. Idem interdum etſi neminem obligare uolui, puta ſi liber homo bona fide poſſeſſus, ſui poſſeſſoris negocium ex mandato non tamen ſeruili egerit. Idem etiam è cõtra, ut ff. eod. l. ſi liber & l. ſi pupilli. Idem erit ſiquis ſoluerit eius nomine quem putauit hæredem cum alius hæres eſſet. Tunc enim cõtra hæredem creditum, ſed ueritate præualente cõtra hæredem uerum, cuius re ipſa geſtum eſt negocium actio nego. geſto. competit, ut ff. eod. l. quæ utiliter. Item ſi creditum eſt utile negociorum geſtorum iudicium intenditur propter impendium, ubi deficit fam. herciſcundæ iudicium. Duæ ſunt cauſæ, quæ ſuadent repetitionem una communis, altera ſpecialis. Communis eſt, ut ſufficiat negocium utiliter fuiſſe cœptum tam uiui quàm mortui, licet contrarius exitus ſecutus ſit, ut ff. eod. l. ſucceſſori. Specialis cauſa eſt, ut negociũ ſit etiam utiliter conſummatum, hocq; fit aliâs propter odium, aliâs propter fauorem. Propter odiũ puta ſiquis deprædandi cauſa adceſſerit ad negocia mea: is repetit nõ quatenus ſibi abeſt, ſed quatenus mihi adeſt. Propter fauorem, puta ſiquis geſſerit negocia publica, uel furioſi, hi non conueniuntur niſi tempore litis conteſtatæ locupletiores inueniantur, ut ff. eod. l. litis, & C. eod. l. ij. Quid ergo dicemus ſi publicus ſeruus languidus, ei perneceſſarius, & uxor furioſi languida curati fuerunt, ſed obierũt? profectò dico quòd ſunt cenſendi locupletiores, eo ipſo quia non ſunt pauperiores facti. Sed & illa reddi poteſt ratio, quia ex neceſſitate ex bono & æquo maritus curare uxorem, dominus ſeruum languentem curare debet. Hæ ſunt cauſæ quæ diſſuadent repetitionem. In primis materna pietas. Ecce enim ſi mater filium aluerit, erudiri fecerit, uel ut tutorem haberet, non curauit nõ petijt, ut C. eod, l. j. niſi fuerit proteſtata ut aut ipſum aut tutores eius cõueniret, & niſi in Codicem rationũ retulerit, ut ff. eod. l. Neſennius. Item ſi auus gratis paratus ſit, mater non, repetit, ut C. eod. l. ij. Item paterna adfectio inhibet repetitionem, ſiquis priuignas ſuas aluerit, uel erudiri fecerit, ut C. eod. l. ſi paterna. Item ratio obſequij inhibet repetitionem, ſi libertus patroni filiam maximè pupillam aluerit, ut C. eod. l. officio. Item dominica prohibitio inhibet repetitionem, etiam ſi poſtea utiliter fuerit negocium geſtum, ut C. eod. l. ultima. Illud conſtat quòd hæ actiones bonæ fidei ſunt & perpetuæ, ut C. eod. l. aduerſus, & perſonales ut C. eod. l. negocijs, & Prætoriæ, licet uideatur lex quædam dicere quod ciuiles ſint, ut ff. commo. l. in commodato, & ex quaſi contractu oriuntur, ut inſtitu. de ob. ex quaſi contract. In ſumma notandũ eſt, quòd negot. geſto. actio, & contraria, & directa reperitur, & utilis, ut C. eod. l. ult. Item & illud ſciendum eſt, quòd ſeruus ex antè geſtis negocijs etiam actione negoci. geſto. non conuenitur, niſi pecuniam pro capite promiſerit, uel niſi fuerit connexa adminiſtratio, quo caſu agitur non ut præſtetur, ſed ut ſecernaẽ, ut ff. eod. l. atqui. Sed & illud ſciendum eſt, ſi filiusfam. proprio motu pro patre ſoluerit nullam actionẽ habebit, nec contra hæredem patre mortuo, ut C. eod. l. filius. Porrò ſi iubẽte uel quaſi iubente patre obligatus ſoluerit agit, ut ff. fam. herciſcun-

l.ſi filia § ij.& l.hæredes. In ſumma quoq; notandum eſt, quòd licet pupillus nō niſi locupletior factus conueniatur, tamen ſi uel natura debeat, contra eum cōpenſatur, ut ff. eod. l. iij. Item ſi cui, qui propoſuerat Titij gerere negocia, mandatum fuerit ut gerat, & negociorum geſtorum actione experietur & conuenietur, ut ff. eod. l. ult. Sed & fideiuſſor mihi datus ab aliquo pro eo cuius negocia gero, contra dominum nego. geſto. ago, ut ff. eod. l. iiij. Item ſi procuratori tuo pecuniam dedero te obligatum habeo, non procuratorem, licet cum eo contraxerim, ut ff. eod. l. vj. Item ſi peculiaria negocia geſſero, licet nihil ſit in peculio quoniam plus patri debetur uel domino, notabiliter tamen agitur negot. geſt. actione, ſi pater & dominus ex geſtione locupletiores facti ſunt, ut ff. eod. l. ſi pupilli § eodem loco. Item illud notandum eſt, quia geſtione negotiorum, cauſa non uſuraria, & temporanea, non tranſitura, fit uſuraria, perpetua, tranſitura, ut ff. eod. l. ſi pupilli § ult. & l. ſin autem. Item ſi geſtor perceperit uberiorem fructum uel extorſit indebitum reſtituit, ut ff. eod. l. ſi autem & l. ſiquis. Secus in hæreditatis poſſeſſione & uenditione. Sed illud ſciendum eſt, quòd ſi negocium à te male geſtum probauero negligentia remittitur non dolus, ut ff. eo. l. Pomponius. Item in negocijs geſtis initium cōditionis eius cuius negocium geritur expectatur, puta ſi pupillus, ſeruusúe, poſtea factus eſt pubes, liberúe: niſi ab initio quaſi unum negocium geſturus acceſſero, deinde alio animo ad aliud acceſſero, tunc enim aliâs erit unum negocium, aliâs aliud & aliud, ſicq; ſecundum has uarietates uariè actio & condemnatio formabitur, ut ff. eod. l. Pomponius & l. ſed &. Item & illud notabiliter notandum eſt, quòd ſi cum gereres negocia mea rem meam bona fide emeris, ſicq; uſucapere cœperis, poſteaq; antequam uſuceperis rem meam eſſe cognoueris, ſubijcere debes aliquem qui à te petat, ut & mihi res, & tibi ſtipulatio euictionis cauſa committatur, & eſt ſalubris iſta ſubiectio, non doloſa, ut ff. eod. l. atqui. Nam & aliâs ſiquis emerit à nō domino poſtea facto domino, ab eodem rem ſibi euinci pati poteſt iure præmiſſo, ut ff. de euict. Item & illud ſciendum eſt quia ſi uiuo aliquo negocia eius adminiſtrare cœpero, eo mortuo intermittere non debeo, noua tamen inchoare neceſſe non habeo, uetera explicare ac conſeruare neceſſarium eſt. Item ſi mandato tuo negocia mea Titius geſſerit, te liberare poterit præſtandō, non actionem cedendo, quia imprudenter eum elegeras, ut ff. eod. l. nam. Ergo hoc in caſu qa culpa adeſt, pro iuſta præſtatione delegatio eſt. Item illud notandum eſt, quod uno defendente cauſam communis aquæ ſententia non homini ſed prædio datur, ut ff. eod. l. qui aliena. Item & illud notandum eſt, quòd inter ſerui mandatum & rogatum diſtinguitur multum. Ecce eñ ſi ſerui mei rogatu negocia mea geſſeris negociorum geſtorum inter nos actio datur: Si mandato meo & de peculio & de in rem uerſo agitur, ut ff. eod. l. ſi ſerui. Item & illud ſciendum eſt, qđ ſiquis adductus amicitia paterna pupillis tutores petierit, uel ſuſpectos tutores poſtulauerit nullam aduerſus eos actionem habebit, ut ff. eod. l. is qui. Item inter actionem negociorum geſtorum directam & utilem quo ad effectum hodie diſtinguitur, quia uerborū formulæ exulauerunt, ut ff. eod. l. actio. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſiquis cui dederit pecuniam ut negocium moueat per calumniam, is inquam nō repetit nec ab eo cui dedit, ſed ab eo repetitur contra quem dedit, ut ff. de calum. l. ult. & l. generaliter. Item illud ſciendum eſt, quòd in has actiones fortuitus caſus non uenit, niſi promiſſus fuerit, uel niſi initio geſtionis contigerit. Item ſi pater teſtamento poſthumo tutorem dedit, isq; ſtatim geſſerit, non nato poſthumo tamen negociorum geſtorum agetur, eo nato nomine etiam temporis prioris agetur, ſi tutelæ actio intendetur. Nam & è contra ratione tēporis prioris, ſi tutor quondam perſeuerauerit in adminiſtratione cō-

nexa

nexa actione tutelæ conuenietur,ut ff.eod.l.cum pater,& C.arbit.tut. l.tutor. Item ſi diuortio facto uxoris negocia maritus geſſerit,& dotis actione & nego. geſto.in ſolidum conuenietur,ſi potuit ſolidum & nunc poteſt,ſi non potuerit, ſed nunc poteſt,ſi tamen præterierit tempus qđ ceſſaſſe uideatur: Quid enim ſi repente amiſſa eſt res negot.geſtorum non tenetur, non enim eueſtigio in officio deliquit, ſi non protinus res ſuas diſtraxit: Si uero nec potuit,nec poteſt,nō niſi in quantum facere poteſt maritus urgebitur,ut ff.eod.l.diuortio.

DE HIS, QVAE VI METVSVE CAVSA GESTA SVNT. TIT. XX.

DIſſeruimus ſuprà de negot.geſt.nobis ab alijs,quæ aliquando rata habere cogimur,nunc audiamus de negocijs geſtis à nobis ipſis , quæ aliquando infringere permittitur. Et quia hoc fit per reſtitutiones,hæc fiunt etiam actionibus propoſitis,& iudicum officijs,cōſtat quòd digniores ſunt quàm ſecundæ, de primis primò loquamur: & quia actiones de ui metusúe cauſa , & actiões de dolo,& utilis in rem iudicio minori indulta in uenditione lapſo, & in factum iudici ex alienatione iudicij mutandi cauſa celebrata,tribuitur reſtitutio,de actione quod metus cauſa dicamus primò. Videamus itaq; qualiter hodie dicatur,et quid ſit metus,unde dicatur,qualem metum oporteat intelligi, qualiter diſtinguitur,quæ actiones oriantur ex metu,quibus,& in quos,& in quantum competant,& quando actio quod metus cauſa ceſſat , & competit, quas ſpecialitates actio quod metus cauſa omittat,& qualis ſit actio quod metus cauſa. Olim enim ita dicebatur quod uí quod metu geſtum erit ratum non habebo aít Prætor.Hodie in Pandectis tantū de metu ædítur,id eſt Rubrica imprimitur. Quippe quod metu fit,uí fit:uí inquam non ablatiua,non expulſiua,non turbatiua, ſed uí cōpulſiua. Ergo & mariti uolūtas coacta uolūtas eſt , ut ff.eo.l.ſi mulier. Eſt autē uís maioris reí impetus cuí reſiſti non poteſt,uel qui repelli nō poteſt, et aduerſus quam non proficit cuſtodia. Metus inſtantis uel futuri periculi cauſa mentis trepidatio,ut ff.eod.l.j. Dictus eſt autem metus quia mentem tenet. metum oportet intelligi iuſtum,id eſt qui cadat in hominem robuſtum, non uanum,nō in ſeruum: Sed exigitur ut metus ſit maioris mali,ut ff. eo.l. iiij & v. Itē oportet metum eſſe præſentem: nec enim metus inferendi ſuſpicio ſufficit, ut ff. eod.l.metum. Item exigitur ut metus importet damnum,nec enim creditor dicto edicto tenetur,ſi à debitore per metum extorſerit quod ſibi debetur , licet aliâs plectatur,ut ff.eod.l.ſed &. Item oportet metum ab alio eſſe illatum: Si ēm liberta ingrata timens de ſtatu, patrono dederit ea cogitatione ne in ſeruitutem redigatur,ceſſat hoc edictum,quia hunc ſibi metum ipſa infert,ut ff.eo.l.ſi mulier. Ergo exigitur ut metus ſit illatus ab alio,maximè à priuato p uim atrocē, & ea quæ aduerſus bonos mores fiat. Sed & ſi magiſtratus non iure licito honoris quē ſuſtinet,ſed cōtra fas & per uím extorſerit quid per metū,hoc edicto tenebitur,ut ff.eod.l.ij. Metus tribus modis diſtinguitur, ſiquidem inuenitur metus proditus per cōſtitutiones,puta ſiquis per impreſſionē , id eſt per officij qđ gerit occaſionem,ſibi ſubiectum quid dare cōpulerit: Quo in caſu iure ſingulari cum reo clementer nō agitur,ut ff.eod.l.penult.imò & præter rem in quadruplum cōdemnatur,ut ff.de cōtrahen.empt. proditus eſt metus etiam ex edicto, ut mortis,& metus corporis cruciatus,ut C.de tranſact.l. interpoſitas. Proditus eſt metus per interpretationem edicti,ut metus ſtupri,& ſtatus interuertendi. Stupri, inquam , ſibi inferendi ; metus enim hic maior debet eſſe uiro bono, quàm metus mortis inferendi filijs & maximè filiabus: Quippe pro adfectu pa

rentes magis in liberis terrentur, & per corũ corpora magis quàm in ſeipſis periclitantur, ut ff. eod. l. iſti, & in Inſtitut. de noxali. ita tamen ſi præſens fuerit puella tori matura facie decora, & ſtramina ſint ſibi parata. Metus ſeruitutis inducit edictum, puta ſi cui de ſtatu quæſtione mota, alius manu ſua inſtrumentũ habens, minatur ſe illud exuſturum, quo petitus in ſeruitutem poterat probare ſe liberum niſi aliquid fuerit datum, hoc ita ſi in præſentia ignis concurrat præſentia motæ quæſtionis. Ex metu oriuntur duæ actiones, in rem, et quod metus cauſa perſonalis. In rem utilis competit, quia per traditionem intercedente uoluntate uel coacta, dominium tranſit, ſed æquitate prætoria in bonis eius q metum paſſus eſt & eſt, & permanſit, id eſt & eſſe, & permanſiſſe fingitur, ut ff. eo. l. metum § penult. Simile permanſiſſe legitur de cauſa mortis tradita donatiõe, ut C. ad l. falcidiam l. penult. Et præter in rem utilem competit perſonális, per alteram tamen exactione facta finitur altera, ut ff. eod. l. metum. Porrò actione quod metus cauſa intentata, actio de dolo cum ea cõpetens nõ conſummitur, ſed exceptione in factum eliditur, ut ff. eod. l. ſi cum § penult. Actio quod metus cauſa metum paſſo competit, & eius hæredi contra metum inferentem, & contra eius hæredem, contra primum hæredem ita demum, ſi quid peruenit ad eum: Nec enim ſufficit ad deceſſorem perueniſſe. Cæterum omnís malefici hæres ex deceſſoris maleficio tenetur. Sanè ſufficit perueniſſe ad hæredem primũ, quæcunq; ſit ratio, ut hæredis hæres perpetuò teneretur, ut ff. eod. l. uideamus. Sed et competit contra rei per metum extortæ, etiam bona fide poſſeſſorem ad inſtar uindicationis. Quippe metus habet in ſe ignorantiam, id eſt actio iſta tenet etiam ignorantem, ut ff. eod. l. ſi cum § iij. datur in quadruplũ infra annum utilem quod metus cauſa nõ ab initio, ſed ex poſtfacto, id eſt ſi nõ pareatur arbitrio, quia ſatis clementer agitur cum eo, & poſt annum datur in ſimplum. Ergo poſt annum ceſſat iſta actio, ſi alia competit etiam in ſimplum. Item ceſſat poſt interitum contra metus inſcium, uel ſi ſcierit non tamen deliquit: Maximè ante arbitrium, fortaſſis poſtea etiam bona fide poſſeſſor de interitu teneb..ur. Sed & ceſſat ſi per in rem utilem exactio facta eſt, ſicut dictum eſt. Sed & ceſſat ſi uis interceſſerit nõ compulſiua. Competit ſi intercedente domino quis etiam per uim corporalem compulerit quem ſe liberare, uel alium, uel ſeruum ſuum manumittere. Item ſi dare uel cauere, multo fortius ſi compulerit utrunq; facere. Item ſi in poſſeſſionẽ inducere, uel poſſeſſionem ingreſſis eam deſerere: Hæc enim duo, id eſt patiencia & deſertio pro traditione habentur, ut ff. eodẽ. l. metum. Porrò ſi coactus quis cauerit iudicio meo, etiamſi iurauerit, etiamſi de damno certat, etiamſi iuris ignorantia laborat, etiam ſi ſe teneri putat, non repetit: tum quia ſoluit ſponte, & ex ea exceptione quæ hodie introducta uidetur, proximaq; turpitudinis cauſa ſublata extimatur, tum quia donaſſe creditur, ut ff. de condict. ob turp. cau. l. ſi ob turpem, & Cod. eodem l. ij. Has ſpecialitates ſiue anomalitates admittit actio quod metus cauſa. Cum inferente metum clementer agitur duobus modis: Quippe ſi paret arbitrio abibit impunè. Sed & licet fur & raptor ſemper teneantur de interitu. niſi moram purgauerint, is tamẽ qui metum intulit, poſt ſententiam non tenebitur, ſi res interijt: niſi eam dominus fuerat diſtracturus, nec apud eum ſic res fuerat peritura, ut ff. eod. l. ſi cum § antepenult. Sanè de interitu contingente ante ſententiam, etiam ſi ſine uicio ſuo, quia ab initio liberauit uicio, non obtulerit, uel aliquid pro obligatione fecerit, perpetuò tenebitur, ut C. eod. l. j. Item ſi plures metum incuſſerint, uel unus præſtiterit, cæteri liberãtur, ſi minus: in reſiduum tenebuntur: Hocq; fit etiam poſt conteſtationem ante arbitrium, poſteaúe, etiam notabiliter; licet actio iſta ſit pœnalis, hoc ideo quia arbitraria & pœnalis, non ab initio, ſed ex poſt facto.

facto. Item in actione in factum quæ datur cōtra publicanum, ut ff. de publica. l. hoc edicto. Item habet ſpeciale, quia tanquā in rem actio intenditur contra bonæ fidei poſſeſſorem. Notabiliter ut etiam actio de tigno iniuncto. Item licet actio iſta infra annum competat, etſi aliâs competat, quæcūq; ſit ratio. Hæc actio prætoria eſt, arbitraria, ex maleficio, perſonalis, mixta id eſt rei perſecutoria & pœnalis, & annua quoad pœnam. Nam hoc caſu iniuria non anno cōtinuo, ſed utili aboletur, perpetua eſt, quo ad rem, ut ff. eod. l. ſi cum. Nec obſtat quod C. eod. l. iij. legitur ſi modo qui emit non præſcripſit, hoc em̄ ſi modo iudicio meo ad in rem utilem hoc edicto proditam incommodius refertur, quàm ad actionē perſonalem quod metus cauſa. In ſumma notandum eſt, quòd ex hoc edicto ita fit reſtitutio, ut etiam uinolentus quod dedit conſequatur. Idem iudicio meo etiam ſiquis aliâs diſtracturus diſtraxerit etiam iuſto precio, compulſus tamen reſtituitur, eo ſufficiente quia compulſus eſt. Quod enim improbè factum eſt in priorem ſtatum reuoluendum eſt, ut C. eod. l. vj. Ita tamen ſi per talem metum, qualem diſtinximus ſuprà, quid extortum eſt. Quippe Prætoris dignitas ſola non inducit hoc edictum. Magis enim faciunt homines ſi maiorꝝ ſuorum poſſeſſionibus non careant, ut ff. de minor. l. ſi emptor. Sed nec corporis teutonica iactatio uel uerborum inanium conteſtatio, ut C. eod. l. ad inuidiam l. metū. Porrò metus potentiſſimi, hoc edictum inducit, ut ff. eod. l. ult. § ij. In ſumma notandum eſt, quòd timor infamiæ de facto non inducit edictum, licet coacta ædificij depoſitio tribuat huius actionis auxilium, ut ff. eod. l. nec, & l. metum. Item illud ſciendum eſt, quia licet adulter deprehēſus ſi pecuniam dedit ne occidatur, neúe prodatur, initio inſpecto iure ciuili non repetat, quia tamen & mortem timuit, & potuit non iure occidi, per prætorem æquiſſime repetit qui finem reſpicit, ut ff. eod. l. iſti. Item ſi fideiuſſor uim mihi intulit ut liberaretur, & reus actione tenebitur, quia liberationem cōſecutus eſt, & fideiuſſor dupliciter tenebitur, ut ſe in obligationem reponat, & aduerſus reum actionem reſtituat. Sed & ſi p metum debitoris debitori acceptum eſt, hoc edicto agitur, & in ſua perſona redditur & integratur obligatio, ut & debitor fideiuſſores eoſdem, uel alios nō minus idoneos adhibeat. ut & pignora reſtituat. Sanè ſiquis alius ſine malicia fideiuſſoris ut accepto feratur fideiuſſori uim faciat, ut rei quoq; obligationem reſtituat fideiuſſor non tenebitur, ut ff. eod. l. metum l. illud & l. ſiquis. Item hoc edicto ſicut unde ui interdicto, fructus etiam quos ego percipere potui peto. Item is qui quid cui tradere compulit, ſi etiā ui longè cōpellatur poſtea retradere hoc edicto non iuuatur, tum quia quod paſſus eſt fecit, tum quia damnum nō ſubijt ut ff. eod. l. ſed &. Item illud notandum eſt, quòd nō tantum res principalis, ſed & quodcunq; reſtitui oportet, quadruplari debet, ut ff. eod. l. ſi cum. Item illud notandum eſt, quòd eum, qui metum intulit iudex iubere debet reſtituere, etiā ſi ad alium res peruenerit: eum autem ad quem peruenerit etiam ſi alius metum fecit. Nam in alterius premium uerti alienum metum non oportet, ut ff. eod. l. ſi cum. Item ſi debitis ſimplici iuſſione apparitoris debitor ſatisfecit, quamuis non ciuiliter ſit exactio facta, nō tamen eſt reuocanda, ut ff. eod. l. ultima § ult. Ergo quandoq; id quod fieri non debuit, ſi factum eſt, tolerandum eſt. Item ſi dos metu cauta ſit, cum res talis ſingulariter coactionem abhorret, ſicq; nec naſcitur obligatio, fruſtra intēditur hæc actio. Item in ſumma illud notabiliter notandum eſt, quòd ſiquis coactus poſſeſſionem fundi non ſui tradidit, non quanti fundus eſt, ſed quanti poſſeſſio eius eſt: infra annum quadruplū per ultimum calculum, uel ſimplum cum fructibus conſequitur. Aeſtimatur enim id quod reſtitui poteſt, id eſt quod abeſt, abeſt aūt poſſeſſio ſola cū ſuis fructibus, ut ff. eo. l. ſi mulier. hoc argumentū puto locū habere ubi agit̃ à nō dn̄o furti iudicio.

DE DOLO MALO. TIT. XXI.

QVia metus de quo diximus dolū in ſe habet, de dolo dicamus. Videamus quare titulus imprimitur de dolo malo, & non ſimpliciter de dolo, & quare edictum de dolo ſit proditum, & quid ſit dolus malus, quando admittatur. qualiter diſtinguatur; cui competat actio de dolo, in quantum, & in quibus, ei cum ſuperiori actione cōueniat, & in quibus differat, quādo competat, & quando ceſſet, & qualis ſit actio de dolo. De dolo malo inſcribitur, quia eſt & bonus dolus, puta ſiquis machinetur in latronem, uel in hoſtem. Quippe dolus an uirtus ſit quis in hoſte requirat. Inde eſt ut quis dicatur bonæ indolis quaſi bonum habens intus dolum id eſt ingenium. Siquidem ingeniū poteſt dici bonum & malum ſicut & uenenum dicitur bonum & malum, ut ff. de uerb. ſignif. l. qui uenenum. Salomon equidem in cauſa meretricum dolum finxit bonum. Proditum eſt hoc edictum ne ſtellionibus uarijs & doloſis maleficia ſint lucroſa, neúe alijs damnoſa deceptio ſit, ut ff. eod. l. j. Dolus malus eſt fraus, calliditas, machinatio ad fallendum, circumueniendum, decipiendum adhibita. Tribus modis dolus perpetratur dicto, cōſilio, facto. perpetratur in corpore in pecunia, in fama. Diſtinguitur duobus modis, ſiquidem aliâs ex propoſito uenit, aliâs ex euentu procedit. Hic dolus ultimus impropriè dolus, propriè fraus dicitur, quæ pecuniario in damno, propriè accipitur, ut ff. ſiquid in frau. patro. l. j. Verum de uerbo. obligat. l. ſi ſeruus legitur, quòd res ipſa in ſe dolū habet. Ex propoſito dolus admittitur, aliâs extra contractum, aliâs in cōtractu. Extra contractū dolus aliâs cadit in maleficiū nominatū, aliâs in maleficiū innominatum. Vbi cadit in illud qđ eſt nominatū, actiōe agiť ex illo maleficio, ut furti, ui bonoꝝ raptorū. Vbi maleficiū noīe carens ꝑpetratur, ſi damno qs adficiať, actiōe de dolo agitur. Vbi dolus ex propoſito uenit in contractum, aliâs dat cauſam contractui, aliâs incidit in cōtractum. ubi dat cauſam contractui, contractus talis bonæ fidei actionem nō parit: uerum ſi res tradatur dominium tranſit, ſed reſtitutoria actione de dolo reuocatur, ut C. de reſcinden. uendit. l. dolus. Vbi in contractum incidit dolus Iudicis officio reſcinditur etiam ſi ſit modicus. Vbi nō ex propoſito uenditor decipitur, modica iniquitas toleratur, quia licet naturaliter cōtrahentibus, id eſt iure gentium permittēte ſe circumuenire, ſed nō ex animi propoſitione. Si iniquitas fuerit immodica id eſt ultra dimidiam, reſcinditur & electio circumuenienti ut emptori tribuitur. Hæc actio decepto datur, & eius hæredi, cōtra doloſum, nō contra hæredem: niſi quid ad eum peruenerit, quo in caſu conuenietur actione de dolo, forte etiam pro ſumma modica, & perpetuò quia nō infamatur, ut ff. eod. l. itaq;. Datur ut id reſtituatur quod doloſè extortum eſt per arbitriū, alioquin actore in litem iurante, cum iudicis taxatione per ultimum calculum exigitur intereſſe, ut ff. eo. l. arbitrio. Cōuenit hæc actio cum ſuperiore, quia hæc Prætoria & arbitraria eſt ſicut illa, & ſi unus doloſus præſtiterit, cæteri ſi plures fuerint doloſi liberantur. Differunt, quia hæc perſonam diſtinguit, quod metus cauſa minimè. item nec eſt nec fit pœnalis ſuperior fit pœnalis. Item hæc eſt biennalis etiam ſi ſit conteſtata, ſuperior eſt perpetua. Item per ſuperiorem agitur de ſumma modica, per hanc nō niſi forte cōtra dolo ſi hæredem. Sanè actione in factum pro ſumma modica agitur cōtra doloſum, non cōtra parentem, & hoc uidetur dicere C. eod. l. ſi ſuperſtite. Sanè ſi læſa es immodicè &c. uel ſubaudiatur maximè. Competit hæc actio, ſicut dictum eſt, ſiquis adficiatur damno, nec competit alia actio. Sicut enim in criminationibus in factum intenditur ſtellionatus accuſatio, ita in actionibus ſe habet de dolo actio ut ff. de crim. ſtelli. Ita dico quòd competat iſta ſi ceſſat alia, niſi illa alia ſit

generalior, ut creditum certi, uel niſi illa alia ſit alia inanis propter inopiam debitoris. hæc enim habentur pro nulla, ut ff. eod. l. nam. Quæ enim exceptio iuris durior eſt, quàm exceptio facti?

Semper tutus eris ſi nil portaueris æris,
Cantabit uacuus coram latrone uiator.

Sed & quod dixi ita competit iſta, ſi non competit alia, intelligo: niſi quæ ſit per æque famoſa, ut quod metus cauſa lege præallegata. Nam & ſi alia pœnalis cõpetit, hæc nõ competit, uel interdictum, uel præiudicium, uel ſi alia uia ſuppetat agendi etiam contra alium, uel reſtitutio, uel exceptio ut pacti, & doli exceptio, uel ſi deſijt ſuppetere tempore ex decepti deſidia, ut ff. eod. l. j. ij. iij. iiij. v. § ultima. Ceſſat actio iſta ratione perſonæ, ſummæ, cauſæ. Perſonæ ne à libertis humilioribus intendatur contra parentes, patronos honoratos. Ratiõe ſummæ ceſſat, ne detur pro ſumma infra duos aureos. Sanè hæredibus prædictorũ, & cõtra hæredes qui non ſunt filij prædictorum, de dolo actio dabitur pro ſumma modica, ut ff. eod. l. ſiquis & l. id eſt l. nõ & l. hæredibus. Ratione cauſæ ceſſat, puta ne detur poſt biennium contra doloſum, id eſt ne detur, niſi dolus probetur ex indicijs perſpicuis, uel probationibus luce clarioribus, & teſtibus omi exceptione maioribus, ut C. eod. l. dolum. Illud conſtat quòd hæc actio prætoria eſt, & ex maleficio, & arbitraria, & perſonalis, & biennalis: niſi forte dolum paſſus reipub. cauſa abfuerit, fortaſſis enim hoc in caſu infra annũ utilem actionem de dolo poterit intendere, ſi redierit, ut ff. eod. In ſumma notandum eſt, ꝙ actio de dolo competit, nõ ſolum ſi ab initio dolus interceſſerit, ſed ſi ex poſtfacto. Ecce enim fideiuſſor uelut extraneus à creditore pignora emit, illa reddito ſibi precio reſtituere debebit, ne fidei ruptæ gratia, id eſt ne per fidem quam tũc primo ruperit, de dolo poſſit actio exerceri, ut C. eod. l. Nam & depoſitarij hæres, ſi rem apud deceſſorem depoſitam ignorans uendidit, nondum depoſiti tenetur, uerum poſtea ſi eam recupauerit reddere debebit, nec cauſari debebit, quod ſemel ignarus uendidit, ut ff. depoſiti lege prima. § ultimo. ij. iij. & iiij. His enim modis, id eſt in toto contractu, id eſt uſq; ad conſummationem negocij bonam fidem præſtare debet, ut ff. manda. l. ſi mandato. Sed & ubi à tranſigente acceptolatum eſt, cum primam utpote extinctam non poſſit mouere, de dolo actionem ex nouo & præſenti dolo naſcentem poterit intentare. Sed & mirabiliſſimo quodam modo ex contractu quodam, id eſt ex facio ut des, de dolo competit. Quid ergo dicemus quòd C. eod. l. iiij. legitur: quòd ſi tradidi ancillã meam manumittendam cui ut tradat mihi ſuam, ago de dolo: forte de dolo, id eſt præſcript. uerb. de dolo. Vel forte de dolo propriè, propter inſignem dolum ab articulo facio ut des, hoc in caſu huic articulo do ut des accõmodatur, idem fit in equo animale, uel ideo datur de dolo quia prædicta traditio pro traditiõe nõ habetur, ſed pro facto, nec enim traditur ancilla ut habeatur, retineatur, ſed manumittatur. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſi dolo procurator actoris ſit paſſus aduerſarium abſolui, reus abſolutus non tenebitur de dolo, ſi paratus ſit reſpõdere ſub hac exceptione, ſi colluſum eſt, alioquin de dolo acto erit danda, ſcilicet ſi cum procuratore agi non poſſit, quia nõ eſſet ſoluendo, ut ff. eod. l. & eleganter § ult. Sed & illud dignum eſt notari, quod legitur municipes nihil dolo facere poſſe, & ideo de dolo propriè non cõueniri, ut ff. eod. l. ſed ſi ex. Itẽ ſiquis litem proprietatis mouere cœpit poſſeſſionis rei uenalis, & poſtquam opportunitatem emptoris, cui uenundari potuit, peremit, deſtitit, placuit poſſeſſori pro uarietate cauſarum & perſonarum et ſummarum actionem de dolo uel in factum debere dari, ut ff. eod. l. rem. In hoc paragrapho quinq; uerba ſine nomime poſita inueniuntur in ſimul. Item in hæredis perſona quod ad actionẽ iſtam

pertinet,cauſæ cognitio nõ eſt neceſſaria,ut ff.eod.l.neq;. Item illud in ſumma notandum eſt notabiliter,quòd actio de dolo quandoq; re ipſa non eſt arbitraria,puta ſi ſeruus dolo malo traditus ſit defunctus. Tũc enim doloſus protinus in id quod intereſt actoris damnabitur,ut ff.eod.l.arbitrio.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS MINORVM XXV. ANNIS. TIT. XXII.

Explicauimus de reſtitutiõibus,quæ fiũt duabus propoſitis actionibus, id eſt actione quod metus cauſa, & de dolo,per quas reſtituuntur maiores:nunc audiamus qualiter officio iudicum reſtituuntur minores. Videamus itaq; quid ſit reſtitutio,quibus minoribus tribuatur,in quibus,pro quibus,& quibus detur, & denegetur. Reſtitutio eſt amiſſæ cauſæ reintegratio. Indulgetur reſtitutio minoribus deſtitutis. Soli enim deſtituti ſunt reſtituendi. Soli ægroti ſunt medicandi. Nec enim qui non ceciderunt merentur ut releuentur. Nõ tamen omnes minores lapſi reſtituuntur. Quid enim ſi ſobriè negocia ſua geſſerunt? Quid ſi iure cõmuni uſi fuerunt? Equidem non euentus damni,ſed inconſulta facilitas indulget reſtitutionẽ. Reſtituitur minor in cõtractibus,in quaſi cõtractibus,puta ſi ab eo ſoluatur,uel ſi ei ſine iudice tamen in ſententijs, & pro libertate præſtanda datur,in eremodicijs,in omiſſis appellationibus,& allegationibus,in relictis amiſſis uel omiſſis,in arrogatione,in optione,in uſuçapionibus,in delicto ex animo nõ proueniente,in bonorum ſeparationibus,in negociatione,in confeſſione,in nouatione,in licitatione,in adiectione in diem,in compromiſſo quoque. Sed & ſi filiusfam.minor cõſenſerit patri cõtra ſe paciſcenti reſtituitur. Sed & ſi minor locupleti hæres extiterit, & ſerui hæreditarij fugerint, & res caſui ſubiecta: ut omnes fructus arborum,reſtituitur. Hoc enim euenire proſpexiſſet ſi maior eſſet. Nam & fructuarius ſi ſumptus fecit,quaſi quinquennio fruiturus non repetit quia hoc euenire poſſe proſpicere debuit,ut ff.eod. l. deniq; & l.uerum & ff.loca.l.vij. Reſtituitur minor pro lucro,pro damno:& ſi onus ſuſcepit quod ſuſcipere non debuit,ut ff.eod.l.minoribus & l. non omnia. Reſtituitur autem minor habens xx.annos,etiamſi habeat quinq; liberos pro quinq; annis computandos,hoc tantum proditum eſt in maribus & in ſorciendis honoribus ut ff.eod.l.ij. Duæ ſunt cauſæ in genere,quæ ſuadent reſtitutionem, lubricum conſilij ſiue facilitas ingenij,& doloſitas aduerſarij,plures ſunt in ſpeciebus, ut metus,dolus,alienatio cauſa iudicij,minor ætas,damni enormitas,abſentia iuſta,capitis diminutio quandoq;. Si enim minor patitur ſe uenundari,non reſtituitur,& quia ex animo delinquit,& quia ſeruo reſtitutio non competit, ut ff. eo. l.ſi ex cauſa. Multæ cauſæ reſtitutionem diſſuadent,ſi minor uſus eſt iure communi,ſi communi auxilio tutus eſt,id eſt ſi cõtractus pro certo nõ teneat, ut ff. eod.l.in cauſæ. Malicia quoq; ſupplet ætatem,diſſuadet reſtitutionem,perſona parentis & patroni,libertas præſtita etiam dolo ſeruo proprio, ſententia pro libertate competente lata,crimen admiſſum,corporale iuſiurandum, uenia ætatis impetrata,& rati habitio poſt maiorem ætatem. In ſumma notandum eſt, ꝙ minor lapſus reſtituitur de his tantum quæ geſſit in minore ætate. Reſtituitur autem etiam poſt ætatem infra totum quadriennium. Excipitur minor factus maior principis beneficio,is reſtituitur de his tantum, quæ geſſit ante ueniam impetratã,& de his uſq; ad xxx. annos,nõ poſtea. Porrò de his quæ geſſit poſt ueniam reſtituitur uſq; ad quadriennium & ultra donec cõpleuerit xxv.annos, ut C.de tempor.reſtitu.l.ea quæ. Reſtituitur autẽ minor ſi labitur,de momen-

to in momentũ,ut ff. eod.l.iij.Hoc quoq; diſquiritur ſiue quæritur,an ſit lapſus adhuc minor,ſiue poſt ſit lapſus,& ut reſtituatur poſtulet: Quippe uſq; ad quadriennij ultimum punctum reſtituitur. Sanè ultimum diem agens xx.anni libertatem præſtat quaſi maior, licet non propriè ſit maior, nec minor, ut ff.de manumiſ.l.j. Sed & illud ſciendum eſt,quòd reſtituitur minor cõſequenter ubicunq; regulariter reſtituitur maior. Item ex edicto prætoris cum minorę omniũ tutor eſt,nulla proficiſcitur actio,ut ff.eod.l.j.et l.quod ſi.Sanè interdũ utile iudicium in rem minori lapſo reſtituitur, puta etiam contra ſecundum tertiumúe emptorem. Ita tamen indiſtinctè ſi ſciuerit cum minore geſtum ne rem ſuam minor perdat,uel re ſua careat, ſi non ſcierit ſecundus emptor non tenebitur, niſi ubi prior emptor ſit nõ ſoluendo,ut ff.eod.l.in cauſæ.& l.planè. Porrò ſi iudex lapſo minore iuſſit fundum reſtitui,is qui poſtea contra emptorem precium petentem pœnitentia acta nolit hac reſtitutione uti,excipere poterit, ut ff.eod. l.ſi iudex. Item in ſumma notandum eſt, quòd minor lapſus reſtitutionem petens ſe lapſum eſſe probare debet,ut ff.eod.l.minor & l.de ætate. Excipitur niſi pro minore præſumptio faciat,uel fœneratoris odium,ut C.ſi aduer.C.l.j. Excipitur quoq; niſi minoris aduerſarius probationis onus ſuſcipiat, uel niſi excipiat, ut C.eod.l.iiij. Item in ſumma notandum eſt,quòd ſi minor procuratorio nomine maioris negocium geſſerit,nõ reſtituitur ne cõtra procuratoris propoſitum maiori ſibi imputaturo ſubueniatur. Sed & ſi ex euentu damnum minor paſſus eſt,quia mandator ſoluendo non eſt,nõ reſtituitur. Sanè ſi maioris negocia minor ſponte geſſerit petere reſtitutionem debebit,ſi petere recuſauerit,negociorę geſtorum actione conuentus cum effectu ita demum ſe liberabit, ſi dominum nego.geſto.ad petendam reſtitutionem ut ſibi damnum propter minorem contingens reſarciatur,in rem ſuam procuratorem fecerit,ut ff.eod.l. cum mandato,& l.quod ſi. Item illud notandum eſt,quod ſi ſeruus filiumfam.minorem circumſcripſerit,dominus id quod ad ſe peruenit reddere debebit, ſi nõ ſufficiat ei peculium præſtabitur. ſi ex neutro ſatisfiat,ſeruus uerberabitur, aut noxæ dabitur,& hoc eſt nota dignum. Nam ſi ſeruus extra cõtractum deliquit debet præſtari ſi in contractu,ſeruus noxæ debet dari. Similis tamen caſus legitur ff. ſi menſor fal.mo.l.ſi duobus,& ff.de condict.furt.l.ſeruus.

DE FILIOFAM. MINORE. TIT. XXIII.

AVdiuimus de reſtitutionibus minorum in genere,nunc audiamus per ſingulas ſpecies. Et quia in his uaria inſpectio habetur & perſonarum & rerum,ſed de inſpectione perſonarum primo loquamur,ſicq; de filiofam.minore, qui non eſt reſtituendus,crede ne etiam pater maior reſtituatur,ut ff.eod. l. deniq;. Porrò reſtituitur,ſed diſtinguitur filiusfam.minor interceſſerit, uel principaliter contraxerit. Si interceſſit,aut pro extraneo,aut pro patre. Si extraneus ſit ſoluendo,nõ reſtituitur,ſi non ſit,reſtituitur: ſi pro patre,eiq; non extitit hæres,uel in modicum,reſtituitur,ſi ex aſſe,uel ex maiore parte,non reſtituitur,ut C.eod.l.j. Si principaliter contraxit,aut per mutuum,aut per contractum aliũ: ſi per contractum alium pater non iuuatur,ſi ſuo nomine de peculio cõuenitur: Si uero pater pro filio reſtitutionem petat,licet filius reſtitui nolit,reſtituitur,ut ff.eod.l.patri. Porrò filiusfam.cõuentus reſtituitur,ut ff.eod.l.iij. Si filiusfam. minor mutuam pecuniam acceperit,aut ſenatu inhibente, aut permittente, aut patre iubente: in primo caſu,quia neuter tenetur,& neuter reſtituitur, in ſecundo pater non iuuatur,filius reſtituitur,in tertio mirabili modo(quæcunq; ſit ratio)nec filius iuuatur,ut ff.eod.l.iij. In ſumma notandum eſt, quòd ſi minor mi

nori pecuniam crediderit non tenetur qui dilapidauit. Sanè ſi minor filiofamil. maiori credidit, magis ætatis ratio quàm Macedoniani habetur, ut ff. eod. l. uerum § ult. & l. ſi minor. Sed & ſi apud minorem mulier cum effectu intercesserit nec prior debitor ſit ſoluendo, mulier cum effectu tenebitur, ſicq; magis ætatis quàm Velleiani ratio habebitur, ut ff. eod. l. ſi apud. Item illud notandum eſt, quod ſi filiusfam. in peculio contraxerit eo mortuo pater quaſi hæres filij reſtituitur, ut ff. eod. l. iij.

DE FIDEIVSSORIBVS MINORVM. TITVLVS XXIIII.

MInore reſtituto non ſequitur ut fideiuſſor maior ab eo datus uideatur reſtitutus, imò diſtinguitur ſit lapſus conſilij lubrico, quo caſu fideiuſſor iuuatur: an aduerſarij dolo, quo caſu reſtituitur, ita tamen ſi reſtitutionem petierit. Sanè reſtitutio indulta minori contra emptorem, non præbet ei iuuamen cõtra fideiuſſorem, uel per contumaciam abſentem. Equidem fideiuſſori nõ parcitur ubi labitur minor facilitate ingenij, & multo minus parcendum eſt mandatori. ut ff. eod. l. in cauſæ. Quid ergo dicemus quod ff. de procuratoribus l. minor dicitur, etiã fideiuſſori ſubueniri? dicatur ibi minorem dolo inductum, ut ſubiret iudicium, uel fideiuſſorem probabiliter credidiſſe minorem fuiſſe minorem, uel aliud eſſe in iudicijs, quàm in cõtractibus. In ſumma notandum eſt, quòd omiſſa reſtitutione damna ſui tutoris minor ſequi poterit. Sed et electa una uia per alteram reſtituendus ambulabit, ut C. ſi tutor interue. l. ult.

SI TVTOR VEL CVRATOR INTERVENERIT. TIT. XXV.

REſtituitur minor in negocio, quod tutor uel curator ſolus contraxit. Idem fiet, ſi minor non tamen pupillus non habens defenſorem contraxerit. porrò ſi minor defenſorem habens ſine defenſore contraxerit, quod non tenetur, nec reſtituitur. Quippe talis hominis contractus eſt nullus, & non eſt abſimilis contractui eius cui à prætore bonis interdictum eſt, ut C. de reſtitut. l. iij.

SI IN COMMVNI EADEMQVE CAVSA RESTITVTIO IN INTEGRVM POSTVLETVR. TIT. XXVI.

SI tres fratres fuerunt, quorum duo fuerunt minores, & tertius fuit maior, & uendiderunt, uel uendenti maiori minores conſenſerunt, à minoribus impetrata reſtitutio, maiori non proderit. Reſtitutionis etiam beneficium utpote ſingulare, etiam ratione fraternitatis, ad maiorem non porrigitur: prætertquam in tranſactione, ut infra ſi aduerſ. tranſact. Quippe in eo caſu nec aliter fieri poſſet, cum enim minor, cui tranſactum eſt, reſtituitur ad pecuniam quam dederat, cõſequens eſt ut maior repetat actionem, quam remiſerat: aliàs tamen alterius factum tam pupilli quàm maioris, prodeſſet alteri etiam maiori. Ecce enim maior ſi ſeruitutem habeat cum pupillo, nec maior damnificabitur, licet neuter utatur ut ff. quemad. ſeruit. amit. l. ſi communem. Sed aliàs ex duobus quorum fundo debetur ſeruitus, ſi unus expertus uicerit, proderit & ſocio, ut ff. ſi ſeruit uendi l. loci. Sed & ſiquis de communi cauſa reſcriptum accepit, etiam fratri cõſuluit, ut C. de reſcript. l. j. Si ex duobus tutoribus condemnatur alter, alter appellans ſi uicerit & alteri uictoriam communicauit ut infra ſi unus ex plu. appel. hoc ita

ſi eorum fuerit una cauſa, puta tutores fuerunt, & eadem quia ſimul ambo geſſerant, ſi fuerit una, nō eadem, id eſt alter geſſerit, alter non, alterius appellatio alteri non proderit, ut ff. de appellat. l. ſiqui. Interdum quoq; alterius facto utpote iureiurando, etiam aduerſario melior affertur conditio. Ecce enim ſi me uendidiſſe uel pignoraſſe iurauero; non tantum experiri ſed & conueniri potero, ut ff. de iureiur. l. ſi duo. dilationis quoq; à reo impetrandæ ſuffragiū actori præbet emolumentum, ut C. de temp. appellat recip. penult.

SI ADVERSVS REM IVDICATAM RESTITVTIO POSTVLETVR. TIT. XXVII.

ET minores condemnati exiſtentibus eis tutoribus & curatoribus reſtituuntur. Idem fiet ſi tutor, & curator, et pcurator minorꝫ nomine cōdemnentur. Porrò ſi ſolus minor conueniatur; quia nulla ſententia eſt, non reſtituitur. Sanè ſi maior obtulerit ſe defenſioni minoris & cōdemnetur, nec minor reſtituitur, ut ff. eod. l. cum. forte ſi defenſor damnatus negociorum geſtorū minorem conuenerit, minor reſtitutionem impetrabit. In ſumma notandum eſt, quòd cōtra ſententiam pro patre dictam in cauſa emancipationis non ritè factæ, minor reſtituitur. acſi apertè diceretur non tamen contra patrem, uel dicatur etiam cōtra patrem & ſit in cauſa ſtatus ſpeciale. Nam nec hoc caſu pater negans pbat, & ad iuris ſubtilitatem decurrit. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſi malicio ſe per maiorem fuerit ſtructum, ut conuentus minor factus maior cōdemnetur, iſte maior tanquam adhuc eſſet minor reſtituetur, ut ff. eod. l. iij.

SI ADVERSVS VENDITIONEM. TIT. XXVIII.

SI minor non habens defenſorem uendidit immobilia, reſtituitur: reſtituitur quoq; ſi uendidit eo autore. Item reſtituitur, ſi uendidit etiam prædia cum decreto ſi tutor caret delicto, ut ff. eodem. lege tutor. Reſtituitur autem maximè ſi tutor non ſit ſoluendo, maximè ſi minoris granditer intereſt, maximè ſi emptor non poſſedit ſex annis uel amplius. Tunc enim reſtituitur ſed uix, & ita ſi reſtituat expenſas emptori, ut ff. eod. l. Aemilius. Reſtituitur autem minor qui uendidit ſi nullo modo iurauit, ſed & ſi uerbotènus tantum iurauit. Porrò ſi corporaliter iurauit non reſtituitur, id eſt ſi iurauit ſe contra uenditionem non uenturum, etiam ſine decreto factam iudicio meo. Si metuit iuſiurandū meo iudicio de dimidia queri poteſt. Non auditur, inquam, minor in prædicto caſu qui corporaliter iurauit, quia purè & licitè iurauit: Quippe interdum quis iure permittente uenit contra ſuum iuſiurandum per conditionem tacitam, puta ſiquis iuratò tranſegit propter metum inſtrumenti, quod credidit uerum cum eſſet falſum ut C. de tranſact. l. ſi ex falſis. Sed & ſi unus iurauit ſe daturum, quod non accepit, etiamſi nō præſtat, nō deierat, quia tacita cōditio ineſt, ut C. de nō numer. pecu. l. ult. Sed & propter rei iuratæ turpitudinem quis iure uenit contra ſacramentum ſuum, puta ſiquis iurauit ſe perſeueraturum in cōditione ſcænica. Sed & aliàs cauſa cōceſſa quis deſerit religionem ſuam, ut C. de nupt. authen. quod eis & ff. qui ſatiſ. cog. l. ult. Sed etiā cōtra iuſiurandum alterius interdū iure uenit alter, puta ſiquis ex iureiurādo à iudice delato uincitur, ut ff. de iureiurando l. j. admonendi. Sed & contra ſacramentum legatarij iure uenit hæres, ut C. ſi cert. pet. l. ult. non econtra: quia in caſu primo certatur de lucro, in ſecundo de uitando damno, aliàs ſtari debet religioni. In ſumma notandū eſt, quia ubi minor cum tutore uel tutor cum minore diſtraxit res caſui ſubiectas, minor reſti-

tui non debebit,& eſt hoc notatu dignum niſi tutoris euidens gratia uel ſordes interceſſit,ut ff.eod.l.ait,

DE ADVERSVS VENDITIONEM PIGNORIS. TIT. XXIX.

VBi creditor uendidit minoris prædium, diſtinguitur pignus cœperit à minore,uel à minoris deceſſore:ſi cœperit à minore, ut uendi poſſit, exigitur ut cum decreto ſuo fuerit obligatum,licet nō uenditum: multo magis uenditio tenet,etiam ipſa,& præcedens obligatio,cum decretum præceſſerit. Hoc in caſu minor reſtituitur,etiamſi modice interſit eius. Vbi pignus cœpit à deceſſore, etiam ſine decreto à creditore pignus ritè uenundatur. porrò hoc in caſu minor non reſtituitur,niſi propter grande,enorme, & intolerabile damnum, uel niſi emptor cum creditore eo deniq; uenditore,participatus fuerit fraudis cōſilium, ut ff.eod.l.j.& C.de prædijs mino.l.j.& ij.In ſumma notandum eſt, quòd etiã aliàs,niſi quis miſſus in poſſeſſionem bonorum minoris indefenſi poſtulat ut diſtrahat,diſtinguitur contractus cœperit à minore,uel ab eius deceſſore, ſi à minore cœpit differtur uenditio poſt pubertatem, ſi à deceſſore minimè ut ff. ex quibus cau.in poſſeſ.ea. l.iij.

SI ADVERSVS DONATIONEM. TIT. XXX.

SI minor non habens defenſorem donauerit mobilia reſtituitur, idem fiet ſi immobilia tutore autore & prætore. Hæc ita ſi immoderatè donauerit ſponſæ ſuæ,ut C.eod.l.j.Idem fiet ſi patri donanti filius conſenſit, maximè ubi donatarius,contra quam uenitur per reſtitutionem,non habeat regreſſum contra donantem patrem,puta cum non interceſſit pactum. forte idem eſt ſi ex pacto pater donator teneatur donatario,licet enim per medium, non tamen per principalem filius reſtituitur contra patrem.In ſumma notandum eſt, quòd hodie in eo iure non ualeat regulariter uenditio quarumcunq; rerum minoris ſine decreto,niſi earum rerum quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, in quibus reſtitutio locum uindicabit,ut C.de adminiſtra.tu.l.lex quæ.

SI ADVERSVS LIBERTATEM. TIT. XXXI.

ADuerſus libertatem à minore non infante maximè cum tutore præſtitam, minor non reſtituitur,etiamſi indebitè uel nō merenti ſit præſtita, ſed etſi dolo fuerit extorta,ut C. eod.j.& ij. Ita tamen ſi non fuerit à minore xx. annis præſtita,uel à minore uindicata,cauſa etiam falſa probata, ita tamen ſi proprio minoris ſeruo à minore ſit præſtita. Sed nec cōtra ſententiam pro libertate iam competente latam,minor reſtituitur,licet poſſit appellare,ut C.eod.l.ult. Contra ſententiam pro libertate præſtanda dictam reſtituitur. per multum enim refert,iudex pronunciauerit liberum uel liberandum,ut ff.eod.l.j. In ſumma notandum eſt,quòd Imperator ſolus contra libertatem ritè præſtitam reſtituit, ut ff. eodem l. ſi ex cauſa. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd ſi uicio manumiſſi,uel curatoris,in libertate danda minor labitur, per eos minoris damnum debet reſarciri,ut C.eod.l.j.ij.Item illud in ſumma notandum eſt, quòd ſi minor rogetur manumittere ſeruum ſuum, qui ſit pluris quàm in teſtamento ei legatū ſit,& legatum acceperit,non cogitur manumittere,ſi legatum reddere paratus ſit,ut ff.codem l.ſi minor.

SI ADVERSVS TRANSACTIONEM VEL DIVISIONEM IN INTEGRVM RESTITVI MINOR VELIT. TIT. XXXII.

VBi minor cui tranſactum eſt,cuiúe roganti diuiſio facta eſt,rogat ut reſtituatur,etiam maior iuuatur, hocq́ facit neceſſitas ſiue contiguitas negocij, cauſaq́ connexa. Ita autem iuuatur minor,quia ſi ſuperſit actio redibit ad eam per replicationem,ſi fuerit acceptolata per Imperatorem reſuſcitatur, & tranſigenti tribuitur tanquam Mariæ & Marthæ Lazarus, ut C. eod. l. j. & ij. Idem fit in fraudatore creditorum. Sic & muliere intercedente, ſubducta uel minoris perſona in ueterem debitorem reſtitutoria datur. In ſumma notandum eſt, non obſtare quod legitur ff. eod. l. cum minor, quia licet tutelæ curæúe iudicium directum reſtituitur minori, non tamen contrarium reſtituitur tutori uel curatori. Quippe iſta iudicia non ſunt adeo connexa, nec multum ſe contingunt, & alterum ſine altero ſæpiſſimè intenditur, & poteſt intendi.

SI ADVERSVS SOLVTIONEM A TVTORE VEL A SE FACTAM &c. TIT. XXXIII.

SOluit quandoq́ minor debitor ſuo creditori maiori, quandoq́ debitor maior ſoluit id quod debet creditori minori: Vbi ſoluit minor debitor, aliâs cū tutore, aliâs ſine tutore. Si cum tutore ſoluit creditori maiori ſe liberat, ſi ſine tutore ſoluit, & maximè ſi ſit pupillus, cum nihil accipientis faciat, ſe non liberat. Sanè conſumpta pecunia liberatur, reſtituendus tamen quandoq́ códicit, ut ff. de condict. indebi. l. interdum. Vbi ſoluitur minori, aliâs ſoluitur ipſi ſoli, aliâs ſoluitur ei cum tutore, aliâs cum iudice: Soluens ei ſoli non liberatur, ergo rurſus exigitur, ſed ſi pecunia ſit ſalua, excipitur. Soluens minor curatori ipſo iure liberatur, ergo iteratò præter reſtitutionem non exigitur. Sed & interueniente reſtitutionē denuo ſoluere compellitur nō ſalua pecunia. Excipitur niſi id quod annuatim, uel ex Trebelliano minori debetur, ſi ſoli procuratori ſoluatur, tunc enim etiam ſine iudice & ſine reſtitutionis metu, pleniſſima liberatio contingit, ut C. de adminiſtra. tuto. l. ſancimus, & C. ad Trebell. l. penult. Soluens etiam cum iudice pleniſſimè liberatur, pecuniaq́ etiam perdita, poſtea non exigitur. Licet enim minor reſtituatur contra uenditionem cum decreto factam, nō tamen quæcūq́ ſit ratio, reſtituitur cōtra ſolutionem iudice interueniente celebratam. In ſumma notandum eſt, quòd ſi minor cū curatore ſoluerit, etiam per errorem iuris, id quod ciuiliter per l. falci. non debebat, reſtitutus repetet, ut C. eodem l. ult. Nam &, ſicut dictum eſt, per reſtitutionem quandoq́ id repetet, quod utroque iure debebat. Sed & illud ſciendum eſt, quòd ſoluens pupillo adiecto, ipſo iure ſe liberat. Licet eñ is ſoluere pupillo poteſt & debet, nihil tñ pupillo adiecto debet, ut ff. de ſolut. l. quod. Quid ergo ſiquis uelit ſoluere minori curatorē non habenti, nunquid ſolo iudice autore ſe liberabit? minime, inſpecto rigore. Quid tamen ſi prætor decernat pecuniam ſolui ſine curatore? equidem minor non debebit reſtitui. Verum licet legatur, minori non petenti, præterquam ad litem curatorem non dari, permittitur tamen debitori ſoluere, uolenti compellere minorem ut petat curatorem, licet enim hoc in caſu curator ad litem non poſtuletur petitur tamen ut lis uitetur, ut ff. eod. l. ait § iij. & § iiij. et eſt utrumq́ nota dignum quod eſt proximè dictum. Item in ſumma notandum eſt, quòd licet, ubi minor adito præſide ex aſpectu corporis falsò probata ætate admiſit debitorem ſoluentem, nō reſtituatur, poſtea contra eundē tamen curator qui ſciens

eum minorem eſſe,& perſeuerans in officio, patitur eum accipere pecunias debitas,poterit hoc nomine conueniri,ut ff.eod.l. minor.

SI ADVERSVS DOTEM &c. TIT. XXXIIII.

Contra dotem quoq; minori ſuccurrit,puta ſi minori quoq; dote data æque probo uiro uel digniori nubere potuit. Sed & mulieris hæredi intra tempora conſtituta reſtitutio indulgebitur. fortaſſis enim ſi ex rigore pacti dotem totam lucrifacere poterit, auocabitur ꝑ reſtitutionē id quod immoderate ꝓceſſit.

SI ADVERSVS DELICTVM SVVM &c. TITVLVS XXXV.

Expoſuimus qualiter minor reſtituatur cōtra contractum & quaſi,nunc audiamus qualiter cōtra delictum. Diſtinguitur minor admittat delictum extra animum,an ex animo. Delictum quod ex animo nō uenit,propter inopiam nominum in nominibus generalibus perſeuerat,uocaturq; ſimpliciter peccatū, admiſſum,commiſſum,delictum. In talibus reſtituitur minor, & in contractu, puta ſi rem commodatam culpa perdidit: & extra contractum, puta ſi animal brutum alienum occidit,cum putaret ſe occidere ſuū. licet aliqui perperam (me iudice) dicant in contrarium. Vbi minor ex animo delinquit, ſiue in contractu, ſiue extra, tale delictum nomen ſpeciale aſſumit,& uocatur crimē,uocatur etiā noxa,ut C.eod.l.j. In criminibus,id eſt in delictis ex animo prouenientibus minor non iuuatur,ſi ciuiliter conueniatur,ſiue actione ex contractu, ut commodati: puta ſi rem commodatam dolo perdidit,ſiue actione ex maleficio ut furti. Hæc ita niſi pro fure potuit tranſigere,et nō decidit ſi pro dāno per dolum dato potius inficiari,quàm cōfiteri maluit. In prædictis ita reſtituitur minor,ut, quaſi tranſegerit,iuuetur, quaſi confeſſus ſit,tantum in ſimplū conueniatur. Sed et ſi criminaliter accuſetur, non iuuetur. niſi ut aliquando mitior pœna irrogetur, ut ff. eodem l. ſi ex cauſa. Auxilium enim reſtitutionis in pœnis criminū paratū nō eſt, niſi interdū miſeratione ætatis, præterquam in adulterijs, ſtupris, lenocinijs. fruſtra enim leges inuocat,qui cōtra eas cōmittit,ut ff. eodē l. auxilium. In ſumma notandū eſt,quod ſi mulier,minor,uel uir culpa,id eſt dolo fecerit diuortium, nō reſtuitur ſicut nec ſi perpetrauerit adulterium,ut ff. eod.l. ſi ex cauſa. Illud tamen in ſumma notandū eſt, quod ſi minor ex animo ſui corporis ludibrium facit, nō infamatur: tum quia, licet ludit, nō delinquit, tum quia, licet dicatur quod delinquit,crimen non admittit, tum quia ſi concedatur quod crimen admittit, quia ex animo id agit,ſe tamen non alium lædit. Item illud notandum eſt, quod licet minor crimen ſuo nomine perpetratum ratum habuit,non ideo minus, meo iudicio,reſtitui debebit, nec enim uere crimen admittit qui crimen ratum habet. Quippe longè aliud eſt delinquere quàm ratum habere.

SI ADVERSVS VSVCAPIONEM. TIT. XXXVI.

Aduerſus uſucapionem quóq; minor reſtituitur,non puppillus, cuius res nō uſucapitur,ſicut nec fiſci. Sanè res mobilis eccleſiaſtica, resq; mobilis publica, ſicut minoris,non pupilli uſucapitur, ergo minor, eccleſia, ciuitas, contra uſucapionem reſtituuntur. Porrò in præſcriptionibus uſq; ad xxx. an. minores non reſtituuntur, quia hodie nō læduntur, poſtea reſtituuntur ſi læduntur: quod ita dicendū eſt, ſi à deceſſoribus xxx. uel xl. an. præſcriptiones cœperint,

nempe

nempe aliâs in perſonis minorum impleri non poſſent. Porrò contra eccleſiam, & cõtra ciuitatem infra decem annos omnis præſcriptio currit, ergo decem die rum, ſemeſtris, annua, ut authen. quas actiones. Idem eſt de Neſtorianis. Reſti tuuntur tamen eccleſia & ciuitas tanquam adoleſcentulæ, fiſcus ſicut pupillus. forte non patitur & ideo non reſtituitur.

SI ADVERSVS FISCVM &c. TIT. XXXVII.

ADuerſus fiſcum quoq; minor reſtituitur, ſi cum eius procuratore contrahens labitur. Sanè reſtitutio prædicta tribus perſonis interuenientibus celebratur, ſcilicet præſide, procuratore, eiusq; áduocato, ut C. eodem licet non fiſcus, eccleſia tamen, & ciuitas, & minor, cõtra minorem reſtituuntur, maximè quando minor id quod accepit non perdidit. forte uice uerſa contra eccleſiam, contra rempub. ſi non perdiderunt quod acceperunt, minores reſtitutionem impetrabunt.

SI ADVERSVS CREDITOREM &c.
TITVLVS XXXVIII.

ADuerſus creditorem quoq; ſpecialiter hic acceptum, id eſt fœneratorem minor reſtituitur, hoc ita, ſi accepit & cauit, ſe redditurum pecuniam, nec redhibeat eam, hoc ita ſi perdidit. Ergo nec reſtitutionem factam interpoſita appellatione fœnerator refricabit, niſi probauerit minorem locupletiorem, nec tribuendam aliâs poterit impedire, ut C. eod. l. ij.

SI SE ABSTINVIT HAEREDITATE.
TITVLVS XXXIX.

MInor ſcriptus hæres, legitimusúe, ſi fuerit ſuus, ſi nondum ſe immiſcuit, reſtitutione non indiget. fides enim ueritatis, uerborum adminicula non deſiderat. Si ſe immiſcuit aliquando reſtitui debebit. Sed & ſi emancipatus uel extraneus adierit, cum adijſſe non debuit, ut omittat reſtituitur. Sed & ſi minor omiſerit hæreditatem, uel repudiauerit, cum neutrũ feciſſe debuerit, audiendus erit. Sane ea quæ legatis expenſa ſunt à minore abſtento, poſtea ei qui primus adijt reſtituenda non ſunt, quemadmodum per contrarium cum minor reſtituitur, non ab aditione, ſed aditione quæ antea geſta diſtracta ſunt per procuratorem bonis datum, ſubſtitutumúe, rata eſſe debebunt, ut ff. eodem l. minor, & l. quod ſi.

SI VT OMISSAM HAEREDITATEM, VEL BONORVM POSSESSIONEM, VEL QVID ALIVD ACQVIRAT.
TITVLVS XXX.

EXpoſitis cauſis utcunq; in quibus reſtitutio minoribus eſt neceſſaria, audiamus in quibus cauſis non eſt neceſſaria. Et quidem quãdoq; neceſſaria eſt, & tribuitur, ſicut hucuſq; in ſuperioribus expoſitũ eſt, quandoq; neceſſaria eſt, & nõ tribuitur, quandoq; neceſſaria non eſt, & ideo nõ tribuitur. Neceſſaria eſt & non tribuitur, puta contra libertatem, contra crimen, contra ſolutionem minori eiusq; curatori, uel curatori ſoli cum iudice factam. fit ſæpe ut reſtitutio denegetur, quia minor ipſo iure illæſus conſeruatur. Ecce enim in præſcriptioni-

bus infra xxx annos conſiſtentibus. melius eſt enim intacta iura ſeruare quàm poſt uulnera remedium quærere, poſt plagas inflictas, oleum & oua & ſtupam imponere. Item ſi tutor qui inuentarium non fecit, ſiniſtram ſententiam reportauit, minori non oberit. Idem eſt in minoris procuratore. Sed & minor non læditur, ergo non reſtituitur, ſi necem teſtatoris interfecti nō ulciſcitur, ut C. eo. l. j. In ſumma notandum eſt, quia quod in præſcriptionibus prætor faciebat reſtituendo, hoc hodie facit Imperator in moris læſionem afferri non paciendo. Ergo in illis præſcriptionibus in quibus olim minores lædebantur, & nō reſtituebantur, hodie minores nec ipſo iure illæſi conſeruantur. Ecce enim ſi matri tuæ quæ ingenua communi opinione uixit, quæſtio mota non fuit, & quinquennium à die mortis eius exceſſit, tu eius filius & rempub. & pupillos nota poteris præſcriptione repellere, ut C. ne de ſtat. defunct. l. ſi mater. Quid ergo dicemus qđ C. ſiquis ignor. tem. mino. l. ult. legitur, longi temporis præſcriptionem currere duntaxat poſt perfectam ætatem? profecto dicemus quo ad effectum, uel à compoſitoribus additum. Item quid dicemus quod authen. ſi minor de tempori. in integrum reſtitu ait, minorem non eſſe reſtituendum? profecto dicemus eſſe ſpeciale, uel Iuſtinianum de letheo fonte potaſſe. Item in ſumma notandum eſt, ꝙ in moris ſola ſolutionis retardatio in bonæ fidei iudicijs relictis uſuras aduehit. forte & in eiſdem periculum rei minori debitæ ad maiorem debentem ſpectabit. licet enim retardatio non ſit propriè mora, in minoribus tamen habetur pro mora. Quippe mora dupliciter admittitur. Is qui moratur de interitu tenetur, & iure ſingulari, & communi. Singulari, & ex fauore ut in minore, & ex odio ut in fure. Iure communi, ut per competentem interpellationem etiam poſt libelli conuentionem, etiam per conteſtationem, etiam per id quod habetur pro interpellatione, ut per diem inſertum, aliâs ab homine, aliâs à lege, ut in præſtanda penſione, reddenda dote, dies enim tacite interpellat pro homine. Item mora triplici gaudet effectu. nempe, ſicut dictū eſt, etiam periculum trahit, & uſuras gignit, & ſtipulationem committit. Item in ſumma notandum eſt, quòd etiam maioribus præſtãtur uſuræ, etiam mora nō interueniente, ut ff. de uſur. l. j. & ff. manda. l. ſi mandato. Forte & ſola perceptio fructuum ſine omni interpellatione, uel eo quod habetur pro interpellatione emptorem cōpellit, ut precium cū uſuris debeat præſtare, et C. de act. empt. ut uendi. l. v.

QVI, ET ADVERSVS QVOS IN INTEGRVM RESTITVI NON POSSVNT. TIT. XLI.

EXpoſuimus ſuprà qualiter reſtitutio ceſſat propter res, nunc audiamus qualiter propter perſonas etiam petentes, & contra quas petitur. Ecce ſiqui minores in actibus priuatis & publicis ſe induſtrios exhibuerunt, contra eos prima facie præſumitur ut nō reſtituantur, uerum ſi aduerſarij dolo uel proprij cōſilij lubrico, & maximè ſi dolo labuntur, reſtituuntur. Enimuero contra parentes & patronos nunquàm reſtitutio datur. Nunquam, inquam, datur iuræ ætatis, id eſt per officium iudicis, licet per conſequentiam & cōtra parentes aliquando tribuatur, puta aduerſus ſententias pro parentibus contra filios latas. Et (ſi cuedictum eſt) contra donationes rerū filij à parentibus celebratas. Porrò actione propoſita ut actione in factum, quæ ſurrogatur in locum actionis de dolo reſtitutio contra patrem filio indulgetur, ut C. de dolo l. ult.

SI MINOR SE MAIOREM DIXERIT. XLII.

AVdiuimus qualiter reſtitutio ceſſet propter minores petentes, & propter maiores contra quos petitur, nunc audiamus qualiter ceſſet propter minorum dicta uel facta. Ceſſat reſtitutio ſi minor geſtiens uendere poſſeſſionem ſuam, & redigere pecuniam, maiori emere uolenti ſed propter ætatem uerenti, ſe maiorē eſſe ſuaſit. Sed & ſi intercedente facto, puta ex aſpectu corporis per maliciam quæ ſupplet ætatem ſe maiorem eſſe probauerit, non reſtituitur. Econtra reſtitutio datur, ſi maior oblatis tabulis quæ falſò perhibeant minorem exceſſiſſe imperfectam ætatem eum minore contraxerit. Reſtituitur autem minor ſi nullo modo iurauit. Reſtituitur quoq; ſi maiorem ſe eſſe uerbotenus iurauit. Ita tamen ſi poſtea per inſtrumenta non per teſtimonia ſe minorem eſſe probauerit. Idem dicitur à quibuſdam C. de teſti. l. j. Idem quoq; eſt C. de non nume. pecu. l. generaliter, aliàs uox uiua potentior eſt quàm mortua, ubi inſtrumentis uel teſtium depoſitionibus contenditur aliàs regulariter, ut C. de fi. inſtrumen. l. in exercendis. Sanè ſi minor corporaliter iurauit ſe eſſe maiorem nō inductus aduerſarij dolo, poſtea non auditur, quia nec ineſt conditio tacita nec turpitudo eſt in cauſa, ut C. eod. l. ult. Ergo & inter peritiores permultum intereſt inter iuſiurandum uerbo tenus præſtitum quod laici peierare uocant, & inter corporale ſacramentum.

SI SEPIVS IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR. TIT. XLIII.

REſtitutio quoq; ſæpius petita denegat reſtitutionem. Quippe cōtra res bis iudicatas ſolus Imperator etiam uix reſtituit, ut ff. eod. l. minor autem. Sanè ſi minor aduerſus ſententiam contra ſe dictam reſtitutus, denuò fuerit uictus iteratò reſtitutionem non petit, niſi per nouas rationes habuerit. Porrò ſi nouas habuerit etiam poſtea ortas, nec primæ cauſæ capitulis ad nexas, reſtitui debebit. Excipitur forte ubi pater hæreditatem adijt, quam à filio prius habitam filius ipſe per reſtitutionem amiſit, ut C. de bonis quæ libe. l. ult. Eritq; hoc ſpeciale propter paternam reuerentiam, uel forte ibi nō prætendebantur rationes nouæ. Sanè in cauſa appellationis rationes nouæ non prætendunt, niſi quæ prius adnexæ & coniunctæ reperiuntur, ut C. de temp. appell. l. per hanc.

DE HIS QVI VENIAM AETATIS IMPETRAVERVNT. TIT. XLIIII.

COntingit aliquando ut ætatis uenia impetretur à minoribus, quæ & ipſa denegat reſtitutionem, & ideo de his inſeramus. Videamus itaq; quando uenia ætatis impetretur, et qualiter impetretur, & qualiter impetrata allegetur, ubi opituletur, & in quibus præbet opitulationem. A maribus impetratur ſi cō pleuerunt xx. annū. A fœminis ſi compleuerunt xviij. maturior enim eſt ſexus fœminarum, quàm uirorum, & plus & citius creſcit hærba mala quàm bona. Suppletur ætas per principem ſolū impetrato reſcripto. Ita tamen ſi apud principem probetur de honeſtate morum, de honeſtate uitæ mentiſq; ſolertia. Vt ætatis uenia proſit, apud iudicem ſuum debet allegari, & ea quæ prædicta ſunt debent probari. Inferet quis, ergo prædicta probata, apud principem proban-

da ſunt,& apud iudicem? Reſpondeo eſto,uel dicemus etiam apud iudicẽ probabit,id eſt apud principem probatum, apud ſuum iudicem exhibebit ſimilis locutio legitur C.quo.bono.l. j. proderit minori uenia impetrata ut quiuis cũ minore liberè contrahat omnia negocia. Excipitur quia nec talis minor ſine decreto poterit alienare,uel hypothecare,ut C.eod.l.ij.

SI MAIOR FACTVS RATVM HABVERIT. TITVLVS XLV.

RAti quoq; habitio à minore facto maiore inhibet reſtitutionẽ,hoc ita ſi minor à ſe negocium geſtum ætate minore factus maior ratum habuerit. Idẽ erit ſi minoris tutor ſolus negocium geſſerit.idem erit ſi utrumq;.idem erit ſi minoris rem creditor uendidit.idem erit ſi prorſus extraneus nõ nomine minoris, ſed ſuo rem minoris uendidit. Nam quod dicitur, quòd negocium ab alio geſtum ita demum poſſe facere ratum,ſi ſuo nomine ſit celebratum, ita exaudiaṫ, ut rei uenditæ dominus uel actione negociorum geſtorum regulariter ad precium petendum experiatur. Porrò uenditionem etiam non nomine domini celebratam dominus poterit habere ratam,ut ſibi eatenus præiudicet,ut amplius non petat eam. Interponitur autem ratihabitio per ſilentium. De hoc legitur in Codicis quinto. Interponitur dicto,puta ſi quondam minor factus maior dixeriṫ ratum habeo. Item facto interponitur ratihabitio, puta ſi quondam minor factus maior precium petierit, ſubſcripſerit,emptori p euictione cauerit. Quid ergo dicemus quod ff.cod.l.iiij.expreſſiſſimè legitur, minorẽ qui ſe immiſcuit hæreditati poſſe reſtitui,etiam ſi maior factus debitores hæreditarios exegerit? reſpondemus(ſicut dixit os aureum)fecit hoc non tam prius factũ comprobando, quàm exequendo. uel dicemus quia in ætate minori exigere cœperat ſed nondum exegerat. uel dicemus in hæreditate eſſe ſpeciale, propter eius excellentiam, & autoritatem centumuiralis iudicij, ut in hoc caſu initium intueamur non exitum.

VBI ET APVD QVEM COGNITIO IN INTEGRVM RESTITVTIONIS SIT AGENDA. TITVLVS XLVI.

IN foro rei id eſt eius contra quem reſtitutio petitur, reſtitutio poſtulari debeṫ ut C.eod.l.ij. Indulgebit autem reſtitutionem iudex ordinarius,iudex quoq; à iudice habente titulum & adminiſtrationem datus. item à principe delegatus arbiter non reſtituit. Datus à iudice non habente adminiſtrationem ſimiliter nõ reſtituit. Item iudex ex communi conſenſu electus, & à iudicibus datus non reſtituit. Hi autem iudices qui reſtituunt,& contra ſuas ſententias, & contra ſententias aliorum iudicum reſtituunt,ſed non contra ſententias ſuperiorum,ergo nec principum,ut ff.eod.l.in cauſæ. In ſumma notandum eſt,quòd nec prætor, nec iudex alius à principe reſtituit,præterquã in ciuilibus, ſolus enim princeps in criminibus & pœnis reſtituit. Ergo quod ff.de poſtulan.l.j.eum qui.legitur, famoſo iudicio cõdemnatum,& poſtea abſolutum,infamia eximi: intelligatur quem princeps abſoluerit,nempe ſolus Imperator infamiam abolet, ſiquidem pœna demi poteſt culpa perennis erit.

DE REPVTATIONIBVS, QVAE FIVNT IN IVDICIO IN INTEGRVM RESTITVTIONIS. TIT. XLVII.

QVia in reſtitutionibus minorum locus eſt reputationibus, id eſt compenſationibus, de reputationibus loquamur. Et quidem ſi minor aditam hæreditatem per reſtitutionem omiſerit, quidquid ex hæreditate ad eum peruenit, nec per imbecillitatem ætatis perijt, etſi fecerit ut non perueniret, refundere debebit: niſi pro legatis ut pro ſeruis emendis et manumittendis expēdit, ut ff. eo. l. in integrũ. Sed & ubi minor non puppillus delegatur in ueterem debitorem actio reſtituitur. Sane puppillus delegatus liberat, non ſe obligat. idem eſt in muliere delegata, quod eſt in minore non puppillo. Item ſi minor emit & reſtitutus petit pretium, reddere debet fundum. Item ſi uendidit et reſtitutus repetit fundum, reddere debet pretium. ut ſicut non uult morari in damno, ſic nec moretur in lucro, ut. C. eo. Reſtitutio enim ita facienda eſt ut unuſquiſq; in integrũ recipiat ius ſuum, ut. ff. eo. l. quod ſi. In prædicto autem caſu minor pretiũ reddet, etiamſi perdidit. Excipitur niſi minori perdituro puta ſedenti in perditionis ludo ſolutum ſit, et poſtea perdiderit, is enim ſolus uera propoſitione potuit dici perditurus, qui poſtea perdidit. Idem eſt ſi pecuniam conſumpturo etiam minori crediderit. Parcius tamē, id eſt minus promptè in uenditiōe dicitur, quàm in pecunia credita, ſiquidem ſoluere neceſſe eſt credere minimè, uerum, licet minus promptè dicatur in pecunia ſoluta, quàm in credita dicitur, tamen etiam obtinet. Nam et quod iure fit utiq; fit, fortaſſis in eo eſt differencia quia ſi pecunia credatur ad magidem ludenti etiamſi non perdiderit, non repetitur: ſi uero fuerit ſoluta ſimiliter ſedenti ſi ſit perdita non repetitur, non perdita condicitur. Quid ergo dicemus quod uulgo dicitur minorem non teneri, niſi locupletior inueniatur? Reſpondeo, hoc in caſu intelligo, ubi maior qui uendidit ipſe ſolus etiam ab initio à minore pretium expoſcit. Si uero à minore cauſa incipit, fundumq; à ſe uenditum reſtitutus minor ſibi reſtitui petit, pretium acceptum etiam perditum: excepto caſu quem poſui, reddere debebit. Nam etiam ſi quis ignorans uendidit rem furtiuam emptori conſcio, uenditor tamē nihil ex uendito cōſequitur. niſi ultrò quod conuenerit emptori præſtet nihil conſecuturo, ſi cauſæ primordium daret, ut ff. de contrahen. empt l. ſi in emptione § iij. Ergo in utroq; prædicto caſu emptor conſequitur ſi conuenitur, non ſi conuenit

ETIAM PER PROCVRATOREM CAVSAM IN INTEGRVM reſtitutionis agi poſſe. Tit. xlviij.

PEr ſe, et p̄ pcuratorē olim minor factus maior, reſtitutionē poteſt peteret Licet ætatem impetratã per ſe, et non per procuratorē mandatam apud ſuum iudicem debet allegare. forte et minor manens minor, quia non agit ſed ſupplicat, reſtitutionem flagitat, ut Co. de reſtitut. l. ſi intra. per procuratorem autem duntaxat ad hoc ſpecialiter datum reſtitutio petitur. Et ſi de mandato dubitabitur de rato cauebitur, ut ff. eo l. illud.

IN INTEGRVM RESTITVTIONE POSTVLATA, NE QVID NOVI FIAT XLIX.

POſtulata reſtitutiōe et pendente nihil debet innouari, ut C. eo. idē in appellatiōe niſi puocet à facto, id eſt ab iniqua executiōe, tūc em̄ res mobilis poſſeſſori aufertur, et apud ſequeſtrũ collocata permanebit, donec ſacer cognitor

iudicauerit,ut Co. quo. appell. nõ recipi l. ab executiõe. Quid ergo dicemus, nunquid teſtificata ante appellationem,poſtea poterunt recitari? ego utiq;,nec enim aliquid innouatur ſed ueteribus remedium datur. Nam et(ſicut dictũ eſt) minor qui ſe paternæ hæreditati immiſcuit,non ideo minus reſtituitur, quia factus maior debitores hæreditarios exegit. Sed etſi ſponſus alienum anulũ ſponſæ donauit,& poſt nuptias pro eo ſuum dedit, factam donationem ſpõſaliciam uidetur cõfirmare,non nouam inchoare,ut ff. de donat. inter uirum & uxo. l. ſi donatæ.

DE RESTITVTIONE MILITVM, ET EORVM, QVI REIPVB. CAVSA ABSVNT. TIT. L.

EXplicauimus de reſtitutionibus minorum,nunc audiamus de reſtitutionibus maiorum. Et quia reſtituuntur maiores , & præſentes , & abſentes,& omnes abſentes ſunt priuilegiati, et hi ſunt milites,& plures alij qui reipub. cauſa abſunt,de his uideamus. Sed & quoniam de reſtitutionibus maiorum multæ diuerſæq; ſunt ſententiæ,quid ſuper his ſentiamus paucis exponamus. Illud tamen ante omnia per quàm neceſſarium eſt,quia maiores in his duntaxat reſtituuntur,quæ aduerſus eos geſta ſunt,ſiue proceſſerint,neq; ipſi geſſerint,puta reſtituuntur,ſiquid eorum uſucaptum , præſcriptumúe fuerit,uel ſi quodcũq; ius eis competens tempore perierit. minores autem & in geſtis à ſe, & contra ſe reſtituuntur. Item maiores à minoribus in eò differunt,quòd minores ſolo iudicis officio nituntur,maiores utroq; iudicio:officio ſcilicet & iure, hoc eſt actione reciſſoria propoſita,cuius actionis ius quale ſit,& an ſtatim reuerſo competat ad reſtitutionem impetrandam,uel contra eum,cum fuerit indulta reſtitutio,infrà plenius exponemus. Videndum ergo nobis eſt quãdo reſtitutio petenda ſit, ex quo tempore,et quanto tempore claudatur,& quem effectum reſtitutio pariat. Et quidem tũc maior debet reſtitutionẽ implorare cum lapſus fuerit. Siquis ergo de milicia reuerſus re ſua nondum uſucapta patitur poſtea tempus effluere, ut uſucapio impleatur non meretur auxilium. Sed etſi cum uſucapio ante reditum fuerit impleta,reuerſus poſtea tanto tempore taceat quantum aduerſus ſe abſentem cucurrerat,reſtitutionem non audietur implorans. quidam tamen aſſerunt omni reuerſo hodie quadriennium dari. Sed & tempus reciſius ſi reciſiori tempore fuerit lapſus,indulgendum eſſe ſentio,quod qualiter ſe habeat inferius explanabo. Secundum prædicta itaq; in duobus caſibus reſtitutio denegatur,hoc eſt ſi uſucapione finita in abſentia reuerſus ultra tempus quo lapſus eſt taceat. uel ſi uſucapionem nõdum in abſentia completam reuerſus poſtea compleri permittat. Nec enim negligentibus ſuccurritur,ſed neceſſitate rerum impeditis,ut ff,qui. ex cau. maio. l. ab hoſtibus. Sed et Valeriani hæres eo demum in caſu ad reſtitutionem aſpirauit,ubi Valerianus poſt exactos in milicia dies,quibus bonorum poſſeſſio defertur,obierat,ut C. de reſt. militũ l. Quod ergo eo. titulo l. iij. dicitur, amouendam eſſe præſcriptionem temporis medij , ſic exaudiatur,ut idem tempus medium intelligatur, & ultimum , medium quod ad utranq; præſentiam intelligitur,ultimum quod ad uſucapionem in abſentia completam:puta res militis ſe præſente domi biennio poſſeſſa eſt,eo militante quoque tertio anno,ſicq; finita ſit uſucapio , reuerſus poſtea tertiũ annum quod eſt tempus medium inter primam & ſecundam præſentiam : Et quod eſt in uſucapione ultimum ritè poſtulat amoueri. Nam alioquin ſi annum ante abſentiam ponas,ſicq; faci as medium,ponasq; militem poſt reditum permiſiſſe excurrere tertium annum,dixerim eum nõ reſtituendum. Cum enim reuerſus ſuo iure &

directo

directò potuerit uindicare, cur poſtea deſtitutus ſua negligentia reſtitutionem permittatur impetrare? Ergo eo demũ in caſu reſtitutionẽ implorabit ubi prorſus in abſentia ceciderit, ſed & ſi modico tempore poſt abſentiam. Ex cõſequencia enim prioris abſentiæ propè adhuc extimatur abeſſe. modicum autem tempus intelligo, quo ſarcinulas compoſuit aduocatum quærit, hoſpitium conducit, itaq; ſi his opus non haberet, ei forte illico petendæ reſtitutionis tempus cederet. Quod ergo dicitur C. qui. nõ obijci lon. præſcript. l. penult. deducto eo quo ſiquid geſtum fuerit ſuccurri ſolet, reſiduum computari rationis eſt: nõ ſic accipio ſubducto tempore medio, id eſt eo quod proceſſit in abſentia extrema tempora, id eſt prioris præſentiæ & ſecundæ computantur ad uſucapionem ante ſe continuatam. Nec enim miles cum eſt reuerſus, fuerat adhuc lapſus: ſi ergo poſtea deſtituatur, cũ ſuo uicio labitur, non adiuuabitur, ut ſupra clariſſimè oſtenſum eſt. ſed ita intelligo deducendũ fore quod in abſentia geſtum fuerit, ſiquid geſtum fuerat. hoc autem tunc demum uerũ eſt ſiquis in abſentia lapſus eſt. Itaq; tunc duntaxat ſaluo modico reſtitutio competit. Sed quod ſequitur rationis eſt reſiduum computari, non intelligo ad uſucapionem, ſed ad denegandam uſucapionem, uſucapionis iam impletæ reſtitutionẽ. uel dixerim tempus reſiduum, id eſt quod procedit poſt reditum computari, uſucapio ſi fuerit ſufficiens, id eſt triennij, nec in hoc caſu reſtitutionẽ habebit. Nam & quod ante abſentiam proceſſerit, ſi ſuffecit ad uſucapionem non reſcindendam eam peperit. Si uero & ante abſentiam tempus proceſſerit etiam in abſentia, uel eo tempore quod modicum dicitur, uſucapionem impleuit (ut ſuprà dictum eſt) tunc demũ reſtitutio locum habebit. Explicitus eſt articulus ille quãdo reſtitutionem quis petere debeat, nunc audiamus ex quo tempore hoc eſt quando tempus cedere incipiat, & conſtat petendæ reſtitutionis tempus, aduerſus minorem incipere currere, ex quo xxvj. anni prima dies illuxerit, aduerſus maiores poſt reditum, ut ex C. de reſti. l. ult. datur intelligi. Minoribus autẽ quadriennium integrum in omni caſu, ſi proprij lapſus nomine implorent auxilium, eo ſaluo, quòd ſi minor de dote non numerata non quæritur, reſtituitur eatenus, ut tranſcendat xij. annos à tempore nuptiarum hoc eſt xij. uel xiiij. annorum. hæc enim ſunt tempora quibus uehementer citius contrahuntur nuptiæ, ut in authen. in coll. vij. de tempore non ſolutæ dotis. Duo ergo ſpecialia ſunt in hoc caſu, & quia minor aduerſus temporalem præſcriptionem ipſo iure nõ conſeruatur illæſus, ſed reſtituitur, & quia maior factus, ſi fuerit maſculus per primum tantum annum de quadriennio reſtitutionem implorat: Si uero fuerit fœmina, nec uſq; ad maiorem ꝓcedit ætatem, ſiquidem (ut dictum eſt) reſtituitur eatenus, ut tranſcendat xij. annum ab ætate nubili, hoc ita, ſi nomine ꝓprij lapſus minor ſe reſtitui poſtulet. Sed etſi minor minori ſucceſſerit, poſt xxv. ætatis ſuæ annum in integrũ reſtitutionis beneficio utetur tempore illibato id eſt quadriennio, aliàs integro continuo, & hoc ex ſua perſona. Nam ſi ex perſona deceſſoris cõputes, nedum quadriennium, ſed etiam plures & infinitos annos, qui ſuccederet, haberet. Pone em̃ quòd alicui anniculo minor aliquis xxiiij. annos puta habens ſuccedat, totum tempus quod defuncto minori reſtabat, id eſt, xxiiij. anni ad ætatem minorem cõplendam, & poſtea ex defuncti anniculi perſona unum quadrienniũ haberet, ex ſua quoq; ſuccedentis aliud, quo nihil abſurdius. Si uero minor maiori ſucceſſerit, quantum ad eas pertinet cauſas, quas ex maioris perſona fuerit conſecutus, tantum temporis habebit, quantũ defuncto reliquum fuerit, ut C. de temp. reſtitu. l. eo. Nec enim obloquitur quod in ff. titulo de mino. l. interdũ dicitur, hoc ipſo minorem deceptum uideri, qui cũ poſſet reſtitui intra tempus ſtatutum ex perſona defuncti, hoc non fecit: hoc enim tunc obtinet cum minor

minori ſucceſſerit: uero maior minori ſucceſſerit ſolidũ tempus quadriennium numerandum ex tempore hæreditatis aditæ, uel bonorum poſſeſſiõis acceptæ tribuitur, ut C. de temporibus reſtituti, l. ea. Si autem maior maiori ſuccedat eti am tantum temporis, quantũ defuncto ſuperat habeat. Expediuimus quando reſtitutio petenda ſit, & ex quo tempore computetur, diximus quanto quoque tempore reſtitutio minorum claudatur, nunc audiamus quanto tempore maiorum reſtitutio terminetur: & quidem maior quadriennium habet ſi æqualiter la batur, ſi uero reciſiore tempore laditur, reciſius ei tempus indulgetur: & in hoc maior à minore ſecernitur, eo quòd minori quadriennium ſemper tribuitur in integrum reſtitutionis. Nec ad rem pertinet, quod C. de temp. reſtitu. l. ult. non abſimilis maiorum & minorum reſtiutio dicitur. hoc enim ſic intelligitur quòd quemadmodum in reſtitutionibus mnorũ tota minor ætas excipitur, ita & in maiorum, tempus quo abfuerit per reſtitutionem omne eximitur. Sed & quod dicitur ſolida tempora ſubputari, non obſtat: hoc enim tunc uerum eſt cum ma ior nõ ex ſua perſona, ſed ex minoris perſona, cui ſucceſſerit (ut ſupra dictũ eſt) reſtitutionẽ implorat. Sed nõ obloquitũ quod & inff., & qđ in C. de milite legĩt, annum ex quo rediit computandum, quaſi ei annus integer tribuatur. Nec enĩ ſemper integer tribuendus eſt, ſed tunc demum, cum anno integro lapſus eſt. Nanque ſiquis reipub. cauſa abfuerit, ſi omnes quidẽ abſentiæ annum colligant dabitur annus, ergo per contrarium ſi annum non colligant, annus totus non dabitur. Quare enim maiori tempus daretur amplius, quàm quo lapſus eſt, cũ ſatis abundeque ſufficiat cauſam amiſſam integrari. Quippe nihil aliud eſt reſtitu tio, quàm cauſæ amiſſæ integratio, ut C. qui. cau. reſt. non eſt neceſ. l. ij. Sed et di cimus tantum reſtitutionem faciendam, ut ſupra de reſt. milit. Accedit etiã his argumentum, quare ad interponendam & finiendam reſtitutionis litem quadri ennium præſtatur. Si enim quadriennij dies ultima ad conteſtandam reſtitutionis cauſam fuerit expectata, quomodo poterit terminari reſtitutionis cauſa, cũ opus ſit indagine & cognitione prætoria. Sed & ſi ex abundanti peteretur dilatio, locus eſſet ſemper integro quadriennio, ut C. de tempor. reſt. l. penult. Adhæc ex multis quoque ſimilibus probari poteſt, non plus temporis dandum fore quàm quantum quis lapſus fuerit. Ecce enim ubi mulier per Velleianum ſubducitur, uetus actio in debitorẽ qualis, & quota fuerat, reſtituitur, ut ff. ad Velleianum l. debitrix. Sed etſi debitor in fraudem creditoris obligationem alienauerit, ea obligatio qualis fuerat, cũ ſua ſcilicet die, cũ ſua quoque cauſa reſtauratũ, ut ff. quæ in frau. credi. ait Prætor, & ff. ad Tribel. l. ſi hæres. Sed & ubi mortuus eſt filius etiam aduerſus patrem intenditur de peculio actio, nõ annua ſed ſemeſtris & redhibitoria, ut ff. quan. de pecu. l. cũ poſt. His omnibus fortius argumentum accedit, etiam (ut æſtimo) in hoc articulo ſatis expreſſum. Quod ſi minor interceſſit pro eo qui temporali actione tenebatur, decem puta dierum ipſorum duntaxat decem dierum reſtitutio datur, ut ff. de mino. l. ult. Sequitur uidere de quarto articulo, hoc eſt quem effectum habeat reſtitutio. Et certe reſti tutione impetrata reſciſſoriaque propoſita, quod geſtum fuerit reſcinditur, præſcriptio quoque tẽporis medij amouetur, ut C. qui. non ob long. temp, præſcript. l. penult. & de reſtit. milit. l. quod tempore, ſicut & ſupra expoſitum eſt. Datur reciſſoria non reuerſo ſtatim, ut quidam falſò aſſerunt, hoc eſt non reſtituendo ſed reſtituto, ut ff. quib. mo. long. temp. præſcript. l. penult. & C. de reſt. l. ult. At uero non tantum abſenti reuerſo contra præſentem, ſed etiam abſenti cõtra abſentem reciſſoria tribuitur, ne uel obſit uel proſit quod euenit, ut ff. ex quibus cau. l. j. Dicit autem qui reciſſoriam proponit uſucaptum non fore, quod uſucaptum fuerat, ſicut etiam aliàs qui publicianam intendit permittente præto

re. in

re. in his duobus caſibus diceret mendacium ſi diceret ſe uſucepiſſe quod non uſucepit ut inſtitut. de act. Nam et aliâs ex legum permiſſione puta Corneliæ, quod non eſt eſſe fingitur, puta captum ab hoſtibus, ibiq; mortuum in ea hora deceſſiſſe qua captus eſt reuerſusq; iure poſtliminij, ſemper in ciuitate manſiſſe. hæc autem ad utilitatem hominum ſunt conſtituta quorum gracia omnia iura ſunt prodita. Interdum quoq; plus ualet quod eſt in opinione, quàm quod eſt in ueritate, ut ff. de acquir. hære. l. is qui putat.

DE VXORIBVS MILITVM, ET EORVM, QVI REIPVB. CAVSA ABSVNT. TIT. LI.

VXoribus quoq; militum, quæ maritorum gracia cũ maritis diutius in milicia peregrinatæ ſunt, in præſcriptionibus rerum et actionum ſubuenitur. Medicis ſimiliter & ratione conſimili ſuccurritur. Licet enim medentes & militum uxores principaliter reipub. cauſa non abſint, per cõſequentiam tamen abſunt. Ergo & medicorum uxoribus ex ſecunda conſequentia ſimiliter reſtitutio dabitur. Prædicti ergo & prædictæ reuerſi reuerſæq; non refundentes pretia, ſi tamen callida non adhibuerint commenta reſtitutionem impetrabunt. ut Codicis eodem lege ſecunda.

DE TEMPORIBVS IN INTEGRVM RESTITVTIONIS tam minorũ, aliarumq; perſonarũ, quæ reſtitui poſſunt, quàm hæredum eorum. Tit. lij.

IN ſuperioribus de temporibus in integrum reſtitutionum ſufficienter, licet incidenter diſſeruimus, nũc referamus in medium uarias ſententias petitionũ noſtri temporis de reſtitutionibus. Et quidem, inquiunt, quidam quòd ſi uſucapio fuerit cõſummata etiam longè poſt reditum, habet reſtitutio locum, ego minimè. Nam cum miles redierat nõdum ceciderat. Sed & prætor poſtea recla mat. Ergo quod in authen. dicitur, tot annos adijciendos quot annis ex decennio quis abfuit, intelligatur in præſcriptionibus longis, etiam contra rigorem ex æquitate ſtatutum, uel ibi dicatur abſens ratione domicilij. Aiunt & quidã reuerſo ſtatim competere reſciſſoriam, quaſi Prætor mortuus nõ uiuus adeundus ab initio, etiam in ſimul omnes lapſos & caſuros reſtituunt; ego minimè: imò opus eſt, ut prætor uiuus adeatur & reſciſſoriam largiatur. Nam & ſi bonorum poſſeſſio petitur non aliâs niſi adito prætore impetratur. Sed ff. de except. l. vij. legitur, quòd minor lubrico cõſilij lapſus non ante habebit auxiliũ quàm fuerit reſtitutus. Sed & reſtitutus dicitur non reſtituendis, nec ipſo iure reſtitutis reſciſſoria datur, ut C. ex quib. cau. l. ult. Item dicunt quidam quadriennium integrum ſemper etiam maioribus dari. Ego minimè, nec enim maior lapſus ritè queritur, ſi talis qualis fuerat ante lapſum conſtituitur, ut ff. de minor. l. ſi iudex. Prædictarum ſententiarum deſignatiua ſunt carmina hæc.

Caſibus in geminis homo maior reſtituetur
Illius abſentis ſi res uſucapietur,
Poſtq; domum cum conducit, diſponit ut hæc ſi
Poſt ſint ut præſcriptio perficiatur, & omne
Tempus, & id ſolum quo labitur effluat illi
Sciudere prætor opem negat uſucapta uolenti.

Cedunt poſt annos denos biſq; quinq; peractos
Illi qui minor eſt bis duo continui,
Anni non querulo de dotibus aut numeratis,
Maiori cedunt tempora poſt reditum.

Quid dicemus quod legitur reſciſſoriam finiri utili anno, hodie ſecundum ſententiam quam reprobauimus planum eſt uerbum. Secundum noſtram intelligatur, quòd reſciſſoriæ impetratio finiatur quadriennio. Aiũt etenim principes Conſtantinus & Iuſtinianus reſtitutionis cauſam infra quadrienniũ eſſe inchoandam, & finiendam, ut C. eod. l. ea. & l. ult. Atqui iudicio meo ubi reſciſſoria fuerit impetrata tanto tempore durabit, quanto tempore antea fuerat duratura, ut ff. de minor. l. ult. & ff. ex quib. cau. in inte. reſt. l. ſi is. Ita tamen dixerim reſtitutionis cauſam infra quadriennium finiendam, ſi à reo petita dilatio ultra quadriennium non porrigatur, ut Co. eod. l. penult. Si per iudicem ſtabit litem ſuam forte faciet.

QVIBVS EX CAVSIS MAIORES IN INTEGRVM reſtituantur. Tit. iiij.

EXpoſuimus qualiter illi maiores reſtituatuitr qui reipub. cauſa abſunt, nũc exponamus ex quibus cauſis cæteri maiores reſtituantur, infra quod reſtitui debeãt, tam abſentes quàm præſentes. Videamus itaq; ex quibus cauſis maiores reſtituantur, & in quibus, & qui maiores reſtituantur. Sicut dictum eſt reipub. cauſa abſẽtes, ut milites, medici ad puincias regendas miſſi reſtituuntur. Milites inquam, & qui Romæ militant, ut ff. eod. l. milites. Succurritur autem non hæredibus, & ſeruis inſtitutis, ſed liberis, etiam filijsfam. in caſtrenſibus, ut ff. eod. l. rectè. Succurritur abſentibus metu, & his qui ſine dedecore in publico apparere non poſſunt. his quoq; qui tanquam ſerui poſſidentur, uel apud hoſtes naſcuntur. his quoq; q in uinculis prædonum uel potentiorum detinentur. Sed his qui à ſtratoribus, & à magiſtratibus municipalibus cuſtodiuntur, legatis quoq; municipiorum ſuccurritur ſed non transfugis, ut ff. eo. l. item l. ſuccurritur l. in eadem. Et ſicut in prædictis, abſentibus reſtitutio datur contra præſentes, ita & præſentes iuuantur cõtra abſẽtes, ne uel profit uel obſit quod euenit, neue officium publicum damno uel compendio ſit, ut ff. eod. l. j. & l. uidelicet. Interdum tamen & abſens iuuatur etiam in lucro, quod potuit captare ſine alterius damno, ut ff. eod. l. Iulianus l. ſciendum l. etſi. Sed & reſtitutus abſens contra maiorem præſentem, etiam maior præſens contra maiorem abſentem, etiam alijs præfatis caſibus, ſi admiſerit perſonalem actionem, ut ff. eod. l. item. Subuenitur autem abſentibus contra præſentes, & præſentibus cõtra abſentes in uſucapionibus, & præſcriptionibus rerum propriarum, & manumiſſionibus, actionibus temporalibus, & in ſententijs. Diſtinguitur tamen, abſens condemnatus abfuerit ex neceſſitate, uel ex uoluntate poſt conteſtationem. Si ex neceſſitate ſubdiſtinguitur, legitimè defenſus appellabit, nõ legitimè defenſus eremoditio reſtitutionem impetrabit. Ex uoluntate probabili abſens defenſus, nec appellabit, non defenſus appellabit. Ex uoluntate improbabili de uero abſens condemnatus, omni carebit remedio (ſicut dictum eſt) abſentes contra præſentes, & ecõuerſo: reſtituuntur. Item quod eſt nota dignum, etiam abſens cõtra abſentem in damno reſtituitur, ut ff. eod. l. ult. In prædictis tribus caſibus infra quadriennium reſtitutio datur. Sed & præſens contra præſentem iuuatur officio iudicis, non in ſententijs, ſed in contractibus tantum bonæ fidei, ſicut ſuperius

perius diximus,cũ de dolo loqueremur. In hac ſubuentione quadrienniũ ſuam potentiam non exercet. In ſumma notandum eſt,quòd captiuitate interrumpitur poſſeſſio,poſſeſſus enim poſſidere non poteſt,nec reſtituitur,cauſa enim facti non continetur poſtliminio,ſicq; nec utilem actionem ei tribui oportet:cum ſit iniquiſſimum auferre dominium,quod uſus non abſtulit, nec enim intelligitur amiſſum quod alteri non eſt oblatum. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd is qui de ſtatu ſuo litigat ante litem in ſeruitute eſſe uidetur, ut iuuetur, non poſt cœptam,ut ff.eod.l.is autem. Sed & illud ſciendũ eſt,quòd non milites qui Romæ reipublicæ operã dant reipub.cauſa nõ abſunt,ut ff.eod.l.& qui. Reipub. cauſa illi ſoli intelliguntur abeſſe,qui non ſui commodi cauſa ſed coacti abſunt. Ergo poſt commeatum acceptum ſi nõdum abijt miles reipub. cauſa abeſſe nõ uidetur. Ergo qui in prouincia ſua aſſident ultra tempus conſtitutionibus compræhenſum,uel citra principis permiſſum, non iuuantur,& quia crimina indulgentijs non ſubleuamus,ut ff.eod.l.miles l. rei l.hi l.ſi cui,& C.in xij.t.vij. circa finem. Item notandum eſt,quòd ſi abſens reuerſus dum aduocatum quærit, hoſpicium conducit,præſens contra eum actionem ſuam amittit, præſens reſtituitur. Item ſi abſens qualibet tergiuerſatione efficiat,etiam ne cum ipſa agi poſſit. Idem ſimilitudine rerũ diſtinguitur. Sed & ſi per iudicem ſtetit reſtitutio indulgetur,ut ff.eod.l.ait l.ſed & l.quod & l.ſed ſi. Item cõtra legatum reſtitutio datur,non ei,quia potuit relinquere procuratorem,ſed ſi reliquerit, & procurator obierit,legato ſuccurritur: multo magis ei in hoc caſu ſuccurri debet, quia ſtudiorum cauſa abfuerit,ut ff.eod.l.ſed ſi § ij.& l.necnon. Sed & illud ſciendũ eſt,quod ſi is qui abfuit uſucepit,& poſt rem uſucamptam alienauerit, reſtitutio in eum ad pretium facienda eſt,ut ff.eodem l.cum miles. item is qui reipub. cauſa abeſt in eo damno non reſtituitur, quod etiam ſi non abfuiſſet paſſurus eſſet, ut ff.eod.l.is qui. Item legato ſuccurritur etiam ſi non reliquerit procuratorem. Idem ſi talem reliquerit per quem defendi nõ potuit. idem ſi talem per quẽ defendi potuit,ſed non eſt defenſus,quia procurator obijt,uel ad appellationẽ ſaltem reſtituitur,ut ff.cod.l.ſed ſi § ult. Quod ergo ff. eod. is qui legitur, eum qui procuratorem reliquit per quem defendi potuit,non eſſe reſtituendum, intelligatur,ſi defenſus fuerat. uel dicetur non reſtituetur ad eremoditij reſtitutionem,ſed ad appellationem. Item illud notandnm eſt,quòd detentus à magiſtratu,præſens contra præſentem,ſi de pœna conueniatur, quia in iudicio non ſteterit,adiuuatur,niſi detentus quia actionem ſtruxerit:à priuato detentus quia actionem habet contra detentatorem,efficaciter de pœna conuenitur,niſi detentor fuerit is qui eſt ſtipulatus,eiuſúe ſocius: Sanè ſi detentor ſoluendo non fuerit,detentus excipere poterit,ut C.eod.l.ij.& ff.de eo per quem fact.l.ult.& ff. ſiquis caut.l. ij. & iij.

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA. TIT. LIIII.

PEr edictum de alienatione iudicij mutandi cauſa proditum,reſtitutio quoq; tribuitur per actionem in factum ex hoc edicto indultam, & ideo de hac reſtitutione diſſeramus. Videamus itaq; qualiter intelligantur ſingula huius tituli,cui detur actio reſtitutoria ex hoc edicto, in quem, & quando competat,& quando ceſſet,& in quantum, & quare ſit introducta cum uideatur ſuperflua, & qualis ſit actio iſta. Illud tamen ante omnia ſciendum eſt, quòd hoc edictum proditum eſt ne qua cauſa,id eſt cõditionalis cõtrouerſia deterior efficiatur oppoſito duriore aduerſario. ALIENANDI uerbum ita intelligatur,ut quis alie-

net etiam dominium & poſſeſſionem, uel alterum tantum: hoc itaq; exaudio, ſiue is qui dominus fuerit alienat, ſiue non dominus tradendo id geſtiat. Itaq; dominus inter uiuos alienat. nam inſtituendo uel legando non agitur ex hoc edicto, ut ff. eod. l. ex hoc. Sequitur. CAVSA MVTANDI IVDICII, ſcilicet futuri, non cœpti. Tunc enim contractus uicio litigoſi ſubiaceret ei in cuius perniciem alienatum eſt. Actio iſta tribuitur contra alienatorem, & notabiliter contra hæredem nõ datur, nec poſt annum, ut ff. eod. l. non ſolum. Datur actio iſta his concurrentibus, ſi præfato modo alienatio ſit facta dolo malo, & durior aduerſarius opponatur. Et ut durior ſit oppoſitus, ut ff. eod. l. j. Durior autem æſtimatur propter perſonam, & cauſam. propter perſonam ſi potentior opponatur potentioribus enim pares eſſe non poſſumus. propter locum ſi alterius prouinciæ habitator. ꝓpter cauſam ſi homo penitus manumittatur. uel locus opere facto alienatur: fauent enim prætores manumiſſioni, & emptorem excuſant pacientiam tantum præſtantẽ, ut ff. eod. l. j. ij. iij. Excuſatur alienator ab actione, ſi cautionem offerendo paratus ſit perinde iudicium pati ac ſi poſſideret, ut ff. eod. l. iij. Item excuſatur ſi conſtat rem petitoris non fuiſſe, uel ſine culpa alienatoris periſſe, ut ff. eo. l. iiij: Item excuſatur alienator, ſi ante conteſtationem receperit. item ſi uenditori ſuo redhibuerit, ubi propter hoc ipſum redhibuerit non redhibiturus aliâs. Nam & ſi tibi obligatus ſoluo id qđ à me petere uelles huic edicto locus non erit, ut ff. eod. l. ex hoc l. quia l. nam. Ad intereſſe cõpetit hæc actio ratione puta impenſarum, id eſt quanti noſtra interfuerit nos non habuiſſe alium aduerſarium. uel ſi aliam incõmmoditatem paſſi ſumus, ut ff. eod. l. iij. Item ſi res fuerit uſucapta ab eo in quem ſit alienata, alienator hoc edicto tenebitur, ut ff. eo. l. item. Ergo poſſeſſore excuſſo ſi nihil noſtra interſit, nõ dabitur hæc actio, ergo demum poſſeſſore excuſſo decurrendum eſt ad hanc actionem. Ex prædictis colligere licet, ei in cuius fraudem alienatũ eſt tres actiones com-competere. Directa uindicatio contra poſſeſſorem & utilis uindicatio, & hæc in factum prætoria, reſtitutoria in quaſi alienatorẽ. Ergo in poteſtate petitoris eſt quem uelit eligere, ut Cod. eod. Sed et ſi prætoris interſit, etiam utrunq; poterit conuenire. Opponi poſſet actionem eſſe ſuperfluam, quia ordinaria actio, id eſt uindicatio competit contra poſſeſſorem: ſed certe non eſt ita. Nam & reſtitutio datur minori contra poſſeſſorem, licet etiam habeat actionem contra tutorem. Item nec illud obſtat, ut hæc actio minus detur contra alienatorem, quia utilis in rem competit contra eundem. forte hæ ambæ actiones ſunt extraordinariæ, quia altera agitur ad intereſſe ad rei æſtimationem. Illud conſtat quia hæc actio uocatur in factum, & prætoria, & reſtitutoria, & perſonalis, & rei perſecutoria, quámuis (ut dictum eſt) nec poſt annum nec in hæredem detur. Et eſt pœnalis quia ex delicto naſcitur, non tamen proprie pœnalis dicitur, ſicut nec rerū amotarum, quia nec certas pœnas couſequuntur. Nam cum actio iſta ad intereſſe competat ſicùt ex empto actio impropriè pœnalis appellatur. Inuenitur autem actio iſta directa, puta ubi quis nomine ſuo alienauit, etiam utilis puta ubi tutor pupilli nomine alienauit, ut ff. eod. l. ij. In ſumma notandum eſt, quòd poteſt quis deſinere poſſidere ſine dolo, & cauſa mutandi iudicij & ideo non tenetur hoc edicto. Huius enim rei factum prætor non improbat, qui maluit cauere quàm litigare. Item poteſt aliquis ſine dolo malo deſinere poſſidere etiam alienandi iudicij mutandi cauſa, & non tenebitur hoc edicto, ut ff. eod. l. item. Sed & ſiquis ob ualetudinem, uel ob negociorum multitudinem, rem alienauit cauſa mutandi iudicij, non tenebitur hoc edicto, cũ in hoc edicto doli mali fiat mencio, ut ff. eod. l. non ſolum. Item & illud notandum eſt, quòd ſiquis rem alienauit iudicij communi diuidundo mutandi cauſa, mirabiliter cautum legitur, iudi

cium diuiſorium per hoc edictum & emptori & uenditori denegari, ut ff. eod. l. ult. Amplius ſi iura prædiorum alienantur id eſt ſeruitutes, hoc edictum inſurgit, ut ff. eod. l. non ſolum. Quid ergo dicemus, ſi iura perſonalia conſtituat, ut uſufructum, uſum, uel ſi aliâs iura infixa rei, in fraudem, & cauſam mutandi iudicij conſtituit, ut emphiteuſis ſuperficiem? hoc edicto quaſi alienauerit obſtrictus erit.

DE RECEPTIS ARBITRIIS. TIT. LV.

EXplicitis iudiciorum præparatorijs, dicendū eſſet de iudicijs, ſed quia arbitria tranctantur uelut iudicia, de receptis neutraliter, id eſt de arbitrijs inſeramus. uel de receptis maſculinè, id eſt de arbitris receptis à litigatoribus. uel de litigatori receptis arbitris, uiciſſim enim ſe ſe in fide ſua recipiunt. Partes ut ſententiæ ſtent arbitri, ut fideliter examinent; ut pronuncient. Recepiſſe autem dicitur arbiter qui partes aſſumit iudicis non cōſiliatoris, ut ff. eod. l. idem Pomponius. Videamus itaq; quot modis dicatur arbitrium, qualiter hic accipiatur, & qualiter iudici comparetur, quis poſſit arbiter eſſe, quis non, qualiter conſtituatur arbitrium, & de qua re, qualiter diſſoluatur, qualiter ad effectum perducatur, qualem ſententiam arbiter dicere debeat, & ubi, & quando, quæ ſit poteſtas arbitri, ex principio & fine. Iudicium uocatur arbitrium, ut Co. arbitr. tute. Arbitrium quoq; iudicis dicitur ſententia prima in actionibus arbitrarijs. Arbitrium quoq; dicitur quod corrigitur. Item arbitriū dicitur trinus actus trium pſonarum ſub arbitrio litigantium, & ſic hic accipitur. uocatur etiā compromiſſum ad inſtar iudiciorum, redigitur quoq; ad faciendas lites, & ad interrumpendas actiones pertinet. Sententia tñ arbitri nec infamat, nec generat appellationem, quia nec iudicati actio inde oritur, ut C. eo. l. j. ſi inferatur à cōtrarijs. Ergo ubi actio oritur appellatio tenet? reſpondeo, non ſequitur, id enim non contingit propter arbitri ſententiā, ſed propter ſubſecutiua, ut ſi partes ſubſcripſerint, uel per decem dies ſiluerint. Arbiter conſtituitur homo liber, paterfamil. etiam in ciuili cauſa patris, ingenuus ſiue libertinus, ut ff. eod. l. ſed &, & l. quin etiam l. Pedius, non mulier, inter libertos non ſeruus, non fatuus, non iudex ordinarius inter ſibi ſubiectos. Quid ergo ſi in ſeruum & liberum fuerit cōpromiſſum? nec utriuſq; nec liberi ſententia ualebit, licet aliâs legatur id quod erit inutile nō uiciare id eſt quod utile. Sanè ſi dictum fuerit ut alterutrius ſententia ualeat, liber cogitur pronunciare. Sed et ſeruus quondam in quem compromiſſum eſt, ſi liber factus pronunciauerit, nihil agitur ut ff. eod. l. vij. & viij. Minor quoque xx annorum nec iudicare cogitur nec arbitrari, ut ff. eod. l. lege Iulia. Litigare poterit ſub arbitro is, qui litigat ſub iudice: niſi præpediatur ætate, ut pupillus, caſu ut furioſus, iure ut prodigus, ſeruus. Conſtuitur arbitrium pœna utrinq; compromiſſa. item rebus depoſitis, ut dentur uictori, per pactum uallatur compromiſſum, ſiue de his fuerit controuerſia, ſiue de alijs. Item de nudo pacto, puta ſi compromittentes inuicem ſibi debeant, cōſtituitur arbitrium. Sanè ſi unus tantum pœnam promiſit compromiſſum non ualet, idem fiet ſi compromiſſio fiet ſub conditione. idem fiet quoq; ſi alteri pœna ſit acceptolata. In his enim caſibus arbiter pronunciare non cogitur, ut ff. eod. l. litigatores & l. Pomponius. Ita intelligo compromiſſione pœnarum conſtitui compromiſſum, ſi litigator à litigatore ſibi dari uel fieri ſtipuletur: ſecus ſi alius uel arbiter ſibi dari uel litigatoribus ſtipulētur. Licet per mores cōtrarium obtinuerit. Conſtituitur arbitriū, ſi agitur de pecunia, de ſpecie, de crimine ciuiliter. Cauſam reſtitutionis arbiter diſcutere nō poteſt, nec liberalem, nec de crimine criminalem: niſi forte hæ duæ

ultimæ inciderint, tunc enim fortaſſis arbiter has, ſicut Pedaneus examinare po
terit, non terminare. Compromiſſum aliâs ab initio nullum eſt, aliâs cum tenue
rit, ſi ſoluatur nullum eſt, ſiue pendeat, an ex eo pœna exigi poſſit, ſiue poſtea
deficiat pœna. Idem ſi pœna promiſſa non fuerit. pœna, inquam, etiam incerta
ut puta quanti ea res ſit. Nam & ſi ſimpliciter ſententiæ ſtari quis promiſerit in-
certi aduerſus eum agitur, ut ff. eod. l. diem l. non autem. Item ab initio nullum
eſt compromiſſum, ſi alieno nomine mulier compromiſerit. Idem fiet ſi de cau-
ſa criminali, de libertate, de libertinitate, de fideicommiſſaria libertate, de popu
lari actione compromittatur. Idem fiet ſi ſeruus cum ſeruo, uel cum libero com-
promiſerit. Nam nec aduerſus liberum executio datur, ne ex una tantum parte
teneat compromiſſum, quod eſſet abſurdum, ut ff. eod. l. quid tamen § penult.
& l. non diſtinguemus. Soluitur compromiſſum morte arbitri etiam ciuili, mor
te utriuſq; litigatoris, uel alterutrius etiam ciuili, uel deportatione, bonorũ ceſ-
ſione, ut ff. eod. l. item. ſi hæredis mentio in compromiſſo facta nõ ſit, ut ff. eod.
l. diem. ſoluitur acceptilatione, ſoluitur die. Sanè ſi ſine die confectum eſt cõpro
miſſum partibus conſentientibus arbiter debet diem ſtatuere. Cæterum omni
tempore cogetur ſententiam dicere, ut ff. eod. l. ſed ſi. ſoluitur quoq; pacto, ſacer
dotio obueniente, licet ab eo incipiat quod eſt notabile. ſoluit̃ re mortua de qua
eſt compromiſſum, ut ff. eod. l. non die, iudicio quoq;. Sanè ſi non præſide uo-
cante, ſed compromittentis inſtantia id actum fuerit, ne compromiſſum clauda
tur, pœna committitur. Profectò committitur, ſi arbiter à litigatore pronuncia-
re prohibeatur, ut ff. eod. l. diem, ſi litigator ſe abſentat ne ſententia dicatur, ut
C. eod. l. ij. ſi ſententiæ non pareatur. Sanè ſemel commiſſa pœna amplius non
committitur, niſi id actum ſit, ut in ſingulas cauſas committatur, ut ff. eod. l. j. ſi
duo. Ita demum committitur, ſi ſine dolo ſtipulantis contra ſtipulatorem quid
fiat, ſub hac enim conditione committitur ſtipulatio nequis doli ſui præmium
ferat, ut ff. eod. l. ita. A ſententia dicenda excuſatur arbiter, ſi ſpreta eius autori-
tate ad iudicem, uel ad alium arbitrum litigatores ierint etiam ſi mox, id eſt po-
ſtea ſed longè poſtea redierint. Sanè ſi non multo poſt arbitrium reuertuntur co
gitur ſententiam dicere, ut ff. eod. l. licet autem & l. item ſi. breui enim reuerſi,
non uidentur receſſiſſe, neq; paucorum dierum mora officit. Item excuſatur ar-
biter, ſi à litigatoribus infamatus ſit, uel eis capitalis inimicus factus ſit, uel ſi ꝑ
fectio urgens, uel occupatio negociorum priorum, uel munus aliud publicum
ei immineat, uel ſi qua alia incommoditas poſt arbitriũ ei acciderit. Sanè ſi arbi
ter inimicus factus, teſtatò conuentus ne dicat ſententiam, pronunciauerit, ex-
cipiendo appellandi quædam ſpecies inducitur, & ſic arbitri ſententia retracta-
tur, ut ff. eod. l. nõ diſtinguemus. Sed & nomine iudicij publici, priuatiue, quod
habet arbiter, excuſatur: utiq; ſi dies proferri non poteſt. Excuſabitur tamẽ hoc
in caſu non aliter, quàm ſi conſentiat denuo in ſe compromitti. Quod ſi poterit
proferre, prætor debebit eum cogere diem proferre conſentientibus partibus,
ut ff. eod. l. licet, & l. etſi. ubi arbiter nec excuſatur ſemper ſententiam dicere co
gitur. Licet enim arbitrium, ſicut mandatum, ſuſcipere ſit liberum, ſuſceptum
tamen eſt terminandum, maximè poſt negocij ſecreta reuelata: Sed nec litigato
res decipi debent qui eum quaſi uirum bonum elegerunt. Cogendus eſt arbiter
non tamen ut ſit arbiter inter ſuos per iudicem ſuperiorem, non per inferiorem
uel comparem, ut ff. eod. l. iij. & iiij. & v. Cogendus eſt, inquam, excuſatione
ceſſante repulſaue ſi fuerit unus: ſi plures fuerint nemo unus cogendus erit, ſed
aut omnes, aut nullus: ſi tamen ita ſit compromiſſum, ut quod Titio placuerit,
Seius pronunciet, nihil agitur. Nam nec teſtamentum ualet, ſi defunctus dixe-
rit: Ius eſto de rebus meis, ſicut mihi placuerit. Sed ſi ita compromiſſum ſit. Ar-

bitratu Titij aut Seij fieri, is cogetur in quem litigatores conſenſerint, ſi tamen & ille conſenſerit, nec enim dicitur quod ille cogatur conſentire. Vbi in plures compromittitur, aliàs ſi duo conſenſerint bene eſt, ſi nō, tertium bonum uirum eligere debent. Nam in impari numero, quo deus gaudet, etiam idcirco promptius compromiſſum admittitur. Non quod omnes facile cōſentire poſſint, ſed quia ſi diſſentiant inuenitur pars maior, cuius arbitrio ſtabitur. Sanè ſi in duos ſic fuerit compromiſſum, ſi diſſentiant, ut tertium adſumant, ſi dictum quē tertium puta Semproniū, quia in adſumendo diſſentire non poſſunt, procedit compromiſſum, ſi dictum eſt tertium, nihil eſt quia diſſentire poſſunt, ut ff. eodem l. item ſi. Porrò ſi in tres fuerit compromiſſum, ſi omes ſententiati fuerint, ſententia ualebit: item ſi duo tertio præſente uel non. item ſi unus præſentibus tamen duobus & conſentientibus. Sanè ſi duo pronunciauerint tertio abſente etiā conſentiente, nihil agitur: potuerat enim forte duos præſentes abſentis præſentia in æquam ſententiam trahere, præſentes ſi pronūciauerint, abſente tertio etiam cōtradicente forte ſentētia ualet, ut ff. eo. l. ſi in tres et l. ſiquis. Atqui ſi ex tribus arbitris unus in xv. ſecūdus in decē, tertius in quinq; pnunciet, quinq; pſtanda ſunt, quia in minori ſumma omnes conſenſerunt, in decem duo tantum. Arbiter autem non cogitur ſententiam dicere, ſi iurauerit ſibi de cauſa nō liquere, ut ff. eod. l. idem Pomponius. Sed nec forte cogitur ſententiam dicere, ſi ſimpliciter promiſſum ſit, ut ſtetur eius ſententiæ, ſed ſi dixerit eius ſententiæ ſtari debebit, ut ff. eod. l. non autem. Qualem ſententiam dicat arbiter ad Prætorem non pertinet æquam uel iniquam, ſcriptam tamen, nec legibus contrariam: ita tamē ut dicat, quod ſibi uidetur. Nam ſi actum ſit ut certam ſententiā dicat, à qua ratio maior trahitur, etiam eam ſententiam dicere debet, quæ cōtrouerſiam finiat hancq; iudex poſtea mutare non poterit, etiamſi errauerit ſed præparatotiā mutare poterit, ut ff. eod. l. qualem & l. quia. Quid ergo ſi arbiter pronunciauerit, ut ſoluatur quod debetur, uel ut diuiſioni ſtetur, uel ad iudicem de hoc eatur, in in ſe denuo compromittatur, alius arbiter adiungatur ſibi, non dicit ſententiam licet dicat pro ſententia. Nam ſententia dici debet de re compromiſſa, de hoc autem compromiſſum non eſt, ut ff. eod. l. non diſtinguemus. Nam etſi de pluribus controuerſijs arbiter ſumptus eſt, & de una tantum ſententiam dixerit, mutare poterit, ſiue ſimul de omnibus dicat actum fuerit, de alijs uero nondum ſententiam dixerit. Impropriè dixerim mutari ſententiam, potius enim dici poteſt nihil egiſſe, & ſic ſententiam nō dixiſſe, quàm erraſſe, uel male pronunciaſſe. Sanè ſi ut ſeparatim pronunciet actum fuerit, quantum ad illam controuerſiam pertinet, arbiter eſſe deſijt. Sed & ſi arbiter pronunciet nihil Titium Seio debere, etiam ſi Seium non uetuerit petere, ſententia ualet. Porrò ſi pœnam peti uetuerit ſententia non ualet, quia de re non de pœna compromiſſum eſt. Sed ſi plenè uel plenum fuerit compromiſſum, & de una re fuerit tantum diſputatum, de cæteris actiones ſupererunt, ut ff. eod. l. quid tamen. Ad officium arbitri pertinet, ut de eo pronunciet quod cautū eſt, non ergo quid libet ſtatuere poterit, nec qualem qualem pronunciare ſententiam. Arbiter enim nihil extra cō promiſſum dicere poteſt, ergo nec diem proferre, ſi dictum fuerit, poterit, non tamen contradicentibus litigatoribus, ut ff. eod. l. arbiter. Sententiæ ab arbitro dictæ honeſtè & ritè parendum eſt, ita tamen, ſi ore ſuo ſententiam dicat qualiter finiat, cæterum officio in ſententia functus non eſt, ut ff. eod. l. Labeo. In ſententia ſtat qui quantum in ſe eſt, id agit, ut ſententiæ pareat: ergo ſi arbiter me tibi certa die pecuniam dare iuſſerit, tu accipere noluiſti, pœna non committitur: ſi tamen tibi poſtea accipere parato non dedero in pœnam cōmitto, nec enim accipere noluiſti. Sed nec hic eſt modus liberandi, licet id iactitent idiotæ & lai

ci,ut ff.eod.l.Celſus l.ſed ſi poſtea. Quippe in prædicta ſententia duo ſunt arbi tri præcepta,ſed unum eſt ſtatuta die dari,aliud dari pecuniam : & quamuis in primum non incidat is,qui præfixa die paratus fuit dare,in ſecundum commit tit,ſi poſtea recuſauerit tribuere, ut ff.eod.l. Celſus. Si dictum eſt ubi debeat cō promiſſum diſcuti non eſt locus quæſtioni. Quid ergo ſi non appareat, de quo loco actum ſit? eo loco arbiter cauſam audiet ubi compromiſſum eſt; hoc ita, niſi arbiter partes adeſſe iuſſerit quandoq; in eo loco, qui circa urbem eſt, puta in ſeceſſibus & litigatores facile eo loco uenire poſſunt, & honeſtè hoc eſt non in popina,non in lupanari,ut ff.eod.l.cum dies. Dicere ſententiam debet arbiter diebus communibus non feriatis,niſi prætor forte coegerit,ut ff.eod.l.ſi feriatis,& infra triennium,& ita,quod non cōtrahatur eremoditium. Non enim arbiter niſi utroq; præſente iudicare poteſt,niſi ſpecialiter expreſſum ſit, ut uel utroq;,uel uno abſente,ſententia promatur.nempe coram furioſo,demente,minore,prodigo ſententia dicta,non cenſetur dicta:niſi eorum defenſores fuerint præſentes.ſiquidem nō ſufficit quem præſentem eſſe corpore ſi abſit mente, ut ff.eod.l.diem. Ex principio eam poteſtatem accipit arbitrium,ut conteſtatio facta apud arbitrum,uel apud iudicem præſcriptionē interrumpat,forte & actionem uſurariam faciat etiā in hæredes tranſire. Sed ſiquid à partibus profeſſum atteſtatumúe fuerit uti licebit eo in alio arbitrio,iudicioúe, ut C. eod.l.penult. ſecus in teſtificatis,ut C.de teſti.l.ult. Ex fine,id eſt ex ſententia eam hodie arbitrium poteſtatem accipit,ut exceptio rei iudicatæ detur reo abſoluto, & actori uincenti tribuatur ex cauſa iudicati in factum actio. Sed & per ſententiam cum non ſit omnimoda nouatio præſtatur obtemperanti pœnæ petitio. Competit autem iudicati actio, ſi partes per decem dies ſiluerint.idem ſi ſubſcripſerint, uel ὁμολογῶ, uel ἀρκῶ,uel utrunq;. Idem ſi latino ſermone,quod his ſimile eſt. ex his quæ dicta ſunt colligitur quod etiam arbitri ſententia ſcribi debet. Item ſi uiua uoce tantū firmauerint,nihil agitur. Quid ergo ſi abiter iurauerit? etiam ſi bene iudicauerit hodie ſententia non ualebit. Item ſi ſolæ partes,uel arbiter & partes iurauerint,multo fortius ſi male iudicauerint:imò etiam punientur à deo ſi dolo,ſi ignorantia,nihil ei uel eis præter ſacramentum ſit. Quid ergo etiam iuratum & pœnis uallatū compromiſſum fuerit? profectò, ut puto, id quod eſt uetitum,nō uitiabit id quod eſt compromiſſum: ergo ſi ſententiæ non pareatur ad pœnam agitur. In ſumma notandum eſt, quòd extra compromiſſum nihil arbiter facere poteſt,ut ff.eod.l.nō diſtinguemus § ult. ob hoc dicunt quidam quod arbiter nec de fructibus nec de litis expenſis,ſpecialiter niſi ex cō promiſſo quicquā dicere poterit,ego tamē puto quod poterit, maximè ſi actor prædicta petierit.Idem etiam non petierit. Quod ergo dicitur arbitrū nihil poſſe dicere niſi ex compromiſſo,ita exaudio:niſi illud aliud ſit exiguum,hocq; dici debet non extra,ſed circa,uel iuxta. Nam qui mandatum accepit ut tantum legatum petat,non ideo minus interdictum de tabulis intendit,nec ideo minus appellabit,uel quid ſimile aget,ut ff.iudica ſol l.iam. Adcedit & his argumentum expreſſum, ꝗ arbiter ritè ſolutiōi diē ſtatuit,ritè partes in ſeceſſibus adeſſe iubet,ritè cōtumaciā litigatoris punit,pecuniā eū aduerſario dare iubendo. Sanè hoc in numero nō habet,quæcunq; ſit ratio, ſi teſtiū noīa ex arbitri ſententia nō ſint exhibita,ut ff.eo.nō ex. Sed & quemadmodū uacua poſſeſſio tradatur, arbitri officio continetur,ut ff.eod.non diſtinguemus. Item in ſumma notandū eſt,quòd committitur non tantum ſi ab eo petatur à quo arbiter peti uetuit, ſed ſi à fideiuſſore,ut ff. eod.l. aduerſus. Item ſententia data licet tranſacto quadrimeſtri tempore pœna ſit commiſſa, uictus ex ſtipulatu conueniri non poterit, niſi agentis interfuerit,ſi ante acceptum iudicium dederit,ut ff.eod.l.utiq;. Si di

cimus

cimus dederit & ille acceperit nullum eſt dubium. Si, quod puto, dominus dedit, id eſt dare uoluerit, eſt mirabiliſſimum, tum quia pœnalis ſtipulatio purgari non ſolet, tum quia in pœnali intereſſe non inſpicitur. Ergo in arbitrijs ſpeciale intelligitur. Item ſi litigator ex iuſta cauſa abſuerit pœnam effiaciter non cōmittit, ſi tamen in eundem arbitrum uolentem, compromittere paratus fuit, ut ff. eod. l. ſi cum dies. Item notandum eſt, quòd licet arbiter poteſtatem acceperit diem proferendi, non tamen immutari poterunt conditiones primi compromiſſi. Porrò ſi fideiuſſores adhibiti primo, noluerint fideiubere in ſecūdo alij adhibendi ſunt, ut ff. eo. l. Labeo. Item ſi arbiter ſe cælauerit inueſtigabitur & multabitur, ut ff. eod. l. non diſtinguemus. Item ſi pupillus ſine tutore compromiſerit dato fideiuſſore, licet pupillus condemnatus non tenebitur, fideiuſſor tamen tenebitur, ut ff. eod. l. ſi pupillus. Item ſi de re ſua quis arbitretur, quia nemo ſe prohibere ſibiúe imperare poterit, ſententia non tenet, ut ff. eod. l. penult. Item in compromiſſis arbitrium perſonæ inſertum, perſonam non egreditur, ut ff. eodem l. in compromiſſis. Item licet arbiter duntaxat alterum ab altero petere uetuerit, etiam hæredes committere pœnam potuerūt, ut ff. eod. l. quamuis. Item ſi ab altera tantum parte hæredis mentio facta ſit, uno ex litigatoribus mortuo, perinde ac ſi neutrius hæredis habita fuiſſet mentio, compromiſſum ſoluitur, ut ff. eod. l. ſed interpellatur.

DE SATISDANDO. TIT. LVI.

QVia in arbitrijs de quibus dictū eſt, & in iudicijs de quibus dicendum eſt, ſatiſdationes præſtantur de ſatiſdando loquamur. Satiſdare eſt fideiuſſorem dare, ut ff. de uerb. ob. l. penult. & ff. qui ſatiſda. cog. l. j. prædicto tamē uocabulo omiſſo pro uarietate & qualitate perſonæ, etiā quælibet alia cautio præſtatur nuda, iuratoria, pignoraticia: hanc ultimam quia utilitas pignorum irrepſit, ferrea Iouis ætas induxit. Realiter & perſonaliter ſuo nomine quis experitur & conuenit, hoc in caſu quemadmodū ſit ſatiſdandū, expoſuimus ſuprà. Itē realiter & perſonaliter experit & conuenit quis nomine alieno, hoc in caſu qualiter ſatiſdetur ſuprà de ꝓcuratoribus cauetur. In ſumma notandū eſt, quòd in hoc titulo nihil dicitur, niſi ubi quis alieno nomine experitur uel conuenitur.

DE IVRIS FORMVLIS, ET IMPETRATIONE ACTIONVM SVBLATIS. TIT. LVII.

QVia etiam in actionibus etiā arbitraria præiudicia inſtituuntur, hæcq́ cum formulis & impetrationibus intendebantur. de his non corrobatis ſed ſublatis dicamus. Olim actio nō niſi ſolenniter, uerbisq́ formatis intendebatur, hodie laxatis frænis, dimiſſis habenis: præterquam forte in acceptilationibus, ab aula phalangica uerba receſſerunt, in longinquam regionē perrexerūt. Item olim actiones non intendebantur niſi à iudicibus impetrarentur, uerū hodie omnem actionem ſine impetratione intendimus, excepta reſciſſoria iudicio meo, ſicut ſuperius diſtinximus. In ſumma notandum eſt, quòd hodie etiā uulgari & ruſticano ſermone ritè actio proponitur, ſi ea, quæ ſit apta & competens propoſito negocio, inſtituatur, ut C. eod. l. ultima.

DE IVREIVRANDO PROPTER CALVMNIAM DANDO. TIT. LVIII.

IN principio cauſarum, imò poſt datum cauſis primordium, præſtatur iuſiurandum propter calumniam, & ideo de eo dicamus. Videamus itaq́ quid ſit

calumnia,quando præſtetur ſacramentum de calumnia,qualiter, in quibus, & à quibus. Calumnia eſt ex certa ſententia petitio falſa,uel repulſa. hoc ultimum fit tribus modis,negando,excipiendo,& quaſi. Poſt litem conteſtatam præſtatur hoc iuſiurandum,& ſtatim,& antequam aduocati iurent, ut C. de iur. dot. l.rem. Iurabit actor animo calumniandi ſe non mouiſſe litem, ſed exiſtimando bonā cauſam habere. Iurabit reus quòd putans ſe bona inſtantia uti ad reluctandum uenit. utriuſq; iuramento nouo iure adijcitur,nullam in tota lite probationem exigi ab aduerſario calumnioſè. Sed iurabunt ſe nihil iudici uel alij promiſiſſe,uel dediſſe neq; daturos poſtmodum fore. Iuratur de calumnia in cauſis pecuniarijs,non criminalibus. Sed nec in pecuniarijs iurabitur tranſlatis ad iudicem ſecundum,uel per appellationem,uel per primi iudicis mortem,ſufficit enī ſemel fuiſſe iuratum apud iudicem primum. Sanè ſi cauſa infra triennium non finita reſtauretur,poſtea iurari debebit iterum,quia alia eſt cauſa. Iurabitur autem ſi ciuiliter agitur de quocunq;,cum quocunq;,per quemcunq;. Ergo & pater,& patronus,& epiſcopus,& uix quilibet religioſus de calumnia iurabit: licet priores propter pietatem,potiores propter religionem, non ſit ueriſimile calumniari. Iurabunt aūt partes principales, id eſt actores & rei ſi fuerint maiores & compotes. Sanè ſi pupilli & adulti cauſæ agantur, per tutores & curatores iurabunt. Idem facient & alij qui ſunt quaſi tutores & curatores, ut Xenodochi,& parentes in filiorumfam. cauſis: hoc ita ſi miſeri & filij fuerint minores, maiores, & eorum defenſores iurare nihil impedit. Sed neque conqueri poterint prædicti quod compellantur deierare, neq; enim iurant ita fore, ſed ita ſe extimare. Eſtq; hoc iuſiurandum non de ſcientia,ſed de credulitate, ut C. cod.l. principales perſonæ. Sed ſi procurator agit uel defendit,principalis perſona ubicunq; fuerit iurabit,etiamſi procuratori in rem ſuam actio conceſſa fuerit. forte is cui cauſæ exercitium delegatum eſt, ſi utiliter experitur, quòd id ſuo nomine agit,iurabit. Quid ergo ſi cauſa ciuitatis uel uici uel monaſterij agatur? nunquid Oeconomi uel Archipreſbyteri,uel decani ſacramentum ſufficit? minimè,imò uel uniuerſitas,uel pars maior uel idoneior iurabit. In ſumma notandum eſt, ꝙ ſi actor præſens abſenſúe iurare noluerit, per ſententiam iudicis actionem amittit,reus tanquam confeſſus notabiliter condemnabitur, propter legis iudicisq; contemptum,licet nunquam abfuerit. Item notandum eſt, quod hoc licet etiamſi non exigatur, præſtari debet, ſed neq; ex pacto remitti ualet, ut Cod.eod.l.ij. Sed & licet olim in cauſa damni infecti alius iuraret alium per calumniam non poſtulaturum,hodie tamen non debet admitti. Sed & iudicio meo ore proprio manibusq; proprijs iurari de calumnia debet. Sed et ſciendum eſt,quòd ſi forte is qui teſtes producit interrogetur, an teſtes ſint de furto condemnati,uel aliâs notati,reſpondere debebit: ne ſi nō reſponderit,deieret, quia fortaſſis ſcienter aduerſarium ad inquirendas probationes compellit. Quid ergo dicemus ſi abſens dominus iuret nunquid cautio de rato perit? forte utiq; nō perit,quia licet iuratur,non tamen ſequitur quod ratum habeat. Item quid dicemus quod ff. de dam. infect. l. qui bona legitur,quòd ſiquis ſtipulaturus iurauerit de calumnia,nec ſtipulatus fuerit,ſi tamen poſtea ſtipulari uelit iteratò iurabit,tali ratiōe ita reddita,quia poteſt fieri ut uel tūc uel modo calumnietur? profectò dicemus, aut ibi ſpeciale fore, aut hodie correctum eſſe.

CODICIS

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE. LIBER TERTIVS.

DE IVDICIIS. TIT. I.

CVM A PRINCIPIO SECVNDI LIBRI IN ſingulorum titulorum initijs diximus tractaturus &c̄. Ecce tractauimus hoc eſt ad portum uenimus ad quem extra ut ueniremus anhelauimus. Confirmatis itaq; præparatorijs atq; præludijs iudiciorum, ianuis inſiſtamus, ualuas & fores pulſemus,& ad iudiciorū feſtiua ſolennia accedamus. Videamus itaq; quot modis iudicium dicatur hic, qualiter accipiatur, per quales iudices litigatoresúe inſtituatur, de qua re, qualiter inſtitutum diſſoluatur, non diſſolutum qualiter explicetur, quando terminetur, qualiter de iudicijs in Codice tractetur, quæ ſit poteſtas iudicij ex conteſtatione,& ex pronunciatione. Iudicium dicitur mentis diſcretio, puta cū dicitur impuberes non poſſe teſtari quia iudicio carent, ut Inſtitut. quibus non eſt permiſ. fa. t. item iudicium uocatur ſententia. item iudicium appellatur actio, ut C. fam. ercis. l. bona. item iudicium nuncupatur ferri candentis,& aquæ calidæ, de his omnibus nihil ad rhombum. Item iudicium dicitur trinus actus trium perſonarum ſub iudice confligentium. Iudicem competentem oportet eſſe xx an. maiorem, liberum non mulierem, non infamem, quidam moribus impediuntur ne iudices ſint, ut ff. eod. l. cum prætor. Sanè antea ſeruus, ut Barbarius Philippus, Prætor creatus, ſi decreuerit, eius iudicium ſtabit. Quales debeant eſſe litigatores in titulo ſexto infrà annuente domino exponemus. De crimine necnon de pecunia, duntaxat iudicium inſtituitur, non de generibus & ſpeciebus; non de F. Aeolico digamma, non de demonſtratiuo cauſæ genere, non de numeris, non de ſemitonijs, non de aſtris, non de uiribus hærbarum, non de magnitudine ſolis, non de ecclipſi lunæ, non de rotunditate firmamenti, nō de anima mundi, nō de cacodæmonibus & calodæmonibus: hæ enim quæſtiones ad iudices noſtros non pertinent. Diſſoluitur iudicium, ſi alter ex litigatoribus, alterum árrogauerit, uel hæredem fecerit. ut ff. eod. l. ſi à me l. Iulianus. item iudicium ſoluitur uetante eo, qui iudicare iuſſerat, uel iubentis iudice, uel ſi ipſe qui iudicare iuſſus eſt. tantus iudex extiterit, quantus is erat qui iudicare iuſſit, ut ff. eod. Sed etſi iudex uel litigator fuerit factus ſeruus, iudicium ſoluitur, ut ff. eod. l. non idcirco. Sed ex cauſa iudex mutandus eſt, puta ſi longius degat, uel infirmitate uel neceſſaria profectione excuſetur, ut ff. eod. l. ſi longius. Explicatur iudicium per iudicem ſedentem, audientem, interrogantē, interloquentem, indulgere dilationes definientem, per actorem actionem intendentem, & eam

fundantem,uel quaſi,per reum confidentem,negantem,excipientem,uel qua-
ſi,hæc ſunt officia iudicatorum & iudicum. Infra triennium ciuilis cauſa termi-
nanda eſt , poteritq; terminari hoc eſt utroq; præſente quacunq; parte triennij.
Sanè altero abſente contracto eremodicio,non niſi circa finem triennij , & ſi de
cauſa liqueat,poterit terminari:hoc eſt ut ſemeſtre tempus tantum eis ſuperſit.
Os aureum tamen in contrarium uidetur gloſſare,ut C. eod. l. properandum,
Sed & authen.qui ſemel actionem proponit Cod.quo.& quan. iudex, uidetur
obuiare.licet tamen iudex ante finem triennij nõ poſſit definire altero abſente,
præſentem tamen à iudicio ſuo interloquendo cauſa cognita poterit abſoluere,
& abſentem præſenti in expenſas condemnare. Vbi autem iudex præſentẽ præ
ſenti,uel abſentem præſenti condemnabit,etiam in expenſas condemnare de-
bebit reum uictum actori , & actorem uictum reo uictori : & hoc in caſu etiam
uſq; ad decimam quantitatis in libello comprehenſæ , nec enim abſurdum eſt ſi
durius puniatur actor quàm reus ut C.de epiſcop. & cler. authen. generaliter.
Quid ergo ſi iudex de fructibus & expenſis in ſententia omiſerit? eodẽ die ſup-
plere poterit,ſi non ſuppleuit,litem in hoc ſuam facit.Sanè in iſto caſu uictus ui
ctori non præſtabit expenſas,puta ſi ſententia ſit data pro abſente per contuma
ciam,ut C.eod.l.properandum § ſin autem.Item ſiquis citatus uenire diu con-
tempſerit ante litem conteſtatam expenſas in initio ab aduerſario factas illi da-
re debebit,multo fortius poſt litem conteſtatam,& maximè ſi cum inſtantia pe
tantur expenſæ,ut C.eod.l.ſancimus. Citari autem debebit abſens tribus edi-
ctis per interualla xxx dierum,hodie autem uno peremptorio. Quãdoq; tamẽ
hoc peremptorium dabitur poſtea,& erit quartum , quandoq; poſt ſecundum,
quandoq; erit ſolum,ut ff.eod.l.nõnunquam. Item poſt pemptorium quãdoq;
dabitur etiam aliud citatorium.Sed & ſub anteceſſore omnis numerus edictoꝝ
finitur,unum tamen edictum ſucceſſor dabit,ut ff.eod.l.edictum.Si tamen is q
peremptorium impetrauerit die cognitionis abfuerit , is uero aduerſus quẽ im-
petratum eſt abfuerit , circumducendum eſt edictum, neq; cauſa cognoſcetur,
nec pro præſente pronunciabitur.Porrò licet inſtancia edicti perierit , & lis ſal-
ua erit,ex integro litigari poterit,ut ff.eod.l.& poſt. abſens tamen condemna-
tus,nec em̃ quia abſens eſt condemnatus eſt,non appellabit,ut C.eod. & quo.
& quan.iudex l.j.Ita tamen,niſi reuerſus ſe contumacem non fuiſſe probaue-
rit. Vt autem cauſa ſanctiſſimè terminetur,& pro iudicijs in ſacrarijs ſe fore liti-
gatores & iudices putent,in medio terribiles ſcripturæ euangeliorum poni de-
bent,& ut per iudices cõfidentius definiatur cauſa,& cõtumacis abſentia, quæ
habetur pro præſentia dei repleatur præſentia:licet enim deus ubiq; præſens ſit
euangelijs tamen ſuis in conſpectu poſitis præſentior æſtimatur. De iudicijs tra
ctatur hoc ordine. Ecce enim in prima lege agitur de iudicio cœpto, in ſecunda
de ſententia terminata,in tertia de inſpectione mixta. Quarta pertinet ad termi
nationem terminati iudicij. Quinta, ſexta,ſeptima , de iudicibus & litigatori-
bus loquuntur. Octaua,quæ aphoriſmus eſt , edocet qualiter iudicandum ſit.
ait enim ſecundum æquitatem iudicandum eſſe, non ſecundum uerborum au-
toritatem,ſed ſecundum eorum benignam interpretationem , uel quod melius
eſt dici poteſt quia æquitati,id eſt exceptioni regulæ ſtabitur. quippe potentiſſi
mum eſt quod ad ſpeciem dirigitur,& non ſecundum ius ſtrictum , id eſt regu-
lam iudicatur quæ uiciatur:ſed & ſummum ius ſumma iniuria eſt. forte & loco
tertio dici poteſt,quòd & per mores , & per ſimilitudinem citra iuris ſcripti ra-
tiones:ſi tamen non aduerſentur ſcripto iuri,poterit iudicari. licet enim ea,iura
ſcripta non dicant,ueruntamen quod legibus omiſſum eſt religione iudicantiũ
non omittitur,ut ff.de teſtib.l.quæſitum.hanc legem , ſummula noſtra inſerta
uolumi

uolumini quæ incipit placuit, uberius explicat. Ex conteſtatione eam poteſtatem accipit iudicium, ut nouatio neceſſaria fiat, & adijciat, & non detrahat. Quippe actio fit perpetua regulariter, & tranſit, etiam ſi ſit uſuraria. Ex promiſſione quoq; fit nouatio neceſſaria. Sententia tamen actio non tollitur, ſed elidit. Sanè hæc noua ſunt. uſuræ quadrimeſtri tempore dormiunt. Actio in factum ex cauſa iudicati noua oritur non uentilanda, ſed executioni mandanda. prædictis duobus modis nouatio fit, neceſſaria aliâs per ſtipulationē fit uoluntaria & emptoria. In ſumma notandum eſt, quòd ſi reus conuentus fuerit cōfeſſus, cautela competenti ab eo præſtita quadrimeſtre tempus accipit, ut ff. eod. l. ſi debitori, & C. de uſur. rei iudicat l. ij. In iudicium omnia ueniunt niſi dictū ſit ne ueniant, ut ff. eod. l. ſolemus. uenit, inquam utrunq;, ueniunt inquam ſi poſſunt, id eſt ea quæ contigerunt, contingentia poſt iudicium cœptum non ueniunt, ut ff. eod. hoc, inquam, ſi alia poſtea contingentia ſint annexa, ut fructus & uſuræ, l. ædiles. Quid ergo dicemus quod ff. de ædilit. edicto agitur l. ædiles? Contingentia poſtea ualde ad officium iudicis pertinere, inferunt, ergo in iudicium uenire? Reſpondeo in iudicium ueniunt, id eſt in cauſam, & non ueniunt in iudicium, id eſt actionem. Ergo iudicij nomen æquiuocè acceptum reſoluit contrarium. Sed quid dicemus ſi ego alienigena apud iudicem te alienigenam conueni, nunquid de domo quam trans mare poſſideo reſpondebo? ſi dicatur ita, uidetur abſurdum: ſi negetur, reo fit iniuria, tutius tamen eſt ut ego reſpondere cōpellar, ut de ſenten. authen. & conſequenter. Nam qui non cogitur iudicium pati: in loco quodam, ſi tamen ibi agat, ibidem cogitur reſpondere, nec diſtinguit lex: ibi ergo de rebus omnibus debet intelligi, ut ff. eod. l. qui non. ubi quis iudicium non cogitur accipere, nec iurare iudicio ſiſti cogendus eſt, ut ff. eod. l. ſed &. Item in ſumma notandum eſt, quòd in pecuniarijs cauſis non criminalibus, & pater filium, & filius patrem iudicem habere poterit, ut ff. eod. l. in priuatis. Item ſi actor per dolum extorſit ſententiam iudex ſuperior rei debebit amittere querelam. item ſi litem per falſum procuratorem conteſtatam dominus habuit ratam, et retro uidetur res rectè in iudicium deducta fuiſſe, ut ff. eod. l. licet. Item in iudicijs bonæ fidei pro eo quod nondum peti poteſt, ut caueat ex cauſa debitor artatur, ut ff. eod. l. in omnibus. Item in ſumma notandum eſt, quòd iudiciū in futurum concipi non poteſt, ut ff. eod. l. non quemadmodum. Aliquando tamen et pro conditionali debito ſententia datur, puta ubi chirographum eſt deletum, & interim teſtibus id probare poſſim, tunc condemnationis exactio competit, cum debiti conditio extiterit. Quod ſi defecerit, cōdemnatio nullas uires habebit, ut ff. ad. l. aquil. l. in lege. Item ſciendum eſt, quòd cum prætor unum ex pluribus iudicare uetat cæteris id committit, ut ff. eod. l. cum prætor. item ad iudicem alienigenam uocatus debet uenire priuilegia ſua allegaturus. Sed & uocatus factus poſtea priuilegiatus, ius mutandi forum non habebit quaſi præuentus, ut ff. eod. l. ſiquis. Item in ſumma notandum eſt, quòd non uidetur fruſtrandæ dilationis cauſa latitare, qui præſens iudicium nō cogitur ſuſcipere, ut legatus, filiusfam. regulariter ſi à patre conueniatur, ut ff. eod. l. non uidetur l. lis. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſi in iudicijs mixtis ambo in ſimul ad iudicium prouocant, ſorte res diſcerni debet, quis agat, quiſúe reſpondeat, ut ff. eodem l. ſed cum.

DE SPORTVLIS, ET SVMPTIBVS IN DIVERSIS IVDICIIS faciendis, & de executoribus. Tit. ij.

I

Diſſeruimus de iudicijs, nunc diſſeramus de eorum pædagogis, id eſt de executoribus litiũ, audiamus quoq; de ſportulis, & de ſumptibus alijs quæ fiunt in iudicijs. Executores cauſarum dicuntur, qui cauſas inſtructas iudicibus offerunt, litigatores obſeruanter cuſtodiunt. Hi & apparitores uocantur quia lites apparant, ut C. de iudic. l. apertiſſimi, & catholiciani quia uniuerſaliter omnibus deſeruiunt. Hi ſi non fecerint quod debuerunt ab officio remouebuntur, per illuſtres iudices, id eſt tribus aureis multabuntur. Sed & talibus maiores pœnæ & corporales maculæ, ſi male fuerint uerſati circa lites, imponẽtur. Quid ergo facient pedanei, & delegati iudices? equidem executorum exceſſus ad ordinarios, quorum intereſt, referent. primi ſcrinij quoq; qui iuſſa temerari permiſerint in quinq; libras auri damnabuntur, ut C. eo. l. j. & ij. de ſportulis & ſumptibus licet in rubrica ponatur, nihil tamen ſub hoc titulo ſancitur. Sportulæ fortaſſis erant uaſa in quibus reponebantur pecuniæ publicæ, ſicq; per continentia ſignificantur contenta. Hoc ſolum legitur de ſportulis quòd cliens olim nomine ſportularum executoribus præſtabat, nunc duos aureos, nunc unũ ſemiſſem, hodie ultra quatuor ſiliquas non præſtatur. Item legitur quòd is qui plus petijt, aliquando in triplum nomine ſportularum condemnabatur. Item legitur quod ſportulis præſtitis reus xx dierum gaudeat inducijs, fiunt etiam alij ſumptus in litibus, puta qui præſtantur aduocatis, ſcriptoribus, & pro exhibendis teſtibus. Quantum nomine ſportularum præſtandum ſit, quia non inuenitur cautum, iudex pro ſuo arbitrio, procq; fori conſuetudine æſtimabit.

DE PEDANEIS IVDICICIBVS. TIT. III.

Diximus de ordinarijs qui ſint, audiamus de pedaneis, unde pedanei dicantur, quid poſſint. Pedanei ſunt q̃ negocia humiliora diſceptant, ut C. eo. l. ult. à pede nomen acceperunt, quaſi pedeſtria negocia tractent. Olim fiebat diſtinctio cauſarum, ſiquidem aliæ dicebantur paruæ, has neceſſariò ordinarij delegabant, aliæ maiores, has quandoq; iudicabant, aliæ maximæ, ut de ſtatu perſonæ, has: ſicut nec hodie, ita nec olim poterant delegare. Porrò hodie duo tantum ſunt genera cauſarum, maximè ſcilicet quæ (ſicut dictum eſt) nec hodie etiã poterunt demandari, et in præſidũ cognitione poterũt retineri, ut C. eo. l. ij.

QVI PRO SVA IVRISDICTIONE IVDICES DARE, dariúe poſſunt, Tit. iiij.

Audiuimus ſupra de iudicibus ordinarijs, nunc audiamus qui iudices poſſint iudices dare, etiam qui dari dareúe poſſunt ordinarijs ſibi ſubiectos, et in iuriſdictionem ſuam: alioquin perinde, & multo fortius nihil ualebit, quod à delegatis iudicabitur, acſi ipſi qui delegauerunt, aliæúe iuriſdictionis iudices, reſediſſent. Ergo nec talium delegatorum ſententiæ ualebunt, nec per appellationes ad eos remeabunt. Excipitur niſi delegati à principe alijs delegauerint. Sed & hoc ipſum uidetur mirum. Nam ſi ad omnia ſunt delegati, fruſtra excipitur, ſi ad certum locum certamq; cauſam, uidetur falſum. In ſumma notandum eſt, quòd iudex delegatus oblato libello danti, uel eo longius conſtituto alij iudici, ante litem conteſtatam ex cauſa poterit recuſari. Illico tamẽ, id eſt intra triduum alius debet ſubrogari, etiamſi iudicem Imperator dederit, ut C. de iudic. l. penult. & ult. Sed & illud ſciendum eſt, quòd iudex delegatus, et iudex appellationis per ſe cauſam totam audire debet, & iudex primus & ordinarius præter principiũ & medium & finem, per alios quoq; cætera poterit audire, ut Co. de iudi

de iudic. authen. ad hæc. Item in ſumma notandum, quòd executor litium licet raro poterit à iudice dari, ut ff. de iudic. l. ult. Sed obſeruandum eſt ne is iudex detur, qui ab altera parte petitur, ſed iudex datus interpres eius qui danti ſucce dit quandoq; durat, ut ff. de iudic. l. obſeruandum & l. uenditor. Item in ſumma notandum eſt, quòd ubi furioſus iudex datur, nõ prorſus nihil agit, quia quod hodie non poteſt, crás fortaſſis poterit, ut ff. de iudic. l. cum furioſus.

NE QVIS IN SVA CAVSA IVDICET, VEL ſibi ius dicat. Tit. v.

EXpediuimus de iudicibus, nunc audiamus de litigatoribus. Et quidem cũ nemo poſſit ſibi imperare, neq; ſibi, neq; contra ſe in cauſa ſua poterit iudicare, neq; ſuper poſſeſſione, neq; ſuper proprietate, neq; in alia quæſtione, neq; interloquendo, neq; definiendo, neq; iudicando, neq; arbitrando. forte ſiquid iu dici inuito accidit, ueluti ſi furtum uel iniuriam paſſus eſt, litem apud ſe conteſtando ius ſuum perpetuabit, ut ff. de off. præſi. l. ſenatuconſulto. In ſumma notandum eſt, quòd C. de fideicon l. ultima legitur, in cauſa ſua quaſi iudicem ſibi quem eſſe poſſe.

QVI LEGITIMAM PERSONAM STANDI IN IVDIcijs habent, uel non. Tit. vj.

NVnc uideamus qui non poſſint litigare, ut ſic per conſequentiam intelligamus, qui poſſint. Seruus regulariter nõ litigat. Excipitur, niſi de crimine, uel de libertate experiatur, aut conueniatur. Sed & de momentaria poſſeſſione experitur, ſed non conuenitur. Item minor regulariter per ſe non litigat. excipitur, niſi ueniam ætatis impetrauerit, niſi ſui tori uiolati iniuriam proſequatur, niſi etiam puppillus pro libero homine exhibendo cõtendat, ut ff. de libe. hom. exhib. & ff. de adult. l. ſi maritus. Quid ergo ſi aliâs contra minorem ſine defenſore litigantẽ ſententia fuerit lata; ꝑfectò ipſo iure erit nulla, ſed pro eo ualebit.

VT NEMO INVITVS AGERE VEL ACCVſare cogatur. Tit. vij.

INuitus agere uel accuſare nemo cogitur ante litem conteſtatam ex neceſſitate abſoluta. ergo poſt litem compellitur, ergo ex neceſſitate cauſatiua cogitur, ut hæres interfecti, & is qui officium publicum priuatumúe gerit, ut tutor, curator, actor, procurator, negociorum geſtor.

DE ORDINE IVDICIORVM. TIT. VIII.

EXpediuimus ſuprà qualiter & quando iudicia terminantur, nũc audiamus quemadmodum ordinantur, id eſt loquamur de ordine iudiciorum hoc eſt plurium quæſtionum in iudicio uertentium. Vel aliter diximus de ꝑſonis, nũc audiamus de rebus, id eſt quæſtionibus. Et quidem interdũ una mouetur quæſtio, interdum mouentur plures. Si una tantum mouetur, ceſſat ordo. ſi plures mouentur, interdum ab eodem, quandoq; à diuerſis. Si ab eodem in arbitrio eſt intendentis quam primo uelit intendere, ſiue ciuilem ſiue criminalem. Hæc ita niſi prima pendeat ex altera. Ecce enim ſi uelim conuenire poſſeſſorem hæreditatis eius cui credidi, cum etiam dicam me eiuſdem fore hæredem, & poſſeſſor

inficietur, non ritè de mutuo ago, imò primo hæreditatem petere debeo. Nam niſi me hæredem eſſe probauero confunditur condictio, ſi non condicere potero, ut C. de act. hæred. l. ij. Sed in priuatis criminibus licet primo poſſet agi uel ciuiliter uel criminaliter, poſtea nō agetur modo alio. Atqui de publico crimine ſiue prius egit ciuiliter, ſiue prius criminaliter, & alio modo poſtea, præterquā de iniuria, potero experiri. Vbi plures mouentur quæſtiones à diuerſis, aut ſe contingunt, aut non, ſi ſe non contingunt qui prior appellat prior agat. Hæc ita ſi ambæ fuerint criminales & pares. Idem ſi prima fuerit maior, ſemper enim maior quæſtio trahit ad ſe minorem, ut ff. de iudic. l. per minorem. Idem ſi prima fuerit ciuilis, & poſterior principalis de crimine publico. Sanè frangitur prædicta regula, ſi inter duas criminales poſterior fuerit maior. Idem ſi prima fuerit ciuilis, altera de crimine publico. Idem ſi primæ incidit alia: hoc autem fit quatuor modis, ſiquidem quandoq; incidit ciuilis ciuili, quandoq; ciuilis criminali, quādoq; criminali ciuilis, quandoq; criminalis criminali. Et certe in omnibus incidens quæſtio ideo terminanda eſt, ſi terminari poteſt, id eſt niſi eius notio præpediatur, propter litigatorum impuberem ætatē, uel propter arbitrium, uel pedaneū iudicem. Porrò hi licet non poſſint determinare, & poſſunt, & debent examinare. Ecce enim ſi mihi hæreditatem petenti obijciatur ſeruitutis quæſtio, hæc incidens ideo determinabitur, ſi iam pubui, & ſi iudex erat ordinarius, ſi non, iudicium tantum examinabitur. In prædicto ciuilis ciuili incidit. Ciuilis incidit criminali, puta tibi lege fauia agenti obijcio, quòd ſeruus quem uendidi meus ſeruus erat, debet hæc incidens terminari. quippe ſi apparuerit meum fuiſſe ſeruum ceſſabit fauia, ſi tamē forte competet. Criminalis ciuili incidit, ſi tibi à me prædium uindicanti per inſtrumentum, obijcio quæſtionem falſi. Criminalis incidit criminali ſi marito uxorem accuſanti obijcitur quæſtio lenocinij. Idem puto ſi tibi accuſanti me de homicidio, obijcio quia mihi extitiſti ſocius in illo crimine perpetrando. In ſumma notandum eſt, quòd quandoq; incidenti quæſtioni & alia incidit, deq; ea primo iudicari debebit, ut puta petenti tibi hæreditatem, obijcio quòd ſeruus es, tuq; replicas quia libertatē accepiſti in teſtamento, ego duplico quia falſum eſt teſtamentum: profectò primum debet quæri de quæſtione falſi, ut ff. de petit hære. l. v. Item in ſumma notandū eſt, quòd etiam aliter quàm per falſi quæſtionem obiectam libertatis quæſtioni præiudicatur. Ecce enim & ſi defunctus teſtator ſeruus fuiſſe dicatur, in poſſeſſionem tamen ſcriptus hæres mittitur. Sed ſi homini in poſſeſſionem libertatis cōſtituto, etiā in ſeruitutem petito aliquid fuerit ablatum, illico eſt ei reſtituendum: ſi ante litem ſine cautione, ſi poſt litem cum cautione, ut C. de ord. cognit. l. ult.

DE LITIS CONTESTATIONE. TIT. IX.

Dicturi ſumus quando habeatur litis conteſtatio & quādo intelligatur conteſtata, & quando non, & quæ præcedant litis conteſtationem, et quæ poſtea fiant etiam in iudicio, & poſt iudiciū. Litis conteſtatio eſt negocij hincinde narratio apud iudicem. ergo multum differt à ſimplici poſtulatione, & ab actionis editione. quippe poſtulatio fit etiam aduerſario abſente, editio fit etiam eo non reſpondente. Litis conteſtatio non fit, niſi aduerſario præſente & competenter reſpondente, id eſt uel negando uel excipiendo, id eſt iudiciū ſubeundo, non litem declinando. Declinatur aūt lis propter locum, propter tempus, propter perſonam iudicis litigatoris, propter cauſam. Hæc ſunt quæ litis conteſtationem etiam præcedunt & ſequuntur. Ante libellum de lite conteſtanda infra duos menſes cautio, libelli oblatio, litis cōteſtatio, iuriſiurādi de calumnia præſtatio,

ſtatio,aduocatorũ iuratio,partium aſſertio,inſtrumentorũ exhibitio,teſtium pductio,dilatio,cauſæ examinatio.In ſumma notandum eſt,quòd poſt libellum conuentionalem oblatum ab autore,uel à iudice,reus factus tam criminaliter q̃ ciuiliter xx dierum ſi uolet gaudebit inducĳs,infra quas deliberet cedat an contendat,uel iudici dato iudicem aſſociari ſupplicet,uel datum etiam à principe recuſet:niſi ſit is quẽ ipſe iam recuſato alio petierit, licet raro is qui petitur detur. Item cauebit actor quod litem ciuilem aut per ſe, aut per procuratorem uſq; ad finem perducet, & cauebit ꝙ nomine iudicalium expenſarum præſtabit decimam partem quantitatis comprehenſæ in libello conuentionis. hæc ita ſi decima exuperat factas à reo expenſas,ut C.de epiſcop.authen.generaliter.

DE PLVS PETITIONIBVS. TIT. X.

PLus petitur quatuor modis,tempore,loco,cauſa,re,id eſt ſpecie,uel quantitate. Olim plus petens à cauſa cadebat,nec facile ſi maior erat iuuabatur, ſed minor reſtituebatur. Porrò hodie ſi quis plus petat tempore duplicantur induciæ,ut Iuſt.de except.ſi alio modo, in triplum nomine ſportularum reo abſoluto petitor cōdemnabitur,ut Inſti.de act. Ergo ſi nullæ ſportulæ præſtitæ ſunt ita plus petitio impunita erit. Quid ergo ſiquis plus petierit, & cautionem dolo ſè extorſerit? diſtinguitur,ſi poſt libellum oblatum ante litem conteſtatam pœnituerit,nō damniticabitur,& quia ſimplex conatus damno nō adficit, & quia hic non plus iudicio petit,ſed petere uult,ut ff.rem rat.hab.l.amplius. Hoc ita exaudio,niſi poſt libelli oblationem etiam ante conteſtationem ſportulas reus præſtiterit:quippe etiam ante litem ſportulas præſtari legitur,ut in authent.oferatur ei,hocq; in caſu ſatis eſt,ſi ſportulæ præſtentur in ſimplũ,poſt litem conteſtatam de quantitate falſò adiecta,petitor conuictus totius debiti ſumma multabitur. Tali iure conuictus humani generis inimicus in Chriſti certamine ſuccubuit. Siquidem cum perſiſteret improbus prædo,inquit, Leo papa,auarusq; exactor,& cum in Chriſtum in quo iuris nihil habebat manus inĳceret, per iniuſticiã plus petendi,totius debiti ſumma uacuabatur, & genus humanũ quod iure poſſidebat,amittebat. Hæc tamen ita,niſi interceſſerit tranſactio, ſecũdaûe confeſſio,id eſt cautio & ſine calumnia:nec enim illam diſtinctionem admitto, ut ſi de re fuerit tranſactum per calumniam non ualeat, ueruntamen nec iudicio meo de calumnia, imò de re tranſactio, uel ſecunda cautio fuit interpoſita. Quid ergo dicemus ſi poſt litem conteſtatam calumnioſus petitor & cautionis exactor,non arguitur ſed fatetur? forte ſicut diximus ante litem conteſtatam,in ſportulas ſolas multabitur,ut alĳ dicunt,& ut diximus poſt litem conteſtatam ſportulas triplabit. Quid ergo ſi poſt litem conteſta.neq; arguitur,neq; fatetur, ſed reus abſoluitur,licet lege iſta hæc non dicantur, tamen petitor tanquam uictus habendus eſt,& debiti ſumma uacuatur.

DE DILATIONIBVS. TIT. XI.

IVdicio cœpto dilationes ſæpe petuntur,& ideo de dilationibus audiamus,uideamus itaq; cui detur dilatio,quando,quare, quanta, quoties. Dilatio datᷓ actori,& reo,accuſatori,& accuſato. Datur ſi bene, id eſt non per calumniã poſtuletur,ut C.eod.l.j.Datur propoter teſtes,& propter inſtrumenta,non propter abſentiam amicorum,uel aduocatorum ex eadem prouincia.Datur dilatio trium menſium ex finitimis prouincĳs,ſi uero ex continentibus prouincĳs datur ſex menſium,in tranſmarinas partes nouem menſium datur. Ex cauſa tamẽ

prædictæ dilationes minuuntur ut C. eo. l. iij. fortaſſis ex cauſa augeri poſſunt, quamuis C. eod. l. ult. aduerſari uideatur. Sed & quandoque omnis dilatio denegatur. Ecce enim calumnioſè petenti, & per reſcriptum ad iudicem alienum uocanti, & in cauſa adulterij dilatio denegatur, ut ff. de adult. l. in crimine. Sanè ubi quis uocat per reſcriptum ad iudicem extraordinarium non auditur, niſi certam quantitatem ſe reo daturũ promiſerit, & quod cauſam exequatur, niſi forte uicerit, ut C. eod. l. ſi quando authen. quod fieri non debet. In ciuilibus cauſis ex ordine non niſi ſemel, nec reo, nec actori dilatio datur. Ex cauſa tamen, id eſt, ſiquid inopinatum emerſerit ſæpius datur, ut ff. eod. l. oratione. Accuſatori duæ dilationes dantur, accuſato uero tres tribuuntur, ut ff. eod. l. ult. forte & in criminibus cauſa cognita multiplicior dilatio dabitur. Quid ergo dicemus quod in authen. de teſti. quarta teſtium productio conceditur? Si inferatur, ergo quarta dilatio datur? Reſpondeo, non ſequitur. Nam etiam in eadem dilatione, id eſt in eadẽ cauſæ pollicitatione ſæpius produci poſſunt. In ſumma notandum, quod quandoque ad ſuperandam maliciam in cauſa appellationis unius menſis datio tribuitur, ut authen. de appell. Item notandum eſt, quòd ſi Imperator reſcripſit ad appellationem amplius dilatio non dabitur. Idem ſi Imperator cognoſcit de appellatione miſſa ante ad reſcriptum, nec aliter tam Imperator, quàm iudex alius, primus, ſecundusúe, ordinarius, delegatusúe dilationem cauſa cognita tribuere poterit, ut C. eod. l. cum à nobis.

DE FERIIS. TIT. XII.

Diximus de dilationibus quæ dantur ab homine, id eſt à iudice, nunc audiamus de dilationibus, quæ indulgentur ipſo iure. uideamus ergo de ferijs. Videamus itaque quare dicantur feriæ, qualiter diſtinguantur, & quid in his agi debeat. feriæ dictæ ſunt quaſi foeriæ, quia regulariter à foro præſtant uacationem, uel forte dictæ ſunt feriæ quaſi feſtiuæ. feriarum aliæ dicuntur ſolennes, id eſt quæ indicantur ob religionem, ut ſanctorum natilitia, aliæ dicuntur repentinæ, id eſt quæ indicũtur ob reuerentiam, ut natalis domini, Imperatoris, commemoratio hoſtilis & barbaricæ ſubiugationis. A ſolo tamen principe non ab alio iudice hæ feriæ indicuntur, ut C. eod. l. iiij. Aliæ dicũtur temporales feriæ, ut meſſium & uindemiarum. In prædictis omnibus ferijs, & ritè appellatur & uſucapitur, & cauſarum probationes inueſtigantur. Sanè inter iuriſdictionẽ contentioſam & uoluntariam multum diſtinguitur. Quippe uoluntarij & legitimi actus, etiam diebus Paſcalibus poterunt expediri, ut adoptio, emancipatio, manumiſſio. Sanè officia artium liberalium & ſeruilium in diebus dominicis, & in natalibus Apoſtolorum, in die natalis Domini, & in die circumciſionis, & in Epiphania, & Paſcalibus diebus conquieſcere debebunt. Porrò contentioſa iuriſdictio in prædictis diebus regulariter ceſſare debebit, ergo cauſæ criminales ceſſabunt. Excipitur propter quotidianam & communem utilitatem, auaricia piſtorum, audacia Iſaurorum, & aliorum inſignium latronum, & hominum manifeſtã uiolentiam admittentiũ quæ etiã dieb. ſolennibus & paſcalibus compeſcitur, ut C. eod. l. prouinciarum. Sed & agricolæ diebus prædictis quandoque frumenta ſulcis, & uites ſcrobibus permittuntur commendare. Sanè aliæ cauſæ criminales in dominicis diebus, aut in paſcalibus, ſed nec etiam in quadrageſimalibus examinari debebũt. Porrò cauſæ ciuiles in quadrageſima uentilari poſſunt, præterquam in dominicis diebus, & in ſolennitatibus apoſtolorum, et ſanctæ matris domini ſi inciderit, & præterquam in heptomada Palmarum, & in ea quæ poſt Paſca ſubſequitur. Sanè liberalia iudicia omni tempore finiuntur.

Sed

Sed & morboſarum carnium uenditores omni tempore puniuntur, ut ff. eod. l. ſolet. Aliâs nec dum cauſa criminalis, ſed nec etiam ciuilis diebus ſolennibus uel in ferijs repentinis regulariter conteſtanda eſt. Excipitur niſi actio tempore ſit peritura, ſed etiã priuatis diebus ea quæ de plano fuerint diſcutiuntur, puta ut tutores dentur, ætates probentur, alimenta conſtituantur, ut ff. eod. l. ij. Quid ergo dicemus ſi in ferijs temporalibus, id eſt cum meſſes ſecantur, uuæ colligũtur, prætor ſententiam dixit? profecto ſi conſentientibus partibus ualet, ſi alterutro abſente: forte etiam citato ſolenniter, nõ ualebit, multo minus ſi uenire coegerit & ſententiam dixerit, ut ff. eod. l. j. Enimuero ſi in diebus ſolennibus etiã conſentientibus partibus ſententia dicetur, nulla erit. Cum enim prohibitus po ſtulare etiam aduerſario conſentiente, nõ poſſit poſtulare propter reuerentiam prætoris, multo minus ualebit ſententia diebus dominicis propter reuerentiam creatoris, neq; factum prætoris iuri publico aut diuino derogare poteſt, ut ff. de poſtulan. l. quos & ff. eod. l. j.

DE IVRISDICTIONE OMNIVM IVDICVM, ET DE foro competenti. Tit. xiij.

HAbito tractatu iudiciorum tempore & ordine, de loco loquamur eorum, id eſt de foro cõpetenti, & inde ſumpta occaſione adnectamus de omniũ iudicũ iuriſdictione. Videamus itaq; quẽ locũ uocemus forũ, & quare, & qualiter diſtinguatur forum, & quid ſit iuriſdictio, & qualiter diſtinguatur. Locus ille in quo res uendũtur publicè uulgariter uocatur forum. Eſtq; dictum forum quia multa feruntur eò, atq; prætorium appellatur forum. forus fori ſic forte dictus, quia de foris nauium, ibidem ſedilia iudicantium conficiuntur. Nunc forũ reperimus aliâs commune & plenum, ut Romam. Roma quippe communis patria noſtra eſt, ut ff. ad municipa. l. Roma. Cæterum iudicij forus eſt non cõmunis non plenus. Diſtinguimus autem forum cæterorum iudicum, aliâs propter domicilium rei, aliâs propter negocium delictumúe, aliâs poſitione, non ratione domicilij. ratione aliâs temporalis, aliâs perpetui. Dicitur autem domicilium ubi quis larem, & rerum & fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus ſi nihil auocet, unde cum profectus eſt peregrinari uidetur, quòd ſi redijt peregrinari iam deſtitit, ut C. de inco. l. ciues. Sed & domicilia duo quis habere poteſt, ut ff. ad municipa. l. v. Sed & duos iudices quis habere poteſt, alterum iure domicilij ſiue perſonæ ſuæ, alterum rerum à ſe alibi poſſeſſarum contemplatione: tres quoq; iterum ratione domicilij, facti proprij, patrimonij. Et quidem certe domicilij ratione actor rei non reus actoris forum ſequitur. Hoc ita exaudio ſi certantes contendunt de foro hoc eſt ſi actor hoc ſo lum allegat quia actor eſt, reum ad ſuum forum non trahet. Sed & hoc ſolum reus iuſtiſſimè allegabit nec niſi ibi ubi habet domicilium, ſicut diſtinctum eſt, conueniatur, ut C. eod. l. ij. Sanè aliquid ex tranſactis interuenire poterit, quod regulam prædictam iuuabit, & reum etiam reus ad actoris forum compellet, puta ſi apud actorem cõtraxit deliquitúe. Quippe generaliter qua in prouincia quis contraxit uel deliquit, illic iuri ſubiaceat. Simile eſt quod legitur ff. depoſ. l. bona: ſi ſolum deponentem & depoſitarium intuemur, etiam furi res debet reſtitui, ſi extrinſecus perſonam domini, uel alterius qui habeatur pro domino aſſumimus minimè furi debet reſtitui. Ita tamen peccator uel contractor ubi admiſit ſubiacet iuri, ſi actor uelit etiã ſi reus nolit, ita etiam in terra aliena ubi quis deliquit uel contraxit, poterit conueniri ſi ibi inueniatur, ut ff. de iudic. l. hæres. Ergo ſi reperiatur in loco tertio, id eſt in quo nec habet domicilium, nec contra-

xit, nec perpetrauit delictum, ibi inuitus nõ poterit conueniri. Sed nec ad ſuum forum eum actor trahere poterit, ſed nec ad alienum. Excipitur (quod infra de certo loco dicetur) quia dicemus quod authen. prædicta uidetur ſuperuacua, cũ idem antiquis legibus caueatur, profectò etiã generalius & expreſſius authen. loquitur. Itẽ quid dicemus, utrũ ne p̃dicta authen. etiã in criminationibus ſuã potentiam exercebit? inquiunt quidam, utiq;. Iuriſdictio eſt poteſtas alicui à publico indulta cũ licentia reddendi iuris, et facultate ſtatuendæ æquitatis. Hæc eſt aliàs plena, aliàs non plena. non plena aliàs eſt ordinaria, aliàs non ordinaria, ut in præſidibus & proconſulibus prouinciarum. Hæc aliàs per delegationem, aliàs per præſcriptionem, aliàs ex conſenſu partium ab alio iudice præterquam à principe. Siquidem iudicare iubentem magiſtratum eſſe oportet, etiam in aliqua ordinaria poteſtate conſtitutum, ut ff. eod. l. more, & l. quia, & l. cum qui. Per reſcriptũ principis quoq; (ſicut ſuprà diximus) iuriſdictio demandatur. Conſenſu proprio duo pluresúe erunt iudices. Aliàs ſibi incongruum conſenſu mutuo faciunt ſibi congruum, ut C. eod. l. j. Hæc ita, ſi conſenſerint litigatores & ſponte, & non ex errore adierint. Nam ſi per errorem uel per coactionem exterus iudicem adierit nihil agitur, ut ff. eod. l. ſi per, & de iudic. l. ij. Sed & ſi p errorem non iudex pro iudice adeatur nihil agitur, etiam per milites. Quippe priuatorum conſenſus nulla ratione eum iudicem facere poteſt, qui aliàs nulli iuriſdictioni præeſt, ut C. eod. l. ij. hac in lege priuatorum uocabulo ſignificantur etiam milites. In ſumma notandum eſt, quòd omnis iuriſdictio coertionem habet, uel modicam, id eſt adnexum habet imperium ſaltem mixtum licet non merum, ut ff. eod. l. ij. Item ſicut procurator ita iuriſdictio re integra mandantis morte diſſoluitur, ut ff. eod. l. cui. Vbi iudicium eſt regulariter ibi quoq; finiendum eſt etiam per hæredes hinc inde, etiamſi ab initio trans mare domicilium habuerint uel poſtea tranſtulerint, ut ff. de iudic. l. v. & l. ſi is. Illud prætereundum non æſtimo, quòd non uidetur in iudicem conſenſiſſe qui apud eundem actionem edi tantum ſibi deſiderat, ut ff. de iudicijs l. non uidetur. Nam & aliàs libertus eo ſolo, quòd contra patronum libellum præſidi dat in ius non uocat, ut in edictum uocationis incidat licet uocare uideatur, ut ff. de in ius uocand. l. libertus.

QVANDO IMPERATOR INTER PVPILLOS ET VIDVAS, uel alias miſerabiles perſonas cognoſcit, & ne exhibeantur. Tit. xiiij.

Dictum ſurpà per reſcriptum quandoq; trahi inuitum ad iudicem exterum, dictum quoq; eſt reum inuitum apud ſuum iudicem eſſe conueniendum, nunc audiamus qualiter prædictis generalibus per miſerabiles perſonas, id eſt per pupillos ac uiduas derogetur. Et certe miſerabilis per reſcriptũ ad iudicem uocatus alienum ſi uolet non ibit, imò in prouincia in qua degit iurgandi fortunam experietur, & reſpondebit. ergo uocatus ſi uolet ibit. Idem puto ſi miſerabilis perſona ab alia miſerabili uocatur. Item apud præſidem ſuum pupillus & uidua ne conueniantur impetrare poterunt. Ex his intelligere licet, quòd his p̃ſonis ſpecialiter eſt permiſſum uitare ſuum iudicem ordinarium, cæteris eſt inhibitum. Nec obſtat quod legitur neminem poſt litem conteſtatam ordinariæ ſedis examẽ declinare poſſe, ac ſi ante id poſſet agere, exercere. poterit ante litem conteſtatã declinare, ſi alia eſt ordinaria, alia ſibi extraordinaria. Sed nec ſedem etiam ſibi extraordinariam poterit quis declinare. Nam nec iudicem datum recuſare poterit. Prioribus argumentũ adfert quia mulieri compulſæ nubere ſuo

præſidi,eiusq; gratia permiſſum eſt uitare iuriſdictionem ſui ordinarij, ut C. ſi quacunq; prædit.poteſt. In ſumma notandum eſt,quia quod dicitur ff. de libera.cau.l.ſi pariter iudicem poſſe recuſari tanquam inimicum, de alijs ordinarijs intelligo etiam ante litem conteſtatã,uel iudice delegato,qui cauſam liberalem examinat quidem,licet eam non terminet.

VBI DE CRIMINIBVS AGI OPORTET. TITVLVS XV.

DE criminibus ritè agitur in locis pluribus. Ecce enim ubi commiſſa ſunt, ubi conteſtata ſunt ſine fori præſcriptione, ubi degit criminoſus, ub latitat:ſed & ubi habet domicilium,alibi minime,niſi uelit conſentire.

VBI DE POSSESSIONE AGI OPORTET. TITVLVS. XVI.

IVdicium poſſeſſorium ſiue ſit de poſſeſſione ablata, ut per unde ui, ſiue ut ꝗ uti poſſidetis,ſiue de neutro,ut per quorum bonorum,ibi debet agi ubi uiolentia facta dicitur,hæc(ſicut dictũ eſt)ſi criminoſus illic inueniatur. Sed & ubi poſſeſſio erit ibi poterit conueniri.

VBI FIDEICOMMISSVM PETI OPORTET. TITVLVS XVII.

RElicta ibi ſunt petenda ubi tota hæreditas eſt,uꝰ ubi eſt prædictum,ubi eſt uel maior pars hæreditatis, ibi quoq; ubi hæres domum colit,degit, latitat.hæc ita ſi fideicommiſſa in quantitate conſiſtunt. Si uero ſpecies fuerint relictæ,quæ relinquentis fuerunt,uel eorum à quibus relinquuntur, etiam ibidem rectè petentur ubi poſitæ inueniuntur.

VBI CONVENIATVR, QVI CERTO LOCO DARE PROMISIT. TIT. XVIII.

SIquis certo loco ſe ſoluturum uel daturum quid promiſerit,actione ſtricti iuris,id eſt actione ſimplici ex ſtipulatu ante moram,poſt moram ex ſtipulatu facta arbitraria, ubicunq; inuentus poterit conueniri etiam ante iudicem ſuum. Et habebitur ratio in tali conuentione non tantum utilitatis ſtipulatoris, ſed & promiſſoris licet in mora conſtituti. Nam & aliàs & furi ſubuenitur, puta ſi nouauit,ſi obtulit. Porrò bonæ fidei actio nõ fit arbitraria adiecto loco, pone quẽ cui Salmonem promiſiſſe Toloſæ,prima die quadrageſimæ, & in mora fuiſſe, ꝓfectò hic poſtea Narbonæ repertus poterit cõueniri,uerũ ſi uoluerit dare quãti Salmonem nunc Toloſæ poſſet emere,id eſt ſexaginta, poterit ſe liberare,licet centum oporteret eum dare,ſi nec Salmonem apud Narbonam uellet comparare. Quippe fieri potuit, ut apud Toloſam prima die quadrageſimæ,quadraginta ſolidis potuerit haberi,modo cum Narbonæ conuenitur in media puta quadrageſima, Toloſæ non niſi ſexaginta ſolidis poſſit haberi. At uero Narbonæ ubi nunc conuenitur xvj.ſolidis ualeat comparare, eodem modo imò & promptius ſtipulatoris examinetur utilitas. In ſumma illud animaduertendum eſt, an utriusq; id eſt rei morantis & actoris, cum ſit mora ſimilis, uel de facto poſſit haberi.

VBI IN REM ACTIO EXERCERI DEBEAT. TIT. XIX.

DIrecta in rem actio ibi debet intendi, ubi poſſeſſor actioni obnoxius domicilium habet uel degit, uel latitat. Sed & illud eſt notiſſimum, quòd etiã ubi res iſtæ ſunt, ſi actor uelit, reus etiam nolens poterit conueniri, ut C.eod.l. ult. In ſumma notandum eſt, quòd etiam commodatarij & depoſitarij, licet uerè & propriè non ſint poſſeſſores, tamen facultatem habent reſtituendi, indiſtinctè & efficaciter rei uindicatione pulſantur. Sanè colonus qui fundum alienum nomine alieno poſſidet, id eſt habet, conueniri poterit prima facie, ſed dabitur ei ſpacium ut domino poſſit denunciare, & ſi non uenerit lis contra colonũ mota ad interruptionem inducendam contra dominum tanquam conteſtata cenſebitur, & præſens etiam petitor efficietur poſſeſſor, nec reuerſus dominus etiam infra annum poſſeſſionem recuperabit, ſed de proprietate ſi uolet litigabit, ut C.eod.l.ij. Aliâs ante litem nullo modo contra aliquem conteſtatam abſentis poſſeſſio ab iudice petenti conceſſa, à domino infra annum reuerſo poterit recuperari, ut C. de præſcript. xxx anno. l. penult. Si uero poſſeſſor poſt litem contra ſe conteſtatam abſuerit, uocatusq; ſolenniter redire uel mittere contempſerit, ſicq; forte definitiuam ſententiã acceperit, reuertens poſteà nec de poſſeſſione nec de proprietate audietur: niſi appellaſſet, ſi appellare potuiſſet, ut Cod. de iudic. l. properandum. In ſumma notandum eſt, quia quod dicitur, eum qui poſſidet rem immobilem nomine alieno poſſe domino nunciare, ut nõ cogatur ſtatim reſpondere, intelligi debet iudicio meo de eo qui non habet ius in re, ut de colono inquilino, & de eo cui domus commodata eſt. Ergo emphiteuta, ſimiliter ſi uaſalli rei uindicatione cõuenti nec denunciabũt nec ſuperiora allegabũt.

VBI DE HAEREDITATE AGATVR, VEL VBI hæredes ſcripti in poſſeſſionem mitti poſtulare debeant. Tit. xx.

SCriptus hæres ut in poſſeſſionẽ mittatur ibi poterit poſtulare, ubi is qui conuenitur domicilium habet, uel degit, uel latitat, ubi quoq; res hæreditariæ ſitæ ſunt. Hocq; fit ſiue poſſeſſio petatur per officium, ſiue per actionem, cõdictionem indebiti, puta ut per actionem in factum in locum interdicti redditã. Item quod dictum eſt obtinet ſi iudicium petitorium inſtituitur, id eſt ſi hæreditas petitur, ſi petitio hæreditatis proponitur, ut C.eod.l.

VBI DE RATIOCINIIS, TAM PVBLICIS QVAM priuatis, agi oportet. Tit. xxj.

AIt Imperator eum qui geſſit ratiocinia tam publica quàm priuata, ibi rationem oportere reddere, ubi hæc geſſerit, reſpondeo iure communi, hoc ſta ſi ibi inueniatur: uel forte iure ſingulariſſimo alibi inuentus, ad forũ loci in quo geſſit inuitus trahitur, in quo etiã inſtructio ſufficiens, & ueriſſima teſtimonia, & notiſſima poſſint documenta præſtari, ut Cod. eod. l. ult. hoc ultimum mihi non multum placet.

VBI CAVSAS STATVS AGI OPORTEAT. TIT. XXII.

AVdiuimus ubi agatur de hominis ſtatu. Et certe ſiquis ex poſſeſſione ſeruitutis iuſtæ uel putatiuæ in libertatem proclamat, ibi debet audiri ubi is domici

domicilum habet, qui eius dominus creditur eſſe. Idem erit ſi dolo malo in poſſeſſione libertatis fuerit, id eſt ſi fugerit nec enim in loco ſuo quo ſe contulit, ſed à quo receſſit debet audiri, ut C.eod.l.j. Sanè ubi de libertate quis in ſeruitutem petitur, ibi ubi domicilium habet is qui petitur etiã ſi petitor fuerit ſenator experietur. Idem ſi dolo malo in ſeruitutem detruſerit, in poſſeſſione libertatis ſine dolo malo conſtitutum, ut C.eod.l.iiij. In ſumma notantum eſt, quòd cauſa ſtatus, id eſt libertatis, ſeruitutis, apud procuratorem principis agitari non poteſt. Porrò libertini quæſtio apud eum inter fiſcum & priuatũ rectiſſimè uentilatur, ut C.eod.l.v. Item in ſumma notandum eſt, quòd licet ingenuus manumiſſus non niſi à principe poſt quinquenium merebatur audiri, hodie tamen perpetuò etiam ſine reſcripto, etiam in iudicis alterius auditorio, ad ingenuitatem poterit proclamare, ut C.eod.l. ultima.

VBI QVIS DE CVRIALI, VEL COHORTALI, aliaúe conditione conueniatur. Tit. xxiij.

EXpoſuimus ubi agatur de hominis cõditione naturali, nunc audiamus ubi de accidentali, id eſt de cohortali uel decuriali. Et quidem perſona talis ſi aufugerit ubicunq; reperta etiamſi militare cœperit emendicati honoris præſcriptione ſummota per quemcunq; retrahi poterit, ut C.eod.l.j. & ff.de decur.l.j.

VBI SENATORES VEL CLARISSIMI CIVILITER uel criminaliter conueniantur. Tit. xxiiij.

SEnatores & uiri clariſſimi ſiue ciuiliter ſiue criminaliter pulſant, uel pulſant, ibi & pulſabunt & pulſabũtur, ubi cæteri de quibus dictum eſt, iure communi. Sed & ſi in prouincia peccauerunt ibidem ſine fori præſcriptione reſpondebunt, etiam inuiti, ſi illic inueniantur, etiam illuſtres. hodie enim omnem huiuſmodi honorem reatus excludit, ut C.eod.l.j. Illud prætereundum non puto, quia ſi uiro patricio, uel expatricio poſt honorem depoſitum crimen inferatur, per ſe equidem quondam patricius reſpondere debebit, apud iudices duntaxat ampliſſimos. Sed nec hi in prædictos pronunciare debebũt, ſed ſoli principi eos condemnare licebit, ut C.eod.l.ult.

IN QVIBVS CAVSIS MILITANTES FORI PRAE ſcriptione uti non poſſunt. Tit. xxv.

OMnes etiam principis domeſtici agentes in rebus prò debitis publicis ſub præſidibus prouinciarum rectiſſimè exiguntur. Excipiuntur armata milicia præditi, & qui ad res ſuas componendas commeatum acceperunt unius anni, ut C.eod.l.unica.

VBI CAVSA FISCALIS, VEL DIVINAE DOMVS, hominumq; eius agantur. Tit. xxvi.

CAuſæ fiſcales id eſt imperij & diuinæ domus, id eſt Imperatoris apud procuratorem Cæſaris & fiſci agi debent, non tamen liberales, non cauſæ reſtitutionis, non cauſæ necis inultæ, nec accuſationis deſertæ, ut C.eod.l.j.ij.iij.iiij.v. In ſumma illud notandum puto, quia miſerabiliter legitur actorem rerum priuatarum principis, ſi prouincialem ſuũ contumelijs affecerit, publicè uiuum

concremandum, ut C. eod. l. uniuerſi. In præfatis criminibus tantæ pœnæ tam horribili tam horrendæ conſilium non dediſſem, ſi eo tempore fuiſſem. Item illud prætereundum non puto, quòd C. eod. l. ult. dicitur principis ſeruum & criminaliter & ciuiliter poſſe & pulſari & experiri.

QVANDO LICEAT VNICVIQVE SINE IVDICE uindicare ſe, uel publicam deuotionem. Tit. xxvij.

AVdiuimus de ultione facienda iudicis autotitate, nunc audiamus qualiter liceat ſe uindicare etiam publicè deuotione ſpontanea. Et quidem nocturnum populatorem etiam cuiq; impune licet occidere, maximè ſi reſiſtat, id eſt ſe deprehendi non permittat. Idem in latronibus qui ferro obſident itinera, id eſt tanquam lupi inhabitant nemora. Idem in deſertoribus militiæ, melius enim eſt occurrere in tempore, quàm poſt exitum uindicare nulluſq; parcat militi deſertori cui obuiare liceat ut latroni.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. TIT. XXVIII.

QVia iudicia de quibus dictũ eſt, inſtituuntur actionibus, harũq; aliæ ſunt reales quibus dicimus quid noſtrum. Aliæ ſunt perſonales quibus dicimus quid nobis deberi, conſtatq; quia actiones reales digniores ſunt quã perſonales. Audiuimus ſupra de actionibus in rem & quia actio in rem alia proponitur de uniuerſitate, ut petitio hæreditatis, alia de rebus ſingulis, ut rei uindicatio, conſtatq; quòd petitio hæreditatis dignior eſt, primo dicamus de ea. Et quia petitio hæreditatis aliâs intenditur ſimpliciter, ut ab inteſtato, aliâs ſub nomine de inofficioſo teſtamento. Videamus itaq; quod teſtamentum dicatur inofficioſum, & quare, & cui competat querela inofficioſi teſtamenti. Sed quia hic &c̃. quæ in principijs titulorum prænotare ſolemus. In ſumma notandũ eſt, quod in ſumma inſtitutionum explicauimus, ad præſens omittamus. uerum illud ſciendum eſt, quòd teſtamentum inofficioſum dicitur, & ex initio & poſtfacto, ut C. eod. l. iij. Dicitur autẽ officioſum aliâs officium inter deum & homines uocatur religio, inter patronos & libertos uocatur obſequium, generaliter quod homo debet homini conſtat in nomine generali & uocatur officium. Item nec illud omittendum eſt, quòd nec filia decurionis ſi nupſerit non curiali nec hodie niſi quartam habebit, ut authen. de decur. Sed & nihil ualebit patris teſtamentũ in quo ſine uſufructu filio reliquerit precioſiſſimam & ampliſſimam proprietatem nudam. Nam & iuſſus reſtituere poſt tempus filius hæreditatem in tantum ſuam falcidiam & tantam & talem hæres habebit qualem leges uolent, ut C. eod. l. penult. Sed nec illud prætereundum eſt, ꝙ ſi filius exhæredatus legata ſibi relicta acceperit, & modo non agit ad ſubuerſionem, ſed ad ſuppletionem agnouit eius defuncti iudicium, & ideo non ſubuertit, ſed ſuppleri ſibi poſtulat, hocq; facit ſi pater id dixit. idem ſi nihil de hoc dixerit. idem ſi uetuerit. Diſtinguitur autem iudicio meo, pater filio ſuo nihil uel modicum quocunq; titulo reliquerit, ſi hijs alijs inſtitutis hæredibus uel extraneis, ſi nihil reliquerit quocunq; titulo inſtituto, præteritus ſi uult ſubuertit. Nec enim filius debet patri reuerentiam cui pater omnem fecit iniuriam. Si filio pater reliquerit quocunq; titulo uel modicũ ſi pater iſte tantum filios alios inſtituit, filius non prorſus præteritus nõ ſubuertit, ſed & hodie tantum ad ſupplementum agit. Si uero pater extraneos tantum inſtituit, filius cui nihil uel modicum uel trans falcidiã non tamen iure hæredita

rio inueniatur relictum, ſi uolet ſubuertet. Quod ergo authen. dicit patrē oportere filium uel inſtituere uel exhæredare, ubi extraneus pater inſtituit, intelligitur, uel ubi teſtatus pater moriatur. Interdū tamen filius cui modicum quocūq; titulo inter filios relictum eſt, modicum iure hæreditario inter uiuos filios ultra falcidiam ſibi ſuppleri poſtulat: puta alter filius inſtitutus hæres in tertiam tantæ quantitatis, quanta relicta fuerat ei ſi dare diſtulerit, condemnari debebit, ut C. eod. l. ſiquis. Sed extraneus hæres ſi filio nolit ſupplere, uel res euictas reſtaurare, poterit amittere, ut C. eo. Illud notiſſimum eſt, eum qui inofficioſum dicit nec arguit, amittere quod ab eo accepit uel accipere debuit. Item inter uiuos tū donata & in dotem conceſſa non ideo reuocantur, ut ff. eod. l. etiamſi. Ita debebit intelligi ſi ſuo nomine ex officij neceſſitate inofficioſum nō arguit, ſiquidem poſt litem conteſtatam impune pœnitere potuerit. Aliâs ſi filiusfamiliâs maior exhæredatus uel præteritus uoluntatem patris comprobauit, ſcripto hæredi patrocinando non, ſicut dictum eſt, legatum modicum accipiendo, ſubuertere teſtamentum per hanc querelam non potuit. Quid dicemus ſi per iuris errorem filius modicum acceperit, uel aliâs patris uoluntatem agnouerit? forte quia de damno contendit, non damnificabitur. Item quid dicemus ſi pater miles filium militem iniuſtè exhæredauit? profectò licet iniquum uideatur non caſſabitur. Item quid dicemus ſi pater cū filio ſuo, uel emancipato paciſcatur, nec eius teſtamentum ſubuertat? forte uerſa uice dicetur ne debeat obeſſe, ut C. eod. ſiquando. cū l. ſiquis, legitur patrem doli mali ſubmoueri exceptione, ſi pepigerit ne filij iudicium inquietet ſi contra euenerit. Item ſciendum eſt filiam quæ exceſſit xxv annum licet ſeruo per ſtuprum ſuccubuerit, uel cum libero uel quocunq; matrimonium ſecerit etiam ſine conſenſu, exhæredari non poſſe. Ex his intelligere licet quia durius eſt uel turpius eſt matrimonium cum ſeruo cōtrahere, quàm ei per ſtuprum ſuccumbere. Nempe matrimonium cum uoto perpetuitatis contrahitur, ſtuprum minimè. Sed tamē eſt iure Longobardorum & moribus, quòd nati ex liberis & ſeruo per matrimonium fiunt ſerui, per ſtuprum liberi. Sed & illud ſciendum eſt, quòd pater tranſmittat querelam etiam præparatam ad ſuam poſteritatem, mater minimè. Nam & econtrario mater non teſtata regia cenſura cenſetur, pater minimè, ut C. eod. l. iij. Sed & illud ſciendum eſt, quòd exhæredatus à patre filius à filio parens iudicio meo etiā hodie poſt quinquennium queri non poterit. Nam neq; emācipatus filius poſt annum adire poterit, ut C. de iur. deli. l. cum antiqui. In ſumma notandum eſt, querelam patrem filij nomine inſtituere non poſſe inuito filio, quia filio fit iniuria, ut ff. eod. l. viij. Sed & contra patri inofficioſi teſtamenti querela competit, etiam ſi filius ea ſola bona reliquit quæ in caſtris quæſijt, ut ff. eod. l. &c. Item illud notandum eſt, quòd licet filius teſtatoris qui cum Titio eiuſdem pecuniæ reus fuerat liberatione Titio legata, per acceptilationem Titij liberatus ſit, à querela nō ſubmouetur. Hic enim licet filius quartam habeat, non tamen neceſſe habet patri gratificari, ſed ſocio, ut ff. eod. l. nihil. In ſumma illud prætereundum non puto, quòd ſi pater filium emancipatum prærerijt, & ex eo nepotem in poteſtate retentum inſtituerit, filius contra filium contra tabulas impetrabit, & exhæredatus querelam intendet, & in ſimul pater cum filio hæreditatem obtinebit, ut ff. eod. l. ſi proponas. Hoc autem qualiter eſſe poſſit, utpote cum filius gradu prior ſolus ſolidam hæreditatem obtinere deberet, alijs indagandum relinquo. Cætera quæ deſunt in ſumma Inſtitutionum liceat inuenire.

DE INOFFICIOSIS DONATIONIBVS. TITVLVS XXIX.

HAbito tractatu inofficioſorum teſtamentorum, de inofficioſis donationibus adnectamus. Et quia hæ ſubuertuntur per querelam donationis inofficioſæ, uideamus quare dicatur inofficioſa, & quæ ſit inofficioſa, & quare querela iſta ſit prodita, & quibus competat, & in quos, & quatenus reuocetur, & ex quibus cauſis competat, & ex quibus ceſſet, & quæ actio intendatur cum querela iſta proponitur, & in quibus ſuperiori conueniat, & in quibus ab illa differat. Donatio eò dicitur inofficioſa quod contra officium pietatis ſit celebrata. Eſt autem inofficioſa illa donatio, per quam filius parenſue ex induſtria excluditur à debito bonorum ſubſidio. Prodita eſt querela, ut obuiet malignantibus donando, ſicut ſuperior obuiat malignantibus teſtando. Competit querela deſcendentibus contra donationes aſcendentium, & econtra quoq;, collateralibus minimè: Ergo C. eo. l. ult. cum omnibus legibus de inoffic. teſta. iungatur, cum querela inofficioſæ donationis ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti ſit introducta. Reuocat id duntaxat ex ordine quod immoderatè proceſſit, id eſt ultra falcidiam ex tempore maligni conſilij æſtimandam, idem in Caluiſiana. Porrò per ſuperiorem querelam, & per Paulianam reuocantur omnia. Competit querela iſta ex ordine ex conſilio & euentu, ut C. eod. l. penult. Sanè unico in caſu, id eſt ubi quis non habens liberos: ergo ceſſauit malignum propoſitū, immoderatè donauit, liberis natis poſtea dabitur querela. forte & uiuente patre. forte & pater ipſe qui donauit ueniens cōtra factum ſuum reuocabit: Sicq; hoc in caſu tria ſunt ſpecialia, ut C. eod. l. ſi totas. Forte et illud quartum ſpeciale eſt, ut libertis donata in totū liceat reuocare, ut C. de reuocat. do. l. j. Quia autem mera ratione parens liberis carens non donauit inofficioſè, id quod datum eſt, non per querelam hanc reuocabitur, ſed per utilem actionem in rem, aut per condictionem ex lege prædicta competente, uel forte iure ſingulariſſimo, licet non ſit inofficioſè donatum, tamen ultra officioſè donatum utiliter per hanc querelam poterit reuocari. Ceſſat querela iſta poſt quinquēnium, ſi à maiori fuerit ei renunciatū, ſi agnita fuit à filio, & confirmata patris donatio, ſi alia uia ſuppetit, ut reſtitutio, per quā poſſit extorqueri falcidia. Cum querela iſta proponitur, utilis in rem actio intenditur ut C. de contrahen. empt. l. iiij. uel ex l. condictio. Nempe dicitur condictio, ut C. eod. l. ſi totas, ad patrimonium tuum reuertitur, uel ut quidam dicūt donationis titulo habendo pro non titulo utilis intenditur hæreditatis petitio. Conuenit hæc querela cum ſuperiori, quia neutra eſt áctio, utraq; ſopitur quinquennio, renunciatione quoque. Sed & neutra querela proponitur, ubi alia datur uia, ſed utrumq; licet diſſimili modo malignantium uoluntas oppugnat. In prædictis conueniunt, in multis differunt. Ecce enim prior querela competit tantum teſtamento cōdito, hæc etiam ab inteſtato. prima reuocat totū, hæc quod eſt ultra modum. prima tempus mortis inſpicit, hæc tempus anterius intuetur. prima collateralibus datur quandoq;, hæc nunquam. prima cum intenditur nō niſi petitio hæreditatis proponitur. Porrò, ſicut diximus, cum hæc proponitur utilis & ſpecialis uindicatio intentatur. In ſumma notandum eſt, quòd non tantum ubi pater donauit inofficioſè non filio competit hæc querela, ſed etiamſi donauerit filio emancipato. Valet enim hoc in caſu ab initio donatio, nec indiget alieno adminiculo. Quid

ergo

ergo ſi pater donauerit filio in poteſtate conſtituto? profectò ab initio nulla eſt donatio. Excipitur niſi nubenti filiæ det dotem, uel niſi diurnam fructuum donationem contulit in filium, de cuius rebus pater fructuarius per legem percipere poterat fructus. Cum ergo prædicta donatio à patre in filiofam. collata ab initio ſit nulla, niſi à patre moriente confirmetur expreſſim. Quo caſu ſic relictum uel ſilentio obtinet uim relicti, relinquitur ut in defuncti bonis inueniatur tempore mortis, ſicq; deducatur in fam. erciſcun. iudicium, ut æqualiter diuidatur, puta ſi pater donauit filio uelut filio uel in peculium concedendo. Hæ duæ donationes quia non ſunt propriè donationes ſilentio non confirmantur. Atqui ſi pater donauit filio in ſua poteſtate conſtituto, uelut extraneo, aut cogitando de ultimo arbitrio, & hoc cum ſit in bonis tempore mortis, in iudiciũ fam. erciſcũ. uenit, non ut æqualiter diuidatur, ſed ut præcipiatur, aliàs in totum, puta ſi alter filius habet bonorum ſubſidium, ut C. fam. erciſ. l. filiæ, aliâs non in totum ut C. eod. l. pater. Ergo lex pater & lex filiæ in eodem caſu loquuntur, licet diſſi militer. Porrò conſtitutio de collationibus in tertio caſu loquitur. ergo de collationibus datur dimidium, de donationibus inofficioſis modicũ. Sub titulo fam. erciſ. tribuitur nihilum. Ita demum tamen filius hodie præcipit ab alio donata ſi abſtinet ab hæreditate, alioquin iudicio meo compellitur cõferre. Sed & ubi abſtinet, puta ſi ei inofficioſè donatum eſt. Cæterum filiorum portionem compellitur ſupplere, ut authen. & ſi parens. Si quid amplius uidebitur de eo quod donatur filio tanquam extraneo, de donationis conſtitutione, de ratihabitione trahendo retro, uel annuente dño diffuſius in C. vj. tractatum inuenietur.

DE INOFFICIOSIS DOTIBVS. TIT. XXX.

PRomptum eſt leges legibus concordare, ergo ſicut adinſtar inofficioſi teſtamenti querela inofficioſæ donationis inducitur, ita adinſtar querelæ inofficioſæ donationis prodita eſt querela inofficioſæ dotis. Inde eſt ut ſi mater omnia bona, uel penè omnia in filiorum fraudem dederit in dotem, pro ſe uel pro alia uel pro muliere alia, & maximè ubi non pro ſe per querelam dotis inofficioſæ, aduerſus dotem reuocatio competit, & debitum bonorum ſubſidium filijs conquerentibus tribuitur, ut C. eod. Hoc ita ſi mater quæ donauit maior fuit. Nam ſi minor fuiſſet, quia reſtitutio ſubpeteret, querela ceſſaret, ſimile inſtar legitur in tutela agnatorum, patronorum, parentum.

DE PETITIONE HAEREDITATIS. TIT. XXXI.

QVoniam, ſicut dictum eſt, cũ querela teſtamenti inofficioſi intenditur, petitio hæreditatis proponitur, de petitione hæreditatis tractemus. Videamus itaq; quid ſit hæreditas, cui competat hæreditatis petitio directa, utilis, in quantũ, uel in quid ex natura actionis, & ex officio iudicis, & quæ habeat cũ rei uindicatione cõmunia, & quæ ſingularia, & qualis ſit hæreditas. Hæreditas eſt ſucceſſio in iura uniuerſa defuncti non tota, qui enim pro parte hæres eſt ſuccedit in uniuerſa, ſed non in totum. Nam ius perſonale ut uſufructus non tranſit, ſed nec poſſeſſio niſi fuerit occupata tranſmittitur. Cõpetit hæreditatis petitio ſoli ergo ſoli hero, id eſt domino. Nam & ubiq; ſi inofficioſè exhæredatus uel præteritus contra ſcriptum obtinuerit, ex poſtfacto dominus etiam retro fuiſſe uidebitur. Etiã ſcriptus hæres qui interim, etiam prima facie dominus putabatur, quia ex ſententia etiam per errorem lata ius fit

non dominus exiſtimatur. Directa petit. hære. cõpetit uero hæredi ex teſtamen to, uel ab inteſtato, iure ueteri, uel lege xij. tabu. uel iure nouo, id eſt ſenatuſcon ſultis, etiam Orficiano Senatuſcon. & conſtitutione diui Pij in bonis arrogatoris. Sed & hæredi filijfam. militis directa actio datur, utilis datur pro hærede ut bonorum poſſeſſori fideicommiſſario hæredi. Interdum datur pro hærede utilis non contra eum qui petitioni ſe obtulit, contra malæ fidei emptorem, & bonæ fidei quandoq;. Datur inquam directa in poſſidentem ſine titulo, id eſt pro hærede uel poſſeſſore. Nam & bonæ fidei poſſeſſor directò conuenitur, id eſt qui ſe putat hæredem eſſe cum non ſit. Pro poſſeſſore poſſidet qui ſcit ſe non hæredem eſſe, uel bonorum poſſeſſorem, uel aliàs mala fide poſſidet ſine titulo, uel ſi cauſam poſſidendi habeat nullã allegat: niſi quia poſſidet, hi omnes directò con ueniuntur. Sine titulo poſſidens licet fide inutiliter conuenietur. Nec enim eſt prædo qui pretium numerauit quoad actionem directam, ſed prædo eſt quoad fructuum cauſam. Illud ſciendũ eſt qui pro poſſeſſore poteſt intelligi & per cõpoſitionem. Sed & pro poſſeſſore titulus qui eſt de facto titulus omnibus titulis iuris adhæret, ut ff. eod. l. nec ullam. Dicitur autẽ titulus nullus, ubi uel de facto proceſſit, uel ubi iure deficit, uel ratione perſonæ, ut ſiquis ſciens emit à furio ſo, uel ratione rei ut ſi poſt controuerſiam motam emit regulariter, uel ratione cauſæ, ut ſiquis accipit ab ea dotem quæ non poterat nubere propter ætatem. In his omnibus caſibus directam competere dicunt quidam, ego utilem in rem. Porrò licet contra bonæ fidei poſſeſſorem ſine titulo detur petitio hæreditatis, tamen cõtra emptorem nõ datur nec utilis: niſi uenditor diſtraxerit modicum, uel ubi non comparet, uel ubi emerit hæreditatem à fiſco tanquam uacantem, ut ff. eod. l. nec ullam. Vel niſi emptor obtulerit ſe petitori. Sed & contra fideicommiſſarium hæredem habendo titulo pro non titulo, mirabiliter & notabiliter inofficioſè repulſus petitionem hæreditatis intendit utilem, ut C. de inofficio ſo te. l. j. Datur petitio hæreditatis in poſſidentem hæreditatem totam, in poſſidentem pretium, in poſſidentem quaſi pro pretio: ſed & debitorem hæreditariũ ſe hæredem putantem, uel pro poſſeſſore poſſidentem, ſecus ſi ob aliud nolit reſtituere, ut ff. eod. l. nec ullam l. ult. & l. ſi debitor, ſed etiam in eum qui deiecit defunctum, etiam in deiectum quaſi poſſidentem iura datur hæc actio. Sanè et cui donauit libertus, patronus hereditatem nõ petet. patroni enim iſto debitor eſt non hæreditarius, ut ff eo. l. quod ſi. Sed et ab eo qui poſſidet rem unam tantum tota hæreditas petitur. nam et ius huius actionis non metimur ex iure poſſeſſoris ſed petitoris. Sed & ſiquis cum conuenitur rem tantum unam poſſidet, poſtea plures poſſidens condemnabitur, ut ff. eod. l. iij. & l. licet. Ex his col ligitur quod eſt notatu dignũ hoc eſt ut hæreditatem habens eam petat. Nam qui hæres eſt hæreditate iam habita dici debet, aut hæreditate habenda quod eſſe non poteſt. Idem in uindicante dominium, ſederem unam tantum poſſidens, ut hæreditatem totam reſtituat ei qui ex aſſe hæres eſt, tenetur, licet non poſſit reſtituere. Idem in fure tenetur enim ut det, licet non poſſit dare. Ex æquitate tamẽ, quæ præualet, officio iudicis poſſeſſor unius rei ſe liberat ſi reſtituit id quod habet, ut ff. eo. l. licet. In hanc actionem ueniunt ea quæ tempore mortis fuerũt in bonis defuncti, & in quaſi bonis, ut commodati, locati & quæ per aditionem ex hæreditarijs rebus acceſſerunt, fructibus enim augetur hæreditas &c. Sanè quæ extrinſecus obueniunt poſſeſſori cedunt. Quippe deiectus pœnam ex eo cõmiſſam nõ reſtituit, ut ff. eo. l. itèm & l. at ubi. Item ueniunt comparata pecunia hæreditaria, ſi tamen interfuit hæreditatis emi. propria pecunia comparata ſimiliter ueniunt refundendo tamen pretio. Veniunt etiam uendita per malæ fidei poſſeſſorem. quippe in arbitrio eſt uenditoris uelit ne petere pretium cum

uſuris

uſuris,uel rem cum fructibus,contra in rei uindicatione. Porrò bonæ fidei poſſeſſor hæreditatis uenditorem non conuenit, niſi ſit locupletior. Item ueniunt damna data ante litem conteſtatam contra malæ fidei poſſeſſorem,ueniunt etiam impendia differenter & uariè ex natura actionis & officio iudicis. uenit fructus fructuum. Hæc habet communia petitio hæreditatis cum rei uindicatione utraq; punit dolum etiam ante litem conteſtatam, in utraq; ueniunt præſtationes perſonales,utraq; datur contra eum qui poſſidet, uel dolo deſijt poſſidere, in eum qui ſe petitori obtulit. Multa habent ſpecialia. Petitio hæreditatis nõ datur,niſi hæredi & pro hærede. Rei uindicatio ex quacunq; cauſa domino, petitio hæreditatis directa non datur niſi contra poſſeſſorem ſine titulo,rei uindicatio etiam cõtra gaudentem titulo. In petitione hæreditatis bonæ fidei poſſeſſor ex ſola denunciatione fit malæ fidei poſſeſſor,in rei uindicatione nõ niſi lite conteſtata. In petitione hæreditatis ueniũt fructus fructuum, in rei uindicatione minimè. Hæc actio augetur fructibus,rei uindicatio minimè. malæ fidei poſſeſſor hæreditatis ſumptus neceſſarios,etiam utiles per officium iudicis ſeruat, uoluptuarios interdum tollit,rei poſſeſſor neceſſarios ſumptus ſeruat,utiles abradit uoluptuarios perdit,ut ff. eo. l. planè,& C. de rei uindica. l. domum. Item hic tenetur bonæ fidei poſſeſſor de conſumptis ſi ſit locupletior. Rei uindica. nõ niſi duobus caſibus. Item petitione hæreditatis petitur uniuerſitas iuris,rei uindicatione minimè,niſi ſit corporalis,ut grex. Petitio hæreditatis mixta eſt rei uindicatio ſimplex. Petitio hæreditatis eſt bonæ fidei, rei uindicatio arbitraria. Item petitio hæreditatis competit etiam contra eum qui uendidit, rei uindicatio nõ niſi caſualiter. Item rerum hæreditariarum poſt ſimplicem litis motionem regulariter prohibita eſt alienatio,in rei uindicatione minimè. Item petitio hæreditatis datur poſſeſſori corporis & iuris,rei uindicatio non niſi corporis. item petitione hæreditatis poſſeſſor cogitur dicere titulum ſuæ poſſeſſionis, rei uindicator minimè. Item ubi rem uendidit bonæ fidei poſſeſſor, nec eſt factus locupletior,ab emptore non poterit uindicare,uel habito regreſſu contra bonæ fidei poſſeſſorem, ne ſi hoc fiat bonæ fidei poſſeſſor teneatur in amplius quàm ſit locupletior,ut ff. eod. l. ſed ſi. item ſi. Sed & per petitionem hæreditatis miſſus in bona reſpondere uolentis fructus lucratur,per rei uindicat. minimè,ut ff ex qui. cau. l. Fulcinius § ult. illud cõſtat quod hæc actio ciuilis eſt centumuiralis,mixta,& perpetua. forte ex quaſi contractu. Illud prætereundum non puto quòd cogitur poſſeſſor dicere titulum ſuæ poſſeſſionis in ciuile eſſe,præter eum qui cogitur dicere utrum pro hærede an pro poſſeſſore poſſidcat. Non dico ut compellatur dicere alterum uel utrunq;, nam ſi diceret non diceret titulum ſed non titulum. Item uelut furioſus contra ſe loqueretur. Quid ergo? philoſophica eſt locutio,hoc eſt compellitur dicere aliquem titulum, & probare quo probato,aut conſtabit utrum pro hærede an pro poſſeſſore poſſideat,uel non ſic tenebitur aut tenebitur. Cogitur autem non per actionem ſed per officium non abſolutè ſed cauſatiuè. Cogitur autem per quemcunq; petitorem, dummodo fuerit cognatus defuncti, in rei uindicatione minimè: niſi fuerit proximus cognatus, uel niſi aliàs uindicantis mentio fundata eſt,uel quaſi,etiam ab initio, ut Codicis de probatione lege ſiue. Ergo in rei uindicatione ſufficit interrogatio una id eſt an poſſideatur,& reſponſio una id eſt ſi reſpõdeatur de poſſeſſoris ſubſtantia. In petitione hæreditatis duplex interrogatio exigitur, id eſt an poſſideatur, & qualiter,& duplex reſponſio,id eſt an poſſidet & qualiter poſſidet. Sed hic dicet quis? cogetur dicere titulum qui nõ habet titulum? reſpondeo eſto,cogitur, inquam, quia ſi non dixerit petitionem hæreditatis ſubibit. Nam & fur qui nõ poteſt dare,& debitor qui nõ poteſt ſoluere,& quidẽ ſoluere cogitur; alioquin

in carcerem detrudetur. Siquis autem aphoriſmum prædictum aliter exponit deſipit & inſanit. In ſumma notandum eſt, quòd etiam ab eo qui abſentis nomine poſſidet hæreditatem, petitur hæreditas: ita tamen ſi abſens ratum non habet. Siquis dolo hæreditatem poſſidere deſijt etiam alius poſt iudicium pati paratus fuerit, contra doloſum petitio hæreditatis euaneſcit: niſi petentis interſit, certè ſi rem paratus ſit reſtituere, indubitatum erit euaneſcere. Porrò is qui dolo deſijt ante conuentus, poſſeſſorem non liberat, ut ff. eod. l. nec ullam § penult. Item & illud ſciendum eſt, quòd licet alia hæreditaria actio competat, non minus tamen pro hærede competit, ſecus ſi propria actio competit, ut ff. eodem l. ſi à domino. Sanè ſeruitutes in hanc actionem non ueniunt, quia reſtitui non poſſunt, ut ff. eod. l. & non. Sed & illud notandum eſt, ꝙ in hanc actionem cum ſuo incremento non uenit legis Aquiliæ actio, forte etiamſi præceſſerit inficiatio, ut ff. eod. l. item § cum prædiximus. Item à filio ſi hæreditas petitur, & maximè ſi cum paterfam. fuiſſet primo, poſtea arrogatus ſit, ut ff. eod. l. ſi à domino. Illud notandum eſt, quòd etiam quæſtus inhoneſtos reſtituere poſterior cogitur, ne honeſta interpretatio non honeſto quæſtu lucrum poſſeſſori faciat, ut ff. eod. l. ſi poſſeſſor.

DE REI VINDICATIONE. TIT. XXXII.

IN ſumma quam Mantuæ compoſui de rei uindicatione, ſingula capitula uſitata quæ in principijs titulorum dici ſolent, ſufficientiſſimè explicaui. uerum ne titulum talem & tam utilem in ſummis Codicis ſub ſilentio prorſus præterirem, quædam capitula utilia ſub certis paragraphis adijcienda putaui. Ecce cũ pater filium uindicat adiecta cauſa quiritum, ut ff. eod. l. j. mater minimè. Sanè unico in caſu etiam matri datur ad petendum filium utilis in rem actio, ut ff. de fideicom. libert. l. penult. Item illud ſciendũ eſt, quòd arbor tranſlata ſi coaluit cum alia ſit facta, iudicio meo nec utiliter uindicari poterit. Item ſi is qui obtulit ſe uindicationi ſi damnatus fuerit nihilominus poſſeſſor conuenietur, ut ff. eod. l. ſi is. Item ſi bonæ fidei poſſeſſor ex neceſſitate uendidit, ut pretium tantum reſtituat, cõuenitur. Sed ſi ſeruus petitus uel animal aliud demortuum ſit, ſine dolo malo & culpa poſſeſſoris etiam pretium erit præſtandũ, ſi tamen petitor fuerat diſtracturus ſi accepiſſet, non enim poſt litem conteſtatam utiq; & factũ poſſeſſor præſtare debet. Sed & mortuo homine neceſſaria eſt ſententia propter fructum & partum, & ſtipulationem de euictione, ut ff. eod. l. item & l. utiq;. ſed & poſt acceptum iudicium hominem uſucaptum poſſeſſor uictus debet eum tradere, eoq; nomine de dolo cauere, ut ff, eod. l. ſi poſt. hac in lege tria notari poſſunt, quia poſt litem conteſtatam uſucapio conſummatur uictoria interueniente, res in idem reuertitur, & poſt uſucapionem priori domino adhuc uindicatio datur. Item illud notandũ eſt, quòd licet malæ fidei poſſeſſor ſimpliciter uictus reſtituit hominem, non tamen reſtituet ea quæ ex re malæ fidei poſſeſſori adquiſiuit. Licet enim ſeruus malæ fidei poſſeſſori ſimplici ſua opera non quærit, ex re tamen ſua uel ex æquitate adquirit, ut ff. eod. l. præterea. Sed & iudex per errorem cui proprietatem fundi adiudicauerit, eodem errore & de fructibus condemnabit, ac ſi apertè diceret ſi ſemel peccauit & adhuc cogitur peccare, ut ff. eod. l. et ex diuerſo. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi in rem iudicium cum defuncto fuerit conteſtatum, quamuis eius hæres ſi non poſſideat ab rei inſtitutione abſoluatur, tamen de eo quòd defunctus commiſit hæres damnabitur. Sed & poſt rei uindicationem contra defunctum conteſtatam culpa propria & dolus proprius hæredis puniuntur, ut ff. eod. l. ſi in rem. Sed & ſi fundi poſſeſſor ante litem conteſtatam dolo fundum poſſidere deſierit, hæredes quidem eius in rem actio-

actione non conuenientur, ſed in factum tenebuntur, ut reſtituant quatenus locupletati ſunt, ut ff. eod. l. cum autem. Sed ſi bonæ fidei poſſeſſor poſt conuentionem ſimplicem reſtituerit hominem de ſolo dolo cauebit, poſt conteſtationẽ malæ fidei poſſeſſor etiam de culpa, ut ff. eod. l. ſi homo. Sanè is qui dolo poſſidere deſijt præſtans æſtimationem actiones ſibi cedi fruſtra petit, & tamẽ actor non cauebit poſſeſſionem eius rei traditum iri, per ſe non fieri, ut ff. eod. l. is qui dolo. Item licet religioſa uindicari non poſſunt, nec marmora, etiam ſi remota fuerunt, per in factum tamen actionem petitori ſubuenitur, ut is qui lapides remouit reſtituere compellatur, ut ff. eod. l. quæ religioſis. Item illud notandum eſt, quòd in rem actionem nullus pati compellitur, quia licet dicere cuiq; ſe non poſſidere, conuictus tamen de mendacio, poſſeſſionis priuabitur commodo, & hoc dicit Furius Anthinus, ut ff. eo. l. ult. Item illud ſciendũ eſt, quòd licet grex uindicetur peculium tamen uindicari non poterit, quæcunq; ſit ratio, ut ff. eod. l. uindicatio. Sed & illud notandũ eſt, quod dicitur res alienas poſſidentem non debere reſtituere, niſi ſuam intentionem implenti, debet intelligi, uel quaſi implenti, ut C. eod. l. ult. Hoc autem fit tribus modis aliàs propter perſonam ut filius uindicet, aliàs propter cauſam, ut ſiquis probet ſe retro poſſediſſe, aliàs propter titulum centumuiralis actionis. Quippe in hac actione non petitor, ſed poſſeſſor ſuæ poſſeſſionis titulum dicere cogitur & probare. In ſumma notandum eſt, quòd mirabili modo exceptio doli datur etiam de dolo. Quid enim ſiquis ſciens à matre cõparauerit rem filij, & filius iſte poſtea uelit uindicare doli ſum mouebitur exceptione, ut C. eod. l. cum à matre.

DE VSVFRVCTV, VSV ET HABITATIONE, & miniſterio ſeruorum. Tit. xxxiij.

Vſusfructus dominij pars eſt cauſalis. Nam dominium habet duas res quodammodo, proprietatem & uſufructum quoad cauſam. Non eſt pars prædicamentalis, quia non eſt dominium, nec enim fructuarius rei dominus eſt uel dominium habet, ut ff. de uerb. ſignifi. rectè. fructuarius tamen in quibuſdam caſibus pro domino habetur, id eſt in percipiendis fructibus, ut ff. eod. l. ſi Titio. Aucupiorum quoq; & uenationis reditus ad fructuarium pertinet, ut ff. eo. l. item ſi. Sed ſi paterfam. ligna ſiluæ uendere non ſolebat, fructuarius uendere poterit. ad modum enim referendum eſt nõ ad qualitatem utendi. Regulariter omnis fructus ad fructuarium ſpectat. Nam & alluuio, non tamen inſulæ natæ ut ff. eod. l. item ſi. Nam ubi latet incrementum fructuario obuenit, ubi apparet ei non accedit. Quid ergo ſi ex cauſa damni infecti in poſſeſſione uicinarum ædium fructuarius miſſus factus ſit dominus? profectò tale dominium uſufructu finito non reſtituet proprietario, ut ff. eod. l. uſufructu. Item illud ſciendum eſt, ꝙ licet nomine fructuum à fure perceptorum fructuario detur furti actio, proprietario tamen datur furtiua condictio, ut ff. eod. l. arboribus. Item illud ſciendum eſt, quòd fructuarius ex eo quia omittit non tenetur Aquilia, ſecus in contractibus & ubi medicus neglexerit bene ſectum, quia culpa præceſſit factum, ut ff. eod. l. ſi cuius. Sed & metallorum uenas fructuarius inquirere poterit quãdoq;, ea tamen quæ inædificauit poſtea tollere non poterit, ut ff. eod. l. ſed & ſi quid. Sed conductor domus poterit ff. loca. & conduct. l. ſed addes § ſi inquilinus. Hæc ita tam uariè quia conductor non cogitur reficere, ſed fructuarius cogitur uel modicam impenſam facere. Sed & illud notabile eſt, quòd neq; conſentiente fructuario proprietarius ſeruitutem imponere poteſt, niſi eam per quam deterior conditio fructuarij non fiat, ut ff. eod. l. niſi. Item ſiquis legauerit fructus an

nuos fundi Corneliani, perinde eſt ac ſi eius uſumfructum legauerit. ergo fun-
dum ſibi traditum legatarius petere poterit, ut ff. eod. l. ſiquis. ſecus ſi legauerit
ſextam partem oleris & porrine, quæ in agro farrario habet, tunc enim nõ ius,
ſed pars corporum legata uidebitur, ut ff. eod. l. defuncta. Item ſi uſumfructum
uendidi, licet emptor non utatur, ego tamen uſumfructum retineo, ſecus ſi do-
nauero, ut ff. eod. l. quod ſi. Prædiorum quocꝫ inutilium uſusfructus conſtituit,
ut ff. eod. l. ſtatuæ. Item ſi alij uſusfructus, alij eiuſdẽ rei uſus legetur, id ſolum
habebit fructuarius quod uſufructuario ſuperfuerit: ergo ſi nihil ſupererit nihil
habebit, ſicꝫ in hoc caſu uſurarius plus poteſt quàm fructuarius. Nam & aliâs
uſuarius extimatur etiam fructuarius. Ecce enim ſi cui legatur nudus uſusfru-
ctus in longinqua forte regione poſitus, quaſi uſufructu ſibi legato, is poterit li
gna cædere & uendere, quatenus tamen fuiſſet percepturus, ſi ſylua propè poſi
ta fuiſſet: alioquin prædictus uſuarius ex prædicto legato nihil eſſet ꝑcepturus,
ut ff. eod. l. ſi alij. Item ſi infantis uſufructus tantũmodo legatus ſit, etiam ſi uſuſ
fructus interim nullus ſit, tunc uires ſortietur cum infans ætatem infantilem ex
ceſſerit, ut ff. eod. l. ſi infantis. Item placuit uſumfructum apud mancipes centũ
annis perſeuerare, ne proprietas ſemper ſit inutilis, ut ff. eodẽ. l. an uſufructus.
Sed & ſi prædium fuerit euictum quod fructuario à domino relictũ erat, ut non
obfuit quod euenit ſic nec profuit, uſumfructum manſiſſe integrum ex poſtfa-
cto apparuit, ut ff. cod. l. dominus. Item illud notandum eſt, quòd ſi fructuarius
uelit domum relinquere non cogitur reficere, etiam poſt acceptum contra eum
iudicium. Sanè ſi proprietatem reddiderit deteriorem, nõ eſt abſoluendus: licet
uſumfructum relinquere ſit paratus, ut ff. eod. l. cum fructuarius, & l. ſed & cũ.
idem in noxalibus. Ergo fructuarius poteſt relinquere uſumfructum inuito ꝓ-
prietario, ſed is qui tenet ex contractu uicarij, minimè. Ex ordine inuito altero
alter relinquit uſufructũ, ut emptor, cõductor, emphiteuta, ſuperficiarius, feu-
datarius. Itẽ ſi uſusfructus ciuitati legetur & ea deſtruatur, quaſi mortua uſum-
fructum amittit. Item uſusfructus alternis annis legatus non poteſt nõ utendo
amitti, ut ff. qui. mo. uſusfructus amittitur l. ſi uſusfructus. Item illud ſciendum
eſt, quòd licet nudus uſus quodam modo in iudicium communi diuidundo ue-
niat, tamen quia nudi uſus nulla pars eſt, eius pars legari non poteſt. Nam frui
nõ uti ꝓ parte poſſumus, ut ff. de uſufruct. uſuariæ autem rei ſpeciem nullo mo-
do dominus debet commutare. nam ſic faciendo etiam meliorem, uidetur face-
re deteriorem, ut ff. de uſu & habita. l. ult. In ſumma notandum eſt, quòd Iuſti-
nianus uidetur dicere C. eod. l. corruptionem, perſonalem actionem de uſufru.
nõ utendo ſuperiori decennio tolli, & hoc dixit os aureum quòd etiã poſt uſum
fructus quaſi traditionem non obtingat liberatio, quia in talibus uacuæ poſſeſ-
ſionis nulla eſt traditio. Sed certe ego puto, quòd ſi uſusfructus nõdum ſit qua-
ſi traditus, ut res alia debita perpetuo petitur per quaſi traditionem: utpote ſolu
to eo quod debetur perſonalis actio tollitur. ergo ſemel iure ipſo ſublata ampli
us tempore non ſopitur. Sed Imperator dicit negatiuè perſonalem actionem nõ
finiri nõ utendo, ergo durat perpetuò. Illud tamen ubicunꝫ mouet quod C. de
ſeruituti. l. ult. legitur, actionem pro ſeruitutibus decennio finiri, ergo dicatur
aliud eſſe in ſeruitutibus rerum quàm perſonarũ, uel ibi dicit amitti ſeruitutem,
& nihil de actiõe dicit. Item illud in ſumma notandum eſt, quòd quandocꝫ uſuſ
fructus poſt mortem fructuarij & filij apud patrem durabit, quaſi cum datur fi-
lio detur & patri, ut C. eod. l. ult. Sed & qđ notabile eſt, morte proprietarij ut fi
lij pater uſumfructum amittit in rebus filij. Ex die etiam & in diem uſusfructus
& nudus uſus, & ius tertium quod appellatur habitatio, conſtitui poteſt. Si mi-
niſteriorum, mancipiorum relinquitur uſufructus, illa nec poterit manumittere

nec

nec alienare, ut Co. eod. l. uſufructu. Cætera quæ deſunt in ſumma Inſtitutionum poterunt inueniri.

DE SERVITVTIBVS ET DE AQVA. TITVLVS. XXXIIII.

VT pomum liceat in alieno decerpere, & ſpaciari et cœnare, ſeruitus nō conſtituitur. Sanè in ſeruitutibus etiam modus imponitur, puta ut quis utatur biga non quadriga, & per certa tempora, non ideo erit ſeruitus temporalis ſed perpetua, ut ff. eo. l. iiij. & l. vj. Item itinere legato etiam ut reficiatur uidetur cōceſſum. Quid ergo ſi cui uia ſimpliciter legatur per certum fundum? facultas erit hæredi conſtituendi qua parte eatur, ut ff. de ſeruitut. Si nolit hæres cōſtituere, ibit legatarius qua parte uolet, ciuili tamen modo, ſi alterutrius conſtitutio captioſa dicatur arbitri officium inuocabitur, ut ff. eod. l. certo. Item ſi tam anguſti loci deſignatio facta fuit, ut uia eſſe non poſſit, actus uel iter nō uia debet intelligi, ut ff. eod. l. ſi tam. Verum licet uia ex ordine octo pedes debeat habere in porrectum, & ſedecim in anfractum, conſtitui tamen poteſt & anguſtior & latior, ut eam latitudinem habeat, qua uehiculum ire poteſt: alioquin iter erit, nō uia, ut ff. de ſeruitut. ruſti. præd. l. uiæ & l. uia, ubi nec hominum nec prædiorū intereſt ſeruitus tamen conſtitui poteſt. Et tamen fundo quem quis uendit ſeruitutem imponere poteſt, & ſi tunc non ſit utilis, quædam enim habere poſſumus inutilia, ut ff. eo. l. quoties & l. ei. Item ſeruitutum non ſit propriè traditio, uerum uſus earum per traditionem accipitur, ideoq; interdicta poſſeſſoria utiliter etiam pro his redduntur, ut ff. eo. l. penult. Nō poteſt prohiberi uicinus quo minus balneum habeat iuxta parietem cōmunem, niſi aſſiduum humorem immittendo noceat uicino. Item ſi ſcriptum ſit ne luminibus officiatur: etiam de futuris futurorum ædificiorū luminibus debet intelligi. Nam & ſiquis dixerit paries uti nunc eſt, ita ſit, apertè ſignificatur parietem in perpetuum eſſe debere, non tamen dicitur ut idem paries æternus ſit, quod nec fieri quidem poſſet, ſed hoc ſignificatur ut eiuſmodi paries in perpetuum eſſet qui onus ſuſtineret, maximè cum ſurrogatus paries intelligatur eſſe idem: ſicut idem publici iuris artificio, fictione, & interpretatione. Item ſi domus uenditor in uendendo dixerit ut domus uendita domui rectè ſeruiat, nec in tradendo mentionem faciat, uendita domus libera traditur. Sed & incerti conditione agitur ut ſeruitus imponatur, & hoc eſt quod dicimus C. de condict. ob cau. l. ea ut ff. de ſeruitut. ruſtic. præd. l. fiſtulam l. ſi domus l. eum. Seruitute cōceſſa etiam ea quibus ſeruitus indigeat debent intelligi conceſſa, ut ff. de ſeruitut. ruſtic. præd. l. iij. & ff. com. præd. l. refectionis. Qui iumento uehitur iumentum non agit, ſed iumentum agere nō eſt ire. Eſt autem iter quò quis equos uel pedes ire poteſt. actus eſt ubi & iumenta trahere & uehiculum liceat ducere, ut ff. de ſeruitut. ruſti. præd. l. qui. & l. item. Si ex pluribus ſocijs excepto uel unico omnes ſeruitutem ceſſerunt nihil agitur ut ſeruitus obtineatur: niſi & nouiſſimus ceſſerit, ijdem tamen qui ceſſerunt amplius uetare non poterunt, ut ff. eod. l. per fundum. A ſimilibus is qui teſtatore prohibente de facto alienauit efficaciter uindicare non poterit. Seruitus itineris quæſita uineto ſublato remanebit, hoc ideo quia ad ſolum pertinet nō ad ſuperficiem, ut ff. eod. l. certo. Sanè ſeruitutes urbicæ in ſuperficie conſiſtunt, ut ff. de ſeruitut. urba. præd. l. ſeruitutes. In ruſticis prædijs medium prædium quod nō ſeruit ſeruitutem impedit nō adimit, ut ff. eod. l. qui. ſecus in urbanis. Siquis cui in domo ſua locum conſtituerit, qui ei ſeruiret, & ita ut in eo nihil poſitum haberet, etiam ſi labra & teneras cucumellas poſuerit, agi ſecum poterit ei non eſſe

ius ita habere. Hoc intelligo ut intendatur confeſſoria. nam & qui dicit dominũ ius non habere negatiuè uel expreſſim, per conſequentiã dicit affirmatiuè uel tacitè ſibi ſeruitutem competere, nec enim ei cui ſeruitus debetur negatoria competit, ſed confeſſoria. Hæ tamen actiones contra naturam aliarum penè omniũ actionum, competunt duntaxat poſſeſſoribus iuris, ut ff. de ſerui. uen. l. & ſi & l. ſiquando. Seruitus aquæ ducendæ conſtituta ut ducatur tantum æſtate, uel tantum hyeme, uel tantum alternis annis, uel menſibus, duntaxat duplicato tempore conſtituto amittitur: atqui alternis diebus, uel horis, uel tantum de die aut nocte, uel econtra conſtituta, ſtatuto tempore amittitur, idem in itinere cuſtoditur. Is qui per partem itineris it, totũ iter uidetur uſurpare. nam & ſi aqua in partem agri influxerit, etiã ſi non ad ultima loca peruenerit, ab omnibus partibus uſurpatur. Item in ſumma illud ſciendum eſt, quòd ratione cõſortij maior uiam habens cũ pupillo non damnificatur, licet uterq; non utatur. Item nocturnam aquam habens ſi interdiu tantum duxerit, per conſtitutum tempus nocturnam ſeruitutem qua uſus non eſt, amiſit, idem ſi tantum alia aqua uſus fuerit. Sanè ſi quis deberet certo genere uehiculi uti, alio genere uſus fuerit, uel plus oneris q̃ licuit uexit: quia hic non aliud, ſed plus egit, ſeruitutem non amiſit. Item illud ſciendum eſt, quia ſi partem fundi uendendo mihi cauerim uti per eam partem in reliquum fundum meum aquam ducerem, ſi riuum ſtatuto tempore non fecero nihil iuris amitto. Secus ſi legatarius uia ſibi legata poſt aditam hæreditatem tempore conſtituto non utitur, tunc enim etiam ſi neſciuerit etiam ſi iter aquæ non fecerit, uiam non utendo amittit. Hæc ita tam uariè, quia ex pacto ſeruitus non fit mea, niſi interueniente quaſi traditione, ſed ubi relinquitur ab aditione. Viam publicam fluminis impetu uel ruina amiſſam uicinus proximus reſtaurare debet, uendendo uel donãdo, ut ff. quemad. ſeruit. amit. l. ſi ſit, & l. ſtillicidij & l. ſi in partem, & l. ſi in communem & l. is cui & l. ſi locus, & l. ſiquis, et l. ſi partem. Cætera quæ deſunt de ſeruitutibus in Inſtitut. ſumma Mantuanæ poterunt inueniri.

DE LEGE AQVILIA. TIT. XXXV.

Lex Aquilia, quæ plebiſcitum eſt, omnibus legibus de damno iniuria dato loquentibus derogauit. huius legis actione etiã de occiſo tenentur omnes qui percuſſerunt, ubi non apparet quis occiderit. Licet enim non omnes occiderint tenebuntur: ne dicatur de occiſo aut teneri nullum, & ſic maleficium remaneat impunitum: aut potius alterum, quod eſſet abſurdum. Nam & ſi plures trabem ſurripuerint, quam ſinguli ferre non poſſint, furti omnes tenebuntur, quãuis ſubtili ratione dici poſſet neminem eorum teneri, quia neminem uerum ſit trabem ſuſtuliſſe. quippe aut dicemus nullum teneri, quod eſt abſurdum: aut potius unum quàm alium, quod eſt iniquuum: aut omnes, quod pro utilitate communi contra rationem diſputandi eſt receptum. Sed & ſi ita uulneratus eſt ſeruus, ut eo ictu certum eſſet eum moriturum, deinde ab alio ſit exanimatus, uterq; de occiſo tenebitur. Nam uerum eſt tunc hominem eſſe occiſum cum uulneratus eſt, quod mortuo eo demum apparuit, ut ff. eod. l. item, & l. ita uulneratus, non tantum domino datur Aquilia, ſed etiam contra dominum prò homine uulnerato uel occiſo uſufructuario & ei qui pignori accepit, ut ff. eod. item l. ſed & ſi l. dominus. Si ſeruum mortiferè uulneratum dominus liberum & hæredem eſſe iuſſerit, deinde factus liber & hæres deceſſerit, hæres interfecti liberi Aquilia non agit. Quia in eum caſum res peruenit, à quo incipere non poteſt, id eſt ſi hæres occiſi teſtatoris pretium cõſequatur, ut ff. eo. l. huic & l. quia. Sed

& præ

& prædicto ſeruo occiſo qui ſubſtitutus eſt, eiusúe hæres legitimus Aquſlia nō
aget, non ratione prædicta, ſed alia: quia non damnum ſed lucrum propter ſer-
ui occiſionem habet, ut ff. eod. l. inde. Sanè ſi dominus ſeruum prædictum mor-
tiferè uulneratum ex parte tantum hæredem fecerit, cohæres mortuo eo Aqui-
lia aget, nempe omnia concurrunt quæ eam inducunt. Siquidem actio nata nō
fuit quæ defuncto competeret, & datum eſt damnum: nec ratione abſurditatis
præpeditur cohæres, licet occiſi hæres, ut ff. eod. l. nam. Cum quidam pila lude
rent, fortiter quis pila percuſſa in tonſoris manus eandem deiecerit, & ſic ſerui
quem tonſor habebat gula præciditur, in culpa quidem eſſe poteſt luſor ſiue de
iector, tonſor quoq; ſi ibi tondebat, ubi frequens tranſitus erat. is quoq; qui ton
debatur, quia tonſori in loco periculoſo ſellam habenti ſe cōmiſerit, interfectus
de ſe debebit queri, ut ff. eod. l. item. Debebit inquam iudicio meo ut agatur cō
tra tonſorem culpa compenſanda. forte etiam agi poterit cōtra deiectorē. Nam
etſi tabernarius in ſemita noctu ſupra lapidem lucernam poſuerat, & quidā præ
teriens eam ſuſtulerat, tabernarius eum conſecutus lucernam repoſcebat, & fu
gientem retinebat retentus tabernarium percuſſerat, ſicq; poſt tabernarius ei,
oculū effoderat, reſpōſum eſt. ſi data opera effoderit tenebitur, nec enim debet
hunc furem occidere uel exoculare eum quia deprehendit: ſi nō data opera, nō
tenebitur, culpa enim penes eū tantū reſidet qui prior flagello percuſſerat, ſicut
ſuprà eſt penes eum qui in loco prohibito ſe tonſori commiſerat. Sed & ſi cum
multi ludunt pila, quidam ex his ſeruum, cum pilā percipere conaretur, impule
rit, ſeruus ceciderit, & crus fregerit, Aquilia non agetur, quia de natura ludi
eſt alterum impellere alterum: ſicq; forte impulſio etiam ex induſtria non indu-
cet Aquiliam, ut ff. eod. l. ſi. plagis § ij & § ult. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi ꝓ
curator, aut tutor, aut curator confitebitur abſentem uulneraſſe, utilis actio con
feſſoria non nomine proprio, ſed appellatiuo in eos dabitur, id eſt actio legis
Aquiliæ, quæ naſcitur ex cōfeſſione, ſi dicatur in eos, id eſt confitentes uidetur
abſurdum, ſi dicatur in eos quorū nomine fit confeſſio eſt iniquum. Ergo quod
melius eſt, quod eſt abſurdum, dicamus quod non eſt iniquum, ut ff. eod. l. pro-
inde. Sed & illud notandum eſt, quòd ſeruus nullius precij dicitur deterior, ſed
quia uerè damnum uindicatur Aquilia non agitur, ſed iniuriarum. Illud nota-
biliter notandum eſt, quòd ſi ſeruus communis, id eſt, meus et tuus, ſeruum me
um occiderit, Aquilia te conueniam: ſi tua uoluntate id fecerit. Si uero non uo-
luntate tua fecit: ceſſare noxalem actionem, ne ſit in poteſtate ſerui, ut tibi ſoli
ſeruiat. Verum huius damni per actionem diuiſoriam, ratio in ſimplum dunta-
xat habebitur, ut ff. eod. l. ſi ſeruus § ij. et ff. fam. erciſ. l. damno. Item illud notan
dum eſt, quòd ſi liber homo iuſſu alterius damnum iniuria dederit, ſolus iubens
tenebitur, ſi ius imperandi habuerit, ſi non habuerit uterq; tenebitur, & qui pa-
ruit quia parere non debuit, & qui mandauit. ergo quod ff. eod. l. liber dicitur, ſi
non habuerit ius imperandi cum eo agendum eſt qui fecit. ſubaudiatur etiam
cum eo qui iuſſit. Nam & qui occaſionem damni præſtat damnum dediſſe uide
tur, malicioſe tamen porrigitur cum cōtra æquitatem ſæpius producitur. Nun-
quid enim faber qui ſagittam fabricauit tenebitur? minimè. licet regulariter per
inſtantiam diſputandi, & per ſophiſticam garrulitatem, uideatur præſtitiſſe oc-
caſionem. ergo legis Aquiliæ actio ob ea demum facta competit, per quæ non
extrinſecus alia cauſa oblata quidam damnificatur, ut ff. locat. l. qui domum.
Item in ſumma illud notandum eſt, quòd ſiquis ædes uicini interciderit ne ignis
exortus ad ſe perueniret, etiamſi ignis ad ſe non peruenerit, Aquilia non tenebi
tur. hoc ita ſi omnes, aut penè omnes, concorditer dicebant ignē ad ſe peruentu
rum, ut ff, eod. l. ſiquis: alioquin tenebitur, ut ff. eo. quod ui aut clam l. ſi alius.

Cætera quæ deſunt de lege Aquilia in ſumma Inſtitut. diligens lector aduertere poterit.

FAMILIAE ERCISCVNDAE. TIT. XXXVI.

PErtractatis actionibus uindicatorijs, ac iudicijs petitorijs, expedit ut loquamur de diuiſorijs: quippe nihil conferret quandoq; cui eſſe dominum niſi poſſideat ſeorſum, ſed & ſæpe negligitur quod communiter poſſidetur. Et quia uniuerſitas quandoq; diuiditur, quandoq; diuiditur ſingulare corpus: conſtatq; quòd diuiſio prima quæ fit per actionem familiæ erciſcundæ dignior eſt, quàm ſecunda quæ fit per communi diuidundo. Audiamus primo de actione familiæ erciſcundæ. Videamus itaq; quot modis dicatur, & qualiter hic accipiatur, cui competit familiæ erciſcundæ directa, utilis, in quem, in quantum ex natura actionis, & officio iudicis, qualis ſit actio iſta, an bonæ fidei, temporalis an perpetua, ciuilis an prætoria, in rem, an perſonalis. familiæ erciſcundæ nomen pro ſeruitute ponitur. pro cognatione quoq;, ut cum dicitur, hi ſunt de familia Priami. pro poteſtate quoq; ut cum dicitur qui naſcentur patris familiã ſequuntur, hæc aliâs porrò dicitur ſubſtantia uel hæreditas. Erciſcundæ id eſt diuidundæ in familiæ erciſcũdæ, id eſt ſubſtantiæ uel hæreditatis diuidendæ. Hæc actio directa competit hæredi contra cohæredem, hoc eſt, ubi uere ſunt hæredes iure ciuili. Sanè uere hæredi utilis datur contra cohæredem, ut contra bonorum poſſeſſorem. Sed & inter duos bonorum poſeſſores, duosq; fideicommiſſarios hæredes utilis competit. Item bonorum poſſeſſori contra fideicommiſſarium utilis competit: & econtra. Sed & filio inſtituto abſtento uel exhæredato ad dotem petendam utilis competit, ut ff. eod. l. ſi maritus. competit actio, ſi alter alterum confiteatur cohæredem: ſi neget, minimè. Sed iudicium centumuirale primo intentabitur, & ſi is qui intendit non poſſidet, ſe hæredem eſſe probare debebit: ſi poſſidet, non tantum per petitorem, ſed uel per utrumq;, uel aliâs per iudicem inquiri debebit: an is qui agit cohæres ſit, aliter enim adiudicatiões fieri nõ poſſunt, ut ff. eod. l. j. ueruntamen qui fam. erciſcundæ agit, aduerſarium ſibi cohæredem eſſe nõ confitetur, licet confiteri uideatur, ut ff. eo. l. qui familiæ. In hanc actionem ut diuidantur ueniunt ea quæ in bonis defuncti tempore mortis fuerunt, ſi tamen diuidi poſſint: ſi non, non, ut ſepulchrum. Seruitutes ruſticæ: excepto aquæductu, qui & menſura & temporibus diuiditur, nec aſſignantur à iudice licet à parente. Sed nec nomina ueniunt diuidenda, quia ſunt diuiſa, ſed ueniunt aſſignanda. quod ergo dicitur, ſtipulationibus interpoſitis diuiſioni ſtandum, intelligatur quaſi diuiſioni, ut ff. eod. l. ij. Veniunt quoq; ea, quæ fuerant in quaſi bonis defuncti, ut ea quæ poſt hæreditatem, & poſt litem conteſtatam acceſſerunt. ueniunt etiam res apud hoſtes cõſtitutæ & earum natarum & mortuarum acceſſiones. prædictæ tamen res cũ ſua cauſa adiudicabuntur, ut ff. eo. l. ueniunt l. item l. partum l. & poſt l. propter l. ſed & ſi. Item uenit id quod ſeruo hæreditario ab extraneo datum eſt. Statu liber quoq; & res ſub cõditione legatæ, quia interim hæreditatis ſunt, ueniunt: licet conditione ueniente ex neceſſitate alienentur. hæ enim alienationes quia neceſſariæ ſunt, nõ ſunt prohibitæ: duntaxat uoluntariæ. Nam & uſucapio quæ poſtea completur alienationem inducit, & rem de hoc iudicio ſubducit, ut ff. eo. l. & poſt l. alienationes l. ſed et ſi. Alluuio quoq; uenit, fructus quoq;, & damnum datum dolo uel culpa cohæredum, ut ff. eod. l. et puto. Item quod uni ex cohæredibus ſtatu liberis de peculio dedit, in hoc iudiciũ uenit quaſi poſt legatum, ut ff. eod. l. ſi filia. Venit inquam

damnũ

damnum datum, ſi deteriorauerit, ſi perdiderit, ſi homine incerto legato, & defuncto legatario aliquis ex hæredibus legatarij non conſentiendo impedierit legatum, is qui impedit, hoc iudicio cæteris, quanti interſit eorum, damnabitur. idem erit & econtratrio. Idem fiet, ſiquis cum ante alios hæreditatem adiſſet, ſeruitutes nō utendo amiſerit, ut ff eo l. heredes § ſi incerto. itē quia hoc iudiciū conſtat ex rebus et ex perſonalibus præſtationibus, quæ ſunt perſonales actiones, ut ff eod. l. item labeo: non tantum percepta, ſed etiam impendia ueniunt. Item ſiquis quid fecerit in bonis, non teſtatore uiuente ſed mortuo, & ſic fuerit uelut hæres. Sed & ſi ſeruus hæreditarius, rem unius hæredis ſurripuerit, hoc iudicio in ſimplum agitur. Idem ſi cohæres damnum dederit, forte & ſi inficiatus fuerit, ut ff. eod. l. & puto, & l. damno. Venit inquam impendium & eius uſura in hoc iudicium; ſi negotium non potuit pro parte expediri: ſi poterit, negociorum geſtorum agitur, ut ſeruus ſecundum uoluntatem teſtatoris exportandus uendatur, ut monumentum extruatur, ut alij ſoluatur, ut ff. eod. l. his conſequenter. Veniunt quædam percipienda, ut filijs donata, & prælegata, dotes uxorum & nurium, & alijs debita patre iubente, ut ff. eod. l. ſi filia, uel quaſi iubente, ut ff. eod. Idem ſi filius in muneribus publicis, in quibus pater ei conſenſit, relegatus eſt, ut ff. eod. l. ſi filia § idem. Similiter filius præcipiet, ſi pater filiū ἐγγυητὴν ſuſcepturū profeſſus eſt, quod notabile eſt, ut ff. eo. l. eadem § Neratius. Veniunt & quædam comburenda, ut uenena mala, magica uolumina. ueniunt inſtrumenta hæreditaria apud digniorem hæredem deponenda, non diuidenda. Sed ſi de depoſitione eorum, inter ſe cohæredes cōtendunt: uel in ædem ſacram, uel apud amicum depoſitio fieri debet. Nam ad licitationem rem deducere, ait philoſophiſſimus Vlpianus non placet, neq; mihi, neq; Pomponio, ut ff. eod. l. v. & vj. Item in hoc iudicio collationis & cautionis, de debito conditionali ſibi uel ſe habenda eſt ratio, ut ff. eod. fundus. Ex his quæ dicta ſunt liquet quòd ſi cohæres unus, quandoq; plus perceperit quàm alius, quandoq; minus, quandoq; tantundem, quandoq; nihil: eatenus deliquit, quatenus ſua portio efficit. Quæſtiones necati teſtatoris, uel necatæ uxoris, uel prolis, in hoc iudicium non ueniunt, ut ff. eod. l. his conſequenter § j. ſicut nec liberti, nec ſepulchra ueniunt. Item ſi ego dico meum proprium eſſe id, quod tu dicis eſſe commune, hoc iudicium non competit. Sed nec dolus quem ſeruus unius hæredis admiſit, in hoc iudicium non uenit: niſi culpa hæredis in hoc interceſſerat, qui non idoneum ſeruum rei communi applicuerat, ut ff. eod. l. ſiquid. Item contra hæreditatis debitorem nō hoc iudicio, ſed centumuirali agi poteſt. Nam quædam ueniunt in hæreditatis petitionem, quæ in fam. erciſcundæ actionem non deducuntur, ut ff. eod. l. fundus. Illud conſtat, quòd hæc actio propter ſui excellentiam, non niſi ſemel intendi poteſt: niſi cauſa cognita, ut ff. eo. l. ſi filia § ultimo. Illud quoq; conſtat, quòd hæc actio bonæ fidei eſt, ut C. eod. l. non eſt. uocatur quoq; titulus in eadem lege, quia ſicut aliâs principium libri dicitur minium, ita dicitur etiam actio titulus, quia cauſæ dat primordium; Sed & aliâs titulus, appellatur de facto titulus, quia om̄ibus ueris & iuſtis titulis adhæret: ſed pro poſſeſſore, ut ff. de petit. hæred. l. nec ullam, illud quoq; conſtat, quòd hæc actio ciuilis eſt, & mixta, id eſt realis & perſonalis. Illud in ſumma ſciendum eſt, quòd cum peculium filijfamiliâs militis per conſtitutiones hæreditas efficiatur, etiam in eo hoc iudicium locum habet. In hoc iudicio, & in duobus conſequentibus, in quibus tribus ordinarius iudex uocatur arbiter, ſicut aliâs arbiter iudex uocatur, unuſquiſq; & actor & reus eſt, ut ff. eo. l. ij. Item ſi hæres unus habens cōditionalem cohæredem, uel apud hoſtes cōſtitutum, uel in uentre incluſum, expertus uicerit: poſtea is ſuo arbitrio, uictoriæ emolumentum communicabit

uel actionem iudicati pro parte cõmunicabit. Nec enim his perſonis ſilentium imputari poteſt, cum ad hæreditatem poſt uictoriam cohæredis peruenérint, ut ff. eod. l. vij. Item ſi pater inter filios bona diuiſerit, & onera æris alieni pro modo poſſeſſionum diſtribuit: non eſt ſimplex donatio, ſed quaſi ſupremi iudicij diuiſio. Ex hoc loco ſumitur, quòd pater quandoq; donat filio, cogitando de ultimo arbitrio, ut ff. eod. l. ſi filia § ſi pater. Item illud notabiliter notandum eſt, quòd ſi filius cum patrem defenderet, condemnatus ſoluerit, uel uiuo, uel poſt mortem, hoc iudicio agitur, ut ff. eod. l. hæredes & l. antepenult. hoc intelligo, maximè ſi fuerit emancipatus, & iubente patre defendit. ubi adiudicatio fit, uel per conſenſum diuiſio, de euictione interponenda eſt cautio: ſi pater diuiſerit, minimè. Item illud notandum eſt, quòd ſi pecunia quæ domi relicta nõ eſt, per præceptionem legata eſt, de communi ferenda eſt: ſicq; iubebit iudex hæreditariam rem uenire, & pecuniam redactam cohæredi numerari, cum ſit prælegata. Nam & ſi res creditori pignori data per præceptionem fuerit legata, officio iudicis continetur, ut ex communi luatur pecunia, ut ff. eod. l. hæredes § ultimo & l. officio, & l. rem. Item & illud notabile eſt, quòd ei, qui nõ eſt cohæres, hæc actio utiliter datur, & fideicommiſſario contra inſtitutum, ut ff. eod. l. ſi ex aſſe. Item illud ſciendum eſt, quòd unus ex pluribus hæredibus poteſt etiam cæteris præſentibus, & inuitis arbitrium poſcere, ut ff. eod. l. arbitriũ. Item illud notandum eſt, quòd quæ pater filio emancipato in ſcholis ſtudenti ſubminiſtrauerit, in partem ſucceſſionis non imputabuntur, ut ff. eod. l. quæ pater filio. Idem intelligo de ſuo, puta ſi ſuccedere uoluerit. In ſumma notandum, quòd famoſa lege C. eod. l. filius dicitur, quod extrinſecus ei datur, in quartam imputari. Sed forte ideo hoc dicitur, quia contra rigorem in fundo retineat quartam, & ſic ſentiat grande cõmodum, ne per inimicitias habeat bonorũ ſubſidiũ. Non abſurdè patitur incõmodum, hoc eſt, ut id, quod extrinſecus conditionis implendæ cauſa ſibi tribuitur, in quartã debeat imputare. uel quod melius exiſtimo, ita legendum puto, ut ſibi primò filius deducat quartam in fundo, & præterea id, quod extrinſecus ſibi relictum eſt, in eodem fundo accipiat, et omne reliquum, ſiquid fuerit ſupra quartam, habens filius reddere compellatur. Sed & illud notandũ eſt, quòd imperfecta uoluntas parentis qualis qualis, inter quales quales filios: non econtra, nihil ualebit, cum fuerit ſcripta, niſi fuerit etiam ſubſcripta. Eſtq; hoc uerum, etiam ſi parens teſtamentum perfectum facere cœpit, ſed non perfecit, ut C. eod. l. ult. Porrò teſtamentum à parente ſcriptum, per conſequentiam literarum, etiam ſine ſubſcriptione, habet effectum, ut C. de teſtamen. authen. quod ſine ſubſcriptione.

COMMVNI DIVIDVNDO. TIT. XXXVII.

AVdiuimus de familiæ erciſcundæ iudicio, nunc agamus de communi diuidundo. Videamus itaq; quæ diuerſitas ſit inter hanc actionem, & ſuperiorem pro ſocio, & cui competat hæc actio directa, utilis in quem, quid in ea ueniat, & qualis ſit actio iſta. Potuit hæc actio genitiuè nuncuperari, ſicut ſuperior, ſed & ſuperior ablatiuè, ſicut iſta potuit nuncupari. Sed ſecus factum eſt ut uitetur cacophonia. Diſtat hæc actio à ſuperiori, quia in illam directam ueniunt etiã iura, in hanc tantum corpora. Item ſuperior datur contra hæredem, hæc etiã cõtra ab hærede emẽtẽ. Item per ſuperiorẽ diuiditur tantum uniuerſitas, per hãc tantum ſingularia corpora. Differt ab actione pro ſocio, quia illa cõpetit tantũ ſocijs, tractatu enim habito hæc etiam non ſocijs. Item pro ſocio eſt tantum

perſonalis,

perſonalis,hoc eſt mixta.Item pro ſocio regulariter comp etit demum diſſolută
ſocietate, hæc competit etiam cōſtante communione. Hæc actio competit his
qui habent corpus aliquod commune iure dominij.Item aliâs redditur utilis,ut
inter fructuarios,uſuarios,ſuperficiarios,emphiteutas,feudatarios,& credito-
res. Sed & utiliter datur creditori in debitoris ſocium:& econtrà. Ratione quo-
que cauſæ utilis datur:puta ſi miſſus in poſſeſſionem ex cauſa damni infecti, &
nondum ex ſecūdo decreto:uel pro parte dominus factus domum refecerim.
Nempe quando domum refeci,nondum res fuerat communis, & ideo ceſſat di
rectum,& cōpetit utile, ut ff. eod. ſimilis caſus legitur ff. de noxali l. ix. In hanc
actionem in primis uenit diuiſio,habenda eſt etiam partis ratio,ut ff. eod. l. per
hæc.niſi pepigerit,ne omnino fiat diuiſio,quod minime ualet,ut ff. eo. l. in hoc
diuidi res debet per regiones,ſi commodè diuidi poteſt:& ſi alterius portio plu
ris fuerit, alteri in pecuniam certam condemnabitur. Si non poterit commodè
diuidi, ut equus, uni adiudicabitur totus,isq; alteri pecuniă dabit. Si neuter pe
cuniă habet,exterus emptor debebit admitti: maximè ſi alter profiteatur ſe nō
poſſe uincere,uſlius licitantem:ſi prædictis locus eſſe nō poterit,iubebit iudex,
ut alternis annis uel menſibus utantur, & quòd ſe non impediant, cauebunt.
Hæc diuiſio non eſt propriè diuiſio,ſed quaſi:& ſi caſtrum fuerit ſic diuiſum,qa
adhuc iure dominij commune remanet,iudicio meo poterit iteratò diuidi. huic
ſententiæ adminiculum affert lex ff. eod. Veniunt in hanc actionem, ſicut & in
ſuperiorem,etiam perſonales præſtationes:ut percepta,damna, impendia. Ex
his colligere licet,quòd iudicium, quandoq; competit tantum ad diuiſionem,
quandoq; tantum ad perſonalem præſtationem,quandoq; ad utrunq;. Cōpetit
autem his ſolis,qui ſuo nomine poſſident, & iuſtè. ergo non prædonibus,non
colonis,non aliâs precario poſſidentibus, poſſeſſio enim precaria licet ſit iuſta
quidem,ad huius iudicij uigorem non pergit, id eſt, in talibus uel contra tales
non competit. Hoc quoq; iudicium competit,nō tantum,ut quis faciat, uel nō
faciat:ſed etiam ut patiatur, puta ut patiatur me immittere tignum in parietem
communem,ut ff. eod. l. ſi ædes. Illud conſtat, quòd hæc actiò, ſicut ſuperior,
oritur ex quaſi contractu,& ciuilis eſt,& bonæ fidei,& perpetua,quia perſona
lis cum ſit,& mixta. In ſumma notandum eſt,quòd in hoc iudicium uenit id,
quod ad alium ex re communi peruenit:etiam ſiquid eo nomine alicui ſocio
rum abſit. Sed & ſi alterius culpa ex ſocijs per alium in communibus datum ſit
damnum. Idem ſi communis ſeruus cum apud alterum eſſet in opere crus frege
rit,ut ff. eod. l. iij. & l. ſi is, l. cōmunis. Quid ergo dicemus,nunquid iudex qui
uillam totam communem diruerit,delinquenti,uel ei qui non deliquit, tenebi-
tur? minimè. Illud eſt ſciendum,quòd ſi unus ex ſocijs, non communi nomine
in communibus quid fecit,ut lucretur ſolus,ad ipſum damnum reſpiciet: lucrū
diuidetur,aliâs acceſſio & deceſſio in hoc iudicium uenit,ut ff. eod. l. ſiquis pu-
tans. In agro uectigali locum habet hoc iudiciū, ſed ne præſtatio uectigalis con
fundatur, regionibus non diuiditur, ut ff. eod. communi diuidundo § j. Item il
lud notandum eſt, quòd ſi debitor partem communis prædij dedit pignori,&
à domino alterius partis prouocatus creditor, per adiudicationem prædium to
tum habuit:quia diuidi commodè non potuerit,partem ſibi obligatam debito-
ri ſoluere uolenti,non compellitur reddere: niſi debitor alteram quoq; partem
quæ beneficio obligatæ partis acceſſit,uelit comparare. ergo in hoc caſu debi-
tor cogitur emere,creditor quoq; tantundem,ut ff. eod. communi diuidundo §
ult. Licet etiam nudus uſus partes non habeat,in hoc tamen iudicio alteri adiu-
dicabitur,& alter qui accipit pecuniam, plus faciet quàm aliâs uſuarius facere
ſolet(uidetur enim frui)ſed hoc fit propter neceſſitatem,quæ non habet legem.

ut ff. eod. l. item, nam & aliâs propter neceſſitatẽ unius numi locatio inuenitur. Is qui cohæredes habet, ſi fundum pignori datum à teſtatore, emerit à creditore, à cohæredibus ob id communi diuidundo iudicio non conuenitur, ut ff. eod. l. qui & C. de dolo. l. ij. Item ut fundus hæreditarius fundo hæreditario ſeruiat: uel econtra, iudex diſponere non poteſt, quamuis omnia in iudicium uenire legatur, ut ff. eod. l. ut fundus. De communi ueſtibulo utrolibet inuito hæc actio non datur: ne totius domus pretium alteruter præbeat, ſi aliâs aditum non habeat. Sed ſi per eundem locũ uia nobis debeatur, & in ea impenſa facta ſit: alter noſtrum de impenſa, non communi diuidundo, uel pro ſocio, ſed negociorum geſtorum agit, ut ff. eo. l. arbor. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi communis ſeruus ex re alterius dominorum quid quæſierit, nihilominus cõmune id erit: uerũ is, ex cuius re quæſitũ fuerit communi diuidundo iudicio id præcipere debebit, ut ff. eod. l. communis. In ſumma illud notandum eſt, quòd ubi quis impenderit in rem communem: diſtinguitur, impendat ſciens an ignorans. ut ſi ſciens impenderit, ſiue ſcierit, quòd res ſibi communis ſit, ſed neſcit cum quo communis ſit: actio directa communi diuidundo competit. ubi errat aliâs in perſona, aliâs in re: ubi errans in perſona impendit, utile iudicium intendit, eo enim animo gerit ut aliquem ſibi obliget: licet in perſona labitur, ut ff. eod. l. ſiquis putans & l. ſiquis cum: ubi errat in re tantum per exceptionẽ impenſam ſeruat, hoc eſt, ſi ſecum agatur uel rei uindicatione, uel actione. Cæterum ſi alienauerit, non erit, unde retinere impenſam poſſit, ſed nec hoc iudicio experietur, quia neminem ſibi obligare uoluit, ut ff. eod. l. in hoc.

COMMVNIA VTRIVSQVE IVDICII, TAM FAMIliæ erciſcundæ, quàm communi diuidundo. Titulus xxxviij.

EXpoſuimus in ſuperioribus prædictarum actionum diuiſoriarum ſingularia, & propria: nunc audiamus communia, utrunq; mixtum, utrunq; perpetuum, utrunq; diuiſorium. Ex utroq; dominium transfertur, ex utroq; conditio uſucapiendi præſtatur, ex utroq; euictio debetur, ut C. eod. l. ſi fratres. Item illud commune habeat, quia neq; fam. erciſcundæ, neq; communi diuidundo agitur pro impendio, quod eſt factum in ſolidum: niſi pro eo quod pro parte expediri non potuit, ut ff. com. diuidun. l. ſiquis § ij. Item illud commune habent, quia de ſeruo, qui in fuga eſt, iudex poteſt iubere eos liceri, inter quos iudex eſt: & tunc eum adiudicare ei, penes quem licitatio remanſit: nec erit periculũ, ne ex ſenatuſconſulto pœna legis Fauiæ committatur, ut ff. com. diui. l. arbor. Item illud notandum eſt, quòd diuiſioni factæ ſtabitur, & cum ſcriptura, & ſine ſcripturâ: ita tamen, ſi inter maiores celebrata ſit: ita tamen, ſi purè: ita tamẽ ſi ſine dolo, ſine fraude: ita tamen, ſi non perperam, id eſt inæqualiter. Quid ẽm ſi ſeruus; uel de facto erat maritus, ſi ancilla uel de facto uxor erat, ſeparabitur? profectò, in unum dominium redigentur, ut C. eod. l. poſſeſſionũ. Item in ſumma illud notandum eſt, quia prædiorum diuiſio emptioni aliâs comparatur. Porrò in eo abſimilis eſt, quia licet actionem generet nuda emptio, non tamen hoc facit nuda diuiſio.

FINIVM REGVNDORVM. TIT. XXXIX.

PErtractato utroq; iudicio diuiſorio, audiamus de diſtinctorio. uideamus itaque quæ differentia ſit inter hoc iudicium, et ſuperius, cui competat directũ

finium regundorum iudicium, cui aliâs ciuile, utile, in quem, ad quid, & quale ſit, ita differunt: per iudicium petitorium agitur ut id quod meum eſt, mihi tribuatur, per diuiſorium aſſignatur, per diſtinctorium incontaminatum cōſeruatur. Competit hæc actio directa eis, qui habent prædia ruſtica confinia, quamuis in teruenia̅t ædificia, ut ff. eod. l. ij. in urbanis prædijs non competit: hæc enim nō dicuntur confinia, ſed uicina, & ea communibus parietibus diſtinguuntur, uel plærunq; diſterminantur. Sanè licet in ædificijs huic actioni locus non ſit, modis tamen agrorum in urbe conſtitutis hoc iudicium locum habet. ſi tamen uia publica uel flumen publicum interuenerit, hoc iudicium ceſſat, ſed ſi riuus inter uenerit priuatus, competit, ut ff. eod. l. iiij § ult. & l. v. & vj. Vtilis actio finium regundorum datur, aliâs propter perſonas, aliâs propter res. Vtilis competit inter non dominos, ut inter duos fructuarios, & duos creditores, ſed & inter dominum proprietatis uicini fundi, & fructuarium, ut ff. eod. l. iiij. § finium. Ratione rerum, non directum, ſed utile datur hoc iudicium in aquis, puta ſi contenditur de confinio portuum, ſalinarum, piſcationum. Ex his quæ dicta ſunt, & in quibus, & in quos, hoc iudicium tam utile, quàm directum detur, patet. In hoc iudicium in primis uenit finium diſtinctio. Et quidem ſi iudex poſſit fines dirimere, dirimet: ſi non poſſit adiudicando, & condemnando in pecuniam, controuerſiam terminabit. Varietas enim ſucceſſorum ſæpe fines permutat, ut ff. eod. l. in finalibus. Sed & quandoq; ex bono & æquo, iudex de eo quod ſibi cōnſtat noſtrum eſſe, alteri tribuet: & econtra, propter euidentiorem finium quæſtionē ut Inſtitut. de officio iudicis. Eſt enim bono melius, iuſto iuſtius. Venit & inter eſſe. fructus quoq;, ſicut in uindicatione, uenit: ſi non pareatur iudici in arbore ſuccidenda. Venit terminorum deiectio uel exaratio. Menſoris quoq; conducti ab altero ſolo, habeatur ratio. Hæc actio perpetua eſt, ciuilis, mixta eſt, & forte arbitraria. In ſumma ſciendum eſt quia hæc actio controuerſiæ proprietatis cohæret, & contigua eſt, ut C. eod. l. ſiquis: imò ſi quis per inſtantiam forte dicat, non cohæres: ſed eam ipſam occupaſti, quia uſq; adhuc mea eſt, & ideò finium regundorum actione te conuenio? uindicare uidetur: ſed certè expreſſa non cent. Item illud ſciendum eſt, quòd adiudicatio fit nō perſonæ, ſed fundo, ut ff. eod. l. iiij. Sed & inter plures fundos quàm duos hoc iudicium accipi poteſt: inter duos tamen ſocios, pluresúe, minimè: quia omnes pro uno habentur, ut ff. eod. l. iiij. § non ſolum & l. ſi communem. Item illud ſciendum eſt, quòd hoc iudicium cum duobus ſuperioribus illud quoq; commune habet, quòd uel utiliter intenditur pro perſonalibus præſtationibus poſt diuiſionem, uel fundi alienationem, ut ff. eo. l. iudicium. Item quinq; pedum præſcriptione ceſſante, quia de modico terræ ceſpite ſæpe contentio oritur, finalis iurgij uel locorū per hoc iudicium ſopietur, ut C. eod. l. v. legitur. Quid dicemus quòd Co. eod. l. ſiquis. & ff. eod. l. ſi irruptione legitur, ad officium de finibus cognoſcentis pertinere, ut menſores mittat, & per eos dirimat ipſam finium quæſtionem? profectò in eo tantum caſu intelligendum puto hoc: niſi per inſtrumenta, uel aliâs appareat quantum quiſq; habere debeat.

DE CONSORTIBVS EIVSDEM LITIS. TITVLVS XL.

IN iudicijs tribus ſuperioribus ſæpe accidit, ut plures experiantur, & conueniantur: qui appellantur conſortes eiuſdem litis, ideo de his audiamus. Olim hi prætextu abſentium repellebantur, ſi experirentur: nec defendebantur ſi conuenirentur. hodie pro parte ſua & conuenientur & experientur, ſed poſt litem

ab omnibus,uel contra omnes conteſtatam, unus ſolus & agere poterit, & reſpondere:etiamſi conſtet mandatum ceſſare, oblata tamen cautione, & de rato, & de iudicato ſoluendo,ut Cod.eod.l.j.& ij. Nec uideatur abſurdum, quòd poſt litem conteſtatam conſors compellitur ad cauendum: licet enim antea,& per alios ſit lis conteſtata, ipſe tantummodo, quantum ad ſe pertinet,qui uult agere uel defendere,uidetur litem quaſi conteſtari.Illud conſtat, quòd poſt iudicium acceptum diuiſorium dictatum,alter inuito altero partem ſuam alienare non poteſt,ut Cod.com.diui.l.j.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS. TIT. XLI.

Diximus ſuprà de actione legis Aquiliæ,quæ cõpetit propter maleficium, quod perpetratur per hominem liberum: nunc audiamus de noxalibus actionibus,quæ competunt,ꝓpter delictum, quod admittitur per ſeruum. Si no xali actione non noxaliter, ſed in ſolidum dominus conuentus fuerit, non minus tamen & noxali,& noxaliter poterit cõueniri. Vnde pœna una exacta,tollitur altera:niſi forte aliquid amplius ſit in ea. Sed & iudicio uno pendente,licebit uariare,& ad aliud conuolare, ut ff.eod.l.iiij. Si ſeruus plurium deliquerit omnibus dominis ignorantibus,quiuis in ſolidum poterit conueniri,hoc eſt,ut uel ſeruum noxæ dedat,uel delicti æſtimationem præbeat. Ergo hoc in ſolidũ nõ eſt illud,ad quod ſciens dominus cõuenitur. Sanè ante noxale iudiciũ acceptum,poterit alter ignorans ſuam cedendo partem conſequi ſecuritatem, uerũ is,qui præſtitit litis extimationem:quàm potius præſtare,quàm ſeruum dedere expedit,contra ſocium habebit regreſſum,ſciens,neſciens,non iubens, ut ff.eo dem l.ſi plurium l.ſi ſeruus l.ſi ex.Porrò inter actionem noxalem,quæ intenditur noxaliter,ea eſt differentia,quòd prima poſt alienationem, uel manumiſſio nem non competit:niſi in nouum poſſeſſorem,uel in manumiſſum.ſed alia com petit,etiam adhuc in ueterem dominum,ut ff.eod.l.ij.ſi plurium. Conuentus à multis ex noxa eiuſdem ſerui,uel ab uno,ex pluribus tamen noxijs: non habet neceſſe litis æſtimationem offerre,uel ſeruum omnibus dedere, ei itaq; dedetur qui occupauerit,id eſt,qui prior ad ſententiam peruenerit: uictorq; poſtea cæteris tenebitur,ut ff.eod.l.ſiquis. Noxali actione conuenitur is ſolus, qui dominus eſt,uerè uel putatiuè:uel is,qui dicit ſe dominum,ut ff.eo.l.non ſolum. Ergo non fructuarius,ut ff.eod.l.ſi ex duobus § ult.non depoſitarius, nõ commodatarius,non creditor.licet enim iuſtè teneant,non tamen domini opinione tenent.fructuario tamen, & creditori,ſuorum iurium denegabitur perſecutio, ſi non defenderint,ut ff.eod.l.ſi ſeruus l.ſi noxale l.electio. Sed & abſentibus,quius habent,ſiue ſint domini,ſiue non,cum reuerſi fuerint, defendendi poteſtas dabitur,ut ff.eod.l.in noxalibus. Etiam poſt ſententiam,ſeruiq; dominiũ tranſlatum, ſicq; etiam actori ſuccurretur per in integrum reſtitutionem, ut ei actio noxalis utilis reſtauretur,ut ff.eodẽ.l.electio § ulti. Quòd dicitur emptore ſerui conuento,uenditorem conſcium conueniri non poſſe: ſic intelligo, id eſt,prorſus,ſed tamen reliquum,ut ff.eod.l.noxalis. Dominus ſerui nomine, in quo uſufructus alienus eſt,etiam uſumfructum actoris faciet, noxaliter condemnatus:niſi fructuarius ad litis æſtimationem cõferre uoluerit,ut ff.eod. l.ſi ex duobus § ult. Si in re communi mea & tua,nobis damnum dederit Titij ſeruus: Titius non cogitur ſingulis dedere, imò utriq; ſimul pecuniam offeret,aut ſimul utriq; dedet. Quid ergo ſi alterutri noſtrum in ſolidum ſeruus noxæ deditus fuerit,eo forte non obiecto,quòd res aliena fuit?is cui deditus erit,communi diuidundo

dundo tenebitur,ad ſeruum communicandum: quia ob rem communem, aliquid peruenerit ad ſocium,ut ff.eod.l.ſi in re. Si ſeruum noxium dereliquero,liberor:quia ſeruus iſte,remanet ſine domino.Si ſeruus meus rem tuam ſubtraxerit & uęndiderit,tuq; numos quos ex pretio habebat,ei excuſſeris: locus erit furti actioni ultro citroq;. Nam & tu aduerſus me furti ages noxali ſerui nomine, & ego aduerſus te numorum nomine,quia mei facti ſunt,licet ex ſui malicia:& ſic(quod eſt notabile)ex aliena locupletabor iniuria, & ex ſerui lucrabor malícia,ut ff.eod.l.quemadmodum.Illud prætereundum non puto, quòd ſi ſeruus communis alteri dominorum damnum iniuria dederit,lex Aquilia non competit,talisq; redditur ratio,quia ſi extraneo damnum dediſſet,cum altero in ſolidũ agi poſſet etiam Aquilia,ut ff.eod.l. antepenult.ff.ad leg.Aquil.l.ſi ſeruus § ij. Et alia ratio redditur,ſcilicet,ne ſit in poteſtate ſerui,ut tibi ſoli ſeruiat, ut ff.de ſeruo corrupt. Tertia ratio redditur, quia ſi ad libertatem proclamauerit is,de quo iudicium noxale cõteſtatum eſt:ſuſtinebitur,& ſuſpendetur,quoad de ſtatu eius iudicetur,ut ff.eod.l.penult. Cætera quæ de noxalibus deſunt,in ſumma Inſtitutionum poteris reperire.

AD EXHIBENDVM. TIT. XLII.

EXpoſitis actionibus in rem mixtis,& ſimplicibus, dicendum eſſet de actionibus perſonalibus:Sed quia actiones de quibus dictum eſt,etiam ad actiones de quibus eſt dicendum,præparatoria eſt actio ad exhibendũ, de ea in medio inſeramus.uideamus itaq; unde dictum ſit exhibere,quando actio ad exhibendum competat,quando ceſſet,cui detur,in quem, quid in ea ueniat, qualis ſit hæc actio. Exhibere dictum eſt,quaſi extrà habere,ſicut redhibere, quaſi retro habere. Eſt autem exhibere,in publico poteſtatem rei mobilis facere,ut ei qui agit,experiundi ſit copia,ut ff.eod.l.ij. Competit hæc actio ei, cuius intereſt,& peculiariter,& ex cauſa probabili. Ergo ſi non intereſt, nõ agitur. Sed & ſi intereſſe uideatur,non tamen uerè peculiariter intereſt, ceſſat: puta ſiquis in libertatem uindicetur,uel ſi agatur, ut liber homo in uinculis detentus exhibeatur,ut ff.eodẽ.l. de eo.& l.ſi liber. Sufficit enim interdictum de libero homine exhibendo. hæc ratio ſemiplena, qualis qualis redditur: ut ſiquid cui in teſtamẽto relinquatur,excepto hærede, ad exhibendum actione non experiatur, ut ff. eod.l.iij.§ v.probabili cauſa ceſſante,hæc actio ceſſat: puta ſiquis dicat intereſſe ſua,alterius rationes & ſummas ſibi exhiberi,ut eis exhibitis doctior & beatior efficiatur. Nec enim oportet ius ciuile calumniari, neq; uerba eius captare: ſed qua mente quid dicatur,animaduertere conuenit,ut ff.eod.l.penult. Competit hæc actio maximè ei,qui uult uindicare,uel quia de facto non poteſt, puta ubi res non compareat,uel ſi res compareat,de iure tamen uindicari nõ poteſt, ut gemma auro incluſa,ueſtimento manica inſerta,uehiculo rota,ſcypho anſa. Sanè de tigno iniuncto domui,nec directò, nec utiliter ad exhibendum agitur, contra bonæ fidei poſſeſſorem: ſed aduerſus eum qui ſciens alienum iniunxerit etiam utiliter agitur,ut ff.eodem gemma, & ff.de rei uindicat l. in rem. Competit hæc quoq; actio:Seruiana,& quaſi,acturo. Competit & perſonaliter acturo,uel pignoraticiam intentaturo,& uſumfructum petituro, competit interdícturo,competit optaturo. Competit etiam noxaliter acturo,nec enim qui ad exhibendum agit,ſemper ſe dominum dicit, cum multæ ſint homini iuſtæ cauſæ ad exhibendum agendi,ut ff.eo.l.iij. Ex cauſa honeſta ideo dixerim, quia ſi ad exhibendum actione conuentus exhibere non ualeo,fruſtra intendo: alioquin doloſus,fur,raptor ageret,quod eſſet abſurdum,ut ff.eod.l.iij.& l.ſi uir. Sed et

ci,cuius generaliter intereſt exhiberi,datur hæc actio: puta ſi ſeruus mihi ſit legatus,quem optaſſet Titius,ut ff.eod.l.iij § ſciendũ. In ſumma datur hæc actio ſi res non exhibeatur. item datur ſi in uetere forma,& in meliore ſtatu exhibeatur. quippe forma rei eſt;ut apud Boëtium,& ut ff.eod.l.Iulianus § iiij. Repellitur hæc actio,ſi euidentiſſima exceptio poſſeſſori competit. Sanè ſi ſit obſcurior & maioris inquiſitionis,in directum iudicium differetur, & res exhibebitur,ut ff.eod.l.iij.§ Pomponius. Ceſſat quoq; hæc actio,ſi res exhibeatur: ſi tamen in eadem forma, etiamſi deterior ſit exhibita. Sanè deteriorationis nomine in factum agitur,ut l.Aquilia,ut ff.eod.l.penult.& l.ſiquis C. eod. l.exhibitionis. Datur hæc actio in eum,qui poſſidet ciuiliter,& naturaliter, & in eum qui tantũ naturaliter tenet,ut in depoſitarium, commodatarium, creditorem, fructuarium, & in horrearium, & in miſſum in poſſeſſionem, & in emptorem qui ruta cæſa non exhibet,datur in eum quoq; qui ciuiliter poſſidet, & facultatem reſtituendi habet. Item datur in eum,qui reſtituere poteſt: licet etiam ciuiliter poſſideat,ut in depoſitarium,non tamen in ſeruum,ut ff.eod.l.Celſus. Datur inquã & in municipes,& in cætera collegia. Datur & in filiumfam.ut ff.eod.l.tigni et l.de eo. Datur quoq; in eum,qui dolo malo fecit quominus poſſideat,ut ff. eo. l.Celſus. puta ſi rem ad alium tranſtulerit,ſi occiderit,ſi effuderit,ſi frumentum alienum comederit,ſi glandem alienam immiſſo pecore depauerit,ut ff. eodem l.Iulianus § j. Datur quoq; in eum,qui non patitur me exportare fimum, quem in area ſua congeſſi,ita tamen ut tollam totum: quod eſt notabile. uidetur enim quod poſſet partem relinquere. Sed & pro naue in alterius agrum delata ad exhibendum agitur,ita tamen,ut & de præterito, & de futuro damno domino agri caueatur,ut ff.eod.l. Celſus. In hanc actionem uenit omnis rei cauſa, ergo partus,fœtus etiam poſtea cõceptus. In nullo enim res debet eſſe læſa cuius poſtulatur exhibitio: licet non principaliter agatur de reſtituendo,ſed de exhibendo. ergo ſi res uſucapta exhibetur,poſſeſſor non liberatur: niſi intentionem perditam die repetita ſuſcipere paratus ſit. Vtilitas quoq; amiſſa ob hoc quod res non ſit exhibita,uel tardius exhibita,æſtimabitur. Si hæreditas ſit amiſſa,uel utilitas alia, & erit hæc utilitas interdum maioris quàm res ipſa, ut ff.eod.l.ulti. antepenult.penult.& l.ſi optione & l.ſed &. Illud conſtat quòd hæc actio ciuilis eſt,perpetua, iuſiurandum in litem admittit, arbitraria eſt, paranomia eſt, id eſt,anomala, & hoſpitio carẽs. hæc eſt nanq; in perſonam. Quòd ergo dicit ff.eod.l.iij.§ iiij. perſonalis eſt,impropriè dicitur,& propter perſonales præſtationes. In ſumma ſciendum eſt,quòd is qui hac actione agit,ſigna rei dictæ dicere debet,ut ff.eod.l.iij. Item ſciendum eſt,eiuſdem rei nomine plures, propter cauſas plures,ad exhibendum agere poſſe: puta ſi rei proprietas ſit primi,ſecundi & tertij in ea uſufructus,quarti ſit pignus,ut ff.eo.l.iij § Pomponius. Siquis tempore accepti iudicij poſſidens, poſtea ſine dolo malo poſſidere deſierit,abſoluendus eſt. Nam & primo non poſſidens,à contrarijs poſtea poſſidens,condemnatus eſt. Quamuis ſit (inquit Põponius) quod imputetur poſſeſſori in primo caſu,cur ſtatim non reſtituit,ſed paſſus eſt litem ſecum conteſtari, ut ff.eo. l.tigni. Iſtud quamuis collectiuè intelligatur ut malæ fidei poſſeſſor. forte idem erit ſi petitor fuerit diſtracturus,maximè ſi apparebit hominem eo caſu mortuũ eſſe,qui non incidiſſet,ſi tempore litis conteſtatæ exhibitus fuiſſet, ut ff.codẽ.l. de eo § ſi poſt. Item ſciendum eſt,eius,qui ad exhibendum egit, utroq; tempore interfuiſſe oportere rem ei reſtitui: hoc eſt,& cum lis conteſtatur, & cum ſententia datur: niſi obſtante tempore medio,ut ff.eod.l.tigni § ult. Item ex delictis ſeruorum ad uindicandos conſcios ut ſerui exhibeantur ad quæſtionem,ad exhibendum agitur,ut ff. eod.l.ult. Item illud ſciendũ eſt,quia poſſeſſori caueuti,

tamen

tamen ad exhibendum dilationem ex cauſa petenti, dies dabitur, ut ff. eodem l. de eo. Item illud ſciendum eſt, quòd quondam petitoris hæres, non quaſi hæres, ſed ſuo nomine hac actione uti poteſt. Ex hoc apparere poteſt, quòd hæc actio propriè perſonalis non eſt, ut ff. eod. l. de eo § hæres. In ſumma illud prætereundum non putò, quòd ubi poſſeſſor abſoluitur: diſtinguitur, utrum ne fiat hoc, quia nō poſſidebat, uel quia actor cauſam petendi nō habebat, ſi ideò quia non poſſidebat poſtea tamen poſſidens, poterit condemnari. Vbi ideo quis abſoluitur, quia non probat petitor: ſubdiſtinguitur, petitor egerit informiter, uel adiecta cauſa poſtea quæ ſit uetuſta ſcilicet, ex noua poterit agere, ut ff. de exceptione rei iudica. l. ſiquis l. ſi mater. Sanè ſi egerit adiecta cauſa, poſtea agens nō ex eadem, ſed ex alia ueteri nouaúe cauſa poterit obtinere, ut ff. eod. l. de eo.

DE RELIGIOSIS, ET SVMPTIBVS FVNERVM, & aleæ luſu, & aleatoribus. Tit. xliij.

AVdiuimus ſuprà de rebus corporalibus, quæ & uindicantur & diuiduntur, quia in bonis ſunt. Nūc audiamus de illis corporalibus, quæ quidem nec uindicantur, nec diuiduntur, nec in dominio ſunt, ſed alio iure defendūtur, ut interdicto de mortuo inferendo, & actione in factum, & ſic de religioſis audiamus. Sepulchra tamen abuſiuè & uulgariter noſtra dicimus, & quia in monumentis faciendis, & in cadaueribus funerandis, uarij ſumptus fiunt, de ſumptibus funerum audiamus, & quia extrema luctus ſæpe gaudium occupat: ſicut econtra, de luſu aleæ, & de aleatoribus ſubijciamus. Videamus itaq; quid iuris ſit de aleatoribus, & eorum ſuſceptoribus, de his tamē in C. nihil habetur, licet in rubrica ponatur, ut ſuprà de ſportulis. Videamus quoq; quæ diſtinctio locorum religioſorum, & quàm uariè pro his agatur, & cui cōpetat actio, quæ uocatur funeraria, & in quem, & in quantum, & qualis ſit. Ludere in alea non eſt permiſſum pro pecunia, præterquam in familia, & ueſcendi cauſa, & præterquam ſiquis certet haſta, uel pilo iaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, quod uirtutis cauſa fiat, ut ff. eod. l. ij. non recalcitrando, ſicut fit in prouincia. Sed & in prædictis ſponſionem, quam Longobardi gaudias uocāt, facere licet, ex cæteris non licet, ut ff. eod. l. iij. Sed paterfam. maior, mentis compos, non prodigus, in pecuniam ludendo uictus fuerit: licet conueniri non poſſit, etiamſi ſtipulatio interceſſerit, puto tamen quia ſi ſoluerit, pignusúe dederit, remedio carebit. Licet enim ludere in pecuniam ſit prohibitum, non eſt perpetuo prohibitū. Porrò ſi filijmaliâs, uel ſerui uicerint, uel uicti fuerint, patri & domino, & in patrem & in dominum competit de peculio repetitio: & hoc eſt uerum, maximè ubi filiusfam. ſeruusúe uictus fuerit, per alterum filiumfam. ſeruumúe. Sed & aduerſus dominū quondam modo patronum, & aduerſus parentem etiā poſt emancipationem, repetitio dabitur: hoc intelligo, ubi peculia retinuerunt. Suſceptores aleantium quia durius delinquunt, durius puniuntur. Ecce enim uerberati, & damnum paſſi, ubicunq;, & per quemcunq; conqueri nō poſſunt. Sed nec de furto eis facto, etiam per non luſorem: Ita tamen ſi domi perpetratur, & eo tempore quo luditur. ergo de furto facto alibi poterunt conqueri. Sanè licet ſuſceptores, niſi de rapto queri non poſſunt; colluſores tamen poterunt (ait Vlpianus) uerum mox ſubijcit, quamuis & hi indigni uideantur, ut ff. eodem lege prima. Iſtud quamuis forte tale eſt, id eſt, correctiuum, quale ff. ad prohibendū exemplum legis tigni, uel forte dici poteſt quod ſit dubitatiuum, & more ſolito dictum pro furto inquam ſibi facto (ſicut diſtinctū eſt) ſuſceptor nedum pœnaliter, ſed nec realiter agere poterit, ut ff. eod. l. j. Illud tamen notabile eſt quia nō

uindicat, ſicut nec condicit. Eſt locus purus, eſt & non purus. Purus eſt qui pro phanus eſt & tribus nominibus uacat, id eſt, qui neq; ſacer, neq; ſanctus eſt, neque religioſus. Sacer locus eſt eccleſia. Sanctus eſt murus ciuitatis. Religioſus eſt, qui corpus hominis liberi, ſerui, etiam Iudæi, uel Saraceni, perpetuæ ſepulturæ traditum continet: hic locus propriè uocatur ſepulchrum, ante ſepulturam dicitur monumentum. Sanè cenotaphium locus eſt uanæ & ficticiæ ſepulturæ, aliquando tamen monumentum pro ſepulchro ponitur, ut ff. eod. l. iij. Locus autem religioſus dicitur, ſiquis intulerit mortuum in locum ſuum, uel in locum alienum domini uoluntate: ita tamen ſi totum mortuum, uel caput ſolum ut ff. eod. l. iij. Ita tamen ſi cum perpetuitate. Sanè perpetuæ ſepulturæ traditū transferre non licet ſine permiſſu principis, ubi cauſa iuſta, & neceſſaria non ſubeſt, ut C. eod. l. ult. Si cauſa neceſſaria ſubſit, præſidalis autoritas ſufficit, ut C. eod. l. j. Non perpetuæ ſepulturæ traditum, priuato priuata licet autoritate transferre. Eius quoq; conſenſus exigitur: ut locus religioſus efficiatur, cui fundus perſonaliter uel realiter ſeruit. Idem ſi fuerit obligatus: excipitur, niſi proprietarius inferatur quandoq;, ut ff. eod. l. ij. & iij. & l. ſunt perſonæ. Quid ergo ſiquis intulerit mortuum in locum alienum domino nolente? & quidem dominus ſine decreto pontificis, uel principis eijcere mortuum non poterit: alioquin iniuriarū actio erit. Actione in factum directa agere poterit, ut qui intulit mortuum, tollat, uel loci pretium domini arbitrio præbeat: utilis in factum dabitur in cū qui intulerit in arcam lapideam alienam. Vtilis quoq; (ut puto) dabitur in eum, qui dolo malo intulerit in locum publicum, ut ff. eod. l. vij. & viij. § iiij. Quarta in factum actio, in eum redditur, qui locum religioſum uendidit pro puro. Quinta in eum actio in factū competit ei, qui prohibitus eſt inferre in eum locū, quo ei ius inferendi eſſet, ſed procurator eius. Nam cum prohibitus eſt procurator, intellectu aliquo dominus prohibitus uidetur, ut ff. eod. l. oſſa. Liberum autem eſt ei, qui prohibetur, aut ſtatim interdicto uti de mortuo inferendo (in eius locum hodie ſubrogatur ſexta in factum actio) aut mortuum inferre aliò, & poſtea actione in factum agere, per quam conſequitur prohibitus loci empti precium, conducti mercedem. Sui quoq; quem quis (niſi coactus) religioſum facturus non eſſet, ut ff. eod. l. liberum. Eſt forte in factum actio ſeptima, quæ (ſicut inſtitoria) appellatur funeraria, uel dici poteſt quod funeraria ſit proprium nomen actionis. Actio funeraria cōpetit funeranti, & eius hæredi, in eum ad quē funus pertinet. Ergo contra hæredem, dominum, parentem, patronum quandoq;, maritum quoq;: maximè ſi morte uxoris dotem lucrifecerit, ut ff. eodem l. oſſa § ult. l. funeris l. in eum. l. ideoq; l. Celſus. l. ſicq;. ſi filiusfamiliâs. Ita tamē maritus primus conuenietur, licet dotem lucrifecerit, propter diuortium quod mulieris culpa contigerit, ſi mulier poſt diuortium alij non nupſerit, ut ff. cod. l. ſi mulier. Competit hæc actio directa, ubi quis aliam actionem non habet de funeris impenſa, puta ubi mandauit extraneus, mandati aut familiæ erciſcundæ. Vtilis funeraria dabitur funeranti, pupillo mādante ſine tutore. Item ſiquis credens, cum non eſſet, teſtatorem funerauerit, quia repetere non uoluit, non tamen noluit, id eſt, licet de repetendo non cogitauit, utili funeraria repetet, ut ff. eod. l. at ſiquis. § Labeo § qui mandatu. Competit actio funeraria, ita demū ſi impenſum fuerit ſicut debuit, et quantū debuit. Nam ſi minus quàm decreuerit impenſum fuerit, nō repetitur, ut ff. eod. l. et ſi. § iudex & § ſiquis. Hæc actio prætoria eſt, perpetuò hæredi datur, & in hæredem, & excellit omne debitum, & eſt perſonalis, & oritur ex quaſi contractu, ut ff. eod. l. j. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd ſepulchrorum quædam dicuntur familiaria, quædam hæreditaria. In his tamen liberti nec ſepeliri poterunt, nec ſepelire: niſi hæredes fuerint,

quam-

quamuis (quod notabile eſt) patroni inſcripſerint monumentum ſe feciſſe ſibi, & libertis ſuis ſuis, ut ff. eod. l. uel quæ. Illud quoq; notabile eſt, quòd locus naturaliter dicitur ad mortuum pertinere, in quem infertur: nam cum forte olim nullum locum poſſederit, uix hunc quaſi poſſidet, qui tantus eſt, quantus ipſe ut ff. eo. l. iiij. Illud quoq; ſciendum eſt, quòd ſi fundus, in quo ſepulchrum eſt, hac lege uenierit, ne in eum inferatur: pactum ſimplex non ſufficit, ſed ſtipulatione opus eſt: ſicut nec ſufficit, ut certus hominum numerus in uno loco humetur, ut ff. eo. l. quod ſi & ff. communia præ. l. iiij. Sed & ſi extraneus, qui dotem dedit, cum marito pepigerit, ne maritus in funus uxoris conferat, pactum non ualebit: niſi alius à dotante funerauerit, ut ff. eodē. l. ideoq;. Item ubi quis ad ſepulchrum uiam non habet, uicinus iuſto pretio uendere ei cogitur. Item ſepulchra alterius conuerſationis uſum, quàm cadauerum funerandorum, accipere non debent, ut ff. eodem. l. at ſiquis. Item illud notandum eſt, quòd maritus funeraria non conuenietur: niſi forte in ſubſidium, ne in ſepulti iaceant: niſi uxori ex cauſa legibus conceſſa in matrimonio dotem ſoluerit, ut ff. eodem. l. & ſic. In ſumma quoq; illud notandum eſt, quòd ſiquis fuerit hæres, deinde ei quaſi indigno hæreditas auferatur, iura tamen ſepulchrorum habebit, ut ff. eodem l. ſiquis fuerit.

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE. LIBER QVARTVS.

DE REBVS CREDITIS, ET IVREIVRANDO. TITVLVS PRIMVS.

TRIBVS LIBRIS CONSVMMATIS, ET actionibus in rem pertractatis, ad perſonales tranſitum faciamus: & quia perſonalium actionum, aliæ oriuntur ex cōtractu, aliæ ex quaſi cōtractu, aliæ ex maleficio aliæ ex quaſi maleficio: & digniores ſunt quæ ex contractibus naſcūtur, de his primò audiamus. Nouum itaq; librum dominus Iuſtinianus orditur, de actionibus ex contractibus tractaturus: uerum de rebus creditis inſcribit, & partis nomine, id eſt, rei creditæ deſignat totum contractum. Quippe cōtractus duæ ſunt partes, credere & debere. Quæri poteſt quare nō inſcripſit de rebus debitis? reſpōdeo, ſubauditur, & ex altero alterum intelligitur, uel (quod melius puto) ideo ſic inſcripſit, quia in hoc quarto libro agitur de actionibus, quæ dantur creditoribus, non de exceptionibus, quæ competunt debitoribus. Item quæri ſolet quare ſic inſcribatur, cum in hoc titulo nihil de rebus creditis dicatur? reſpondeo in ſequentibus titulis licet non generaliter, tamen tractabitur de rebus creditis, ſcilicet ubi de contractibus, ubi de obligationibus, de commodato, mandato, cæteriſq; diſputabitur. Verum quia in cauſis quæ inſtituuntur per actiones reales (de quibus dictū eſt) & in cauſis quæ inſtituuntur per perſonales, de quibus dicendum, ſæpe defertur iuſiurandum, de iureiurando protinus audiamus. Videamus itaq; qualiter introductum ſit iuſiurandum, quare dicatur iuſiurandum, de quo iuramento hic agatur, qualiter iuretur, & quando debeat iurari, quis poſſit deferre, quis non, & cui, & de qua re, & quæ ſit diſtinctio iuramentorum, & quis ſit effectus eorum. Introductum eſt iuſiurandum ob hominum diffidentiam: ſi enim homo homini crederet, iurare neceſſe non eſſet. potuit appellari factum iuratum, uel ſatis competenter iuſiuratum, placuit tamē ut dicatur factum ius, quia de facto iure iuratur. adnectitur iurandum, quia id debet eſſe iuratum, quod antea fuerat iurandum. Ergo competentius dici poſſet iuſiuratum, quàm iuſiurandum. Eſt autem iuſiurandum, affirmatio uera falſaúe adhibita religione. Ergo iurare nihil aliud eſt, quàm adfirmare uel negare deo inſpectore: ueruntamen & ubi iuratur per creaturas peieratur. Agitur hic, non de iuramento in litem, uel calumniæ, uel expenſarum, ſed de eo quod pertinet ad deciſionem litium, hoc ita eſt, niſi ubi iuratur ab aliquo ſibi deberi, uel ſe non debere, uel rem ſuam eſſe, uel petentis non eſſe. Iurandum eſt per deum, ſi ita ſit delatum, ſed & iurandum eſt per dominum, ubi dictum eſt qualiter iuretur. Sanè ubi iuſiurandum defertur, ut alio modo iuretur, aut per ſalutem ſuam, uel caput ſuum, uel per quid ſimile

licitè iuratur, ut ff. eod. l. qui per ſalutem. Porrò per ſuperſtitionē, ut per Iouem iurandum non eſt. ergo iurandum eſt regulariter ſicut delatum eſt, niſi improbato more delatum eſt. Iurare debet mox ut delatum eſt, uel referri, ſi locus ſit relationi, uel recuſari, niſi uel ſoluatur, uel à cauſa diſcedatur, uel niſi ſacramentum remittatur, tantum enim ualet remiſſum, quantum præſtitum. Deferre poteſt iuſiurandum dominus rerum ſuarum adminiſtrationem habens, non dominus quoq; qui habetur pro domino, ut tutor, curator, œconomus municipum, actor, ſeruus quoq;, & filiusfam. in peculiaribus, ſi liberam habeant adminiſtrationem, in dominicis minimè. Sanè ſeruus delato uel relato iureiurãdo tenetur ſi iurauerit, econtrario autem ſacramentum filij uel ſerui prodeſt domino uel patri, ſi eius rem eſſe, uel ſibi dari oportere, uel eum dare non oportere, uel quid ſimile iurauerint, ut ff. eod. l. ſeruus & l. quanto magis & l. ſed & ſi ſeruus. Procurator quoq; interdum ritè defert iuſiurandum, puta ſi nominatim id mandatum fuerit, Si generale & liberum mandatum habuerit, ſi procurator in rem ſuam factus fuerit, aliâs minimè, pupillus, & prodigus, ſimileſq;, non rectè referunt, nec pupillo, nec prodigo, nec legato, qui ius habet reuocandi domū, iuſiurandum rectè defertur. Sed nec procuratori rectè defertur, licet quandoq; rectè deferat. ſufficit enim ei ad plenam defenſionem, ſi paratus ſit ſuſcipere iudicium, ut ff. eo. l. iuſiurandum. prædicti tamen omnes ſi fuerint compotes mentis, prodeunt ſibi ex delatione uel relatione iurantes. De facto iurator non de iure, licet ff. eod. rurſum ultimum uideatur dicere, etiam de iure iurari, forſaſſis tamen quis poterit ita deferre, ſi iuraueris legitimè paratus ſum ad dandum. Iuratur in cauſis, quæ aguntur per actiones quaſcunq;, iuratur de quocunq; quæratur, de proprietate, de poſſeſſione, de utroq;, de rebus, de pecunijs, deq; operis debitis, de crimine, de conditione perſonæ, iuratur inquam de prædictis omnibus, ut lites terminentur cauſæ finiantur, iurgia ſopiantur, ſiquidem in uſum uenit maximum remedium dirimendarum litium iuſiurandum, ut ff. eo. l. j. præſtito enim ſacramento, ab omni controuerſia diſceditur, ut ff. eodē. l. antepenult. Apoſtolus quoq; ait, quòd iuramentum omnis controuerſiæ finis eſt. Iuratur uerbotenus, iuratur etiam ſolenniter, id eſt tactis euangelijs. Quantum ad ſubſtantiam iurandi pertinet, non differt qualiter iuretur. Sanè in eo eſt differentia, quia contra iuramentum uerbotenus præſtitum, minor quandoq; reſtituitur: ſi iurauerit corporaliter, minimè. Iuratur de cauſa, et ut finiatur cauſa: aliâs extra iudicium, aliâs in iudicio. Iuſiurandum extra iudicium à parte parti delatum, conuentionale dicitur, & uoluntarium: & hoc neceſſitatem non habet, id eſt, ut uel præſtetur, uel referatur. Iuſiurandum iudicio non præſtitum uel remiſſum, delatum relatumúe adferet emolumentum. Hoc iuramentum nō refertur, nec retractatur, niſi lege aliqua excipiatur, id eſt iure uel pactione, ut C. eo. l. j. & ult. In iudicio defertur iuramentum, quandoq; à parte parti, hoc neceſſarium appellatur, uel forte iudiciale à iudice, hoc iudice approbante delatum relatum refertur. Excipitur in amotione, in furto, ſimilibusq;, deferentes enim non eſſe amotum, ſi eis referatur, iurare non debent, nec poteſt eſſe amotū ut ff. eo. l. Marcellus § ult. & l. non magis. & ff. de iniur. l. lex. hoc iuſiurandum, licet referatur, non retractatur. Eſt tertium iuſiurandum, quod in iudicio defertur à iudice actori, uel reo ob probationum inopiam. Ergo uel modicum pro eo oportet eſſe uel facere, cui à iudice defertur ſacramentum ut C. eod. l. iij. Hoc ſacramentum iudiciale, ad iudicem à quibuſdam nuncupatur: à quibuſdam neceſſarium, quia nō eſt referendum. hoc iuſiurandum non refertur, ſed retractatur, ut ff. eod. l. admonendi. Ex hoc ſacramento ultimo actionem oriri me legiſſe non memini. Ex duobus prioribus, & actio naſcitur & exceptio, ut ff. eo duobus § ult. Si fuerit iuratum, in fa

ctum actio tribuitur, ut C. eo. l. actori, & ff. eo. Sed & datur inquam actio quandoq; alij, ut propter neceſſitatem. Ecce enim ſiquis iurauerit ſe uendidiſſe, & aduerſarius eius, id eſt, emptor poterit agere, ut ff. eod. datur alij: excipitur, niſi ille alius iuris interpoſitione; aliâs interpretatione, ſit quaſi idem ipſe qui iurauit; ut hæres, legatarius, pater, dominus, filius. Item in popularibus bona fide exactum iuramentum, etiam contra alios præbet exceptionem, ut ff. eod. idem fit propter contiguitatem, ecce enim fideiuſſoris iuramentum debitori proderit, et econtra, ut ff. eod. l. in duobus. Item delatum ſacramentum ab uno reo credendi, etiam alteri nocebit, & præſtitum ab uno reo debendi, etiam alteri proderit, ut ff. eod. l. in duobus. item ſi actore deferente, defenſor rei abſentis uel præſentis uel fideiuſſoris iurauerit, ei cuius nomine iuratur, proſpicitur, & econtra, ut ff. eod. l. ult. Proderit autem exceptio iſta, etiamſi alia actione quis utatur: dummodo eadem quæſtio in iudicium deducatur, ergo ſiquis iurauerit ſe nõ rapuiſſe, non iurabit, ſi furti conueniatur. Nec enim omnis qui furatur, rapit: licet & raptor omnis furetur, ut ff. eo. l. in duobus. Sed & cum duo compatroni eſſent, libertus altero deferente iuraſſet, ſe eius libertum non eſſe, multum præſumitur ut alterius patroni tantum libertus credatur, ut ff. eod. l. ſi duo. In ſumma notandum eſt, quòd ſi per deum iuratur, & peieratur, regulariter non uindicatur: ſi per principem, ultio ſumitur, ut ff. eod. l. ſi duo. Item ſacramentum delatum, & nondum præſtitum, reuocari poteſt. Sanè reuocatum poſtea deferri non debet, ut C. eod. l. penult. Iurandum eſt autem ante ſententiam, non poſtea, ut C. eodem l. ult. Iurandum autem eſt ut delatum eſt regulariter, ut ff. eod. l. iij. Si delatum eſt ſacramentum à parte parti in iudicio, aut ſuſcipitur, aut non: ſuſceptum aũt aut præſtatur, aut refertur. Relatum non refertur. ergo reus cui defertur, debet uel ſoluere, uel iurare, uel referre. Actor debet uel iurare, uel deſiſtere. Sed per Iuſtinianum permittitur recuſare, quod eſt quartum membrum. In ſumma quoque ſciendum eſt, quòd iuriſiurandi delator non appellabit: licet relator poſſit appellare; ut C. eod. l. ult. Debet autem referri iuſiurandum, quale eſt delatum niſi ratio perſonæ uel cauſæ uarietatem inducat, & ideo ſi de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatum, per iudicem iuramentum formabitur, ut ff. eodem l. iuſiurandum. Perſona uarietatem inducit, ut ſi libertus patrono deferat, quòd iuret ſe uim non feciſſe atrocem. Cauſa uarietatem inducit, ut inter uſucaptorem, & quondam dominum. In ſumma item notandum eſt, quòd iuſiurandum comparatur nouationi, delegationi, ſolutioni, acceptilationi, tranſactionẽ tamen uincit. Nam poſt iuramentum cum iuratur quem non feciſſe furtum, nec furti agitur, nec condicitur, licet poſt tranſactionem condicatur, ut ff. eodẽ. l. ſi duo, & ff. de condict. furt. l. ſi pro furto. Item iuſiurandum tantam habet autoritatem, quantũ ad except. quantum res iudicata, ſed & minorem habet. Ecce enim ſi iuraui, quem meum eſſe libertum, non ideo ſuccedo: contrà ſi per ſententiam uicero, ut ff. eo l. ſi iurauero. Maiorem habet autoritatem, quã res iudicata: quia contra iuſiurandum minor non reſtituitur, licet contra iudicium. item iuſiurandum, quod præſtat procurator actoris iurando, puta actionem oportere dari, actionem actori parit, ut ff. eo nam. ſecus ſi procurator ſtipuletur domino: tunc enim, niſi in paucis caſibus, nihil agit. Contra iuſiurandum etiam proprium, quandoq; quis licitè uenit: aliâs propter tacitam conditionem, aliâs propter rei iuratæ turpitudinem, aliâs propter ætatem. Ecce enim ſi minor ſine defenſore detulit, et de iuramento excipiatur contra minorem quando minor id replicabit ut ff. eo. l. nam. Sed et ſi ego iuraui deferẽte te, nõ iuraſſe te dari tibi oportere: cõtra te excipientẽ rectiſſimè replicabo, ut ff. eo. l. quod ſi. Nec enim qui iurat probat, ut ff. eo. l. eum. item notabiliter notandũ eſt, quòd ſiquis poſt iuſiurandum

ex famoſo

iudicio cōdemnetur, infamabitur: ſed quia in hoc caſu potentius erit iudicium, quàm ſacramentū. Illud quoq; notabilius notandum eſt, quòd ſi is qui temporali actione mihi obligatus erat, detulerit iuſiurandum, ut iurem eū dare oporte re, non liberabitur tempore: quia tanquam lite conteſtata religione à me præſtita, aduerſus eum perpetuatur actio, ut ff. eo. nam § iij. & iiij.

SI CERTVM PETATVR. TIT. II.

INterpoſito tractatu iuriſiurādi, certa ratione de rebus creditis tractare incipit Iuſtinianus, hoc eſt, de perſonalibus actionibus. Et quia inter pſonales actiones digniores ſunt condictiones, de his primo dicamus: ſed quia cōdictio, quæ à re nomen adſumpſit, dignior eſt, quàm ea quæ ob cauſam competit, de ea con dictione dicamus, quæ non cauſam diſtinguit. Et quia cum dicitur res incerta, & certa, dignior eſt cōdictio qua res certa petitur: audiamus quid iuris ſit ſi certum petatur. Et certum petitur per certi condictionem, certiq; condictio compe tit, ubi alia condictio competit. Et quia certū petitur in mutua pecunia, de mutuo, quod frequentiſſime contrahitur, audiamus. Videamus itaq; quando contrahatur mutuum, in quibus rebus, & quot modis, qualiter diſtinguatur, quan do deficiat, qualiter reconcilietur, cui competat directa & utilis certi condictio de mutuo, in quē, in quantum, & qualis ſit hæc certi cōdictio. In primis tamen dicendum eſt, quid ſit certum, & qualiter certum petatur, & hoc uerbum in hoc titulo debeat intelligi. Certum eſt quod ex ipſa pronunciatione apparet, quid, quale, quantumq; ſit. Item certum dicitur quod digito uel nomine proprio uel his quæ funguntur uice nominis demonſtratur, ut ff. eod. l. certum. ſtricto modo dicitur in hoc titulo certum, id eſt certa quantitas. Sed & uerbum petitur, ſignificat hic petitionem non realem: licet petitio propriè dicatur in rem, ut ff. de acti. l. actio: ſed perſonalem, nō quidem omnem, ſed eam quæ fit per condictionem, id eſt per illam actionem quæ expreſſam formam perſonalium actionum continet, hoc eſt, per quam præciſè intenditur oportere dari uel fieri. Mutuum contrahitur cum quantitas datur, ut accipientis efficiatur, eo acto ut eſt reddātur, nō eadem ſed alia tanta æque bona ſub eodem genere. ueruntamē ſi quantitas mutuata, & in arca conſeruata fuerit reſtituta, debitor liberatur. Quippe potuit iſtud contingere, uel quia debitor expendere noluit, erogare neceſſe nō habuit, atqui hoc ex natura mutui non contingit. Dicitur mutuum nomine compoſito ex corrupto & integro, quia quod fuerit meum fit tuum, idem ſi fuerit ei us cui numero. Ergo mutuū nō cōtrahitur: niſi pecunia proficiſcatur, niſi quantitas data intelligatur, ſicq; pecuniæ nomen etiam latiſſimè, id eſt pro omni re: & ſtrictiſſimè pro pecunia ponitur, ut ff. eod. l. ij. Tribus modis contrahitur mu tuum, ſtipulatione, re, chirographo. Re & uere, ut per numerationem, & interpretationem, ut ſi lanx detur uendenda quatenus uenditor redactam pecuniam habeat in mutui cauſam. Hocq; fit quandoq;, ut mox cum fuerit redacta pecunia ſit mutua, quandoq; agitur, ut redacta pecunia ad dominum lancis perferatur, & per eum illa pecunia mutuatur. Per numerationem celebratum mutuum quandoq; non ſtatim ualet, ſed pendet: hocq; duobus modis fit, puta ſi agatur, ut quantitas accipientis efficiatur, ſiqua appoſita conditio contigerit, aliâs ex poſtfacto quandoq; confirmatur, puta ſi pecuniam in ſpecie legatam hæres cre diderit, anteaquam tale legatum amittatur uel repudietur, ut ff. eod. l. proinde. Mutuum contrahitur, puta ſi quantitatem meam quam numeraui in continenti, ſtipulatus ſum mihi reddi, nec ſit nouatio: quia hoc non agitur, imò agitur, ut non ex numeratione, ſed ex ſtipulatione actio naſcatur. idem ſi ſtipulatio nu

merationem præcedit, ut ff. de noua. l. cum enim. Sanè ſi numerator etiam in
continenti ſtipuletur extraneo, utilis contractus numerationis non uiciaretur ꝑ
ſequentem inutilem ſtipulationem, uidetur tamẽ obſtare debere, quod aliâs di-
citur. Quod uoluit non potuit, quod potuit non uoluit. Item ſtipulatione con-
trahitur mutuum: niſi quantitas alia pro alia, aliâs ex cauſa uetuſtiore debita no
uatione facta promittatur. Chirographo contrahitur mutuum, ſi ſpe futuræ nu
merationis ſcribatur acceptum, quod non fuerit numeratum. Ex prædictis col-
ligitur quod mutuum, aliud eſt ciuile & naturale, aliud ciuile tantum: puta per
chirographum, hoc fit naturale tranſacto biennio, ſiquidem tantum facit bien-
nium ſi non ſit in teſtando paritum, quantum facit natura, id eſt numeratio. De
ficit mutuum, propter perſonam, ſi pupillus numerat: propter rem quoq;, puta
ſiquis numerat quod non eſt ſuum nomine ſuo uel nomine alieno non acceden
te cõſenſu. propter utrunq; deficit, puta ſi pupillus alienam mutuat pecuniam.
Nam cum ſuam non poſſit facere alienam, multo minus tuam faciat alienam.
Seruus tamen & filius, conceſſa ſibi adminiſtratione libera, peculiarem pecu-
niam rectè faciunt mutuam, ut ff. eodem l. ij. Deficiens mutuum tribus modis
reconciliatur, conſumptione, utili ſtipulatione, uſucapione. Nam ſi pecuniam
à non domino ſibi creditam biennio detinuit acceptor, titulo pro ſuo uſucepit,
& eſt hoc nota dignum, ut ff. de iur. dot. l. proculus. Reconciliatur inquam mu
tuum per conſumptionem bonæ malæúe fidei, ubi quis quantitatem alienã nu-
merauit. Similiter conſumptorem non diſtinguimus. ergo & furi numeranti pe
cuniam conſumptam & alienam ſtipulanti condictio dabitur, dominus tamen
pecuniæ, eam nondum cõſumptam & in ſtipulatum deductam, à poſſeſſore uin
dicabit. Sed & is qui numerauit cum ſtipulatus ſit condicere poterit: Si tamen
ambo ſimul uenerint dominus præferri debebit. item ſi alteruter acceptor pecu
niæ ſoluerit, lite tamen ab altero nondum conteſtata, contra alterum agentem
ex æquitate exceptione ſe tuebitur. Quid ergo dicemus, ſiquis numerauit no-
mine ſuo pecuniam non ſuam, & ea ab accipiente ſit uſucapta cõſumptaúe? pro
fectò de rigore, pecuniæ quondã dominus omni deſtituitur actione: ſiquidem
fieri poteſt, quòd numerator nec ex negocio nec ex delicto, domino pecuniæ in
uenitur obligatus: ſed nec cõtra emptorem habet actionem. Pecuniæ quondam
dominus utilem habebit condictionem contra pecuniæ acceptorem, ad inſtar
eius, qui pecuniam ſuam uel Titij nomine numerauit. Quippe Titij nomine re
probato, numeranti utilis condictio datur, ut C. eod. l. iiij. hoc mihi non ſedet,
imò ex æquitate in ſubſidium, numerationem pecuniæ meæ non nomine meo
factam ratam habens, nego. geſto. experiar contra numerantem, ut mihi cedat
actionem, ut ff. eod. l. ſi eum. Item quid dicemus, ſi ego numeraui pecuniam tuã
non tuo nomine, neq; meo: ſi alterius nomine, illiq; ſtipulatus fuero? profectò
nec mihi numerãti, nec tibi domino, actio quæritur, nec tertio: licet uolui, quia
non potui. Prædicta igitur pecunia, aut erit in ſtipulatum deducta, aut conſum-
pta. Si conſumpta erit, dominus uindicabit, nec numerator, nec dominus equi-
dem condicet (ut dictum eſt) licet ff. eodẽ. l. ſi me legatur, æquum & bonum eſt
pecuniam meam quæ peruenit ad te mihi reddi à te. ergo nec acceptor pecuniæ
lucratur: utiq; condictio ei dabitur cuius nomine ſit numeratum, ſi numeratio-
nis negocium habuit ratum. Directa certi condictio ei datur, qui quantitatem
ſuam credit nomine ſuo: ei quoq; qui alienam credidit nomine ſuo, ſi utiliter ſi-
bi ſtipulatus eſt, ſi pecunia conſumpta eſt, ei quoq; datur directa, cuius nomine
numeraui pecuniam meam, ſuamúe. Datur inquam ſi uelit, reprobare enim po-
teſt, ut C. eod. l. iiij. In ſuſceptorem pecuniæ ſuo nomine & eius hæredem, dire-
cta certi cõdictio de mutuo datur, utilis datur in eũ & eius hæredem; ſed ſecun-

dariò,cuius nomine ſuſceptio facta eſt,ut C.eod.l. eum. In hac actione tamen non minus,nec amplius uenit, quàm profectum eſt. ergo nec uſura ueniet niſi poſt litem conteſtatam. Illud conſtat,quòd hæc actio ciuilis eſt,& perpetua,& pſonaliſſima,et iuris ſtrictiſſimi:niſi fiat arbitraria adiectione loci. In ſumma notandum eſt,quòd ſi ſubiectus præſidi mutuauerit,unà cũ præſide exulabit:forte & repetitionem non habebit,ut C.eod.l.quiſquis. Illud quoq; ſciendum eſt, quòd ſi ultra libram auri in ciuitate contrahatur, illud chirographum non niſi quinq; teſtibus ualebit,ut Cod.eodem l.authen.ſed nouo. Sed hodie mirabile tamen eſt,quòd non ſufficiunt teſtes duo aut tres: cum etiã quæ græcè ἰδιόχειρα appellantur ſine ullo teſte cõfecta,legantur & robur & monumentum habere: utpote in proprium præiudicium enixa,ut Cod.qui pot.in pigno l. ſcripturas. In ſumma quoq; notandum eſt,quòd creditor debitum non amittit quando nõ idoneum pignus accepit,ut ff.eod.l.creditor. Item illud ſciendum eſt,quòd qui pecuniam creditam accepturus, ſpoponderit ſe redditurum creditori futuro,in poteſtate habet, ne ſe ei obſtringat non accipiendo,ut ff.eodẽ.l.qui. Item illud ſciendum eſt,quia ſi depoſui apud te decem, & poſtea in continenti, uel longè poſtea,pure permiſi tibi uti decem,quaſi mutua etiam antequam moneas condicere potero à te: hoc enim in caſu animo ſolo ciuiliter poſſidere cœpiſti, quia primò corporaliter detinebas. Sanè ſi dixi, ſi uoles utere pecunia, non fiet mutua,antequam ſit mota,in primo caſu potuit non uelle & non mouere, ut ff. eodem lege certi § ult.& l.quod ſi. In ſumma quoq; illud notandum eſt, quòd ſunt quatuor ſingularia in pecunia credita. Ecce eñ ex alterius pacto alteri quæritur directa cõdictio,ut C.per quas perſo.nobis ob.l.ij. Item Vlpianus tribus in caſibus interpretatur pecuniam fuiſſe meam,& à me numeratam, & ideo directam condictionem mihi competere,licet de uero nec pecunia fuerit mea,nec à me numerata. Ecce enim ſi debitorem meum iuſſero tibi pecuniam numerare, indirectò obligaberis mihi,quia numi mei fuiſſe intelliguntur,licet tamen nunquam fuerint. idem forte erit ſi non debitorem iuſſero numerare. Idem quoque fiet,ſi cum ex cauſa alia mihi pecuniam deberes,conuenerit mihi tecum, ut ea pecunia mihi præſens & oblata apud te remaneat in cauſam crediti, ut ff. eod. l.ſingularia. forte idem erit in omni quantitate, licet nõ legatur niſi de pecunia.

DE SVFFRAGIO. TIT. III.

SVffragium appellatur patrocinium quod ab aduocatis litigantibus exhibetur. Sed & ſuffragium translatiuè dicitur ſalarium quod aduocato litiganti tribuitur,huius ſuffragij nomine,ſi fuerit ſtipulatio facta,præſcriptis uerbis agitur,uel condict. ex lege. Quid ergo ſiquid ſuffragij nomine fuerit traditum? ſi fuerit mobile,uel ſe mouens tranſit dominium in accipientẽ:ſi uero fuit immobile quod traditum eſt,ut dominium transferatur, non ſufficit traditio ſola:niſi interceſſerit ſcriptura gemina,id eſt priuata & publica ſpeciali cenſura,ut Cod. eodem l.unica. In ſumma notandum eſt,quòd C.eo legitur, poſt patrocinium præſtitum ſuffragium,id eſt ſalarium eſſe præſtandum. Porrò C.de iudic.l.properandum dicitur, honoraria aduocatis eſſe danda, ne protrahantur cauſarum merita,ac ſi apertè diceretur,prius ſunt præſtanda ſalaria quàm patrocinia.

DE PROHIBITA SEQVESTRATIONE PECVNIAE. TITVLVS IIII.

SI pecunia, uel quantitas alia in genere petitur, non eſt neceſſe ſequeſtrare: licet id poſſit fieri ex pacto, & uoluntate. Sed & ſi quantitas petitur tanquam ſpecies, uel quæcunq; ſpecies, ſequeſtratio ceſſat neceſſario. Excipitur forte, niſi in quæſtionem deducatur, uter poſſeſſor cenſeatur: tunc enim apud ſequeſtrum & neceſſario, & utiliter poſſeſſio collocabitur.

DE CONDICTIONE INDEBITI. TIT. V.

EXpoſita certi condictione, quæ ideo ponitur in tractatu primo, quia in ſui generalitate inuenitur præcipua: ad alias condictiones, quæ dantur ob cauſam, tranſeamus. Superior enim condictio diſtinguitur ſecundum cauſam: uerę quia in C. dicitur ob cauſam, aliâs præteritam, aliâs futuram: cõſtatq; quia præſtita cauſa certior eſt, & prior, quàm futura, de condictione indebiti, quæ reſpicit in præteritum audiamus. Quæri poteſt, quare poſt condictionem certi, illico adnectitur de condictione indebiti? Reſpondeo, quia is qui accipit indebitum perinde obligatur, ac ſi acciperet mutuum. Item quæri ſolet: quare inter actiones ex contractu, & nõ potius ex diſtractu oriri uideatur? Reſpondeo quòd ex quaſi cõtractu naſcitur, quia extra id quod agitur, tacita obligatio oritur. uideamus itaq; quot modis dicatur quid indebitum, cui detur directa condictio indebiti, cui utilis, in quem, in quantum, & quæ cauſæ eam inducant, & quæ ceſſare faciant, & qualis actio ſit condictio iſta. Indebitum dicitur, quod utroq; iure naturali & ciuili: & hoc à ſoluente repetitur. Excipitur: niſi ex ea cauſa quæ creſcit per inficiationem ſoluatur, tunc enim ſolutum, ſi uel à quopiam debeatur, non repetitur. Indebitum quoq; dicitur, quod eſt indebitum iure naturali tantum, licet iure ciuili ſit debitũ, puta chirographo ſpe futuræ numerationis cautum, & hoc repetitur, ſi ſit infra biennium non poſtea ſolutum. Sed & quod antea fuerat utroq; iure debitum repetitur: poſt pactum domino petente ciuiliter tantum debitum repetitur, ab ignorante ius factumúe ſolutum, ut Co. de pact. l. creditori. Item indebitum dicitur, quod eſt debitum tantum iure naturali. ergo indebitum iure ciuili ſolutum non repetitur. Excipitur, niſi ætate quis iuuetur, uel niſi hæres, & præſertim filius, integra legata nõ deducta falcidia per errorem facti ſoluerit, uel niſi mulier ex interceſſione ſoluerit, uel niſi quod promiſſum ultra licitum, ut in uſuris, ultra duplum fuerit impenſum, ut ff. eodem l. ſi non. Ex prædictis colligere licet, quòd uice uerſa debitum tribus modis dicitur, aliâs utroq; iure, hoc regulariter nõ repetitur, aliâs naturaliter tm̃, hoc aliâs ciuiliter tantum, hoc repetitur. Directa condictio indebiti ei datur, qui ſoluit in debitum (ſicut eſt diſtinctum) & maximè cum erat ſuum, & nomine ſuo. Datur & eius ſucceſſori. Datur & ei cuius nomine ſolutum eſt. utilis datur ſoluenti nomine alieno, illo non habente ratum. Item datur legitimo hæredi: niſi poſſeſſor hæreditatis quid indebitum nomine hæreditatis ſoluerit. Nec enim nouum eſt repeti per alium, ut per legitimum hæredem, eundemq; uictorem id quod alius non hæres, id eſt poſſeſſor hæreditatis indebitè ſoluerit, ut ff. eodẽ l. nec nouũ. Datur utraq; prædicta condictio in ſuſcipientem nomine proprio, in ſuſcipientem nomine alieno, illo non habente ratum, ut ff. eod. l. ſi procurator, & in eum cuius nomine ſuſceptio facta eſt, datur etiam in hæredes prædictorum. Repetitur quoq; corpus quod indebitum ſolutum eſt, ſi extat, quandoq; etiam cũ multis alijs: puta eum fructibus, cum incremento alluuionis. Sed & ſi uſusfructus nudæ proprietatis ſolutæ acceſſerit, in hanc condictionem uenit, ut ff. eodem l. indebiti. Sed & ſi numos alienos quis ſoluerit, condictio, ut poſſeſſor eorũ reddatur, competit. Sed etſi falsò quis exiſtimans alicuius rei ſe poſſeſſionem debere, rem

re,rem illam tradidit,poſſeſſionem condicet,etiam poſt præſcriptionem , ut ff.
cod. indebiti. Si corpus nõ extat,eius æſtimatio uelut ſoluta,repetitur. item ius
obligationis indebitè amiſſum , puta ſiquis ſine cauſa obligatus eſt, hac condi-
ctione repetitur:licet etiam aliæ condictiones competant,ut incerti,ſine cauſa,
ob cauſam,ut C.eod.l.ij.& iij.& C.de condict.ob cau.l.ſi cum. Quandoq; re-
petitur non idem,ſed tantundem. Quando prorſus aliud,ut pecunia , ſi fabrilis
opera indebita fuerit præſtita. Duæ ſunt cauſæ quæ hanc condictionẽ inducũt,
facti error,& iuris ignorantia:puta ſi ſoluatur ex ea exceptione, quæ propter ri
gorem iuris naturalis introducta eſt. idem ſi ſoluatur ex ea exceptiõe,quæ pro-
pter fauorem,ut Vellciani,prodita eſt: ſecus ſi propter odium , puta creditoris
Macedoniani,exceptio datur,ut ff.eo.l.qui exceptionem.idem ſi ſoluatur pro-
pter uigorẽ rei iudicatæ.perſonæ quoque priuilegium repetitionem inducit, ut
ff.cod.l.interdum.Plures ſunt cauſæ,quæ repetitionem diſſuadent. Ecce enim
non repetitur à ſciente ſe non debere,niſi iuuetur pacto uel ætate . Item non re-
petitur ſolutum ex ea cauſa,quæ inficiando creſcit:licet non debeatur à ſoluen
te,dummodo debeatur ab aliquo.Item ſiquis putans ſe debere dotem ſoluerit,
non condicit,licet non debuerit. Relinquitur enim pietatis cauſa,ex qua ſolutũ
repeti non poterit, ut ff.eod.l.cum is.Item ſiquis putans ſe hæredem cum non
ſit,hæreditario nomine de proprio ſoluit,non condicit,ut ff. cod. l. repetitio,à
creditore enim qui ſuum cœpit repeti non poteſt, ut ff. de pet. hæreditat. Reti-
nebit ergo de hæreditate tantum,quantum ſoluit, uel recuperata,ſi paciatur ſo
lutionem factam à ſe indebitè,quaſi à ſe non proficere,utili negociorum geſto-
rum poterit agere,ut ff.de negoc. geſto.l.ult. Et loco tertio,ſi hæreditas uel hæ-
res non ſit ſoluendo,putanti ſe hæredem dabitur cõdictio: aliàs quamuis is qui
accipit ſibi debitum,tamen ſi is,qui dat,nomine ſuo non debitum dat,repetitio
competit,ut ff.eod.l.ſi. Illud conſtat,quòd hæc actio ciuilis eſt origine, licet ſit
naturalis beneficij collatione,ut ff.eod.l.indebiti,& ſtricti iuris , & perſonalis,
& perpetua.In ſumma notandum eſt, quòd ſiquid indebitum per errorem ſol-
uitur,aut ipſum,aut tantundem repetitur , & aliquando prorſus aliud, ſicut di
ctum eſt. Item ſi nomine mariti, qui nihil poterat,quis dotem mulieri ſoluerit,
non repetit:ſed nec ipſe maritus repetit,ut ff.eod.l.quod l.nam &.nihil poterat
intelligatur uel uulgariter dictum. Quippe nõ loqui dicitur,qui male loquitur,
& nihil agere,qui nõ plenè agit,id quod agere debet. Item debitum ſub die cer-
ta,uel ſub conditione certa, uel ſub conditione incerta,ut mortis , pro certo ta-
men extitura,ante diem uel conditionem ſolutum,non repetitur : quia natura,
uel conditio refragatur, ut ff. eod.l.indebiti & l. nam ſi.idem ſi ſoluatur plus q̃
in peculio ſit,ut ff.eodem l.ſi is. Sanè ſi quia lex ab initio pœnalem ſtatuit actio
nem,ſolutum ex cauſa etiam falſa repetitur,ut ff.eod.l.eleganter,& l.ult. Item
in ſumma notandũ eſt,quòd ſi certum debens , ſoluerit fundum ducentorum,
quaſi ducenta debens,totum fundum repetet , & tota centum debebit, nec em̃
fit confuſio partis rei cum pecunia:& nemo inuitus ad communionem compel
litur , ſicut regulariter nec in communione inuitus detinetur. ager autẽ ſolutus
detinebitur,donec centum ſoluantur,ut ff.eodem l.ſi non § ſi centum. Item ma
le abſolutus,ſponte ſoluens,non repetet,ut ff. eod. l. iudex.Item ſiquis emerit
rem ſuam,& neſciens non ſciens pretium ſoluerit , etiam ab ignorante repetit,
ut ff.eod.l.ſeruus.Item pœnæ non repetuntur cum depenſæ ſunt , ut ff.eodẽ.l.
pœnæ.Item ſi is,qui hæreditatem uendidit,id quod mortuus ſibi debuerat non
retinuit,repetere poterit:licet propter confuſionem repetere non uoluerit,præ-
ſumitur enim ſibi ſoluiſſe, & ideo ſi poſtea emptori ſine deditiõe præſtitit uel ut
ſuum quid dependit,recuperabit,ut ff.eodem l.ſi is qui,et ff.de legat.j.l.quod.
1.

Item in ſumma ſciendum eſt, quòd ſi debitum uero procuratori ſoluitur, repetitio abeſt, & liberatio adeſt. Si indebitum ſoluitur à mandāte repetitur: niſi ubi ratum non habet, tunc enim procurator reſtituet. Porrò creditoris falſo procuratori ſoluenti, aduerſus falſum procuratorem, quandoq; (ſicut infra diſtinguitur) indebiti condictio, & non liberatio competit, ut C. eod. l. creditoris, non liberatur inquam qui ſoluit, ſi non probabiliter errauerit. ſi uero probabiliter errauerit, ſoluens ipſo iure liberatur, niſi mente bona falſus procurator accepit: ſi non, per exceptionem. Hoc in caſu, ſi ſimplex fuerit procurator, eiq; dictum ut ad creditorem perferat, & non pertulit, furtum ſoluenti fecit, & ſoluentis pecunia remanet, liberetur aut non, etiam furtiua condictio ſibi competit. Sane furti actio aliâs ſoluenti competit, puta ſi interſit ſua, cum ceſſante probabili ætate, errore liberatus non eſt. Nam (ſicut dictum eſt) aliâs dabitur ei cuius nomine ſolutum eſt, licet non ei, ſed ſoluenti furtum factum eſt: licet pecuniæ ſolutæ mera ratione creditor, nec poſſeſſionem nec dominium habuerit, & eſt notabile hoc. Illud quoq; notabile eſt, quòd liberatio contingit ſoluenti, licet ſoluentis pecunia remaneat. Idem tamen contingit in pecunia conſignata, & depoſita. Quid eſt ergo quod ff. eo. l. ſi procurator. dicitur: cum falſo procuratore in prædicto caſu poſſe & furti agi & condici: Reſpondeo furtiua condictione ſubaudiatur, uel ob cauſam, poſſeſſionis intuitu. Nam ſi pecuniam falſus procurator prædictus feciſſet ſuam, eius furtum non feciſſet, quidquid dicant quidam. Item ſi nō eſt facta ſua, quomodo ab eo condicitur: intelligatur (ſicut dictum eſt) ſi ſoluitur dicenti ſe procuratorem, cum nō ſit lege dicta: ut de pecunia quidquid uelit, faciat, dummodo ſoluentem liberet, pecunia equidem falſi procuratoris ſit, & furtum non faciat. licet enim mala conſcientia mordeatur, debitoris tamen ſoluentis uoluntate fultus excuſatur, & in hoc caſu condictio ob cauſam datur. Si uero ſoluitur ei qui dicit ſe procuratorem factum in ſuam rem, & ſoluens id crediderit: ſiue idipſum falſus procurator crediderit, ſiue nō cōdictio indebiti competit, & furti iudicium ceſſat.

DE CONDICTIONE OB CAVSAM DATORVM. TITVLVS SEXTVS.

Oſtendimus qualiter condicatur ob cauſam præteritam, nūc audiamus ob futuram: aliâs honeſtā, & dignior honeſta quàm inhoneſta, audiamus de condictione datorum ob cauſam, ſcilicet honeſtam. Videamus itaq; cui detur hæc condictio directa, cui utilis, in quem, in quid, in quibus cōtractibus locum uindicet, quæ cauſæ eam inducant, quæ ceſſare faciant, & qualis ſit actio iſta. Recta condictio ob cauſam etiam utilis, eis datur, & in eos, & in tantum, & in quos, & in quid, & in quantum, ſuperior cōdictio datur. Condictio ob cauſam in contractibus innominatis locum uindicat, in contractibus nominatis nequaquam. Nempe donatio, quæ aliquando locum habet, hodie nominatus contractus eſt. Tres ſunt cauſæ huius condictionis, defectus cauſæ expreſſim dictæ, & mora, & pœnitudo. Verum pœnitudo in donationis negocio locum non habet. Cauſa ob quam datur tribus modis deficit, aliâs ſi nec de facto ſecuta fuerit: puta ſi detur ut tantummodo Capuam eatur, & non itur, aliâs ſi de iure cauſa non ſequitur, licet de facto proceſſerit, puta ſi detur ut matrimonium contrahatur, & cum cognata contrahitur. Si pecunia tribuitur, ut manumiſſio celebretur, & libera perſona manumittitur. Sed cauſa deficit (quod notabile eſt) ſi quid detur ut conditioni pareatur, puta ut hæreditas percipiatur, & is qui iuſſus eſt dare, etiam poſt dationem uoluit repudiare hæreditatem, uel legatum, ut ff. eo-

dem l. j. Mora quoq; hanc condictionem inducit, ſed & pœnitudo, etiam ceſſan te mora, non tamen in donatione: ita tamen ſi negocium ſit contractum gratia dantis tantum, ita tamen ſi accepiſſe non interſit accipientis damno deducto, ut ff. eod. l. ſi pecuniam. Duæ ſunt cauſæ quæ hanc condictionem faciunt ceſſare, ſcilicet cauſa ſecuta, & de facto & de iure, & de cauſa habita proſecuta; id eſt ſi ſteterit per accipientem. Illud patet, quòd hæc actio talis eſt, qualis eſt ſuperior condictio. In ſumma notandum eſt, quòd refert utrum detur aliquid, ut manumiſſio celebretur, uel matrimonium contrahatur: aut detur militi, ut alieno nomine regulariter experiatur. Quippe licet duo prima de facto proceſſerint, tamen quia de iure non procedunt, & iuris effectum exigunt, hanc inducunt, ut Codicis eodem lege prima, ita tamen ſi uterq;, id eſt acceptor et dator, uel ſolus dator ius ſanguinis ignorauerint: contra eſt in duobus cōtrarijs caſibus. Porrò ſi militi detur, ut procuret ante litem conteſtatam repulſus, reſtituit: admiſſus, non. hæc ita tam uariè, quia militem procurare licet, etſi non ſit honeſtum, non tamen eſt turpe: & magis propriè dici poteſt nō admiſſum, quàm prohibitum. Sanè matrimonium cum cognata contrahere, uel monacha, & turpe eſt & uetitum. Item illud ſciendū eſt, quòd ſi parendæ cōditionis cauſa tibi dedero, mox mihi relictum repudiauero, condico. Nam & ſi filius fratri cōtulerit, quaſi agniturus bonorū poſſeſſionem, nec agnouerit: uel quia non uoluit, uel quia nō potuit, repetit, ut ff. eodem lege. ſi filius. Sed & ſine ſcelere eius, qui dedit, falſum uel inofficioſum teſtamentum iudicetur, quod datum eſt, ut conditioni pareatur, in prædicto caſu ueluti cauſa non ſecuta, repetitur, ut ff. eod. l. ij. Item illud ſciendum eſt, quòd is qui accipit ab ignaro non conſcio, ut hominem liberum liberet: etiam ſi de facto manumiſerit, tam ignarus, quàm conſcius reſtituit, ut ff. eod. l. iij. § ſi liber. Amplius in ſumma notabiliter notandum eſt, quòd licet nihil dederis, puta ſi ſeruum manumiſeris, quem diſtracturus fueras, ſed ob manumiſſionem non diſtraxeris, de qua manumiſſione te rogaueram, & placuerat ut aliquid tibi darem, & nihil dedi, condictio dabitur tibi, non promiſſæ rei, ſed pretij ſerui manumiſſi tanquam dati: licet non dati, quod potuit à te, quia manu miſiſti, precipi, ut ff. eod. l. iij. § ij. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi inter eas perſonas, quarū altera nondum iuſtam ætatem habeat, nuptiæ de facto factæ ſint, quod dotis nomine datum ſit, interim nō repetitur, donec in eodem habitu matrimonium perſeuerauerit, & ſpes matrimonij ſubeſt. Sanè repetitur ſi diuortiū de facto interceſſerit: nec enim de iure fieri diuortium potuit, quia matrimoniū de iure non conſtitit, ut ff. eod. l. ſi inter. Item illud nota dignum eſt, quia condictio ob cauſam cōpetit, etiam lege dicta negatiuè, ut C. eo. l. ea. Sanè præſcript. uer. non agitur, licet ibi affirmatiuè lex dicat, & alterutra actione, prout maluerit qui dedit, experiatur. Condicit inquam qui donauit lege dicta, ne res aliene tur, ſi contra legem à donatario alienetur, ſit autē iſtud ubi lex fuerit dicta, non abſolutè, uel non tradendi tempore. Si cōtra legem, dominium in accipientem non tranſit, donator tamen non uindicat: quia tradendo dominium amiſit, ſed nec is qui contra legem de facto alienauit. ergo ſi dominus eſſe non deſijt, obſtante exceptione cum effectu, uindicabit. Item dicitur ubi inuito ſocio poſt diuiſionem conſtitutam alienantur.

DE CONDICTIONE OB TVRPEM CAVSAM. TITVLVS. VII.

Diſſeruimus de condictione ob cauſam honeſtam, nunc loquamur de condictione ob turpem cauſam. Videamus itaq; qualiter hæc condictio cum

ſuperiori conueniat,& qualiter ab illa differat,& quando ceſſet, & quãdo competat,& cui,& in quem,& in quantũ,& qualis ſit condictio iſta. Conuenit hæc cum ſuperiori,quia utraq; ob cauſam datur. Vtraq; in futurum contemplatur. differt hæc à ſuperiori,quia illa datur ob cauſam honeſtam. Illa ſi cauſa non ſit ſecuta,hæc etiam ſi fuerit ſecuta turpitudo. Tribus modis diſtinguitur: aliâs em̃ contingit utrunq;,puta ſi tibi dedero pretium,ut maleficium facias, & tũc quia in pari cauſa poſſeſſor eſt potior condictio ceſſat, aliâs contingit dantem tantũ, ut ſiquis dederit meretrici,petitio non competit, ut ff.eod.l.iiij. & C.eo l.mercalem,facilius eſt enim retinere quàm petere. Licet enim meretrix ſit,tamen noua ratione,id eſt nouiter excogitata, uel ſecunda facie non prima inſpecta,non turpiter facit,quia accipit,cum meretrix ſit. Porrò ſi accipientem ſolum turpitudo contingit,condictio competit. Hoc fiet negatiuè, ut ſi dedero ne hominem occidas,& adfirmatiuè ut depoſitum reddas: hoc ita ſi antequam redderes tibi dedi,aliâs reddere non uolenti: ſecus ſi poſt redditionem dediſſem, tunc enim mihi imputarem,& non repeterem,eis datur hæc condictio, & in eoſdem,& in tantundem,quibus,& in quos,& in quid,& in quantum,ſuperiores dantur,& tales quales ſunt ſuperiores condictiones. In ſumma notandum eſt,quòd licet maleficium non admittere nõ ſit turpe,tamen hoc ipſum uendere eſt turpe. Sed & illud notandum eſt,quòd ſi iudici dedero ut pro me in bona cauſa iudicet,nõ repeto. Nam ſi iudex turpiter agit,& ego: licet enim iudicem non corrumpam, corrumpere tamen uideor, & ideo litem amitto, & ueterem & nouam, ſcilicet ut nec datum repetam,ut ff.eod.l.ij. Sed & illud ſciendum eſt, quòd ſi tibi non furi,ut fugitiuum meum indices,dedero,non repeto. neuter enim turpiter agit & nemo cogitur indicare. Si uero dedero, ut depoſitum, & commodatum,uel ſimilem cõtractum redderes,repetere ualeo. Nam & l. naturali teneris ad reddendum. Nec enim obſtat ut repetere non ualeam,cum ſponte ſoluerim,nec enim dicendus ſum ſponte dediſſè,cum aliter rem meam non poſſum recuperare. Sed & nihil ſolui,quia nil debui. Sed & ſi aliâs aliquid de meo dedi,ut id mihi reſtituatur,quod iudicio bonæ fidei eſt mihi debitum: non tamen condictione,ſed bonæ fidei iudicio ago. Si uero aliquid dedero, ut mihi præſtetur aliquid,mihi cõpetit ſtricti iuris actio ex ſtipulatu,& ex teſtamento duntaxat condictio,quæcunq; ſit uarietatis ratio,ut ff.eod.l.ult. Item in ſumma illud notandum eſt,quod legitur ff.eod. l.ij. mulieri turpiter datum nõ eſſe reſtituendum, ea ratione ſubdita: quia poſſidentis melior fit conditio,ita debet intelligi, ne ſuperioribus obuiet,ut ſit datum nõ meretrici: tunc enim ſolus dans turpiter agit, ſed meretrici ductrici, quæ apud montem Peſſulanum dextraria nuncupatur. Item & illud ſciendum eſt,quòd ſi deprehenſus in adulterio aliquid dederit, ne prodatur,ne ad curiam ducatur,ne occidatur: licet inſpecta origine ciuilis iuris quod originem intuetur,non condicet,ex æquitate tamen,quæ præualet, & per ius prætorium, quod finem inſpicit actio quod metus cauſa competit, ut ff. quod met.cau. l. neq;.

DE CONDICTIONE FVRTIVA. TIT. VIII.

Condictione ob turpem cauſam pertractata,competenter ſubijcitur de condictione furtiua,quæ actionem ſumit à fure: licet non oriatur ex furto, tamen quia non eſt ex maleficio. Videamus itaq; unde naſcatur, cui, in quem, in quantum,directa,& utilis condictio furtiua detur,& qualis ſit actio: non enim naſcitur ex contractu,uel quaſi,quod noxaliter datur,ut ff. eodem l.iiij.& quia in peculium datur,ut ff.eod.l.penult. non naſcitur ex maleficio,uel quaſi,quia non pe-

non perſequitur pœnam. Et quia datur in hæredem, etiamſi nihil ad eum peruenerit, ut ff. eod. l. penult. et l. in cōdictione, quia liber factus hac cōdictione non tenetur, ut ff. eo. l. ſi ſeruus, quia res ſubrepta, et eius extimatio ab uno fure præſtita ſocios liberat, ut C. eod. l. j. Socij tamen ſocio nullo tenentur iudicio, quia maleficiorum & nulla & fœda eſt communio. Directa condictio furtiua ſoli domino datur, cuius res ſubrepta eſt. ergo licet patri nomine ſubtracti filij detur furti actio, non tamen condictio, nec enim pater dominus eſt filij. Matri neutra datur actio, non domino ut creditori, utilis datur condictio furtiua, id eſt incerti condictio, ut ff. eod. l. & ideo, & in alijs duobus caſibus, id eſt, ubi quis ſine cauſa obligatus, uel liberatus eſt, incerti condictio competit, ut ff. de. condict. ſi cau. l. ij. De hac cōdictione nuſquam titulus legitur, ſed de Triticaria, licet in Codice nihil habeatur, in ff. tamen titulus inuenitur, ideo dixerim hanc condictionem competere ei, cui res ſubrepta ſit, ſed legatarius ab eo uindicat, nō condicit, ut ff. eod. l. ſed nec. Sanè hæres eius cui res ſubrepta eſt, cum ſit alter ipſe, meo iudicio condicet. Quid ergo dicemus ſi commodatario res ſubripitur? dicunt quidam, quòd ſolus dominus condicet: forte melius eſt, ut prædicti nondum condicant per condictionem incerti. Datur autem illi condictio furtiua, q dominus eſt utroq; tempore, & quo furtum perpetratur, & quo apud iudicem intenditur. ergo datur ita ſi dominium non amiſit: hoc tamen ita, ſi per ſeruum factum eſt, puta ſi procurauerit, tunc enim condictionem habere deſinit: ſi uero alieno facto deſierit eſſe dominus, puta ſi fuerit ad diuiſionem prouocatus, condictionem retinebit, ut ff. eod. l. & ideo. Datur in furem, & in furis hæredem, in patrem, ſi filiusfamiliâs ſubtraxerit, in dominum quoq;, & noxaliter & peculio tenus. Quod ergo ff. eod. l. v. legitur, nullū alium teneri niſi furem, & eius hæredem, ſubauditor in ſolidum. Non datur in ferentem opem, furtiua condictio: licet detur furti actio, ut ff. eod. l. vj. In hac condictione uenit res ſubtracta, ſi extat: ſi interijt quocunq; modo ante obligationem, uenit extimatio, uenit & intereſſe, ut hæreditas deperdita, ut ff. eod. l. iij. Veniunt & fructus, ut ff. eod. l. in re. ueniunt & ea, quæ facta ſunt, ſiue ſpecificata ex re ſubrepta, ut ex argento pocula, & ex uuis muſta, ſub tali enim ratione hæc in materijs retro intelligūtur fuiſſe, & reſolui poſſe. Ergo & in poculis æſtimatio fiet, ut ff. eod. l. ex argento. Illud conſtat, quòd hæc actio ciuilis eſt, ſtricti iuris, perſonalis, perpetua, non famoſa anomala. In ſumma ſciendū eſt, quòd raptor, qui improbiſſimus fur eſt, hac condictione tenetur, fur autem manifeſtus cum à domino poſſeſſor apprehendatur, ita demū tenetur ſi fregerit effuderit, occideritúe, ut ff. eod. l. ſiue. Illud ſciendum eſt, quòd ſi res furtiua fuerit ſub conditione legata, pendente conditione poterit condici. Sanè ſi poſt conteſtationem condictio contingit, abſolutio fiet, ut ff. eod. l. ſi ſeruus.

DE CONDICTIONE EX LEGE, ET SINE CAVSA, uel iniuſta cauſa. Tit. ix.

POſt condictionem furtiuam, non immeritò adnectitur de condictione ex lege, & ſine cauſa, uel ex iniuſta cauſa, ſunt enim irregulares. Sed ideo in fine ponuntur ſine cauſa, ex iniuſta cauſa, quia ut prædictæ condictiones competunt, ſic hæ competunt: ſed non conuertitur. Competit condictio ex lege præſertim nec cautum eſt, eadem lege, ſed nō dicitur quam, ut in ſuffragio & in donatione. Cui, in quem, in quantū detur hæc actio, & qualis ſit ex ſuperioribus colligatur. Condictio ſine cauſa, & ex iniuſta cauſa, in tribus caſibus cōpetunt: puta ubi iniuſtè quis fructus meos percepit, & conſumpſit. Sed & competunt

ubi cauſa ab initio nulla, ſemper remanſit nulla: puta ſiquis ſpe futuræ numerationis ſe obligauerit. Sed & competunt, ubi ab initio cauſa iuſta, intercedente ſolutione puta, facta eſt iniuſta: tunc enim & frumenta & pignora poterũt condici, uel poſſeſſionis intuitu: ſed & ſi non fuerint cõdicta, tenebunt inania, ut C. eo. Etiam his competunt, quorum res ad alios ſine cauſa peruenerũt, & eorum hæredibus. In hos condictiones illæ ueniunt, quæ cum eſſent aliorum, ſine cauſa ad alios perueniunt. ueniunt & naturales acceſſiones. ueniunt & uſuræ, ſed poſt litem conteſtatam. Illud conſtat, quòd hæ conditiones tales ſunt, qualis eſt condictio furtiua. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi fullo, uel commodatarius conuenti, amiſſorum ueſtimenrorum domino extimationem præſtiterint, ueſtimentis poſtea apud dominum inuentis, poterunt extimationem condicere: uel forte ſi maluerint ueſtimenta, per quaſi publicianam poterunt uindicare, ut ff. eod. l. ſi fullo. multo fortius ſi ueſtimenta habuerint, poterunt retinere. Quod autem dixi conuentum poſſe condicere, ſic debet accipi, ſi nõ fuerit condemnatus, uel ſi fuerit conuentus non iudicio, ſed ſimplici uerbo: ut uos inquam conuenio ô Iudæi. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd pecunia dotis nomine data, propter matrimonium de facto non de iure contractum, ſine cauſa condicitur. nec enim turpis eſt cauſa, ſed nulla, ut ff. eod. l. ult. ita tamen (ut puto) ſit quòd errauit uel actor ſoluit.

DE OBLIGATIONIBVS ET ACTIONIBVS. TITVLVS X.

EXpoſitis omnibus condictionibus, & cæteris perſonalibus actionibus, ſubijciamus de obligationibus, uerum quia tractatus de actionibus, & de obligationibus, pertinet etiam ad actiones, de qbus dictum eſt: & actiones, de quibus dicendum, de actionibus in medio inferamus. Quid ſit actio ex Inſtitutionum ſumma Mantuana, et quàm multipliciter diſtinguatur, pleniſſimè licet colligere. Item illud autem ſciendũ, quia ſub hoc titulo generaliter agitur de actionibus, tam directis quàm utilibus, & præſertim de utilibus. Ecce enim prima lege cauetur, quòd ſi pecunia data fuerit, ut actio quæcũq; mandetur, etiã ſi mandata fuerit, & mandator poſtea deceſſerit ſine hærede. hæres enim ut mandaret poſſet urgeri, antequam is litem conteſtatus ſit, in ſubſidium is cui actio mandata eſt, poterit intentare. Ait enim Imperator, quæ ſi ita ſunt utilis actio tibi competit. hæc autem ita intelligo, ubi numus, uel quid aliud datum eſt, cõtractu inito innominato: ſi uero data pecunia certa, contractus emptionis ergo nominatus celebratus eſt, ab initio utilis actio emptori ſuo nomine cõpetit. Idem ſi nomen in dotem datum, ut C. eod. l. ij. Idem ſi in ſolutum ſit datum, ut Co. eo. & C. quant. ſiſ. uel priuatus. l. ult. Ergo nominatus cõtractus potentior eſt, quàm innominatus, nam & aliâs conſtitutionis miſſæ ad Aufidium Victorinum beneficium inducit contractus nominatus, non innominatus. horum autem utilium nominum ſit dominus is ipſo iure ſine traditione uel quaſi. idem in hærede, & legatario ab adita hæreditate. Amplius emptori nominis, & in ſolutũ acceptori, ratione acceſſionis & ſequæle pignorum adnexorum, utilis hypothecaria datur, ut C. eod. l. ſi in, & l. ſi à creditore. Et in his utilibus nominibus nec traditio nec quaſi interuenit. Generaliter de omnibus actionibus cauetur, negantes debitores non oportere armis terreri, ſed petitore non efficaciter probante, uel quaſi probante, res abſolui. Conuictos autem confeſſione condemnari & iuris remedijs ad ſolutionem urgeri conuenit, ut C. eod. l. negantes. Generaliter quoq; dicitur nomine liberorum hominum ob æs alienum obligatorum, nec retentionem,

nem,nec actionem regulariter cõpetere,ut C.eod.l.ob æs.Imò nouo iure credi tor conſcius tres pœnas patitur:amittit enim debitum, ac tantundẽ de ſuo præbet,homini libero retento uel parentibus,& corporaliter punitur, ut C.eod.l. authen.imò.In ſumma ſciendum eſt,quòd ob debitũ conductionis locator con ueniendus non eſt:& econtra,ut C.eod.l.nimia,& l.ob cauſam. Sed nec conueniri debet ad quem peruenit pecunia mea,non per me, utpote non cõtrahen tem ſecum,ſed per contrahentem mecum,ut C.eo.l.bonam.Sed & illud ſciendum eſt hodie prius excutiendos,uel pro excuſſis habendos, omnes debitores & principales,& aſcendentes,quàm perueniatur ad pignorum extraneos poſſeſſores,ut C.eod.aũt hodie.In ſumma notandum eſt,quòd obligatione perfecta,non licet alteri inuito altero regulariter reſilire. obligatio enim quæ ab initio fuit uoluntaria,poſtea fit neceſſaria. Excipitur præterquam in uino nondũ deguſtato,& præterquam in negocio gratia tantũ accipientis cõtracto,& præterquam in mandanto.hæc enim re integra & reuocare,& reprobare licet.

VT ACTIONES ET AB HAEREDIBVS ET CONtra hæredes incipiant. Tit. xj.

PRiſco iure reprobato,cautum eſt moderno actiones ab hæredibus,& in hæredes incipere:ita tamen ſi naſcuntur ex contractu,uel quaſi, aliquando tamen nec hodie dantur in hæredes ut Inſtitut. de perpetuis & tempor. act. quæ ex maleficio,uel quaſi naſcuntur:licet regulariter hæredibus tribuuntur. In hæredes non dantur,niſi quid ad eos peruenerit, uel ubi lis conteſtata, uel quaſi, contra deceſſores fuerit, ut ff.de obligat.l.conſtitutionibus. Aliquando tamen hæredibus non dantur,niſi prius lite conteſtata,puta iniuriarum: etſi agitur de homine libero occiſo.etſi quæ ſimiles inueniantur, ut Inſtitut. de perpetuis & tempora. actio.

NE VXOR PRO MARITO, VEL MARITVS PRO VXORE, uel mater pro filio conueniatur. Tit. xij.

SVprà in titulo tertio legitur, colonum ex contractu locationis conueniri nõ poſſe,hinc ſumpta occaſione crederet forte quis propter nimiam conuentionem,& adfectionem,matrem pro filio conueniri poſſe, & uxorem pro marito, & maritum pro uxore,ideo audiamus in contrarium proditum. Et quidem mater pro filio uiuente conueniri non poteſt, etiamſi pro eo interceſſerit: niſi filius matris creditor fuerit,ſed nec pro eo mortuo:niſi ei ſucceſſerit. Vxor quoq; pro uiro uiuente,etiamſi pro eo non ſuo creditore interceſſerit,non conuenitur: niſi in dotalibus bonis mariti primipilarij non ſufficientibus. Sed nec pro uiro mortuo uxor conuenietur,niſi pro eo interceſſerit. Maritus quoq; pro uxore ſuperſtite non conuenitur, niſi pro ea interceſſerit,ſed nec pro ea defuncta:niſi ei hæres extiterit. Quippe certiſſimum eſt ex alterius negocio, uel delicto neminem obligari iure ciuili. licet aliquando iure ciuili. licet prætorio principaliter. licet aliquando ſecundariò directo:niſi in pecunia numerata. licet aliquando utiliter hæc ita,quandiu uiuit is, qui contraxit, nempe eo defuncto, eius hæres etiam utiliter,& directò experietur & conuenietur.

NE FILIVS PRO PATRE, VEL PATER PRO FILIO emancipato, uel libertus pro patrono conueniatur. Titulus xiij.

NEq; filiusfamiliâs, uel emancipatus, pro patre ſuperſtite conuenitur: niſi pro eo interceſſerit, neq; pro eo defuncto: niſi quandoq; pro eo interceſſerit, uel niſi ei ſucceſſerit, ut C. de primipil. l. ult. Sed nec pater ꝓ filio emancipato conuenietur: niſi pro eo interceſſerit, uel niſi ei ſucceſſerit. Sed nec pro filiofam. delinquente pater conuenitur, ſed nec contrahente: niſi de peculio, ſed nec ſic in matrimonio contra ſe celebrato. Pro quaſi cõtrahente quoq; filiofam. ad minus pater conuenitur uel de peculio. Sanè pro filio ad munus uocato pater inſolidum conuenitur, ſi expreſſim conſenſit, ſi præſens nõ contradixit: alioquin tantum de peculio tenebitur, uel pro eo niſi expreſſim fideiuſſerit, uel niſi ei defuncto ſucceſſerit, ut Cod. eod. l. patris. Patronus quoq; pro liberto, uel libertus pro patrono, ſecundum ſuperiores diſtinctiones non conuenitur, ut C. eod. l. ult. In ſumma notandũ eſt, quòd iure nouo ſiquis alium pro alio uiolenter exegerit, extortum uim paſſo in quadruplum reſtituit, & actionem ſuã amittit, ut Cod. eodẽ. Item illud ſciendum eſt, ſi proconſulis uxor cũ eo proficiſcens in prouincia deliquerit, ſpeciali cenſura proconſul pro ea ſatisfacere debebit, ut ff. de off. proconſ. l. iiij.

AN SERVVS PRO SVO FACTO POST MANVMISſionem teneatur. Tit. xiiij.

DIximus ſuprà alterum pro alterius contractu non obligari, eundem ipſum ut ſeruum factum quondam liberum, ex ſuo facto quandoq; non poſſe cõueniri. Et quidem diſtinguitur ſeruus amiſerit negocium, uel perpetrauerit delíctum. Si ſeruus contraxerit, uel quaſi, liber factus non conuenitur: niſi in adminiſtratione connexa perſeuerauerit, uel niſi pecuniam pro libertate promiſerit, uel niſi cum geſſerit negocia defuncti, ex eius teſtamento dicto inofficioſo, contra rigorem in libertatem rapiatur, ut ff. de nego geſt. & Cod. eod. l. iij. & Co. de pet. hære. l. ult. Vbi deliquit ſubdiſtinguitur, deliquerit in extraneum, uel in dominum. Si in extraneum directò liber factus conuenitur: niſi dominus noxaliter primò fuerit exactus. Si deliquit in dominum dominamúe, nec liber factus inquietabitur. Excipi forte poteſt, niſi ſtatuliber ſpe libertatis imminentem hæreditatem expilauerit, tunc enim actione in factum in duplum urgebitur, ut ff. ſiquis teſt. liber iuſſus l. j. In ſumma notandum eſt, quòd ſeruum in dominum delinquentem dominus poterit conuenire, non actione ſuperiori, ſed uerberatione, & criminum delatione, ut C. eodem. l. ult. Hæc eſt ſecunda iudiciorum, eſt & tertia ſimplicium uerborum, eſt & quarta locorum, eſt quinta pactorum conuentorum.

QVANDO FISCVS VEL PRIVATVS DEBITORIS SVI DEBITORES conuenire poſſit. Tit. xv.

DIximus in ſuperioribus quod regulariter ex alterius cõtractu, quis nec cõuenitur, nec experitur. Ecce enim ſi debitor fiſci uel priuati condemnatur, nec cõdemnati bona corporalia ſufficiunt, miſſus fiſcus, priuatusúe, in qua ſi poſſeſſionem nominum ſui debitoris, utiliter exiget: uel nomen illud, prout iudici cõmodius uidebitur, diſtrahet, ut ff. de re iudicata l. diuus. multo fortius

ſi in

ſi in illa corpora condemnatus fuerit: ita tamen uera ſunt quæ dicta ſunt, ſi debitores principales idonei non appareant, ut C. eod. l. non. & ita demum, ſi is q conuenitur non inficietur ſe eſſe debitorem debitoris condemnati, ut Cod. eodem l. ij. & iij. Idem fiet ſi malignè inficietur, ut ff. de re. iudica. l. vj. à diuo Pio Latitantis quoq; debitoris debitor ſimiliter excutitur. In ſumma notandum eſt, quòd in ſolutum nomine dato creditor actione utitur, ſi ſibi mãdetur: alioquin ſuo nomine utiliter experitur. ergo aliud eſt nomē dare in ſolutum, quàm mandare, ſiquidem primum eſt, ut in ſolutum detur. ſecundum eſt ut mandetur. tertium eſt ut utiliter intendatur. Qualiter autē dare quo ad uerba ſit aliud, quàm mandare ſubtiliores explorent. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd ſi ſit mandatum, utriq; datur directa, & mandatum poteſt reuocari: niſi ut excipiatur, Cod. de noua l. iij.

DE ACTIONIBVS HAEREDITARIIS. TIT. XVI.

EXpoſuimus ſuprà quòd alter ex alterius contractu regulariter nec experitur, nec conuenitur: nunc audiamus iure hæreditario in contrarium proditum. Ergo diſtinguitur utrum is ex cuius negocio directò agere uolo uiuat, an obierit: nam ſi obijt, & ei ſucceſſi, directò & experior, & conuenior pro parte hæreditaria. Excipitur, niſi pignus ab uno ex hæredibus poſſideatur, ut C. eod. l. j. & ij. Idem ſi res commodata, uel depoſita poſſideatur. idem fit ſi res indiuidua ſit, ut ſi ſeruitus petatur, ut ff. ſi ſeruit. uindi. l. loci. hæreditariæ autem actiones propriè dicuntur, quæ à defuncto, uel ab hæreditate, non ab hærede, cœperunt. Abuſiuè tamē hæreditarius debitor dicitur, quiſquis ideo debitor eſt, quia hæres, ut Cod. eod. l. ſub prætextu. In ſumma notandum eſt, quòd ſi creditor ſolus ſucceſſerit debitori, prorſus confunditur actio: ſi cum alijs ab illis pro parte poterit exigere, niſi prohibitus ſit petere, ut C. eod. l. ij. & vj. & C. de hæred. inſtituen. l. ſi compenſandi. Item in ſumma notandum eſt, quòd hi qui ſuccedunt in ius, id eſt hæredes, cõueniuntur actionibus hæreditarijs, non qui ſuccedunt in rem, ut donatarij, legatarij, ut Cod. eo. l. ult. Item in ſumma notandum eſt, pupilli ætatem non differre exactionem aduerſus ſe competentem, propter deuolutam ad ſe hæreditatem, ut Cod. eod. l. v. Item ſciendum eſt, quòd hi qui ſuccedunt in ius unius, id eſt hæredis conueniuntur actionibus hæreditarijs, nō qui ſuccedunt in rem, ut donatarij, legatarij, ut C. eod. l. ult. Excipitur, niſi legatarij uenerint & rerum creditoribus obligatorum præcipua perceperint, ut Co. de iur. deliberand. l. ult. Superiora uera ſunt ſi perſonalis conuentio ſit, quippè omnes poſſeſſores: ergo & legatarij, hypothecaria conueniuntur.

EX DELICTIS DEFVNCTORVM IN QVANTVM hæredes conueniantur. Tit. xvij.

DIſtinguitur defunctus deliquerit in negocio, uel extra, ut rapiendo. Si in negocio, hæres etiam ſi nil ad eum peruenerit, in ſolidum urgebitur: non tamen ſemper in tantum, in quantū defunctus, ſi uiueret, urgeretur: puta in tutela in quodam caſu, ut C. de hæred. tutor. l. j. & Inſtit. de act. Si extra contractū, uel quaſi, defunctus deliquit, hæres non tenebitur: niſi ad eum peruenerit, uel eius deceſſorem lite conteſt, uel quaſi, ut Co. eod. Quid ergo dicemus quod ff. ui bono. rapt. l. ij. § ult. legitur, prætorem nō eſſe pollicitum ui bono. rapt. actionem, quia putauit ſufficere condictionem? ſic exaudio, licet prætor nō polliceatur, tamen datur, uel nec datur, ſi per condictionem exigatur.

DE CONSTITVTA PECVNIA. TIT. XVIII.

EXpoſuimus ſuprà, quod alter ex alterius contractu, ciuiliter & regulariter non conuenitur, ſed nec iure prætorio: niſi dominus paterùe, nunc audiamus qualiter hoc fiat. Etiam aliâs ex alterius negocio alius cõuenitur iure prætorio, & quia hoc fit per conſtitutionem pecuniæ, de conſtituta pecunia audiamus. Videamus itaq; quid ſit conſtituere, qualiter conſtitutio fiat, quis conſtituat, per quem, cui, quid conſtituatur, quis ſit effectus cõſtitutionis, & quæ differentia fuerit inter actionem nouam de conſtituta pecunia, & ueterem recepticiam, & qualis ſit hæc actio. Conſtituere eſt debitorẽ ſe facere, hoc fit nudo pacto ualido, non ſtipulatione inutili: tunc enim nec ex ſtipulatu ſtipulator agit, licet uoluit, quia non potuit: nec de conſtituta pecunia, licet potuit, quia non uoluit, ut ff. eod. l. ij. Conſtituit pro debente is qui non debet, non impubes ſine tutore, fœmina non intercedens, paterfam. filiusfam. Conſtituitur quoq; pro ſe quis, ut ff. eod. pro debente tantum conſtitutio fit: ita tamen ſi pecunia iuribus ſit debita, id eſt uel naturaliter tantum, uel utroq; modo, iure quippe ſi ius prætorium, ut exceptio non numeratæ pecuniæ, ſuppetit, conſtitutio nõ procedit. Conſtituitur debitum & purum, & conditionale, utrumq; conſtituitur, & pure & ſub conditione, ut C. eod. l. ij. Sanè conditionalis debiti purè conſtituti exactio deperit, ſi conditio deficit, & eſt hoc notabile, ineſt enim conditio tacita, ut ff. eod. l. id quod. Indebita non conſtituuntur. Conſtituitur creditori, & eius procuratori, tutori, curatori, ac pro filio pater, pro ſeruo dominus. Hic effectus eſt conſtitutionis ut quæ aliâs peti nõ poterant, facta cõſtitutione, peti ualeant, ut ff. eodẽ. l. iij. Competit autem exactio per hanc actionem, etiamſi ſecus ſit in ſtipulatione: demum poſt decem dies, quæcunq; ſit ratio, ut ff. eod. l. promiſſor. Olim tres differentiæ erant inter actionem de conſtituta, & actionem de recepticia pecunia, cum actio non niſi pro quantitatibus competebat, receptitia etiam pro ſpeciebus intendebatur. Item pecuniæ conſtitutæ actio, quandoq; erat temporalis, receptitia ſemper erat perpetua. Amplius in receptitiam ueniebãt etiã indebita, per actionem de conſtituta pecunia nec olim exigebantur niſi debita. Verum actione receptitia exulare iuſſa, hodie tantum de pecunia cõſtituta ſemper pecuniam, exigunt duntaxat, etiam debita etiam in ſpeciebus conſiſtentia. Ex prædictis colligere licet quia hæc actio eſt perſonalis, & tricennalis, & hæredi datur & in hæredem, ut C. eod. l. ij. & iij. Eſt & prætoria. In ſumma notandum eſt, quòd perſonale remedium datur conſtitutoribus, ſicut fideiuſſoribus, ut C. eod. l. ult. Sed ſciendum eſt illud, quòd conſtituuntur non tantum quantitates, ſed etiã ſpecies, inſtrumenta quoq;, ut C. eo facta quoq; reſtituuntur, quia repente conſtituit, ſe fideiuſſurum, ſe pignus daturum, irrepſit enim utilitas pignorum, alium quoq; pro ſe fideiuſſurum conſtituit, liceat uideatur promitti factum alienum, ut ff. eod. l. ſi uero. Item illud ſciendum eſt, quod dicitur procuratori poſſe conſtitui, ita debet intelligi, ut ſi conſtituatur ita, quod procuratori dabitur, & mandanti alij, nil agit: & eſt utilis, et per quàm neceſſaria iſta diſtinctio. Porrò ſi ita conſtituatur, quòd ſoluetur tutori, curatori, municipum actori, ſiue pupillis, ſiue adultis, ſiuè municipibus, non diſtinguitur, & de conſtituta agitur à pupillis, ab adultis, à municipibus, ut ff. eodẽ. l. cum. In ſumma notandum eſt quoq;, quòd ita demum hac quis actione tenetur, ſi perſonaliter de ſe pollicetur: alioquin imperſonaliter de ſe loquendo non obligatur, ut C. eodem authent. ſiquando.

DE PROBATIONIBVS. TIT. XIX.

QVia in cauſis quæ inſtituuntur per actiones, de quibus dictũ, & per actiones de quibus dicendum, opus eſt ut audiamus de probationibus. Videamus itaq; quid ſit probatio, unde dicatur, quis probare debet, quis non, cui probetur, & qualiter id, quod probatur, multipliciter diſtinguatur. Probatio eſt rei dubiæ per argumenta oſtenſio. dicta eſt probatio à probè aduerbio. probè enim agit is, qui probat. Is probare debet qui dicit, non qui negat factum. Negantis enim factum per rerum naturam, id eſt p cauſarum conſuetudinem, nulla eſt probatio, non dico quod nõ poſſit probare, ſed dico quod non compellitur probare. Ex quo enim cauſæ fuerunt, inſtitutũ eſt, ut probationis onus, actoris, non rei ſit munus, aliquando tamen reo probare uolenti mos geritur, ut ff. eod. l. circa, aliquando quoq; ex neceſſitate ab actore in reum probationis primò transfertur moleſtia, ſicut in ſequentibus declarabitur. Negans ius ut emancipationem non ritè factam, probare debet, ut ff. eod. l. iiij. Quod autem ſuperius dixi incumbere probationem dicenti, non neganti, ita intelligo, ſi par ſit utriuſq; conditio, id eſt ſi ex altera parte creditum, nõ præſumatur. Hinc locutio illa ſimilis eſt. Actor rei forum ſequitur, non reus actoris: niſi pro actore ſit contractus uel delictum. Sub compendio regula prædicta intelligitur, niſi ex altera parte præſumatur, inquit, os aureum hanc regulã exaudio, nullo adhuc credito. ergo cõmodè ſcriptũ eſt. ei incumbit probatio qui dicit, non ei qui negat: quaſi ſcriptum fuiſſet, actori incumbit probatio, nõ reo. Nam reus ſæpe probare compellitur, nõ actor: puta ſi reus excipit, ut de pacto, uel quaſi excipit, ut de ſoluto, uel ſiquid aliâs pro actore faciat. Transfertur eñ probatio ab actore in reum, aliâs propter delictum, aliâs propter præſumptionis adminiculum, aliâs propter perſonæ priuilegium. propter delictum ita, ſi actor dicit ſe indebitum ſoluiſſe, & reus negat ſe ſuſcepiſſe: conuictus, quia ſuſcepit, probare debebit, quòd debitum accepit. Ratione præſumptionis transfertur probatio, ſi tutor qui nõ adminiſtrauit, uel eius hæres probauerit, collegam qui adminiſtrauit, tempore depoſiti officij ſoluendo fuiſſe: eo enim probato, periculum pertinet non ad tutorem, qui non adminiſtrauit, ſed ad curatorem. Cũ is qui adminiſtrauit modo non ſit ſoluendo, retro non ſoluendo fuiſſe præſumitur: & ideo is qui non adminiſtrauit, contrarium monſtrare compellitur, ut Co. eod. l. iij. Ratione perſonæ transfertur probatio, ſi perſona actoris priuilegiata dicit ſe ſoluiſſe indebitum, tunc enim is qui accepit oſtendere debebit ſe accepiſſe debitum: hoc ita, ſi totum qui ſoluit dicat fuiſſe indebitum, ſin autem pro parte hoc dicit, etiam minor ad indebiti probationem artatur, ut ff. eodẽ. l. cum de. Aliâs etiam in prædictis caſibus actori incumbit probatio, non reo, tribus regulis interuenientibus, ubi eſt emolumentum ibi debet eſſe onus. actore non probante, uel quaſi, reus obtinet. Res alienas poſſidens non niſi intentionem ſuam implenti reſtituere cogitur, ut C. de re uin. l. ult. Probandum eſt iudici, non aduerſario: licet in Dialectica diſputatione aduerſario probetur, & aduerſarius quaſi iudex ſit. Probatur id quod legitimè in quæſitionem uenit, & quod probari debet. ideo dixit legitimè, quia ſi quæratur non de pecunia, non de crimine, iudicium non agitur. Ideo dixi id quod probari debet, quòd de re iurata & iudicata, regulariter amplius quærendum non eſt. ergo duntaxat quæſtio legitima, quæ eſt quadripertita, iudicio diſcutitur, id eſt quæſtio facti, nominis, iuris, fori, argumentis probatur. Horum quædam ſufficiunt, quædam proficiunt. Sufficiunt in numero legitimo non reprobati teſtes, inſtrumenta publi-

ca ritè facta. Inſtrumenta priuata in proprium præiudicium emiſſa,ut apochæ, antapochæ. Proficiunt priuatæ atteſtationes,& annotationes, quibus quis dicit ſibi deberi,uel aliquid eſſe,uel non eſſe,hoc enim non ſufficit,licet à moriente dicatur,ſed ꝓficit. Excipitur niſi teſtator iurauerit,ſe minus reliquiſſe, quàm dixerit: tunc enim præiudicabitur hoc omnibus,præſertim filijs,non creditoribus: id enim quod teſtator dixit,uel iurauit,hæres dixiſſe creditur uel iuraſſe,q̃ eſt alter ipſe,ut authen. de iureiurando à moriente præſti, ita authent. intelligo hæredes non debere inquirere,ſi opus ſit laborioſa inquiſitione, ſiquid ſubtractatum ſit,ne deceſſores ſe ipſos inueniantur de periurio arguere. Cæterum ceſſante agone,& laborioſa inquiſitione, ſiquid ſubtractum apud cohæredem inueniatur,ab alio rectiſſimè partialiter poſtulatur. Porrò etiam poſt patris iuramentum, filij inquirere poterunt amplius eſſe apud extraneum, quàm à patre fuit iuratum. Præſumptiones quoq; nõ ſufficiunt, ſed proficiunt,ut teſtes unus cum ſuſpicio iuſta adeſt. Quandoq; ſcripto,interdum etiã ex ſola præſumptione: niſi ante contrarium probetur, quàm ſententia detur,ut ſi chirographum inueniatur cancellatum. Si expreſſe ſcriptis ſe debere quis cauerit. Si poſt tres ſcriptas denunciationes cum uxore aliena quis colloquium habere inuentus fuerit ut C. de non numerata pecunia. authen. generaliter. Aliâs uerè probatur, aliâs quaſi probatur: ſicut aliâs excipitur,aliâs quaſi excipitur: & ſicut aliâs quis eſt u erè prædo,ut C. unde ui l. ſi quis in tantam, aliâs quis licet propriè nõ ſit prædo,cenſetur & punitur ut prædo,ut Co. unde ui l. non ab re,& l. cum quærebatur. In ſumma notandum eſt,etiam per quæſtiones rem dubiam aliquando probari. Item filius ſi neget ſe in patris poteſtate conſtitutum,probare debet ſe fuiſſe emancipatum,ut ff. eod. l. ſi filius. Item per pactum de non petendo factum, ſi debitoris hæres conuentus excipit,non ipſe,ſed petitor probabit: quòd nõ de debitoris conuenerit hærede,ait Celſus, hoc ideo: quia plærunq; tam hæredibus noſtris,quàm nobiſmetipſis cauemus,ut ff. eod. l. ſi pactum. Vt puto melius dici potuit,quia creditor contra hæredem debitoris,qui excipit,replicationem obijcit: ſed qui excipit & dicit ſe non reſpondiſſe,nõ probat, ſed is qui agit ut ff. eod. l. quoties. Hoc ideo quia qui excipit,ſimpliciter factum negat. Item illud ſciendum eſt,quòd ſicut legatarius probare debet, defunctũ ſciſſe alienam ſe rem legare,uel quid ſimile,ut duplicaret uoluiſſe: ita hæres nõ legatarius probare debet defunctum uoluntatem mutaſſe, ut ff. eod. uerius l. cum. Item illud ſciendum,quòd propter iuſtam præſumptionem iudex abſoluit, ut ff. l. procula. Sententia ergo datur per probationem ut per inſtrumẽta, per teſtes aliàs per præſumptiones, aliâs per conſentientem famam, propter præſumptionẽ iuſtã, aliâs ex eo ſolo,quia iudici liqueat,puta ut lenonem repellat,ſuſpectum tutorẽ remoueat. In ſumma quoq; notandum eſt, quòd probatio uincet præſumptionem,ut ff. quod met. cau. l. non eſt. Præſumptio quoq; per aliam præſumptionem uincetur,ut ſuprà quod met. cau. l. nõ eſt. Siquis ei, qui uſq; ad certum modum capere poterat,reliquit: deinde ita dicit, multa alia quæ mihi pertulit, eidẽ do lego. hoc in caſu, is, pro quo ubicunq; præſumitur, ſuccumbit: niſi probauerit prædicta ex ratione ſua ad teſtatorem perueniſſe. uidetur enim eò quod ille plus capere non poterat, in fraudem legis hoc in teſtamento adieciſſe, ut ſuprà eo l. qui teſtamentum. Eſt autem præſumptio aliâs legittima, ut C. ad Mace. l. ult. & Co. de pig. act. l. ult. hæc infringi non poteſt,ut ff. quod. met. cauſa l. ult. & de pignorat. act. l. ult. In ſumma notandum eſt, quòd hæc non ſufficiunt, priuata & propria ſcriptura creditoris, honorum culmina, uelut ad fratrem miſſa epiſtola, Arbiter petitus pro ancilla, nuda adſeueratio, uel ementita profeſſio, uiolenta detruſio, inſtrumentorum ſubtractio, neq; liberorum conniuentia con

iunctis

iunctis neceſſitudine præiudicat, ut Cod. eod. l. cum te l. neq; & l. non & l. uis l. ſiue l. ad probationem. In ſumma notandum eſt quoq; illud, quòd & in accuſationibus opus eſt probationibus luce clarioribus, ſiue inſtrumẽtis indubitatis, ſiue teſtibus uiginti annis non minoribus, ut Cod. eod. l. ult.

DE TESTIBVS. TITVLVS XX.

EXplicauimus de probationibus in genere, nunc audiamus de ipſis per ſpecies: & quia probationis duæ ſunt ſpecies, teſtimonia, & inſtrumenta: & dignior eſt teſtium uox uiua, quàm inſtrumentorum uox mortua, de teſtibus primò loquamur. Videamus itaq; ſit ne priuatum, uel publicũ teſtificandi officiũ: Et qui excuſentur, ne teſtificentur, qui reijciantur, qui admittantur, qui cogantur, quando debeant iurare, & qualiter, & quoties produci poſſint. Et quidem conſtat quòd teſtificandi officium publicum eſt. Coguntur enim teſtes ut teſtificentur, & recognoſcant ſigna ſua, ut ff. de tabu. exhi. l. penult. & Cod. eod. l. parentes & l. libertorũ, nam & nominatim ad honores tutelæ ſuæ extra ordinem pignoribus captis cõpelluntur. Sanè furem indicare nemo cogitur: quippe pretium inuentionis ritè quis accipit, ut ff. de præſcriptis uerbis l. ſolent, & ff. de furt. l. falſus, nec enim ſeruum fugitiuum celat qui non indicat. Excuſantur à teſtimonio quidam propter morbos, quidam propter adfinitatem, uel cognationem, ſocer contra generum, uel econtra excuſatur, id eſt, non cogitur, ſed admittitur, ut ff. l. lege. & l. inuiti. Sunt multi alij qui reijciuntur, aliâs ipſo iure, aliâs per officium. Ipſo iure impuberes, & in accuſationibus xx. an. minores, & in iudicio publico damnati, & priuatis quibuſdam: & qui in uinculis publicis habentur, & qui, ut cum beſtijs ut depũgnaret, ſe locauerit: & qui palam corpore quæſtum fecerit, & qui ob teſtimonia pecuniam acceperit: parentes quoq;, & fœminæ contra filios etiam emancipatos non audiuntur: nec econtra, nec mulieris in teſtamentis, nec aliqui in re ſua uel principaliter uel ſecundariò: exceptis legatarijs, nec hi qui in alia cauſa etiam ciuili, quondam teſtimonium dixerunt in eum, in quem modice geſtiunt. Sed nec hi, qui de domo propria producentis producuntur, ritè teſtificantur, ſed neq; patroni cauſarum illis quibus patrocinati ſunt, teſtimonium dicunt: forte nec contra eos, ut ff. eod. l. ij. & l. teſtis l. nullus l. quæſitum l. ex eo l. ob carmen l. produci l. teſtes l. mandatis. Officio iudicis repellitur effrænata teſtium multitudo, ut ff. eod. l. j. Repellitur amicus & ualde inimicus, ut ff. eod. l. iiij. aliquando tum inimicus ſummæ opinionis admittitur, ut ff. de quæſt. l. j. Item officio iudicis repelluntur & hi, qui unũ & eundem ſermonem præmeditatũ dixerunt, qui falſa uel uaria teſtimonia dixerunt, uel utriq; parti prodiderunt: quapropter à iudicibus puniuntur, ut ff. eod. l. qui falſa. Cæteri coguntur. Epiſcopi tamẽ iurati teſtimonium dicant: nec admittuntur, nec coguntur Hæretici uel Iudæi contra catholicum: niſi in caſu unico, nec apoſtatæ qui ſunt plus quàm hæretici. Iurare debent teſtes poſt litem conteſtatam, non antè: niſi forte ex cauſa magna, ut C. eod. authen. ſed & ſiquis. Iurare debet prorſus ita eſſe, id eſt ſe uidiſſe, & audiuiſſe, & ſub præſentia ſua ſolutum fuiſſe, ut C. eod. l. teſtium. Iurare quoq; debent ea parte præſente, uel contumaciter abſente, contra quam producuntur. Item illud ſciendum eſt, quòd ſeruus non ideo minus iurare debet, ſi ſeruus dicatur, qui libertus creditur, inſtrumento libertatis exhibito, & cauſa criminis erat cœpta, prius finiatur quàm iuret. Si uero ex lite pecuniaria, uel aliter eſt odioſus teſtis dicitur, illico teſtificetur, ut Cod. eod. authen. ſi teſtis. In omni iudicio: niſi amplior numerus exigatur, ſufficiunt duo. Produci poſſunt teſtes ad omne iudicium ab eodem, et in eundem, in

quantum forte licet:& non niſi duplex, & uix duplex dilatio datur. Quippe in una & eadem continuata cognitione, teſtes & ijdem & alij ſæpe poſſunt produci. Plus quàm quatuor quis producere non poteſt. Quatuor poteſt producere ubi nulla data eſt dilatio, ſiue negata: uel ubi data eſt, uel una, uel alia: ſed tamē non ſemper quis poteſt producere quater, quia licet quater, nō tamen ſequitur quòd ſemꝑ quater. Nam ſi negata eſt dilatio omnis, uel poſt primā ſecūda, uel poſt ſecundam tertia: ſiue antea nec ſemel quis produxerit, ſiue ſemel, ſiue plus quàm ſemel, amplius producere teſtes non poteſt: niſi appelletur, uel niſi iudici iudex ſubrogetur. Ergo quandoq; tantum ſemel, quandoq; etiam plus quàm ſemel: uel bis, ter, quater, ſed non plus quàm quater. In ſumma notandum eſt, ꝙ nec ſerui, niſi quandoq; in teſtamentis, nec infamis, teſtificantur: niſi forte in criminibus maximis, nec iudices durante cauſa, in qua ſunt iudices: ſed nec mediatores niſi utraq; parte uolente. Sed nec teſtis unicus ut ſecundum eum iudicetur audiatur, ſed per eum quandoq; multum præſumitur, & eſt argumentum, ut ff. de iureiuran. l. ſi duo. Primò teſtes inuiti ultra dies xv. nō ſunt detinendi. ut C. eo. l. ſiquando. Quid dicemus, ſi teſtibus productis uelit ne petere teſtes uiuentes iteratò produci, nec eorum teſtationes, ueluti nunc in iudicio factas admittere? hoc ultimum in teſtibus defuncti neceſſe habet facere: teſtes tum etiam mortuos, & eorum dicta, poterit arguere: nec enim expetit uindictam, ſed laborat ad repulſam, ut C. eod. l. ult. hij debent teſtificari quorum fides non uacillat, ut ff. eod. l. j. Qui non excuſantur, nec iure reijci poſſunt, utiq; coguntur. Eſt enim hoc edictum prohibitorium, ſicut de procuratoribus, ut ff. de procurat. l. mutus. In cauſa criminis, teſtiū præſentia nō teſtimonijs utendum eſt, ut ff. codem l. iiij. & C. de fide inſtrumen. l. iudices & authen. apud. Item in ſumma notandū eſt, in cauſa criminis magiſtratus ſi ſunt præſentes, teſtimonium dicere compelluntur. Item ſi plures ab utraq; parte producuntur, his credendum eſt, qui teſtimonia nō proximiora dixerunt, non enim ad multitudinem reſpici oportet, ſed ad paucitatem etiam teſtium, quibus ueritas adſiſtit, ut ff. eo. ob carmen. Executores quoq; ut rogati repelluntur, ut ff. eod. l. ult. Item illud ſciendum eſt, quòd licet non generaliter in contractibus, uel quaſi, teſtes ad contractum oporteat acciri, ubi tamen ſoluitur debitum in ſcriptis contractum, opus eſt, ut teſtes ſint rogati. Idem eſt, ſi poſt ſolutionem uerè celebratam, uel quaſi, creditor dicit factam fuiſſe, teſtes rogati interſint confeſſioni creditoris dicentis ſibi pecuniam ſolutam eſſe. Idem ſi debitor profiteatur pecuniam à ſe debitam eſſe, quippe tūc teſtes quinq; quandoq; rogati exiguntur, ut authen. In ſumma amplius notandum eſt, quòd examinatio teſtium, non per leges, ſed per Danielem introducta eſt, à Salomone legatorum repetitio, cū Suſanna ait, Hic filius meus uiuit, tuus autem mortuus eſt, & hæc alia dicit, imò tuus mortuus eſt, meus autem uiuit, & poſtea ſententiam tulit, per dominum quoq; in terra ſcribentem, forma ſcribendi ſententias introducta eſt, & per eundem inductum eſt, ut iudex non niſi per allegata iudicet, niſi aliàs nouerit ueritatem. Amplius ſciendū eſt, quòd nuſquam legi, quòd ſiquis aliquid uiderit ante pubertatem, poſſit de eo teſtificari poſt pubertatem. Et nuſquam legi, quòd teſtes debeant iurare, quòd dicent cōtra eos, qui produxerint ſe. Et nuſquam legi in legibus quòd alter teſtis alterū audire non debeat. Et nuſquam legi, quòd ſeruus olim de eo quod uidit, quod cum ſeruus eſſet, poſſit liber factus teſtimonium reddere, niſi in teſtamentis. Et nuſquam legi, quòd unus teſtis admitti debeat, uel ad præſumptionem. Et nuſquam legi, quòd conſobrinus pro conſobrino poſſit, uel non poſſit, uel uolens uel nolens teſtificari, uerum legi ne ei inuito, teſtimonium denuncietur contra conſobrinum. Si inferatur ergo, ſi uoluerit pro eo teſtificabitur? reſpondeo, nō ſequi-

ſequitur. Et nuſquam legi quòd coniunx pro coniunge poſſit, uel non poſſit teſtificari. Et nuſquam legi de teſtibus reprobatis quòd poſſint, uel non poſſit, teſtificari in alio iudicio. Et nuſquam legi quod tempus & locum ſemper & cotidie dicant. Et nuſquam legi, quòd teſtis productus pro aliquo capitulo, non poſſit etiam à producente, in eadem cauſa produci ſuper alio capitulo. Et nuſquam legi, quòd is contra quem teſtis productus eſt, non poſſit poſtulare, ut eũ ſibi liceat, etiam in eadem cauſa, pro ſe producere. Et nuſquam legi, quòd is qui produxit duos pluresúe teſtes, poſſit iudici dicere quod ad alios producet aut non. Et nuſquam legi, quòd quis tempore negocij, uel delicti probet, nunc improbet, debeat admitti. Et nuſquam legi, quòd ſuper uno quoq; capitulo, quaterna productio poſſit fieri.

DE FIDE INSTRVMENTORVM, ET AMISSIONE EORVM, & apochis, & antapochis faciendis, & de his, quæ ſine ſcriptura fieri poſſunt. Tit. xxj.

EXplicito tractatu probationis, quæ inducitur per uocem uiuam, ſubijciamus de ea probationis ſpecie, quæ fit per uocem mortuã, id eſt per ſcripturam. Videamus itaq; qualiter conueniat, & differat, quid intelligatur hoc nomine inſtrumenti, unde dicatur inſtrumentum, quot ſint genera inſtrumentorum, & qualiter inſtrumẽtis fides imponatur, & per quos. Regulariter idem poſſunt uox uiua & mortua, ut C. eo in exercendis. Potentior eſt uox uiua in teſtamentis: ſed ſi teſtes plures ab eodem producti, uana dixerint, his creditur, qui uerisimiliora protulerint: econtrà in chartis contrarijs ab eadem parte prolatis, ut C. eo. l. ſcripturæ, hoc tamen intelligo ad producentis commodum. Potentior eſt uox mortua quàm uiua in multis. Ecce enim in emphiteuſi, in donationibus ultra quingentos ſolidos, & C. ſi minor ſe maio. dixe. l. iij. et C. de teſti. l. teſtium, & C. de non nume. pecu. l. generaliter, & C. de ſuffragijs, & in teſtamento cæci. Et tabellionis inſtrumentum ſufficit, licet eius nõ ſufficiat teſtimonium. nam & teſtator rumpit teſtamentum, ſi rumpit linum: non ita, ſi tantũ dicit teſtamentum ſe nolle ualere. Et cenſuales profeſſiones & acta teſtibus eſſe potiora ſenatus cenſuit, ut ff. de probat. l. cenſus. Inſtrumentum hic appellatur quod ſcriptis continentur. aliâs quidquid inſtruit, ut ff. eod. l. j. Dictum eſt autem inſtrumentum ideo, quia per id inſtruimur. Inſtrumentorum quædam ſunt publica, quædam priuata. Publicum tribus modis dicitur, aliâs forma, & non utilitate, aliâs utilitate & non forma. lectoris diligentia ſibi quærat exempla. Item publica dicuntur inſtrumenta, non tantum ea, quæ per tabellionem conficiuntur, ſed & ea, quæ acta ſiue geſta uocantur. Item inſtrumentorum quædam ſunt priuata omnino, & nullo modo publica, omnino & nullo modo priuata, quædam priuata & publica ſunt. Inſtrumentis fides imponitur, ut faciant fidẽ, & per teſtes, & per literarum comparationem. Hij autem comparabunt literas cum literis, qui comparare nouerunt, & iurabunt, quòd ſine malicia comparabunt. Fit autem comparatio ex quinq; generibus inſtrumentorum. Ex his inſtrumentis quibus aduerſarius tantum utitur, ritè pro te comparatio fit. Item ex charta quæ profertur ex archiuo publico, & habet teſtimonium publicum. item ex forenſibus inſtrumentis. item ex publico. Aliâs item ex chirographis trium teſtium ſubſcriptiones habentibus: ſi tamen de his dubitetur, omnibus iurantibus teſtibus, uel ex duobus, chirographa probabũtur, ut in authen. de his qui ingred. ad appell. § ſi uero etiam ex publicis: ſi forte teſtes nõ iurauerint, per collationem aliarum tamen literarum fit cõparatio. Quid ergo dicemus, quòd teſtes quando iurant,

an de ſola ſubſcriptione aut totali cõfeſſione iurant? ut iurent de totalitate, non uidetur quod poſſit procedere: uix enim contingit ut teſtes totaliter inſtrumenta conſcribant, ſed & ſcribunt cum anfractibus. Sed & cum teſtes ſola ſubſcriptione iurant, non uidetur quod rectè comparatio fiat. Si tamen contractus in ciuitate fiat ſoli comparationi non credetur, ut C. eo. l. etſi. Probatur inſtrumentum falſum per eum contra quem producitur, ſi apparet in prima figura: nec is, qui producit, neceſſe habet probare quòd ſit uerum. Porrò ſi non eſt in prima figura cum ſit iudici ſuſpectum, à producente probandum eſt, quòd ſit uerum, ut C. eod. l. penult. & C. de fal. l. ult. In ſumma notandum eſt, quòd iudex non debet alligare animum ſuũ ad unicam probationis ſpeciem, ut ff. de teſti. l. iij. Exceptis ergo caſibus, qui excepti ſunt, non obeſt, ſiue inſtrumenta non fuerint confecta, ſiue facta fuerint perdita: dummodo fides aliàs eſſe poſſit comperta, ſiunt enim ſcripturæ non ut per eas ueritas ſubſiſtat, ſed ut per eas ueritas probetur, ff. eod. l. in re, & ff. de pigno. l. contrahitur, & C. eo. l. j. & l. ſtatum, & l. inſtrumentis, & l. cum inſtrumentis, & l. emancipatione, & l. non. Item in ſumma notandum eſt, ꝙ licet is qui produxit inſtrumentum, probauerit aduerſario illud eſſe uerum, tamẽ de calumnia iuranti, & dicenti quòd probabit eſſe falſum, exhibendum eſt, cæterum ſi hoc non fecerit reputabitur falſum, licet probatum ſit uerum: hoc ita niſi poſſit iurare quod non poſſit exhibere, tunc charta probata opitulabitur, licet modo falſa dicatur, niſi forte is qui falſam dicit, teſtetur, & ꝙ aliud in inſtrumento continebatur quàm iudici ſuaſit, aut quia alio modo negocium interceſſerit. Ex his quæ dicta ſunt colligetur, ꝙ licet quis produxerit inſtrumentum quod probauerit uerum, aduerſarius eius auditur, ſi uelit probare falſum. Et eſt hoc notabile. In ſumma notandum eſt, ꝙ apochæ quæ ſunt de recepto, & antipochæ quæ ſunt de ſoluto, ad fidem ſufficiunt, licet ſint priuatæ ſcripturæ. Tribuit autem apocham creditor debitori, locator conductori, & uiceuerſa retribuendã eſt, ſi petatur antipocha, ſi tamen non petitur, uel petita nõ tribuitur, non oberit, ut C. eo. l. plures. Item in ſumma notandum eſt, ꝙ ſiquis ex inſtrumento cõuenitur, nõ conueniendus eſt ex indice, id eſt exemplo quod ſumitur, ſed ex authentico exemplari, à quo ſumitur, ut ff. eod. l. ij.

PLVS VALERE QVOD AGITVR QVAM QVOD ſimulatè concipitur. Tit. xxij.

Regulariter plus ualet quod agitur, quàm id quod ſimulatè ſcribitur. ergo ueritate reuelata diſceditur à ſcriptura ſimulata. Fit autem ſimulatio tribus modis, de perſona in perſonam, de cauſa in cauſam, & de utroq;. Simul de perſona in perſonam in hunc modum, puta ſiquis emerit, & alium emiſſe ſcribi fecerit, de cauſa in cauſam ſiquis uendidit, & ſe donaſſe per ſcripturam iactauerit de utroq; ſimul ſi Titius uendidit, & ſcriptura perhibet quòd Seius donauerit. Interdum tamẽ plus ualet quod ſcribitur, id eſt quàm quod agitur, ut ff. de uſufruct. legat. l. ſi alius. Quandoq; neutrum ualet, puta maritus uxori donauit, & ſcriptura uenditum dicit, non ualet donatio: licet id agatur, quia de iure non agitur, ne ſimulata uenditio &c. Item aliquando falſitas ueritatem uincit, puta ſi iudicatum iuratum ſit. Sed & ſi teſtator dixerit, Titio do lego: quia negocia mea curauit, licet Titius non curauit, nõ ideo tamen minus legatum petere poterit. Simulatio quoq; tranſit in ueritatem, puta ſiquis ſpe futuræ numerationis ſe accepiſſe cauerit, cum non acceperit, & iugi biennio tacuerit.

DE COM-

DE COMMODATO. TIT. XXIII.

Expoſitis perſonalibus actionibus, uel certis conditionibus, quibus præciſè oportere dari intenditur uel fieri: tranſeamus ad incertas, quæ ad intereſſe competunt, & quia hæ ex contractibus naſcuntur; & eorũ quidam rebus contrahuntur, quidam ex conſenſu cõtrahuntur, de his qui rebus cõtrahuntur, primò audiamus. Et quia contractus, qui re contrahuntur, interponuntur interdũ gratia dantis tantum, ut depoſitum: interdum gratia accipientis tantũ, ut commodatum: interdum gratia utriuſq;, ut pignus, de cõmodato primò loquamur. Videamus itaq; unde commodatum dicamus, qualiter contrahatur, à quo commodetur, cui quid commodetur, quæ actiones ex commodato oriantur, ex quibus, & in quos, & in quantum dentur, & quales ſint. Dictum eſt autem cõmodatum quaſi commodo utentis datum, id eſt ad uſum cõceſſum: commodo inquam illi ad quod commodatarius ſibi commodari petijt: licet aliquando occaſione commodati commodatarius damnificetur, enſem puta ſibi cõmodatum in prelio aſſumpſit & hominem forte occidit. ergo & pecuniam & animam perdidit. Re contrahitur commodatum ut mutuum, depoſitum. Commodatur autem à domino quoq;, ut ab homine ſi poſſidet. Amplius & furi, & prædoni cõmodantibus debet commodatum reſtitui: licet enim nemo quod ſuum nõ eſt, poſſit pignerare, poteſt tamen commodare & uendere. Commodatur ſeruo, & homini libero, ſiue patrifamiliâs, ſiue filiofamiliâs, ut puberi, & impuberi. Impubes tamen licet obliget, non obligatur ex contractu ſuo: niſi ex dolo ſuo, uel niſi dolo locupletior inueniatur, ut ff. cod. l. iij. Commodatur res mobilis, ſe mouens, commodantur etiam imobilia, pecuniæ quoq; ad pompam commodantur, quantitates quoq; cæteræ ſed rariſſimè, ut ff. eod. l. iij. & iiij. Incorporalia commodari me legiſſe non memini. Ex contractu commodati, tres oriuntur actiones, directa, utilis, contraria. Directa competit commodatori, & eius hæredi: commodadanti inquam rem ſuam alienamúe. Datur in commodatarium, & eius hæredem, utilis datur ubi non uerè commodatum eſt, ſed per interpretationem: puta ubi pupillus commodat, ubi quaſi commodatum reſtituitur. Sed & meo iudicio amicus qui ex amici ſtabulo propria autoritate equum accepit, & eſt uſus eo, utili commodati cõuenitur. In hac uenit primo ut res commodata reſtituatur, & nõ deterior, nec enim res propriè dicitur res reddita, quæ deterior ſit reddita, ut ff. eod. l. iij. uenit & partus & fœtus rei commodatæ. uenit & dolus; etiam ſi in contrarium conuenerit. uenit & culpa leuiſſima dum in contrarium non conuenerit: Hoc inquam intelligo non regulariter. Contrahitur commodatum interdum gratia accipientis tantum per pou. contrahitur gratia dantis tantum, puta ſi ita conuenit: puta ſi uxori commodatur, ut cultior ducatur dolus tantum præſtatur, ut ff. eod. l. ſi ut. Interdum gratia utriuſq; commodatur, puta ubi amicus communis ad cœnam inuitatur, & dolus & culpa de iure communi præſtatur, ut ff. eod. l. in rebus. Porrò nec caſus fortuitus, nec naturalis præſtatur, niſi uicio commodatarij contigerit, uel niſi id conuenerit. Contraria competit & commodatario, & eius hæredi, in commodantem & eius hæredẽ, puta ſiquid utiliter impenſum eſt in re commodata, per contrariam repoſcitur. Si intempeſtiuè commodatum reuocatum eſt, contraria agitur, ſi per id quod commodatum eſt, damno commodatarius adficiatur, contrario iudicio experitur: adiuuari quippe nos non decipi beneficio oportet, ut ff. eod. l. in commodato. ergo ſi ſeruus fur à te mihi commodatus furtum mihi fecerit, contra te ſcientem ad intereſſe experior, ignarus noxæ dedendo uel delinquendo liberaberis, ueniunt & uſuræ pecuniariæ in rem cõmodatam erogatæ. Cõtraria com

modati actio ſicut et cæteræ, quæ dicuntur contrariæ, ſine principali poteſt moueri, ut ff. eod. l. in commodato. § ij. Illud conſtat quia hæ actiones perſonales ſunt, & perpetuæ, et bonæ fidei, ut ff eo. l in com. § iij. Traduntur hæredibus, & in hæredes, ſed duntaxat pro parte hæreditaria: excipitur, niſi forte unus hæres totius rei reſtituendæ facultatem habeat, nec id faciat, ut ff. eod. l. iij. uel niſi ex facto hæredis agatur, tunc em̄ in ſolidum ipſe condemnatur, ut ff. eo. in commodato §. iij. In ſumma notandum eſt, quòd pater et dominus non nomine culpæ propriæ, ſed nomine duntaxat doli proprij in re commodata ſeruo filioúe, conueniuntur, ut ff. eod. l. iij. Illud quoq; ſciendum, nemo commodando poſſeſſionem amittit, ſed nec proprietatem, ut ff. eod. l. rei: niſi forte oblatam litis extimationem ſuſceperit, tunc enim rem offerentis facit, ut ff. eod. l. ſi ut § ij. Item in ſumma ſciendum eſt, utilis actio commodati ratione perſonæ decernitur. Ecce enim ſi libero homini bona fide mihi ſeruienti commodauero utili commodati ago, ut ff. eod. l. ſi is. Item illud ſciendum, quòd legi eum, qui carucham, uel lecticam commodauit, de ſingulis partibus non rectè acturū, ut ff. eod. l. in commodato § penult. non rectè intelligo, id eſt non directè: cur enim unam partem repoſcere, aliam derelinquere quis non poterit? In ſumma quoq; notandum eſt ꝙ ſi rem cōmodatam perdidi, & pro ea pretium non condemnatus ſolui. & res poſtea in poteſtatem cōmodantis peruenerit, uel rem uel pretium arbitrio meo mihi præſtare cogitur contrario iudicio, ut ff. eod. l. in commodato. Ergo ſi res ad me peruenerit, uel rem illā potero retinere. Porrò per iudicis ſententiam extimationem dependi, aliâs quoniam quæ repetere non ualeo, nō meum ſed commodantis erit arbitrium. Illud quoq; ſciendum eſt, quòd ſi rem mihi commodatam commodator ſurripuerit, & cum neſcirem ab eo mihi eſſe ſubreptam: condemnatus eius pretium ſolui, hocq; propter rei iudicatæ autoritatem non repeto, ſed contrarium commodati iudicium intendo, ut ff. eodem l. rem.

DE PIGNORATICIA ACTIONE. TIT. XXIIII.

QVoniam ex contractu pignoris qui re contrahitur, actio pignoraticia naſcitur, de ea audiamus. Nempe etiam conſenſu ſolo pignus contrahitur, ut hypothecaria oriatur: hac ſignificatione in viij. de pignoribus agitur. uideamus itaq; quando actiones iſtæ competant, ſcilicet directa pignoraticia actio uel contraria, quibus, in quos, in quantum, & quales ſint. Directa pignoraticia cōpetit regulariter, ſoluto debito, inquam, uerè & naturaliter, uel creditori, uel eius uoluntate alij: cōtra eius quoq; quandoq; uoluntatem. Nam ſi ego mei creditoris creditori ſoluero pignori intendo. Idem ſi alius pro me ſoluerit, ſimplici pacto & iuramento præſtito à me debitori, quia nihil debeo, pignoraticia mihi quæritur actio. Per iuris interpretationē quoq; quaſi celebrata ſolutione, pignoraticia competit actio, uel utilis, ſi debitori ſit acceptolatum. Fructus quoq; perceptos, & quos percipere potuit, & damnum à creditore in pignore datum, pignoraticiam inducit. Per iuris figmentum: niſi aliud conuenerit, ut C. codē. l. j. & ij. Sed & qui paratus eſt ſoluere, pignoraticiam poteſt intendere, ergo nō tantum poſt ſolutionem ſed ante. pignoraticia competit: puta ſi pecunia ſpe numerationis cauta, non fuerit numerata. Huius rei argumentum perhibet, quod legi debitorem ante ſolutionem pignoraticia poſſe agere, ſi creditor ex induſtria debitori ædificanti inſtrumentum non exhibuit, & ideo minorem locum ædificauit debitor, ut ff. eod. l. ult. § j. Ergo regulariter poſt ſolutionem, uel poſt id quod habetur pro ſolutione, pignoraticia datur. Sed & antequam eſt ſolutum (ſicut eſt dictum) interdum poſt ſolutionem, ceſſat, puta ſi chirographaria de-

beas

beatur pecunia, uel ſi à debitore creditor pignus emerit, ut ff. eod. l. aliena. Directa pignoratícia pighorantí rem propriam, alienam quoq; domini uoluntate, ſiuc præcedente, ſiue ſequente, ſiue debitor ſoluerit, ſiue alius pro debitore ſoluerit, uel uolente uel nolente. Ius quoq; ipſum pro debitore ſolutionem celebrat, ueluti ſi creditor pignoratam ancillam proſtituit, ut ff. eod. l. eleganter § ultimo uel utilis pignoratícia datur ei, qui pignorauit rem alienam ſine domini conſenſu. Dantur prædictæ actiones, id eſt pignoratícia directa, utilis, debitoribus & eorum hæredibus, tutori quoq; & curatori, et procuratori: ſi tamẽ ei fuerit mandatum, directa pignoratícia competit, ſi nõ, pupillo, & adulto, ut ff. eo. l. ſi rem & l. ſolutum § ult. uenit in has actiones ut res reſtituatur, non facta deterior. ueniunt & fructus percepti, & qui percipi potuerunt: aliâs reſtituendi, aliâs in debitum computandi. ueniunt & fœtus & partus. ueniunt & lucra pœnarum à nõ debitoribus extorta, ut ff. eod. l. ſi pignore. ueniunt & damna in pignore data, per creditorem, uel per alium, creditoris dolo uel culpa lata, leuiue, ut ff. eod. l. ſi cum uenderet & l. ea. Item ſi uendito pignore creditor aliquid ultra debitum habuit, ad uſuras quoq; tenebitur: puta ſi id fœnerauit, ſi in ſuos uſus cõuertit, ſi tardius ſuperfluum reſtituit, ut ff. eod. l. quamuis. Contraria pignoratícia creditori datur, & eius hæredi, in debitorem & debitoris hæredem, tribus in caſibus: ſi in pignore utiliter impenderit, ſicut enim debitor delicatus nõ placet, ita oneroſus creditor diſplicet, ut ff. eod. ſi ſeruos. Idem fiet, ſi à debitore deceptus rem alienam pignori datam, nec ad modicum æris alieni pignori creditor accepit, ut ff. eo. l. tutor l. ſiquis. Sed & contraria competit, ſi debitor id quod obligauit, aurum eſſe adfirmauit, creditore imperito cum eſſet æs, de ſtellionatu quoque poterit accuſari, quia ſciuit, ut ff. eod. l. ſi rem l. tutor l. ſiquis. Sed & mirabili & notabili modo, cõtraria pignoratícia creditori datur, quia reddidit pignus debitori, qui fefellit creditorem, non reſtituenda pecunia cominus, ſicut promiſit, ut ff. eod. l. iij. Illud conſtat quòd priuatæ actiones ciuiles ſunt, bonæ fidei, perſonales, perpetuæ. In ſumma notandum, quòd licet conuenerit, ut creditori liceat pignus uendere, non tamen cogit uendere. porrò idonea cautela ſibi à debitore præſtita, compellitur debitori uendere & dare, ut ff. eod. l. quamuis. Item ſi creditor, cui plura mancipia pignorata ſunt, quædam ex illis uendidit, ut euictionem eorum præſtaret, & creditum ſuum haberet, non uendita loci pignoris retinere poterit, donec de indemnitate ei caueatur, ut ff. eo. l. ſi neceſſarias. Item illud ſciendum eſt, quòd omne debitum oportet eſſe exolutum, aut eo nomine ſatisfactum ut pignoratícia naſcatur, id eſt intendi poſſit, ut ff. eo. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi quis pignoratícia non rectè egit, id eſt ſi nondum obtulit, tamen ſi poſtea in iudicio offerat, recte agit: acſi apertè diceretur, non aliter, niſi in hoc caſu quia nõ rectè deliquit agendo, ut ff. eod. l. ſi rem. §. ult. Sed & illud ſciendum eſt, quòd ſi creditor, idemq; pignoris uenditor, cum emptore pepigerit, ut debitori liceat pignus recuperare: profectò poterit debitor utiliter uindicare, aut in factum actione aduerſus emptorem agere, ut ff. eod. l. ſi cum. creditor cũ pignus reddit de dolo proprio debet debitori repromittere, ut ff. eo. l. creditor. Item illud ſciendum eſt, quòd principale debitore cõuento uel fideiuſſore, liberatio non contingit, nec pignoratícia competit: niſi uel nouatio facta fuerit, ut ff. eod. l. ſolutum. Item illud ſciendum eſt, quòd reproba pecunia ſoluta, nec liberatiõe, nec pignoratíciam inducit. ergo iteratò oportet ſolui; ſed numi ſunt reprobi reddendi, ut ff. eo. l. eleganter. In ſumma notandũ quoq; eſt, ꝙ ſi pignus perierit, etiam ſine creditoris uicio, debitori deperit: niſi conuenerit etiam generaliter, ut omne periculum creditor præſtet: uerum nec omni periculo ſuſcepto, de naturali interitu tenebitur, licet ſi ſpecialiter promiſiſſet, teneretur. Nam &

quædam ſpecialiter obligantur, nec tamen in generali obligatione. Sed & ſi ſi-
ne uicio creditoris pignus deterius factum ſit, creditori non imputabitur, ut ff.
eodem. l. ultimo. Quid tamen diceremus, ſi creditor amiſſo pignore debitum re
petit, & accipiat: niſi eius uicio amiſſum fuerit, debitor qui excipit, & uicium
interceſſiſſe dicit, probare debet ſecundum quoſdam: & ſic ſecundum hoc credi
tori ſufficit interim ſi probat quod amiſit, licet nō probet qđ ſine uicio ſuo per-
diderit: alijs placet cōtrarium, id eſt quod debeat utrunq; probare, id eſt, & ſeſe
amiſiſſe, & ſine uicio amiſiſſe, ut ff. locati l. ſiquis § Imperator.

DE EXERCITORIA, ET INSTITORIA ACTIONE. TITVLVS XXV.

AVdiuimus de prætorijs ſimiliter acceſſoriè de pignoraticia actione ciuili,
ſed nunc de exercitoria audiamus. Et quia harum quædam dantur in ſoli
dum, ut exercitoria, inſtitoria, quædam non, de inſtitoria actione primò loqua-
mur. Et quidem ſciendum eſt, quòd contrahenti cum inſtitore gemina actio da
tur, directa contra inſtitorem, ſi ſit homo liber: utilis cōtra præponentem, quæ
nomine appellatiuo non proprio inſtitoria uocatur. Idem erit ſiquis cum magi
ſtro nauis contraxerit. Verſa uice & exercitori, & præponenti, gemina datur a-
ctio. directa contra inſtitorem, & nauis conductorem, utilis contra contrahen-
tes cum his, ut ff. eod. l. j. § eſt autem & ff. de Inſtitut. l. j. Ergo actiones iſtæ ſem
per ſunt utiles: hæ tamen utiles interdum ſunt directè utiles, interdum ſunt uti-
les. Ecce enim ſi cum uillico alicuius fuerit contractum, ad exemplum inſtito-
riæ, id eſt inſtitoria utili agitur contra dominum, ut ff. inſtito. act. l. ſi cū. In ſum-
ma notandum eſt, quòd & in procuratorem generalem utilis inſtitoria datur,
ff. eo. l. ſed &, & l. & ideo l. in eum. Item illud ſciendum eſt, ꝙ licet præpoſitus
pro inſtitore ſuo fideiuſſerit, non minus inſtitoria tenebitur, ut ff. eod. l. in eum.
In ſumma quoq; ſciendum eſt, quòd ſi fullo peregrè proficiſcens, rogauit quem
ut diſcipulos ſuos inſtrueret, & poſt eius profectionem, unus ex diſcipulis ueſti
menta acceperit, & fugit, à fullone rogatus, fulloni tenebitur ſi quaſi inſtitor re
lictus fuerit, ſed ſi quaſi procurator & cuſtos, non tenetur: niſi adfirmauerit di-
ſcipulis rectè credi ut ff. de inſti. l. iiij. § iiij. Cætera quæ deſunt in ſumma Inſtitu
tionum poterunt inueniri. De tributoria actione duplici ratione nihil dico, &
quia de ea nihil in Codice cauetur, & quia de ea in ſumma Inſtitutionum ſatis
habetur.

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEgocium geſtum eſſe dicetur, & de peculio, ſeu quod iuſſu, & de in rem uerſo. Tit. xxvj.

ACtio quòd iuſſu quoq; prætoria eſt & acceſſoria, in ſolidum datur, & ideo
de ea ſtatim aliquid dicamus: hæc inquam actio in patrem dominumq; di
rigitur iuſſu paterno, id eſt permiſſu domini, eo iie directo ad contractus cum fi-
lio ſeruoue ſiue iubeatur generaliter, ſiue ſpecialiter, coram, teſtato, per nunciū,
per epiſtolam. Non tantum autem ſi iuſſio facta eſt, hac actione agitur, ſed ex
mandato ſimiliter, ex ſubſcriptione quoq;, & ratihabitione dominorum & pa-
rentum, hæc actio oritur, ut ff. eod. l. j. De in rem uerſo actio toties datur, quo-
ties alias mandati, alias negociorum geſtorum agitur. Illud tamē ſciendum eſt
quòd in rem dicitur eſſe uerſum, & quod bono domini non acceſſit: puta ſiquid
ei ad luxuriam, turpesue ſumptus fuerit ſubminiſtratum, nam frumentum à ſer
uo com-

uo comparatum, & in horreo repoſitum: licet arſit, actionem de in rem uerſo in
ducit, ut ff. eod. l. iij. Datur & alia actio, quæ uocatur infactum, puta in filium
emancipatum ob negocium ſecum cõtractum, cum eſſet filiusfam. hic inquam
emancipatus, ex hæredatus, abſtentus, ex modico inſtitutus, duntaxat in quan
tum facere poteſt cõuenitur: niſi cum contraheret ſe patremfamiliâs eſſe menti
tus eſt, iſte tamen filius ſi ſit locupletior, ſoluendo, & idoneus, non conuenitur
in ſolidum. Et ubi præfatæ actiones competunt, id eſt Exercitoria, Inſtitoria,
Tributoria, quod iuſſu, de in rem uerſo, in factum, & de peculio agitur ſi legiti-
mè contrahitur. Nam & ſi ſeruus interceſſerit & de ſe emendo mandauerit non
agitur. In hac actione ſi ſemel deduxerit dominus, & iterum uelit deducere, di-
ſtinguitur, an eandem poſitionem peculij reliquerit, uel non: ſi reliquit iterum
deducet, ſi non, minimè: ſed et ita deducet, ſi aliunde conſequi non poſſit, ut ff.
eod. l. ſi noxali. In ſumma ſciendum eſt, quòd in actione de peculio: licet in actio
ne pro ſocio, & ſimilibus, non eſt locus cautionibus pro incremento futuro, ut
ff. eod. l. quoties, & eſt hôc notabile. Cætera quæ non ſcribuntur hic de actione
quod iuſſu, de actione de in rem uerſo, de actione in factum, de peculio, in ſum
ma Inſtitutionum ſcripta reperies

PER QVAS PERSONAS NOBIS ADQVIRATVR. TITVLVS XXVII.

OStendimus ſuprà quemadmodum per perſonas alias oneramur, nunc au-
diamus quemadmodum lucramur. Adquiritur nobis per alios quoq;, ut
per filios noſtros, ſeruos proprios, dominis, et per ſeruos alienos, et liberos ho
mines bona ſide poſſeſſos: & per ſeruos fructuarios etiam uſuario adquiritur,
& quod facti eſt ut poſſeſſio, & quod iuris eſt ut dominium, & directa actio.
Porrò per liberos homines alios, ut per tutores, curatores, actores, procurato-
res nihil nobis adquiritur. Quod iuris eſt uel iure directo: prætcrquam in pecu-
nia credita. Sanè ea quæ facti ſunt, & per curatores nobis obueniũt. Ecce enim
ſiquis nomine noſtro cum qui nobis furtum fecit, adprehenderit, actionem fur-
ti manifeſti nobis parat: non tamen adquirit. idem in cõſimilibus reperitur. Sed
& ſiquis nomine noſtro quid apprehenderit, ſolam poſſeſſionem adquirit no-
bis, ſed per eã mediam, ius ipſum nobis dominium, uel uſucapiendi præbet be-
neficium, ut ff. de aquir. re. do. l. traditio. quippe libera perſona directam actio-
nem regulariter nobis non quærit, ſed miniſterium ſuum tantummodo nobis
impendit, ut ff. de conſtitu. pecu. l. & licet & ff. de uſur. l. qui ſcit & ff. quod ui. l.
iij. In ſumma illud notandum eſt, quòd ubi quis contrahit, puta ſi ſtipulatur, a-
liâs ſtipulatur ſibi, aliâs alij. Vbi ſtipulatur ſibi, aliâs ſibi tantum quærit directã
actionem, puta ſi paterfam. ſtipuletur, non miles. Item ubi quis ſtipulatur, quã-
doq; quærit tantum alij, ut ſi ſeruus filiusúe ſtipuletur domino patriúe: aliâs ubi
quis ſtipulatur alij, nihil agit, nec ſibi quærit: quia non uult nec alij, quia non po
teſt. Excipitur in pecunia credita. hoc em̃ in caſu quæritur alij actio directa. Ex-
cipitur quoq; tutor, curator, actor, procurator, œconomus, duumuir. hi enim
alijs utiles actiones quærũt, ſed differenti modo. quippe procurator ita demum
actiones quærit, ſi ſibi ſtipuletur, non ſi alij. prærerquam in pecunia credita, id
eſt depoſita, turor, curator, & ſimiles, etiã ſi ſtipulentur alijs, quorum negocia
gerunt, illis utiles actiones quærũt, ut ff. de conſtitu. pecu. l. eum. Item in ſum-
ma notandum eſt, quòd per alterius factum utilis actio alij quæritur. interdum
aliâs per alterius pactum. Per alterius factum, puta ſi creditor accipere noluit,
& debitor publicè & ſolenniter depoſuit. per alterius pactum, puta ſiquis rem

meam ſuamúe,& maximè meam , depoſuit, & ut mihi reſtituatur legem dixit, ut ff.depoſiti l.publia. Quid ergo dicemus,qa extraneo dotante, mulieri actio quæritur:extraneo pro alio ſoluente debitori pignoraticia quæritur? reſpōdeo, hoc facit non perſona,ſed iuris rigor,poteſtas,& conditio. Nam &(ſicut dictũ eſt)per procuratorem ſola poſſeſſio quæritur, ſed per eum mediante iuris poteſtate,& autoritate,dominium adquiritur. Cætera quæ deſunt in ſumma Inſtitutionum,& de ſtipulatione ſeruorum, lector ſtudioſus inquirat.

AD SENATVMCONSVLTVM MACEDONIANVM, TITVLVS XXVIII.

EXpoſuimus ſuprà qualiter parentes ex contractibus filiorum conueniantur,nunc audiamus quemadmodum non teneantur:& quia hoc fit per Senatuſconſultum Macedonianum, de eo loquamur. Videamus itaq; unde acceperit tale nomen,quare ſit proditum,quis eo puniatur,quis eo iuuetur,quando locum uindicet , in quibus caſibus ceſſet , qualis ſit exceptio Macedoniani , & quando poſſit opponi,& de quibus detur hæc exceptio. A Macedone conſule, uel famoſiſſimo fœneratore nomen accepit. Parentum gratia proditum eſt,ne per filios mutuantes exoluere nō ualentes,occidantur. Punitur Macedoniano omnis qui pecuniam credit filiofam.ergo priuatus. ergo ciuitas,ut ff. eod. l.nihil,ſi tamen crediderit ſine conſenſu patris,inquam,in cuius poteſtate eſt. Nam ſi pater eius in ſui patris ſit poteſtate,non patris,ſed aui cōſenſus exigitur, ut ff. eod.l.filium. His occurrentibus Macedonianum oritur, ſi pecunia fuerit numerata in cauſa mutui filiofam.domi degenti ſine cōſenſu patris. ergo ſi quantitas alia,uel ſpecies fuerit data, Macedonianũ ceſſat:niſi colore quæſito in fraudem Macedonianum fuerit palliatum,ut ff.eod.l.ult. Item oportet quoq; pecuniam numerari,nam ſi per iuris artificium eatur in mutuum , ceſſat Macedonianum, ut ff.eod l.vij. Sed & oportet numerari filiofam.uel cuilibet deſcendenti,uel alij fraude excogitata,ut Macedonianum inſurgat. Sine conſenſu tamen parentis in cuius ſit poteſtate, & filio degenti domi.nam filio degenti alibi, ut in ſcholis,uel in legatione,iure licito numeratur. Ceſſat Macedonianum in his caſibus ſi filiusfamiliâs creditori neſcienti adfirmauit ſe eſſe patremfam.ut Co.eod .l.j. Idem ſi creditor neſciuit , nec ſcire potuit eſſe filiumfam. ceſſat quoq; ſi adceſſit uoluntas patris expreſſa.ceſſat ſi permittente patre.ceſſat ſi in rem patris uertit: etiamſi ab initio alia mente accepit. Ceſſat ſi paterfamiliâs factus ſoluere cœpit. nam ad ſoluendum in reliquum tenetur. Ceſſat ſi pignus dederit:ſed non tenebitur niſi quatenus pignus ualet. ceſſat ſi in creditum iterit. ceſſat ſi numerauerit ſine errore uel malicia creditoris.ceſſat ſi fideiuſſerit. ceſſat ſi ſcholaris uel legatus fuerit,& probabilem modum in accipienda mutua pecunia non exceſſerit. ceſſat ſi miles fuerit.ceſſat ſi pater ratum habuerit.In cæteris caſibus regulariter ſenatuſconſultum Macedonianum,contra improbos fœneratores apprehendit arma & ſcutum,& præbet exceptionem,ſed non tribuit actionem , ut Co.eod. l.ij.& iij.& iiij.& v.& vj.& ff.eod.l.item.& l.ſed &.Illud conſtat quòd hæc exceptio odio creditoris eſt inducta , & ideo ſolutum ex ea non repetitur, ut ff.de condict.inde.l.ſi non.ergo licet faueatur filio , non tamen hoc ſit propter eum, ſed propter fœneratorem odioſum. Opponi poteſt hæc exceptio etiā poſt condemnationem ante ſolutionem, ſicut etiam ea, quæ datur mulieri.In ſumma ſciendum eſt,quòd etiam ubi pecunia traditur ſine uſuris, Macedoniani exceptio competit filijsfamiliâs parentibus,& eorum hæredibus,mandatoribus & fideiuſſoribus : niſi fideiuſſerint animo donandi , datur quoq; his qui ſe principales

reos fecerint pro filijs, in fraudem ſenatuſconſulti, ut ff. codē. l. item.' etiam pro filijs dignitate ſumma decoratis: niſi ſint milites, ut ff. eod. l. j. & ij. Quid ergo dicemus, ſi pendeat an in poteſtate ſit filius, puta quia patrem apud hoſtes habebat? ſi pater non redierit, Macedonianum ceſſabit, ſi redierit, inſurgit, ut ff. eod. l. j. Quid ergo dicemus, ſi filiusfamiliâs miles non in cauſas caſtrenſes, ſed ut luderet, accepit? profecto iudicio meo tenebitur, quia per leges præſumptionem irrefragabiliter præſumitur, quòd in cauſas caſtrenſes acceperit, nec ueritas debet exquiri, ut ff. eo. l. ult. Item quid dicemus, ſi pater ratam habuerit mutuationem in filiumfamiliâs factam? ſi nō collata eo tempore, quo filius de eius poteſtate exemptus eſt (ut puto) hæc ratitudo non ſufficit: nec minus exceptio Macedoniani competit filio. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd licet ex pecunia ſumpta mutua, filiafamiliâs emit ornamenta, non ad rem, ſed ad luxuriam pertinentia, ſenatuſconſulti de cætero non denegabitur exceptio, ut ff. eodem l. ſed ſi § iij. Item in ſumma notandum eſt, quòd principes & interpretes Macedonianum interpretantur, corrigunt, producūt. Interpretantur, cum dicunt prohibitum eſſe mutuum naturale, non ciuile. Corrigunt quia permittunt aliquando filijfamiliâs mutuo pecuniam dari, licet ſenatus inhibuerit præciſè. Verbum pecuniæ, pertinet ad omnem quantitatem, & ſpeciem, quæ diſtrahenda fraude excogitata tribuetur. uerbum quoque filij producunt ad ulteriores, ut ff. eodem l. penult.

AD SENATVSCONSVLTVM VELLEIANVM. TITVLVS XXIX.

DIximus de Macedoniano, nunc audiamus de Velleiano. uideamus itaque quare ſic nuncupetur, quare proditum ſit, quis eo puniatur, quis eo iuuetur, quando locum uindicet, in quibus caſibus ceſſet, in quibus petatur, & in quibus detur exceptio Velleia. & qualis ſit, & quando poſſit opponi inſpecto iure ueteri, & quomodo hodie locum non habeat. A Velleio Conſule Velleianum nomen accepit. Latum eſt Velleianum gratia mulierum. Velleiano punitur, qui accepit mulierem intercedentem, uel quaſi. Velleiano iuuatur mulier intercedens, uel quaſi, pro ſuo non creditore, neſciens ſe tutam: mulieris quoque hæres, & qui pro ea intercedit. Locum uendicat Velleianum, quādo mulier interceſſit, uel quaſi, ſiue in ſe obligationem transferendo: puta ſe delegare paciendo, ſiue participando, ut fideiubendo, mandando, conſtituendo. Idem fit, ſi obligauerit pro non ſuo creditore ſua, uel obligari permiſerit. Idem fit ſi ſe principaliter ream fecerit in fraudem ſenatuſconſulti, ut ff. eod. l. iiij. Ceſſat Velleianū ſi mulier ſecura fuerit, ſi creditorem decepit, puta ſi ſe matrem eſſe adfirmauit, cum creditor ueritatem ſciſſe non potuit: ſi pro dote, ſi in pubertate interceſſit, ſi ius hypothecarum marito remiſerit, ſi ſecundò poſt biennium cauit, ſi interceſſionem ſuam uendidit, ſi ſoluit pro alio, & in ſolutum quid dedit, ſi ut ſolueret quid uendidit: niſi fraude interceſſionis pro creditore fundum uendiderit, ut ff. eod. l. ult. Ceſſat quoq; ſi donauerit, nec enim mulier facile donat. In cæteris caſibus regulariter tenetur, ſed iure ueteri exceptio Velleiani ſeruetur. Datur exceptio iſta mulieribus, & hæredibus, & his qui pro ea intercedente interceſſerunt. Illud conſtat, quòd hæc exceptio fauore introducta eſt, & ex ea ſine iudice ſolutum repetitur. Opponi poteſt hæc exceptio, etiam poſt donationē ante ſolutionem, ut ff. ad Macedo. l. quia. Olim mulier intercedens etiam ſine ſcriptura, mero iure tenebatur, ſed non interuenientibus ſuprà exceptis caſibus, exceptione adiuuabitur per Codicem iure medio, ut C. eo. l. antiquæ: niſi inſtrumenta à tri

bus ſubſignatoribus interceſſerint, nec mero iure tenetur. ergo exceptione iuua
tur. Porro hodie iure nouo nec in iſto caſu, nec in aliquo alio tenebitur: niſi ma-
nifeſtè probetur pecuniam, pro qua mulier interceſſerit, in utilitatem mulieris
fuiſſe conuerſam, ut Cod. eod. authent. ſiqua. Mulierem autem intercedentem
hodie aut ipſo iure iuuari intelligo, in caſibus illis, in quibus olim tenebatur: nec per
exceptionem, ut ſuperius paragraphatis caſibus, nec hodie ipſo iure adiuuabi-
tur. Nam & in illis tẽporalibus exceptionibus minor hodie ipſo iure duntaxat
illæſus conſeruatur, in quibus olim reſtituebatur. Huius rei argumentum præ-
bet conſequentia conſtitutionum. nempe poſt cõſtitutionem antepenultimam
duæ conſtitutiones ponuntur, quarum altera ſancitur, mulierem neq; per exce
ptionem iuuari, ſi pro dote, altera ſi pro qualitate interceſſerit. Dictũ eſt, quòd
in rebus uiri uxori obligatis ſimplex conſenſus ſufficit, in donatione propter
nuptias, non niſi geminatus cõſenſus mulieri officit, ut C. eo. authen. ſiue à me.
In fundis dotalibus nec militibus interpoſitus conſenſus oberit. Ex his quæ di
cta ſunt patet, quòd principes, & interpretes ipſius iuris remedium præbentes,
Velleianum corrigunt: interpretantur quoq; ut cum non intercedentem, quaſi
intercedentem, adiuuant. producũt quoq;, puta cum mulieri, ſe in fraudem prin
cipaliter ream facienti, ſubueniunt. In ſumma notandum eſt, quòd mulieri ſuc-
curritur, ſi cuius non ſui creditoris defenſor, uel defenſatrix extiterit filij, ut C.
eod. l. ij. Intercedenti quoq; mulieri condictio competit, puta ſi debitorem ſuum
delegauit, quaſi ſoluerit. Quippe ſolutionem celebrat, qui reum delegat: reum
inquam, nõ ream non debitricem: aliàs ſi conuenerit cum debitore, ut daret ex-
promiſſorem, & dederit mulierem fideiubentem, uidetur dediſſe neminem, ut
ff. eod. l. quamuis § iij. & vj. Muliere delegata pro debitore etiam prius accepti-
latione liberato, in debitorem reſtitutoria datur. Idem fit ſi mulieri poſt interceſ
ſionem accepto tulit creditor, ut ff. eod. l. quamuis § v. & vij. Sed & ſi mulieri in
tercedenti. ergo ſine effectu obligatæ creditor ſucceſſit & reſtitutoria utitur pla-
nè ſi mulier ueteri debitori ſucceſſit & reſtitutoria & actione directa conuenitur
ut ff. eod. l. quamuis. § ſi mulieri. ubi cum muliere in fraudem principaliter con-
trahitur, actio datur, quæ obligationem inſtituti non reſtituit, ut ff. eod. l. quam
uis. § ſed ſi. Vbi mulier uerè intercedit expedit creditori, ubi principaliter cõtra
hitur eſſe diligentem, ut ff. eod. l. uir uxori. ſuccurritur mulieri ignoranti ſe ſecu
ram, ſi creditor ſciuit mulierem eſſe, & eam intercedere, ut ff. eod. l. uir uxori. ſci
enti mulieri non ſuccurritur, ſciat, uel neſciat creditor. Item in ſumma ſciendum
eſt, quòd etiam in fideiuſſorẽ reſtitutoria datur. Integra enim cauſa priſtina cre-
ditori reſtituenda eſt, & totam obligationem ſenatus improbat, ut ff. eo. l. ſi mu
lier. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd ſi ſub cõditione, uel in diem mulier pro
alio interceſſerit: creditori uolenti cum priore debitore experiri, & conditione
pendente, reſtitutoria dabitur. quod enim expedit cõditionem expectare, ut ff.
eod. l. aliquando. Si pro uno reo interceſſerit mulier: aduerſus utrumq; reſtitui-
tur actio creditori, ut ff. eod. l. ſi pro uno. Item ſi mulier id quod ſoluit ex inter-
ceſſione, nolit repetere, mandati poterit agere, ut ff. eo. l. ſi mulier. Nam & ſi mu
lier pro eo, pro quo interceſſit, iudicium parata ſit accipere: ut nõ in ueterem de
bitorem actio detur, ſi cauerit ſe exceptione non uſuram, auditur, ut ff. eo. l. ult.
§ penult. In ſumma quoq; notandum eſt, quòd ex ęquitate etiam per interpreta
tionem mulieri ſuccurritur. ecce enĩ ſi intercedendi animo ſeruum alienum ſuũ
eſſe reſponderit, quaſi interceſſerit, iuuatur. Idem fit ſi per errorem in iure inter-
rogata ſe hæredem eſſe, cum non eſſet reſponderit, ut ff. eod. l. ſi mulier. Sed &
notabiliter, ſi mulier delegetur, promiſit pecuniam, quaſi interceſſit, licet non
interceſſerit: imò interceſſione iuuabitur, ut ff. eod. l. debitrix.

DE NON NVMERATA PECVNIA. TIT. XXX.

PErtractatis duabus exceptionibus,quarum altera introducta eſt odio,id eſt Macedoniani exceptio,altera introducta eſt fauore, id eſt exceptio Velleiani: de exceptione non numeratæ pecuniæ ſubijciamus,ſicq; de pecunia, ſiue de de re alia non numerata dicamus. Videamus itaq; qualiter pecuniæ non numeratæ exceptio diſtinguatur,cui, & in quem uelut actio detur, quando competat,quando ceſſet,quæ ſpecialia admittat,infra quæ tempora detur, & qualiter cautio diſtinguatur. Exceptio pecuniæ non numeratæ primò debitori datur,& eius hæredi,& ei,qui in bonorum debitoris poſſeſſionem miſſus eſt, ut C.eod. l.penult. Datur inquam propriè exceptio non numeratæ pecuniæ,ubi de pecunia numerata conuenit, & debitor futurus ſpe futuræ numerationis ſe obligauit. Sanè ſi de re aliena conuenit,ſed non per chirographum,puta per ſtipulationem,in factum excipitur ut Cod.eod.l.cum ultra. Item exceptio non numeratæ pecuniæ,id eſt nō redditæ pecuniæ competit creditori,& eius hæredi, & creditori & in huius creditoris bonorum poſſeſſionem miſſo. Cōpetit inquam exceptio,quia replicatio debitori & eius hæredi datur.Cōpetit exceptio nō numeratæ pecuniæ infra biennium,& poſtea,ſi iuri in teſtando ſit paritum. Competit & his ceſſantibus minori,ut Co.eod.l.penult.§ j.Ceſſat ergo poſt biennium niſi iuri in teſtando ſit paritum,uel niſi minor ſit qui excipit. Exceptio non numeratæ pecuniæ,id eſt nō ſolutæ pecuniæ creditori infra menſem competit:excipitur, niſi exactor publicus tributa ſe recepiſſe ſcripſerit, uel depoſitor rem depoſitam reſtitutam,uel dotem ſibi eſſe ſolutam uir confeſſus fuerit, forte ſecus ſi uiua uoce poteſtatus fuerit.in præfato caſu tributorum uidetur quòd fiſco derogetur.In tribus prædictis caſibus,nec exceptio,id eſt replicatio menſtrui poteſt opponi. Exceptio non numeratæ pecuniæ,quæ datur debitori, duo habet ſpecialia:ecce enim licet excipiat ſi probat, probationis onus transfert in creditorem,ut Cod.eod.l.j.Sed & illud eſt ſpeciale, quia licet in proprium præiudicium debitoris inueniatur emiſſum chirographum, non adducit condemnationem,ſi à debitore negatur numeratum. debitor tamen non probat qui adfirmat & ſolutum eſſe adſeuerat:ſicut enim creditor probare debet numerationem,ita & debitor probare debet etiam interceſſiſſe ſolutionem,ut C. de probat.l.j.Infra biennium exceptio hæc hæreditario debitori regulariter datur. Sanè cauſaliter interdum datur annus.ecce enim ſi matrimonium intra biennium ſoluatur, dotis exceptio non dabitur,niſi infra annum,ut Co. de dot.caut. authen. quod locum. Sanè ſi poſt biennium intra decennium ſoluitur matrimoniū, intra tres menſes excipitur. Sed ſi decennium tranſcurrerit, exceptio marito denegatur: niſi ætate iuuetur,& eſt hoc nota dignum, quia ipſo iure minor illæſus conſeruatur. Ergo debitori aliâs datur biennium,aliâs tempus annuum, aliâs productius:puta(ſicut eſt dictum)ſi iuri eſt in teſtando paritum. Creditori datur menſis unus,quandoq; nullus puta in prædictis tribus caſibus: ita tamen te excipere poſſe puto,ſi interceſſit ſcriptura unica,non gemina id eſt priuata & publica, ut Cod.eod.l.antepenult.§ ij.Cauet quoq; ſe accepiſſe, quod nō accepit tribus modis. Ecce eñ ſcribit quis quandoq; expreſſim ſpe futuræ numerationis,quādoq; ſe debere ſimpliciter ſcribit.in his duob.caſib.excipitur (ſicut eſt dictū)nec debitor infra biennium arctatur ad ſoluendum: niſi creditor probet fuiſſe numeratum.Interdum ſcribit quis ſe debere ex cauſa ueteri.hoc in caſu, quia ſpecialiter promiſſor eam edixerit, ſoluere neceſſe habet:niſi ſcripturis contrarijs probet alio modo prorſus negocium interceſſiſſe,quàm ſcriptura perhibet, ut Co. eo.l. generaliter.ſcriptura inquam publica priuatave:eſtq; hoc uerū, ſiue cauſa

uetus ſcriptis inſerta anteceſſerit,ſiue nõ: ſufficit enim quod ſcriptura perhibet. Excipitur mutui cauſa etiam uetuſta, quia in mutuo crebro interuenit deceptio ergo lege prædicta duo ſunt ſpecialia. ecce enim confeſſioni ſcriptura ſupote ſolennis præiudicat. Sanè prædicta confeſſio irritatur per contraria argumenta ſcriptis inſerta. forte illud eſt tertium ſpeciale,quòd licet hic,qui cauſam ſpecialem inſeruit,de non numerata pecunia excipit,ut quidam dicunt,probare cogitur:uerum mihi uidetur quôd hoc idem contingit quia non ſimpliciter negat, ſed & factum adſeuerat. In ſumma notandum eſt, quòd ei qui ſcripſit ſe accepiſſe cum non acceperit non tantũ exceptio,ſed & actio id eſt incerti condictio, & ſine cauſa competit,ut C.eod.l.ſi quaſi. meo quoq; iudicio ratione conſortij actio iugi ſopitur biennio:ne ſi ſtatuatur contrariũ,ſit ualde abſurdũ. In ſumma illud quoq; notandũ eſt,quòd etiã ſiquis iurauerit ſe redditurũ, id quod nõ accepit,non peierat etiam ſi nõ reddat, ut C.eo.l.ult. ineſt eñ cõditio tacita ſi acceperit,& non reddit:nec reddit qui non accepit. ſiquidem reddere eſt retro dare. Ergo ſpe futuræ numeratiõis cautio facta,inefficax eſt:niſi uel numeratio præceſſerit,uel inſit, uel ſecuta fuerit. ergo infra bienniũ efficaciter debitor cõueniri nõ poterit,& ſi ſoluerit repetit:ſanè ſi poſtea ſoluerit. quia tenetur ad dandũ,nõ admittitur ad repetendũ:niſi infra bienniũ iuri in teſtando ſit paritũ,datur enim poſt exceſſum bienniũ , id eſt biennium ciuilẽ obligationẽ probat naturaliter, & debitũ quod antea fuerat tñ ciuile,efficit naturale. uincit ergo ueritatẽ biennium, & ueritati præiudicat:ſicut tranſactio iurata,nec ẽñ admitto eorũ ſententiam qui inquiunt poſt bienniũ audire debitorẽ,ſi uelit,& ualet probare non interceſſiſſe numerationẽ. forte illud quoq; in ſumma notandũ eſt,quòd is qui ſpe futuræ numeratiõis ſe accepiſſe cauit,ſi fidẽ cautionis agnoſcens infra bienniũ debiti cauti,licet non numerati,partẽ ſoluerit,reliquũ ſoluere cogitur,ut C.eo. l.cũ fidẽ. Contra qui propriã ſcripturã abnegat,uel numerationẽ inficiatur,cõmuniter in duplum cõdemnatur, ut C.eo.authen.contra. conuentus inquã uel ex illa authen.conditione uel actione priſtina ex negocij inſtauratione. Item in ſumma notandũ eſt,ꝙ chirographo cõuentus,uel negat,uel fatetur: negãs aut in negatione perſeuerat,aut non. Adſeuerans aut abſoluitur, aut cõdemnatur. Abſolutus nihil dabit:conuictus & expenſas iure cõmuni,& duplũ:etiam ſi retro præſtiterit ſimplũ præſtabit. Qui fatetur,aut antequã neget, fatetur,aut poſtea:ſi antequã neget fatetur,id eſt ita fatetur quod nõ inficiatur, ſimplũ dabit. Si primò negauit,& poſtea fatetur,ita quod nõ arguatur. Aut illato ſibi ſacramento ſpõte cõfitetur,aut mox fuit illatũ,aut poſt multas actoris probationes & defatigationes:ſi mox,ſolũ ſimplum præſtabit,ſi nõ mox, etiã expenſas dabit. Si poſtquã negauit cõfitetur ultro, aut poſt negationẽ illato ſibi ſacramẽto uel longe poſtea. In his duobus caſibus authentica nihil ſtatuit ſuppleatur ex ingenio. Item illud ſciendũ eſt,ꝙ & mandatori,& fideiuſſori, hæc exceptio competit,ut C.eo.l.tam. Illud quoq; ſciendũ eſt, ꝙ in caſibus illis,in quibus non licet exceptionẽ nõ numeratæ pecuniæ,uel ab initio,uel poſt taxatũ tẽpus opponere,non liceat nec iuſiurandum deferre,ut Co.eod.l.in contractibus.

DE COMPENSATIONIBVS. TIT. XXXI.

AVdiuimus de tribus exceptionibus quibus actiões excluduntur:nũc dicamus de cõpenſationibus,quibus ipſo iure perimunt̃. Videamus itaq; qd ſit cõpenſatio,unde dicat̃,quis cõpenſet, cui cõpenſetur,& quod debitũ compenſetur,& qualiter cõpenſatio fiat,& quãdo,& quarũ rerum cõpenſationes fiant,& cui actioni cõpenſatio obijciatur. Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe cõtributio. Dicta eſt cõpenſatio quaſi cõmunis penſatio, acſi apertè lex

diceret,

diceret, nō niſi in pōderibus, id eſt in quantitatibus locum habeat. Is cōpenſat, qui idem ipſe & debitor & creditor eſt. & intereſt noſtra potius retinere ꝙ ſolutum repetere, ut ff. eod. l. ideo. Ergo ei compenſatur cui debetur, & qui debet, etiamſi ob aliam cauſam debeat. Excipitur niſi fiſcus petat: tūc em̄ ita demū cōpenſatur, ſi eadē ſtatio quid ei debeat qui petit, ut C. eo. l. j. Cōpenſatur debitū, quod utroqꝫ iure debitū eſt: ſed & cū natura tm̄ debetur, ſi tamē tale ſit, quod ſolutum repetitur. ergo à muliere per interceſſionem debitū non cōpenſatur, quia ſolutum repetitur. Sed nec debitū incōmodato tuo cōpenſabitur, etiā ſi ille uelit, ut ff. eod. l. ideo. Excipitur, niſi tu exiſtimeris eſſe ille alius per iuris interpretationem, ut ſocius, pater, & filius, ſeruus, & dominus, ſed & fideiuſſor conuentus cōpenſabit, de eo, quod ei pro quo interceſſerit, debetur: ſed non conuertitur. Hodie fit ipſo iure compenſatio: ita tamen ſi obijciatur, & obiecta nō reprobetur. ita tamen ſi cauſa ſit liquida, ab initio, non poſt multa certamina, fit compenſatio, ſiue debeatur ex cauſa negocij, ſiue ex cauſa maleficij regularitēr, ut C. eo. l. ſi uelut. & ff. eo. l. ſi ambo. Ceſſat cōpenſatio propter perſonā. Ecce em̄ octo ſunt caſus in quibus ceſſat. nulli reipub. cōpenſatio opponitur, ut C. eod. l. iij. præter hos quoqꝫ caſus fiſco petenti pretiū nō cōpenſatur, ut C. eo. l. ſi ex. Sed nec poſt duos menſes fiſco opponitur cōpenſatio, ut ff. de iure fiſc. l. aufertur. Ceſſat propter rem, ut ſi debeatur ſpecies quæ extat, & deterior facta non eſt. Ceſſat propter cauſam, ut ſi debitū petitum eſt liquidū. Currit compenſatio quatenus quantitates cōcurrunt, ut C. eod. l. iij. In quantitatibus tantū locum habet compenſatio, non in ſpeciebus: ut ſi ſint abſumptæ, & deteriores factæ. tunc enim quia uentum eſt ad extimationem, cōpenſatio locū uindicat. Omni actioni compenſatio obijcitur, præterquam actioni ui bonorum raptorū: etiam ſi pecunia ſit ablata: etiamſi ad pecuniā uentum ſit: & præterquā directæ actioni depoſiti. tunc enim ſi pecunia debeatur, etiam ex cauſa ſimili cōpenſatio non obijcitur: imò ei qui primò petijt, primò ſuum depoſitum reddi debet. Incurrit hic & alia inſpectio, an debeatur, uel ex maleficio uel ex depoſitu uel ex negocio alio. Nam & hodie cautum eſt, nequis extrinſecus depoſitario depoſiti reſtiturionem interdicat, extrinſecus id eſt forte nōn dominus uel extrinſecus, id eſt præter rei dominum nullus, ut C. depoſiti l. authen. ſed iam & ff. depo. l. bona. In ſumma notandum eſt, quòd non tantum quantitas compenſatur, ſed dolus cum dolo, & negligentia cum negligentia, & pecunia cum pecunia, ut ff. eod. l. ſi ambo. In ſumma notandum eſt, quòd ſi ſpecialiter determinata eſt compenſatio alicui actioni, nequaquam obijcienda eſt alij, ut ff. eo. l. quod Labeo. Item in ſumma notandum eſt, quia ſi compenſationem iudex non admiſerit, non tamen reprobauerit, ſalua manet petitio. Item poſt litem conteſta. rectè compenſatur. Item ſi filius conuenitur, compenſabit etiam ea, quæ patri debentur: ſi tamen caueat patrem ratum habiturum, & eſt hoc nota dignum. In conuerſo caſu cautio non exigitur, ut ff. eod. l. ſi eum. In prætorijs compenſatio locum habet, ut ff. eod. l. ſi ambo. Habet autem locum compenſatio ſiue debeatur pecunia cum uſura, ſiue ſine uſura, ut ff. eod. l. cum alter. Illud quoqꝫ in ſumma ſciendum eſt, ꝙ in rem ſuam procurator datus, poſt litem conteſta. non antea, ſi conuenitur, poterit compenſare ut ff. eod. l. in rem.

DE VSVRIS. XXXII.

EXpoſuimus qualiter actio perimatur, et minuatur: nūc audiamus, quemadmodū augeat: et quia hoc fit ꝑ uſuras, de uſuris tractemus. Videamus itaqꝫ unde dicatur, quarꝫ rerꝫ detur uſura, in quibus iudicijs præſtentur uſuræ, & ex quibus cauſis ueniant uſuræ: & quemadmodū aliàs ſolutæ nō repetūtur, aliàs ſeruantur, & petuntur, & quantæ uſuræ debeant præſtari. Vſura nomē ac

cepit ab uſu. quippe ſæculari & humana ratione æquum eſt, ut is det mihi uſu-
ram, qui ſuſcepit pecuniam meam utendam. Pecuniarum uſura præſtatur non
ſpecierum. nam nec auri per fideicõmiſſum relicti uſura præſtatur, ut ff. eo. l. iij.
Sanè legitur & fructuũ & ſpecierũ uſuras dependi, ut ff. eod. l. neq; l. cũ quidam
§ ult. In iudicijs omnibus arbitrarijs, ſtrictis & bo. fidei, uſuræ ueniunt. Ex mul
tis cauſis uſuræ generãtur in bonæ fidei iudicijs. ecce eñ ex pacto ſimplici: mul
tò fortius ex ſtipulatione, ex mora quoq;, ſiue cõmittatur per hominem inter
pellatum, ſiue per legẽ. nam & lex ultro creditorem interpellat, pùta ſi dies ſo-
lutionis fuerit præfixa, ut in emphiteuſe, & in dotæ præſtanda, id eſt reſtituen-
da. Sine mora quoq; ueniunt uſuræ, ut ſi emptor fructus perceperit, uel percipe
re potuit. Sed & ſine mora uſuræ ueniunt, ſi ſocius communem pecuniam inua
dens in ſuos uſus conuertit, ut ff. eod. l. j. Idem de mandatis legitur. Sed & præ-
ter moram ex ſola retardatione minori debentur uſuræ. In iudicijs equidem bo
næ fidei, & in actione ſtricti iuris unica, ſcilicet ea, qua petuntur relicta, uſuræ
licitæ pacto tantum debitæ, nec petuntur nec pignoris retentione ſeruantur ſed
ſolutæ retinentur. hocq; fit iure bono. Si conuenerit etiam expreſſim de uſuris
certis & legitimis præſtandis, & ab initio conuenerit, & pignus pro his obliga-
tum fuerit, uſuræ pignoris retentione ſeruantur. Ergo oportet conueniſſe, & ex
preſſè conueniſſe, & ab initio conueniſſe, ut C. eod. l. iij. Hoc fit iure meliore, iu
re optimo. Pro mutua pecunia uſuræ petuntur, ſi fuerint reductæ in ſtipulatio-
nem certam, legitimam, ut C. eod. l. j. ergo & hæc tria oportet interuenire. Iure
optimo & quidem regulariter pro mutua pecunia nõ petitur uſura, ſimplici pa-
cto promiſſa. Excipitur, niſi ciuitas credidit, niſi fructus aridi & liquidi credan-
tur. in his enim ultimis duobus caſibus duo ſunt ſpecialia. Ecce enim ex pacto
nudo petuntur uſuræ, ſed & centeſimæ uſuræ præſtantur ex pacto illuſtribus,
ſed nõ ultra tertiam partem centeſimæ. Item ex lege beſſes negociatoribus præ
ſtantur. alijs multis hominibus in traiecticijs pecunijs, & in fructibus aridis cen
teſimæ præſtantur, ut C. eod. l. eos. Idem fit per legem in pecunijs tutelaribus,
in iudicatis, pecunijs à geſtoribus negociorũ in proprios uſus cõuerſis, ut ff. de
nego. geſto. l. qui ſine. In ſumma notandum eſt, quòd & per legem ſemiſſes prę
ſtantur uſuræ, ut ab his qui teſtatoris necem nõ uindicauerunt, ut Co. de quib.
ut indig. l. j. Item illud ſciendum eſt, ꝙ bonæ fidei iudicio ſententia deciſa, cum
nihil de uſuris fuerit dictũ, poſtea uſura non petitur per officiũ quæ uenit ex mo
ra. nam ſi ſublatum eſt iudicium, expirauit officium. ſecus foret ſi actio ſpecialis
& propria competeret pro uſura, ut C. eo. l. in bonæ & C. depoſit. l. iiij. Item in
ſumma ſciendũ eſt, ꝙ ſi perſonalis actio, ut pro mutuo certi condictio tempore
ſit ſublata, nec de fructibus, nec de uſuris retro præſtandis, amplius poterit agi.
ſublata enim principali actione temporis ratione, nõ ideo minus petitur uſura.
ſed nec actione perſonali tempore ſublata, perit hypothecaria. Sed & ſiquid fue
rit relictũ permiſſumúe per annos ſingulos, nomine ſequentium annoꝝ non pe
rit actio: licet nomine primi anni ſublata ſit petitio, ut C. de præſcript. xxx. an-
no. Item in ſumma notandũ eſt, ꝙ licet Imperator in poſteꝝ iuſſerit uſuras præ-
ſtari, quia longo tempore præſtitæ fuiſſent. tamen in odiũ uſurarum ſcriptũ eſt,
ut ſi minores fuerint uſuræ acceptæ, cum maiores potuerint peti, amplius maio
res peti non poſſint, ut C. eod. l. ſi mater. et ff. eo. l. qui ſemiſſes. Amplius de uſu
ris in futurum præſtandis aliâs petitis, iudicis iuſſu caueri non debet. licet aliâs
etiam in futurum caueatur, ut C. eod. l. j. & de iudicijs l. in omnibus. Item illud
ſciendum eſt, quòd in cauſa deuotionis, etiam in rempub. factæ uſuræ regulari-
ter nõ exiguntur, ut ff. eod. l. liberalitatis. Item uſuræ quæ in præteritum debue
rant eſſe depenſæ, ſi non fuerint petitæ, quaſi donatæ amplius non petuntur.

Item

Item pupillo non habenti tutorem non fit mora, ut debeatur uſura. uſuræ enim non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentiũ infliguntur. Item fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non dat ſed accipit. ſed ſi priuato creditori ſucceſſerit, cui debebantur uſuræ minores, amodo debebũtur fiſco maiores ut ff. eod. l. cum quidam. Amplius poſt traditam poſſeſſionem defuncto uenditori, cui ſucceſſor incertus fuit, nomine medij quoq; temporis uſuræ præſtantur, ut ff. eod. l. cuictis. hoc ita ſi pretium depoſitum non fuerit, licet (ut dictum eſt ſuprà) non arguatur ille de mora, qui uero obtulit pupillo: enimuero non eſt in mora, qui iuſtè ad iudicium prouocauit, ut ff. eod. l. ſiquis. l. paratum. Sicut dictum eſt, etiam ex nudo pacto pro mutuo ciuitatibus debentur uſuræ promiſſæ, ut ff. eod. l. etiam. & quidem lite conteſtata uſuræ currere incipiũt, & currere non deſinunt, ut ff. eod. l. lite. Illud conſtat, quòd ſupra modum uſurarum licitum, pœnam pro uſuris nemo ſtipulari poteſt, ut ff. eod. l. pœnam. Item in ſumma notandum eſt, quòd ſi quidem teſtibus ſemper credi debeat, an nõ nulla iuris autoritate definitum eſt, ita quando quis ſit in mora nulla iuris conſtitutione pleniſſimè definitur, ut ff. eo. l. mora. Illud ſciendum eſt, quòd licet etiam ſiquis fuerit paratus ſoluere per ignorantiam, uenditio pignoris impeditur, nõ tamen curſus uſurarum impeditur: niſi totum debitũ fuerit & oblatum, & conſignatum, & depoſitum, & ita depoſitum quod manſerit depoſitum, id eſt poſteà non ſit à debitore repetitum, & acceptum. poſtea enim numi ſteriles non erunt, ut ff. eod. l. vij. Competit enim directa depoſiti deponenti, & in rem in poſſidentem depoſiti utilis: utraq; competit ei, cuius nomine depoſitio facta eſt. hoc in caſu licet pecunia maneat deponentis, notabiliter liberatur. profectò liberatur, quantum ad periculum, quantum ad curſum uſurarum inhibendũ, quantum ad ius uendendi pignoris. Proinde ergo licet liberatum eſſe, & debere, contraria uideantur, tamen hic cum poſſit creditor accipere, & non recepit, debitor liberatus eſt (ſicut diſtinctum eſt) etiam ſi adhuc debeat. hoc quoq; ex eo arguitur quòd fructus ex prædio obligato à creditore poſtea percepti, in ſortis debitum, ſicq; etiam adhuc cum debito compenſantur, ut Cod. eodẽ, l. ex prædijs. Item in ſumma ſciendum, quòd ſiquis mutuam pecuniam dederit agricolæ, uel fructus aridos pro ſolido unam ſiliquam uſurarum non percipiet, & pro graui modio non niſi partem viij. ut Cod. eo. authent. ad hæc. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd uſurarum uſuræ, nec retineri, nec ſeruari, nec peti debent, ut Codicis eod. l. ult.

DE NAVTICO FOENORE. TIT. XXXIII.

PEcunia Nautica, quaſi traiectitia dicitur ea, quæ creditoris periculo nauigio ſumpto datur traijcienda, uſq; ad locum deſtinatum. Quaſi Nautica eſt ea, quæ creditur per terras longas profecturo & quam accipit uenator, piſcator ſimiliter ſumpto periculo, ut ff. eod. l. periculi. Pecunia nautica, & quaſi nautica, duo ſortitur ſingularia, ecce enim & ſimplici pacto petuntur uſuræ, ſed & centeſimæ ex eo quidem tempore, ex quo nauem nauigare cõuenit, & eius medij duntaxat temporis nomine, quo creditor ſuſceperit periculum uſq; ad portum dictum. Sanè excuſſo periculo, id eſt priuſquam nauis ad portum deſtimatum appulerit, uſura non niſi iure communi peti poterit, hoc eſt, ſi ſtipulatio interceſſerit, & de legitima uſura conuenerit, ut Cod. eod. l. j. ij. & iij. In ſumma illud diſtinguendum eſt, puta ſi nauis cũ mercibus appulerit, uel antea perierit: ſi appulerit, etiam uſura centeſima in ſimplici pacto promiſſa rectè petitur ſi ante

perijt,& diſcrimine maris non uitio debitoris, in nihilum debitor tenebitur. Si
uicio debitoris perierit,in ſortem equidem tenebitur,quaſi ea tacitè niſit condi-
tio,ut committatur ſtipulatio,ſi nauis appulerit.

DEPOSITI VEL CONTRA.
TIT. XXXIIII.

EXpoſitis contractibus re celebratis accipientis gratia,uel utriuſq;
de depoſito audiamus, quod regulariter tantũ gratia deponentis
celebratur. uideamus itaq; quid ſit depoſitum, unde ſit dictum,
cui competit actio depoſiti,directa,utilis,& in quem, & in quan-
tum: cui contraria,& in quem,& in quantum,& quales ſint actio
nes. Depoſitum eſt quod alicui cuſtodiendum cõmittitur. Quip-
pe huius contractus principalis cauſa eſt cuſtodia, in alijs exigitur cuſtodia nõ
principaliter,ſed ſecundario, & ex conſequentia. Depoſitum dictum eſt quaſi
deorſum apud aliquem poſitum.præpoſitio enim de auget depoſitum,ut ff.eo.
l.j.§ j.Directa depoſiti datur libero homini deponẽti,& eius hæredi, ciuili,præ
torio,& ex Senatuſcõſulto Trebelliano,ut ff.eod. l.j.§ hæc actio.Item directa
datur ei cuius filius ſeruusúe depoſuerit,proprietarius,cõmunis,hæreditarius,
fructuarius. Quod ergo dicit̃ ſi ſeruus depoſuerit,in ſeruo manumiſſo uel alie
nato, quia initium contractus ſpectandum eſt,dominum experiri utiliter,intel
ligo efficaciter,ut ff.eo.l.j.§ ij.& § non ſolum. Vtilis depoſiti datur ei cuius res
ab alio,ut reddatur domino,depoſita eſt,ut C.ad exhiben.l.penult. Item utilis
depoſiti ei datur,cui ipſe qui rem depoſuit,dixit,ut ff.eod.l.publia § j. Item uti
lis de cætero datur ei,cuius nomine pecunia debita depoſita eſt, ut de uſur.l.ac
ceptam.In utraq; actione uenit in primis, ut res depoſita reſtituatur, non facta
deterior dolo depoſitarij.uenit etiam acceſſio ſiue ſequela,ut pullus, capiſtrum
ſtramina,ſella.Nam et hæc licet principaliter non ſint depoſita,tamẽ utili actio
ne depoſiti repetuntur,ut ff.eod.l.j.§ iiij.& § ſi ciſta. Venit dolus & lata culpa,
ut ſtulta miſericordia.ecce enim ſi depoſitarius hominem ad malam mãſionem
extenſum,miſericordia ductus ſoluerit,egregiè tenebitur, ut ff.eodẽ.l.ſi homi-
nem. Culpa leuis non uenit,niſi id conuenerit,ut ff.eod.l.j.§ v. niſi quis depoſi
to obtulit ſe,ut ff.eod.l.j.§ ſæpe.uel pretium depoſitionis acceperit,ut ff.ui bo.
rapto.l.ij.uel niſi depoſitarij tantum gratia depoſitum ſit,ut ff.ſi cert.petatur.l.
iiij.In ſimplum agitur regulariter,in duplum in quatuor caſibus tantum, ex do
lo,uel inficiatione depoſitarij, id eſt ſiquid depoſitum ſit cauſa tumultus, incen
dij,naufragij,ruinę. Hoc inquam fit contra depoſitarium, & contra hæredem
depoſitarij ex dolo ipſius hæredis.Sanè ex dolo defuncti depoſitarij eius hære-
des non niſi in ſimplum conueniuntur,ut ff.eod.l.j.§ ij.& § prætor ait. ueniunt
quoq; uſuræ in actione depoſiti directa,et utili,tribus modis.Si depoſitoris pe-
cuniam apud ſe depoſitam fœnerauit, ſi in uſus ſuos conuertit, ſi in mora reſti-
tuendi ſit.fortuiti caſus regulariter hoc iudicio non præſtantur.Contra depoſiti
datur depoſitario,& eius ſucceſſori,in depoſitorem,& eius hæredem.In hac ue
nit ſiquid in re depoſita utiliter impenſum eſt, & cum uſuris, tribus modis. Si
ab alio depoſitarius fœnebrem pecuniam accepit, ſi de ſuo impendit cum fœ-
nerare ſolitus eſſet,ſi depoſitor in mora reſtituendi fuit. Venit quoq; in cõtrariũ
depoſiti iudicium damnum datũ,puta per ſeruũ depoſitũ,furtumúe perpetratũ
nam ſi depoſitor ſciuit ſeruũ eſſe furem ad intereſſe tenebitur:ſi ignorauit noxæ
relinquere ſeruum ei ſufficit. Illud conſtat, q̃ actiones ciuiles ſunt bonæ fidei,
per-

perſonales,& perpetuæ, & iuſiurandum in litem admittunt,ut ff.eo.l.j. In ſumma notandum eſt, quòd depoſitum tria habet ſpecialia. ecce enim compenſationem nòn admittit, ſed & nulla alia actio ex contractu, niſi iſta, pœnalis eſt. Sed & ſiquis impenderit in re depoſita centū,puta & alia centum habet in depoſiti cauſa,illa centum non poterit retinere: licet centum depoſiti contraria poſſit petere,ſicq; in depoſito regula rumpitur, quæ eſt:cui damus actionem,ei debere competere retentionem, dicere debemus. Item in ſumma diſtinguendum puto,quòd ſi pecunia ad numerum fuerit depoſita,niſi in contrarium ſit expreſſim dictum, tacitè uidetur permiſſum, ut depoſitarius ſine uicio furti utatur ea pecunia. ergo per contrarium ſi ſignata & incluſa fuit depoſita, tacitè uidetur uetitum:niſi expreſſim ſit conceſſum, ut depoſitarius eam nòn attingat pecuniam,ut C.eo.l.iij.& iiij. Item in ſumma ſciendum eſt,quòd ſi te interrogauero, ut rem meam perferas ad Titium,ut is eam cuſtodiat,tecum mandati, cum Titio depoſiti debeo experiri. porrò ſi rem tibi dedi,ut ſi Titius non cuſtodire uellet,tu cuſtodires,mandati tantum te conuenio:quia plenius fuit mandatum habens & cuſtodiæ legem. Sanè ſi tibi mandauero ut rem ab aliquo receptam meo nomine cuſtodias,mandati tantum ago:quia hic eſt primus contractus, ut ff.eo:l.j.§.ſi te.§.quod ſi §.idem. Item illud ſciendum eſt,quòd depoſiti agitur, etiam ſi tantum tempore ſententiæ depoſitarius ſit in dolo. Sed & ſi modo dolo malo caret cum damnatur,rectiſſimè iudicatur:puta ſi rem depoſitam contrectauit,& uendidit,& poſtea redemit:licet illa res ſine dolo malo depoſitarij poſtea perierit,ut ff.eo.l.j. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi pecuniam ſeruus alienus apud me depoſuit, ita ut eam domino pro eius libertate darem & dominum de hoc certiorauero:quia dolo careo,non teneor. ſi dedero quaſi meam, quia non rèdarguor aliud quaſi de ſuo dare. Item ſi depoſitor deceſſerit pluribus hæredibus relictis, rei diuiduæ depoſitæ quiſquis hæres partem poterit petere: ſi uero res fuerint indiuiduæ,is hæres qui primò uenerit paratus idoneè ſatis dare,omnes res debere tradi poterit poſtulare. Item illud notandum eſt,quòd ſiquis tabulas apud ſe depoſitas pluribus præſentibus legit,depoſiti datur, ut ff. eo. l.j. §. eleganter §. ſi pecunia §.ſiquis.§.prædo. Item illud ſciendum eſt quia ſi hæres rem apud deceſſorem depoſitam hoc ignorans: ergo dolo carens eam uendidit,ſed &ſi id quod ad ſe peruenit,uel perueniſſe debuit,modo certioratus nō reſtituit,aut ſi poſſit rem redimere non redemit:quia culpa,id eſt,dolo malo nō caret, tenetur,ut ff.eo.l. j.§.ult.l.quid ergo l. planè l.ſed &. Item illud ſciendum eſt,quòd is, apud quem ſeruus depoſuit, ſeruo reſtituit, non tenetur: ſi tamen non putauerit, nec putare potuerit dominum nolle ſeruo reſtitui.nec enim conuenit bonæ fidei abnegare id,quod quis accepit,reddere ei à quo accepit,& cauſam habuit,ut ff.eo.l.quod ſeruus. Item illud ſciendum,quòd & ſi pater res à ſponſo donatas ſponſæ emancipatæ ſuſcepit,utilis depoſiti competit,ut ff.eo. l. die. Illud item ſciendum eſt, quòd ſi depoſitarius, non:niſi pecunia data,depoſitum reddiderit,non tantum condictione ob turpem cauſam, ſed & actione depoſiti conueniri poterit,ut ff.eo. Item & illud ſciendum eſt, quòd licet immobilia commodantur.non tamen deponuntur.

MANDATI VEL CONTRA. TIT. XXXV.

Expoſitis contractibus, qui re contrahuntur, de illis qui conſenſu contrahuntur adnectamus. Et quia mandatum debet eſſe gratuitum, ſicut eſt commodatum(de quo ſuprà poſt condictiones tractauimus)de mandato protinus audiamus. Videamus itaq; quæ actiones ex mandato oriuntur, quibus

competant, & in quos, & in quantum, & quales ſint. Re oriuntur actiones mandati directa, utilis, contraria. Directa mandati competit mandanti, & eius hæredi. Vtilis competit ei, cuius procurator mandauit, tutor, curator, actor, œconomus. Competunt hæ actiones in mandatarij hæredem: ita tamen competunt, ſi mandantis interſit, ut ff. eo. l. ſi procuratorem. §. mandati. In has actiones uenit ut mandatori, quod mandatarius ſuſcepit impleatur: uel intereſſe præſtetur, puta ut ematur, & poſtea id quod emptum eſt, tradatur, etiam ſi de tradenda in mandato nihil dicatur, ut ff. eo l. ſi procuratorem §. dolo & l. idemq;. nanq; ex conſequencia mandati, niſi procurator appellauerit, tenetur: niſi procurator egeſtate laboret, uel niſi dominum ſubmonuerit ut appellet, uel niſi dominus præſenſit, ut ff. eo. l. ſi procuratorem §. ſi ignorantes, ueniunt & uſuræ, quæ frequentantur in regione eiſdem modis, quibus ueniunt & in depoſito. Contraria mandati datur mandatario, & eius hæredi contra mandantem, & eius hæredem, ut ff. eo. l. ſi uero. Contraria ergo fideiuſſori dabitur, etiam ſi ſine iudice ſoluerit, ut ff. eo. l, idemq; §. fideiuſſori: ita tamen ſi non ſit quod fideiuſſori poſſit imputari, puta ſi exceptionem non omiſit honeſtam, perpetuam, peremptoriam, ut ff. eo. l. idemq; § generaliter. Tempore tamen liberatus fideiuſſor, ſi ſoluerit reum obligatum habebit. Et in hanc ſicut in directam uſuræ ueniunt, & uſurarum acceptarum uſuræ etiam ſine mora, ut ff. eo. l. idemq;. §. iij. & l. ſi uero §. ſi mihi. Illud conſtat quòd actiones iſtæ ſunt bonæ fidei, perſonales, perpetuæ. Itē illud ſciendum eſt in ſumma quòd ex mandato apud eum qui mandatum ſuſceperit, nihil remanere debet. Sed & illud ſciendum eſt, quòd licet actio mandati detur fideiuſſori rogato, uel fideiubenti, tamen negotiorum geſtorum illi fideiuſſori, qui pro abſente fideiuſſit, ut ff. eo. l. ex mandato. Sicut dictum eſt contraria mandati datur fideiuſſori, ſi ſine ſuo iudicio condemnatus eſt, ſi ſoluerit. Solutum intelligo, ſi debitor fideiuſſoris delegatus ſit ab eo creditore, licet delegatus ſoluendo non fuerit. quia creditor admittens debitorem delegatum, bonum nomen facit. Sed & ſi is qui fideiuſſori donare principaliter uult, creditorem eius habeat debitorem ſuum, eumq; liberauit; mox fideiuſſor agit, quaſi ſoluerit, ut ff. eo. l. inter §. iij. iiij. poſt condemnationem, uel ante ſolutionem, fideiuſſor non agit: niſi id conuenerit, uel niſi poſtea bona ſua debitor dilapidare cœperit, uel niſi poſtea aliâs iuſta mutuandi cauſa irrepſerit, uel ſi debitor longo tempore abfuturus ſit, ut C. eo. l. ſi pro ea. Impendia quoq; mandatarius repetit etiam ea, quæ mandator facturus non fuerit, etiamſi negotium bono mandantis non ceſſerit, ut ff. eo. l. ſiquis. §. penult. & l. qui mutuam §. ult. non tamen omnia impendia, quæ abſunt mandatario, repetuntur: ueluti ſi propter languorem ſuum, & ſuorum, quædam erogauit, ut ff. eo. l. inter. §. non omnia. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd reo conuento & debente pecuniam ſub uſuris, cum ipſe recuſare uellet, etiam ſub uſuris creditam eſſe pecuniam, fideiuſſor non conuentus ſoluerit, uſuras eas repetere non poterit: contra erit ſi fideiuſſor primò conuentus, uſuras eas ſoluerit. non enim oportet eſſe noxiæ fideiuſſori ſi pepercit ſuo pudori, ut ff. eo. l. Quintus.

Item in ſumma ſciendum eſt, quòd ſi fideiuſſor multiplicauerit ſummam probabiliter in qua fideiuſſit, eam totam repetere non poterit, ut ff. eo. ſi mandato, & l. ſi fideiuſſor. Quid dicemus ſiquis acceptis pecunijs & nomine inſerto uenditionis actionem ceſſerit? aiunt Imperatores, Anaſtaſius, & Iuſtinianus, donationē nominis tenere, uenditionem etiam ueram minimè, ut C. eo. l. ult. Cur autem uenditio nominis ſine fraude celebrata, prorſus & in totum non ualebit, ſicut & donatio nominis? profectò ualebit, uerum ideo dicunt Imperatores

emptionem nominis non ualere, quia de facili contra emptorem præſumitur, cui pretium abeſt, contra donationem minimè, quia pretium non probat. Si uenit nomen lex conijcit eſſe redemptum, quod quia abeſt, quia ſi non donat, non reprobatur: hoc ubi uel leuis eſt præſumpta calumnia litis. Cætera quæ deſunt de mandatis in ſumma Inſtitutionum tit. eo. & ſuprà de procuratoribus poterunt inueniri.

SI SERVVS EXTERO SE EMI MANDAVERIT. TIT. XXXVI.

DIſſeruimus generaliter de mandatis, nunc ſpecialiter exponamus, quid iuris ſit ſi ſeruus mandauerit extero, ut exterus ſe emat à domino. Et quidem diſtinguitur tale mandatum tribus modis. Quippe quandoq; ſeruus mandat ſe emi, quandoq; ſe tantum manumitti: horum neutrum ualet. nam nec emptor contraria mandati dominum conuenire poterit, ut ſeruum ſuum recipiat. ſiquidē uerius & utilius uideretur, Prætorem de huiuſmodi contractibus ſeruorum non cogitaſſe, ut uel de peculio agatur, quibus contractibus ſerui mala ratione ſe dominis auferrent, ut ff. mandat. l. ſeruus. & l. cum ſeruus. Si ſeruus utrumq; mandauerit, id eſt, & ſe emi & manumitti, ratione affectionis dominus mandati aget, ut manumittatur, & pretium per actionem uenditi conſequitur. Licet enim actiones hæ contrariæ ſint: ſiquidem per actionem uenditi id agitur, ut emptor ſeruum habeat, per actionē mandati ut ſeruo careat, tamen libertatis fauore hæc contrarietas toleratur, non ut utraq; actione agatur, ut ff. mandat. l. cum ſeruus. Hæc ita ſi uenditor nondum accepit pretium. idem erit ſi accepit peculiare pretium: ergo ſuum, ut C. eo. l. unica. Quid ergo fiet? in rem agetur iudicio meo fide non habita, ut res retradatur. Porrò per actionem mandati non poſtulatur retraditio, ſed duntaxat ut manumittatur, & duntaxat affectionis ratione ſicut dictum eſt.

PRO SOCIO. TIT. XXXVII.

QVoniam ſocius quaſi procurator eſt pro parte, poſt tractatum mandati dicamus de ſocietate. Videamus itaq; quæ actiones naſcantur ex ſocietate, & quando, & quibus, & in quos, & in quantum competant, & quales ſint Duæ naſcuntur actiones, utiles pro ſocio, utrinq; directa, nunquam contraria competit actio pro ſocio regulariter, durante ſocietate, ut C. eo. l. tam diu: præterquam in uectigalibus, ut ff. eo. l. actione §. penult. Ergo aliàs conſtante ſocietate etiam ut communicetur agi non poterit. Quid ergo ſi etiam ſocius impenderit? certè ſocietate diſtracta, tantùm communi diuidundo aget. at quod impenderit ſocietate durante pro ſocio aget, non tamen durante ſocietate, ſed cum ſocietas fuerit diſſoluta, ut ff. eo. l. actione. §. ſi poſt. Socio quondam, & eius hæredi, datur hæc actio: in ſocium quondam, & eius hæredem. Veniunt damna & compendia æqualiter: niſi in contrarium eſt dictum non tantum leoninè, ut ff. eo. l. omne l. ſi ſocij & l. pro ſocio. Illud conſtat quòd actio pro ſocio ciuilis eſt, bonæ fidei, perſonalis, perpetua. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi ſocius ſocio artem pollicetur, etiam debet culpam præſtare. Pretium enim opere artis eſt uelamentum. Conuerſim propoſitio iſta eſt intelligēda, ut pretiū prædicetur, uelamentum ſubijciatur, uelat artē qui dicit ſe habere artem nec habet. Inde eſt ut perinde teneatur, cum promiſerit, & mentitus ſit, ac ſi haberet artē, uel aliter

one,puta ſi decuriones Campani mihi locum uendiderint, in quo eam ponerē, & per me ſtet,quo minus id à Campanis impetrē,præſcriptis uerbis agi poteſt, ego etiam ex uendito poſſum conueniri, uenditione non impleta habita tamen pro impleta,ut ff.eo.l.ſi mihi. Item & illud ſciendum eſt, quòd ſiquis ancillam ſub pacto iniectionis manuum, ſi proſtituatur, uēdiderit:proſtituta ab emptore etiam milleſimo, per eum qui primò uendidit, adduci poterit, ut ff. eo. l. ſiquis Item in ſumma ſciendum eſt, quòd licet hæres legatario fundi ſeruitutem debeat,uenditor tamen non debet emptori.excipitur, niſi ſpecialiter promiſerit, uel niſi ante ſeruitus fundo empto debita fuerit, uel niſi forte per fundum retentum uenditor ſolebat ire ad fundum debitum,ut ff.eodem l. in uendendo. Illud ſciendum eſt quoq;,ſiquis fundi ea lege uendidit partem dimidiam,ut emptor alteram partem conductam haberet, ſi id non fiat, ex uendito emptor poterit conueniri. Nam ipſum pretium fundi uidetur, & forte quòd eo minus uenit fundus,ut ff.eodem l.fundi. Si manu ſata excipiuntur, non ea, quæ perpetuò ſata ſunt,ſed ea quæ annuatim ſeruntur, excepta intelliguntur,ut ff. eo.l.cum manu In ſumma quoq; notandum eſt notabiliter, quòd ſiquis promiſit de fundo ſuo mille modios frumenti annuos, pro prædijs Gai Seij; & poſtea frumenti debitor fundum uendidit,his uerbis additis:quo iure, & qua conditione fundus iſte quem uendo hodie eſt, ita uenit, itaq; habebitur, emptor tamen ad præſtationem frumenti non compellitur, ut ff.eod.l.ult. Cætera quæ deſunt in ſummà Inſtitu.tit.eodem pleniſſimè poterunt inueniri.

DE HAEREDITATE VEL ACTIONE VENDITA. TIT. XXXIX.

HAbito tractatu emptionis & uenditionis, de rebus quæ uenduntur audiamus,& quæ hæreditas priuilegio gaudeat:& actio eſt iuris inſtrumentum de hæreditate uel actione uendita loquamur.uideamus itaq; quatenus uenditor hæreditatis,& nominis emptor teneatur,& econtrà quatenus emptor uenditori & quidem ubi quis uendit hæreditatem eſſe debet hæreditas.nec enim alea emitur,ut ff.eo.l.cum hæreditatem.ergo ſi nullius hæreditas uenit,uel uiuentis hominis,nihil agitur,ut ff.eo.l.j. Licet etiam ubi nulla eſt hæreditas de qua actum uideatur, tamen ex empto agitur, ut ff.eo. l. quod ſi & l. & ſi. nam & aliâs & ſi emptio non tenet tamen ex empto agitur, ut ff.de act. empt. & uen.l. ſi ſterilis. hoc tamen ita uerum eſt, niſi uenditio ita contrahatur: ſi qua ſit hæreditas eſt tibi empta, tunc quaſi ſola ſpes hæreditatis uenit, & ideo ex empto non agitur ſi nulla hæreditas inuenitur. Hoc ita intelligi oportet,niſi uenditor ſciens hæreditatem ad ſe non pertinere,uenditionem celebret:tunc enim propter dolum tenebitur,ut ff.eo. l. nam l. hoc. Tenebitur uenditor emptori,ut ei reſtituatur id, quod ex hæreditate ad ſe uenit, uel perueniſſe potuit, id quoq; uenit quod ad uenditoris hæredem peruenit. præſtandæ ſunt quoq; emptori hæreditariæ actiones,etiam illæ obligationes,quas ipſe hæres conſtituit,ut ff. eo.l. ij. Tradere quoq; debet res hæreditarias, ut ff.eo.l.qui filijfam. Ex his quæ dicta ſunt patet exigi ut hæreditas ſit,& ad uenditorem pertineat. Venditor ſatis dare non cogitur,ut certa quantitas ſit in hæreditate,nec de euictione rerum ſingularium: niſi id conuenerit, ut ff. eo.l. ij. Indebitum quoq; quod extorſit uenditor, emptori præſtare non cogitur: econtrà emptor uenditori non tenetur,ſi uenditor ſoluit indebitum: ſed nec ſi hæres condemnatus fuerit, quia res hæreditarias uen-

AD barbaros & Romani nominis rebelles, Romanus liquamina deferre non debet. fructus nec aridos: ſed nec ferrum factum infectumúe. proditioni enim proximum eſt, barbaros, quos indigere conuenit, telis eos ut ualidiores reddantur inſtruere. Ergo ſi quis contra fecerit pœna ſuperioris tituli imminebit, ut C. eo. l. j. & ij.

DE EVNVCHIS. TIT. XLII.

EVnuchos minime licet facere in Romano ſolo Romanos uel barbaros. ergo ſi qui Romanæ gentis homines in barbaro ſolo eunuchi facti fuerunt: & ſi ſerui fuerint nullo titulo in dominium cuiuſquam transferri poterunt. ſané barbari eunuchi facti extra loca Romano imperio ſubiecta, ſine delicto & uendi poterunt & comparari. Siquis in Romano ſolo etiam ſeruum eunuchum fecerit, decapitur, & ſeruus, & locus, ubi hoc commiſſum fuerit, domino diſſimulante, confiſcabitur, ut C. eo. l. j. & ij.

DE PATRIBVS, QVI FILIOS SVOS DISTRAXERVNT. TIT. XLIII.

ETiam patribus filios quocunque titulo in quempiam transferre non licet: imò ſiquis etiam in cauſa pignoris conſcius filium alienum acceperit, relegabitur. Sané propter nimiam egeſtatem famis, id eſt, neceſſitatem, forte pater, & mater, filium ſuum, prolem ſuam, & uendere, & permutare: multo fortius & pignorare poterunt. iudicio quoque meo proles ſerua fiet. dicunt alij nequaquam, ſed ſeruiet. porrò ſi filius, qui alienatus eſt, uel pro eo alius eius pretium, uel mancipium æque bonum præſtiterit, filium uenditum ingenuitati reſtituit, ut C. eo. l. j. & ij. Aliâs nedum filij, ſed nec etiam alicuius hominis liberi uenditio tenet, ratione rei. Excipitur niſi ſecundum legum diſtinctiones, quis paciatur ſe uendi ad pretium participandum. liber quoque homo quondam ab hoſte retentus. ergo libertati priſtinæ reſtituitur tanquam in cauſa pignoris. Sed & hodie uſitatum eſt, ut liberi homines dentur obſides.

DE RESCINDENDA VENDITIONE. TIT. XLIIII.

OStendimus ſuprà qualiter emptio & uenditio contrahatur, nunc audiamus qualiter diſſoluatur. diſſoluitur aliâs ita, ut reſcindatur: aliâs ut ab ea diſcedatur. primò tractemus de uenditione reſcindenda, poſtea loquamur qualiter diſcedatur ab ea. Videamus itaque quid ſit uenditionem reſcindere, quot modis dicatur uenditio reſcindi, quibus modis reſcindatur, quæ ſint cauſæ quæ reſciſſionem inducant, & quæ faciunt eam ceſſare. Venditionem reſcindere nihil aliud eſt, quàm altero inuito eam diſſoluere. A uenditione diſceditur, cum utroque uolente diſceditur. Reſcinditur uenditio, ubi quidem ipſo iure tenet ſed ex cauſis deſeritur, infringitur, irritatur, ut ſequencia declarabunt. Item dicitur uerum impropriè ubi de facto proceſſit uenditio, ut reſcindatur: puta ſi dolo malo emptoris omnibus integris extorta inueniatur, ut C. eo. l. iiij. Reſcinditur uenditio duobus modis, actione propoſita, & iudicis officio. Actione propoſita, ut quemet. cau. & de dolo: ubi dolus dedit cauſam contractui, ſicut ſuprà in ſecūdo libro diſtinxi. Sed & ſi pactū interceſſerit, ut res uēdita reſtituatur ſi diſplicuerit actiōe in factū, uel p̄ſcriptis uerbis, uenditio reſcindit̄, ut C. eo. l. iiij. per actionē

quoq; redhibitoriam uenditio reſcinditur. Iudicis officio uenditio reſcinditur, puta ſi uenditor ultra dimidiam iuſti pretij deceptus fuerit. Iuſti inquam, tempore uenditionis: deceptus inquam, non per emptoris doloſitatē, ſed re ipſa. reſcinditur autem iniquitas iſta electione emptori præbita, uelit ne iuſtum pretium ſupplere, & rem retinere: ueluti rem reſtituere, & pretium iniuſtum à ſe præſtitum recuperare, ut C. eo. l. ij. idem fit & econtrario, id eſt, ſi emptor ultra dimidiam iuſti pretij numerauit, ut C. eo. l. ſolu. mat. l ſi circumſcripta. Idem in locationibus ſtatuitur: forte & in permutationibus. in tranſactionibus, in pactis de non petendo, non puto. Datur autem hæc reſcindendi licencia contra contrahentes, & eorum hæredes: & ita, ſi res uendita apud eos extet. ergo non dabitur contra ementes ab ementibus primi. Dabitur autem prædicta reſcindendi licencia iudicio meo, etiam illi emptori qui iurauerit ſe controuerſiam non moturum, nec contra uenditionem uenturum: quippe nec rem facit inuenditam, nec præciſe agit, ut res retradatur. Plures ſunt cauſæ, quæ ſuadent ut uenditio reſcindatur. Ecce enim (ſicut dictum eſt) iniquitas immodica, dolus malus, qui ex animi propoſitione deſcendit, qui animæ paſſione, quæ mentem adficit, qui qualitate non pretij quantitate æſtimatur, ut C. eodem. l. dolus. nota tria animum, animam, mentem. Metus quoq; reſciſſionem inducit, ætas, conuentio, diſſenſus. multæ ſunt cauſæ quæ reſciſſionem non inducunt. Ecce enim pœnitentia etiam in continenti, res ſcripta militaris prærogatiua, dupli oblatio, quia aliud ſit in ſolutum datum, quàm pretium: allegatio, quia ſimulatū pretium non ſit depenſum: allegatio, quia ſit uenditum ob famis, & urgencium munerum neceſſitatem: item allegatio, quia emptori ſit denunciatum, ne emat: item non reſcinditur uenditio, quia uenditor allegat uires & emolumenta rei uenditæ ſe ignoraſſe, ut C. eodem l. de l. ad l. ratas l. non idcirco. l. pretij. l. uenditor. l. ſi maior. l. quiſquis. In ſumma notandum eſt, quod in uenditionibus per officiales, & publicos exactores celebratis, modica iniquitas non toleratur. Item in ſumma ſciendum eſt, quòd uenditio furtiua à decurionibus facta, momentum non habeat, ut C. eo. l. antepenult. & penult. Item in ſumma illud ſciendum eſt, quòd iudicio meo ei, qui uendidit ex certa ſciencia, dimidia iuſti pretij non dabitur reſcindendi licencia.

QVANDO LICEAT AB EMPTIONE DISCEDERE. TIT. XLV.

Sicut dictum eſt, ab emptione diſceditur, quando utroq; uolente deſeritur: hoc ita, ſi omnia ſunt integra, id eſt, nec res uendita tradita eſt, nec pretium numeratum eſt, nec arra data eſt: idem erit ſi arra ſit data. nec enim arra de ſubſtantia negotij eſt, ſed uenditionis contractæ argumentum eſt, & accidens. Ergo cum ea & ſine ea uenditio ualebit: hoc tamen ita, ſi pro arra ſpecies data ſit, ſecus erit ſi pecunia arræ nomine acceſſit numerata. tunc enim perinde computabitur, ac ſi pars pretij eſſet ſoluta. ergo uelut non omnibus integris, ſolo conſenſu non reſoluitur uenditio: multo magis, ſi pretium ſit numeratum: multo fortius in tertio caſu, id eſt, ſi res uendita tradita eſt, & pretium numeratum eſt. In his tribus caſibus, ut uenditio diſſoluatur, opus eſt, ut retraditionis actus retro priori ſimilis interponatur, ut C. eodem l. j. & ij.

SI PROPTER PVBLICAS PENSITATIONES VENDITIO fuerit celebrata. TIT. XLVI

Sæpe fit ut uenditio non reſcindatur, puta ſi iſta quatuor interceſſerint, ſi res ſit uendita ſub haſta, ſi ſincera fide, ſi iuſto pretio: præſertim ſi res fuerit hominis maioris xxv. annis. his tribus ceſſantibus, uel aliquo iſtorum trium, ipſo iure nulla eſt uenditio, reuocariq́ poterit, & per dominum, & per creditorem, ut C. eo.

SINE CENSV VEL RELIQVIS FVNDVM COMPARI non poſſe. TIT. XLVII.

Crederet forte quis ſine cenſu ſcilicet toto, hoc eſt, ubi nihil adhuc dependum eſt, uel ſine reliquis, hoc eſt, ubi aliqua tributa iam ſoluta ſunt, fundũ cõparari poſſe. Audi in contrarium, id eſt. compari non poſſe. Et certe uenditor amodo pro tributis conueniri non debet, ſed emptor ſolus: etiam temporis præteriti nomine, nempe pro tributis res conuenitur non perſona. nam & quandoq́ue prædio non homini ſentencia datur, ut ff. de publica l. Imperatores, ut ff. de nego. geſt. l. fideiuſſor. Hoc quod dictum eſt uerum eſt, ubi nullum pactum interpoſitum eſt, ut uenditor fiſco reſpondeat. idem erit ſi pactum interceſſerit: nam cum forma iuris publici ſit, ut pòſſidentes, ergo ementes conueniantur, & nequaquam non poſſidentes, id eſt, uendentes, nihil ualebit pactum, etiam ſtipulatiòne uallatum, ut C. eodem l. j. & ij. non ualebit inquam, ut fiſcus neceſſe habeat conuenire non poſſeſſorem, id eſt uenditorem. Sed nec uenditor propter pactum à fiſco de facto petente, iure ad ſolutionem artabitur. Sanè proderit hoc pactum emptori contra uenditorem: quippe ex tali pacto incontinenti interpoſito, uel actione informata uel præ. uerb. nata, poterit emptor urgere uenditorem, ut ſibi reſoluat, uel reſtituat tributa, quæ fiſco dependerit. uerum antequam emptor dependerit, uenditor ut dependat artari non poterit, ut C. eo. l. ij. econtrà eſt in uſuris. ſiquidem ex tali pacto emptor artabit uenditorem, etiam poſteaquàm ſoluit uſuras, & arram, ut C. de pactis l. ex conuentione. In ſumma notandum èſt, quòd hodie poſt factam diligentem examinationem, ſi emptor fuerit inuentus minus idoneus, uenditor tunc apud geſta confiteri cogitur, quòd periculo ſuo tranſpoſitio fit fiſcalium tributorum, ut C. eo. l. ult. Si improbè inferatur, ergo Italici debent? ergo Theſſalonicenſes? reſpondeo, falſum eſt. Talis itaq́ locutio, omnes tributa debent: exceptis illis, qui legibus excepti ſunt omnes tributa debẽt, huic locutioni ſimilis eſt illa exceptis nobiliſſimis, & barbaris, cæteri ſolo conſenſu matrimoniũ contrahunt: non tamen concubinarij cum concubinis, nec ſenator cum liberta, nec aliquis cum quadam ſcęnica. ergo quod dicitur cæteri ritè contrahunt, ita intelligatur, cum mulieribus non imparibus. Sed legitur quod mulier præfertur creditoribus omnibus, nec tamen iudicio meo pignora, uel expreſſas hypothecas habentibus. quippe tale eſt, quale eſt, quod dicitur, præfertur omnibus, exceptis his qui excepti ſunt. Idem præfertur mulier creditoribus omnibus, ſed talibus qualis ipſa eſt hypothecis tacitis utentibus.

DE PERICVLO ET COMMODO REI VENDITAE. TIT. XLVIII.

EXpoſuimus quando emptio teneat, deficiatúe, qualiter contrahatur, uel diſſoluatur: nunc audiamus de periculo, & commodo rei uenditæ. Et certe poſt contractam uenditionem, id eſt, ante traditionem, & commodum, & periculũ, ad emptorẽ pertinet: non ita eſt in locatione, etiam poſt traditionẽ. Porrò ut plenius ſciri ualeat, quando poſt contractum uenditionem res pereat emptori, in hunc modum diſtinguendum puto. Contrahitur uenditio, aliâs purè, aliâs ſub conditione. item ubi purè uenditur, aliâs per ſcripturam, aliâs ſine ſcriptura. Item ſine ſcriptura, aliâs uenditur ſpecies, aliâs quantitas. item ubi quantitas, aliâs ut ſpecies. Repetitis ergo ſeorſum præfatarum diuiſionum membris, aliâs periculum pertinet ad emptorem, aliâs contingit uenditorem. Et quidem ſi ſpecies uenit, emptori peribit: Hoc ita ſi purè, hoc ita, ſi ſine ſcriptura. idem erit ſi quantitas uenit tanquam ſpecies: ita tamen ſi uinum ſit deguſtatum, uel deguſtatio ſit omiſſa per pactum. Hoc enim promiſcuè uerũ eſt, quia ſiue ſit in quantitate uenditum, non æſtimatur plenè uenditum: niſi ſit deguſtatum, ut ff. eo. l. neceſſario. & C. eo. l. cum inter l. cum conuenit. ff. eo l. j. §. j. & l. ſiquis. Amplius & ubi uenditur in quantitate, ut ad emptorem ſpectet periculum, opus eſt ut ſit menſuratum, uel per emptorem factum quo minus ſit menſuratum. nec enim aliâs hoc in caſu uenditum uinum, quo ad periculum emptoris, plenè uidetur uenditum, ut ff. eo. l. j. §. ij. & l. ſi per emptorem. Ergo & ſi emptor fuerit in mora, uel aliâs peccauerit, quo minus res uendita ſibi tradatur, ſubibit periculum, ut ff. eo. l. ſi per. Idem erit ſi res emptori tradita ſuo uicio euincatur, uel quia non adfuit, uel quia præſens iura competencia non allegabat, uel quia actori non denunciauit, uel quia iudicis iniuria ſuccubuit, ut C. eo. l. j. ff. de euict. l. ſicut. l. ſi pet. Quod tamen de euictione dixi, ita debet intelligi: niſi denunciandi neceſſitas pacto fuerit remiſſa, uel niſi emptor cognoſcere non potuerit ubi uenditor fuerit, uel niſi aliâs per uenditorem ſit factum ut ei non ſit denunciatum, ut ff. eo. l. ſi per ff. de euict. l. ſi dictum l. ſi ideo. Pertinet inquam periculum (ſicut diſtinctum eſt) quod culpa emptoris contingit: periculum inquam mortis, periculum deteriorationis, periculum euictionis: niſi euictio ex præcedenti tempore cauſam traxerit, ut C. eo. l. j. Idem ſi caſu periculum contingit. idem ſi naturaliter res uendita, interitum uel detrimentum paſſa fuerit. Excipitur, niſi mihi uenditor etiam ignarus uini bonitatem duraturam adfirmauerit, cum non durauerit, uel non duraturam nõ prius dixerit, cum id ſcierit, ut ff. eo. l. ſi uina. exceptis itaq; prædictis caſibus ex conuerſo latere, periculum pertinebit ad uenditorem, puta ſi ſpecies ſub conditione uenit: ita tamen, ſi res perierit, non ſi deterior facta fuerit: hoc enim licet mirabile uideatur ad emptorem pertinebit, ut ff. eo. l. neceſſario. Item periculũ poſt uenditionẽ contingens ad uenditorem pertinebit, ubi per ſcripturam cõſummata nõ legitur, ut C. eo. l. cũ inter. Idem ſi quantitas uenit ut quantitas, & deguſtara nondum tamẽ menſurata eſt: nõ tamen dico ſignata, non enim ſignatio fit in dolijs, ut uinũ pro tradito habeatur, ſed nequid ſubmittatur, ut ff. eo. l. j. Idẽ ſi fuerit uenditor in mora tradendi, mora enim trahit ad ſe periculũ. idem ſi uenditor aliâs effecerit, ut pereat quod uendiderit. idem ſi pacto periculum ſuſceperit. idem ſi omiſſa cuſtodia, quam præſtare debuit, uenditor amiſerit. Sed & euictionis ad uenditorem ſpectabit periculum, ſi nullum emptori poſſit adſcribi uicium. In ſumma ſciendum eſt,

quòd uenditor

quòd uenditor debet cuſtodiam, ſed non infinitam cuſtodiam, ergo tempore tranſacto, quo uinum tolli debuit, uenditor uinum poterit per corbes in terram effundere: niſi maluerit: ut laudetur, aliena uaſa conducere, uel ſua locare, ut ff. eo. l. §. penult. & ult. & ff. eo. l. ſiquis. §. ult. Tempus autem tollendi uinum eſt, quod ſtatutum eſt, id eſt, à uendente. idem erit ſi non fuerit ſtatutum, quippe ubi uenditor non eſt mercator, tempus uindemiarũ expectatur: ſi fuerit mercator is dies ſpectandus eſt, quo ex cõmodo uenditoris tolli poſſint, ut ff. eo. l. hoc ita. poſtea uinũ effundere poterit: ſi tamẽ emptori, ut tollat, denunciauerit, ut ff. eo. l. j. §. penunlt. Item in ſumma ſciendũ eſt, quòd lectorum cõparatorũ in uia publica poſitorum per ædiles facta conſciſio, ad uenditoris pertinet damnum: hoc ita oportet intelligi, ſi lectorum in genere facta uenditio fuerit, uel uenditoris culpa id contingat, ut ff. eo. lectos. Amplius illud notandum eſt, quòd ſi uina emerim exceptis acidis & mucidis, licet mihi expediat acida quoq; accipere, tamen ea nõ potero petere, quamuis mei cauſa fuerit exceptum. Nam ea quæ inuitus emptor accipere non cogitur nec uenditor uendere compelli debet, ut ff. eodem l. ſi uina.

DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENDITI. TIT. XLIX.

QVia uendere & emere uendentibus & ementibus paruam uel nullam utilitatem adferret, niſi tam uenditor, quàm emptor, actiones haberet, de actionibus empti & uenditi audiamus. Videamus itaq; quibus competant hæ actiones, tam directæ quàm utiles, in quos, in quantum, & quales ſint actiones. uenditi directa uenditori competit, ei cuius nomine res uendita eſt. Vtilis uenditi pupillo, furioſo, prodigo, collegio competit: hoc ubi per eorum procuratores, tutores, curatores, œconomos, res uendita eſt. In has actiones uenit in primis pretium, quo res uenijt: uſura quoq; quam mora generauit, quam fructus quoq; perceptus generat. Idem erit ſi percipi potuit. Venit & ſumptus in re uendita à uendente factus. uenit & ſumptus rei uenditæ, curatæ, ſerui diſciplinati, & ſerui funerati, & mortui ſine culpa uenditoris. Venit & id quod expreſſim conuenit: puta ut fideiuſſor detur, puta ſi pluris rem emptor uendiderit id uenditori præſtetur, puta ut emptor colonum perfrui paciatur, ut ff. eo. l. inter eum §. ex uendito §. ſi inter. §. ſi uenditor. ueniunt quoq; ruta cæſa, ſi ab emptore fuerint exportata: niſi ſpecialiter conuenerit, ut ff. eo. l. ſi fundi. §. ſi ruta. fructus quoq;, ſi iam ſecti, & in fundo uendito iacentes, per emptorem exportati (quod eſt notabile) repetuntur actione uenditi, ut C. eo. l. ij. Nam & ſi ſeruus uenditus uenditori quid ſurripuit, & ad emptorem pertulit, actione ex uendito emptor conuenitur, ut ff. de contrahen. empt. ſed ad. Sed & actio empti directa competit emptori, & eius hæredi, in uenditorem, & eius hæredem. utilis empti ei competit, cuius nomine res empta eſt, ut ff. eo. l. inter §. ſi procurator. In has actiones uenit in primis, ut res tradatur, & emptor in poſſeſſione potior conſtituatur. Venit & ſiquid aliud emptori præſtari pacto conuenit. Venit etiã ut uenditor debitori debeat cauere iumenta uẽdita ſana fore, & eſſe & bibere, ut oportet, ut ff. eo. l. ex empto. Venit quoq; ſiquid poſteà ſeruo puta uendito acceſſerit, ut ſiquid ei uẽditoris intuitu donatũ relictũue fuerit, ut ff. eo. l. ſi inter §. ſiquid. uenit & acceſſio naturalis, ut alluuio. uenit & dolus & culpa uenditoris.

uenit & omiſſa cuſtodia, ut ff eo. l. inter. §. ſi Titius. §. in his. uenit & hoc, ſcilicet ut ſi uenditor ſciens pecus à ſe uenditum eſſe morboſum, ad omne intereſſe teneatur, ſi ignorauit quanto minoris: in uaſe uendito uicioſo, uel locato, non diſtinguitur ſciens ab ignaro, ut ff. eo. l. tenetur §. j. Sanè ignarus uenditor nomine uicij quod ſit in mente: niſi ſit fugitiuus, uel erro, non tenetur: niſi furem non eſſe furem adfirmauerit, ut ff. eo. l. inter §. ij. aliâs pro fure ſeruo uendito, ignarus uenditor, nec quanto minoris tenebitur. Illud conſtat quòd hæ actiones ciuiles ſunt, bonæ fidei, perſonales, & perpetuæ. In ſumma notandum eſt, quòd ſi uenditor ſciens quem alienum uendidit, & dixerit, neúe co nomine quid præſtet, iudicio empti tenebitur, ut ff. eo. l. tenetur. Sed & illud ſciendum eſt, quòd ex empto agitur, ut quis paciatur ſeruitutem imponi prædio empto tradito, cū debuerit ſeruitus ante traditionem imponi, ut ff. eo. l. ſi tibi. Item illud ſciendum eſt, quòd ex empto agitur (quod eſt notabile) ut emptio reſoluatur, puta propter pactum. Sed & propter dolum, ut ff. eo. l. ex empto §. iij. Illud ſciendum eſt, quòd res uendita quaſi pignus retinetur quo ad pretium ſoluatur, ac ſi apertè diceretur, prius debet pretium offerre, quàm res tradi. Sed & illud ſciendum eſt, quòd fructus iam maturi agrū ementi cedunt, ſed ſi locatus ager fuit, penſiones uticꝫ ei cedūt qui locauerat, ut ff. eo. l. inter §. offerri. §. ſi fructibus. Illud quocꝫ ſciendū eſt, quòd ſi uenditor ignorans de tributo nihil dixerit, nō tenetur, ut ff. eo. l. ſi ſterilis. §. ij. non tenetur inquam ad aliquid quaſi nomine uicij, uel non tenetur ad intereſſe, ſed quanto minoris, ut C. eo. Sed & illud ſciendum eſt, quòd licet emptio non teneat, tamen ex empto agitur, ut ff. eo. l. ſi ſterilis. §. ij. Nam & pignoraticia competit, ubi pignus non conſiſtit, ut ff. de pigno. l. ſi rem Item illud ſciendum eſt, qòd ſiquis ſciens rem alienam mihi ignoranti uendiderit, & prtuſquam euincatur, utiliter ex empto eum potero conuenire, ut ff. co. l. ſeruus. In ſumma quocꝫ notandum eſt, quòd ſi res uendita non traditur, ad intereſſe agitur, nec enim iudicio meo præciſè ad tradendum conueniri poterit uenditor, ſed intereſſe præſtando ſuperabit: hocꝫ eo argumento arguitur, quod C. eo. l. iiij. legitur, uenditorem ad intereſſe teneri, ſi per procaciam rem uenditam tradere nolit: ac ſi apertè diceretur, ſi uenditor intereſſe præſtare malit, rem uenditam retinere, & non tradere poterit. Sed & C. de iure emphy. l. ult. legitur dominum emptorem emphyteuſeos in poſſeſſionem inducere debere, ſi emphyteuta uenditor uelit emponemata tradere.

SI QVIS ALTERI VEL SIBI SVB ALTERIVS NOMINE VEL aliena pecunia emerit. TIT. L.

Siquis liber & pubes ſui iuris, & ſibi & nomine ſuo emerit, actionem directam ſibi quærit. Sed & ſi traditio rei uenditæ in eum collata fuerit, ſed non uſucapio: procedit, & eſt hoc uerum, etiamſi nomen alterius, ut uxoris, uel ſocrus, inſtrumento inueniatur inſertum. Idem fiat & ſi tabulas ille cuius nomen inſertum eſt detineat. idem quocꝫ erit & ſi rem uenditam ille alius uſurpauerit. fit autem res uendita ementis, uel per traditionem: uel accipientis etiam ſi pecuniam alienam numerauerit. In prædictis tamen caſibus, quia contra ementem præſumitur propter ſcripturam, quæ perhibet alium emiſſe, is qui uenit, ueritatem cogitur adſtruere, ut C. eo. l. j. ij. iij. iiij. Vbi quis emit alij, diſtinguunt an de illo alio tantum in corde gerat, uel eius nomen expreſſim in emendo adijciatur, nempe ut procurator ſiquid emerit dicens uenditori, tanto pretio res hæc eſto mihi uendita, & uenditor annumerauerit: profectò procurator directam actionem ſibi, utilem domino quærit. Si poſſeſſionem ritè acceperit, illam domino, cuius

mino, cuius negocium ex mandato agit, quærit, & poſſeſſionis mediatæ dominium ſtatim obuenit mandatori. Porrò ſi procurator dixerit, tanto pretio ſit illa res empta: licet uenditor annuerit, nulla actio quæritur, nec procuratori ementi licet potuit, quia non uoluit: nec mandati, licet uoluit, quia non potuit. Sanè in alterutrum ex his per uenditorem collata traditio, licet ex inutili contractu dominium transferetur, ut C. eod. l. nihil. Quid enim attinet dicere, dominium nõ eſſe translatum cum uenditor & amittere & transferre uoluit? Idem contingit etiam ubi ex contractu emptionis dolo malo inito res traditur, ut C. de reſcinden. uen. l. dolus. idem dico, ubi res traditur ex contractu initiato per ſcripturã: licet ſcriptura non fuerit conſummata. In ſumma notandum eſt, quòd licet per procuratorem alij expreſſim ementem, nihil agitur, per nuncium tamen rectiſſimè emptio contrahitur, ut Co. eod. l. ult. nec enim nuncius propriè procurator eſt: licet uideatur poſſe argui eum eſſe procuratorem, ſecundum procuratoris definitionem. In ſumma quoq; notandum eſt, quòd eſt dictum per nuncium emptionem contrahi, oportere intelligi: non ut nuncius contrahat, ſed ut per nuncium is eam contrahat, qui miſit nuncium. Eſt enim nuncius uelut pica & organum, & uox mittentis, qui poteſt capere capiat.

DE REBVS ALIENIS NON ALIENANDIS, ET de prohibita rerum alienatione, uel hypotheca. Titulus lj.

AVdiuimus ſuprà alterius factum, ut nomẽ alterius ſimulatè adſcriptum, alteri nõ prodeſſe: nunc audiamus alterius non obeſſe, & certè ſiquis rem alienam tradiderit, regulariter dominium non transfert. Excipitur, niſi id contingat, uel ex officio priuato, uel ex officio publico. Ex officio priuato, ut per procuratorem, actorem, œconomum, filium, ſeruumúe in peculiaribus quandoq;. Ex officio publico, ut per tutorem, per executorem. Porrò rei alienæ alienatio de facto tantum procedens, multis modis confirmatur. ecce enim domini dicto facto quoq;, ut ſi ſubſcripſerit: ſilentio quoq;, ſucceſſione quoq;, ut ſi alienator ſucceſſerit domino, uel dominus alienatori. Rerum quoq; propriarum tribus modis alienatio prohibita eſt, per leges, per pactiones, per ultimas uoluntates, ut C. cod. l. ult. ecce enim per leges pupilli res proprias, nec mariti fundos dotales alienant, ſed poſt iudiciũ diuiſorium cõteſtatum, ſi ſocius uelit emere, dominus partis ſuæ dominium uendendo in aliũm transferre nõ poterit, ut C. de com. rerum alienant. l. penult & de condict. ob cau. dat l. ea lege. Qualiter per ultimam uoluntatem alienatio ſit prohibita lippis & tonſoribus patet.

DE COMMVNIVM RERVM ALIENATIONE. TITVLVS LII.

REm cõmunem quis uendit quandoq; tanquam cõmunem, quandoq; tanquam propriam. Si tanquam communem mandato intercedente, mandati ſocio tenebitur, contra tamen negociorum geſtorum cõuenietur, ſi dominus uenditionẽ ratam habuerit, hoc eſt, niſi partem ſuam ab emptore uindicare uoluerit. porrò ubi quis uendit rem communem uelut propriam, quantum ad partem ſocij quam tradidit, nihil agit. ergo pars illa à domino poterit uindicari perpetuò, niſi proceſſit poſtea uſucapio, uel præſcriptio, uel niſi modus præcedente titulo. Ex poſitis alienatio irrita ab initio, poſtea confirmatur. In ſumma no

tandum eſt, quòd fiſcus rem communem, etiam prorſus aliena in totum ualet alienare, ut Cod. eod. l. ij.

REM ALIENAM GERENTIBVS NON INTERDICI rerum ſuarum alienatione. Tit. liij.

Res alienas gerentibus ex officio publico priuatoúe, rerum propriarũ alienatio nõ eſt interdicta: ubi aliâs uel lege, uel pacto, uel teſtamẽto ſit uetita. uerum res alienata ab emptore, tranſibit cum ſua cauſa, ut Cod. eo.

DE PACTIS INTER EMPTOREM ET VENDITOrem compoſitis. Tit. liiij.

Diximus in ſuperioribus de ipſis principalibus pactis emptoris & uenditoris: nunc audiamus de accidentalibus pactis inter emptorem & uenditorem compoſitis. Et quidem pactorum, quæ cum emptoribus fiunt, quædam ſunt de ſubſtantia negocij, quædam de natura, quædam prorſus extra ſiue accidentalia. de ſubſtantia negocij ſunt, quæ de augendo ſiue diminuendo pretio fiunt. Hæc actionem pariunt, & ex interuallo pacta interpoſita. pacta de natura negocij, & cætera ita demum pariunt actionem ſi in continenti fiunt. De natura negocij pactum eſt quod pro euictione fit. Prorſus accidentale eſt, puta ut Codex uenditus ad exemplum detur. Item pactorum accidentalium quædam ſunt digniora, & nomen habentia, ut lex commiſſoria, in diem: indigniora nomineq; carentia, ut cætera, puta ut res uendita retradito pretio quandoq; retradatur, ut Cod. eod. l. ij. ut uſura præſtetur ex pretij retardatione ſola, ut C. eod. l. in initio, ut res uendita propter ſtatutum pretium non ſolutum redeat, reuertatur, reſtituatur, ad emptorem pertineat. His quatuor uerbis pactio innominata concipitur, & parit tantũ actionẽ præſcript. uerb. ergo non lex commiſſoria, qua interpoſita, utilis uindicatio datur, ut Cod. eod. l. commiſſoriæ. lex autem commiſſoria in pignoribus reprobata in uenditionibus admiſſa ita concipitur: ſi pretium non ſolueris die ſtatuta, res ſit inempta. Sanè in diem adiectio ita fit: eſto res inempta, niſi quis intra certum diem meliorem attulerit conditionem. Alias diuiſiones multas pactorum, ſuprà in titulo de pactis diligens lector poterit inuenire. In ſumma quoq; notandum eſt, quod notabile eſt, pactũ factum ne in fundo uendito fiat monumentum, eſſe ualidum. fortaſſis enim uenditor aliâs uenditurus nõ fuerat ut C. eo. Nec uideatur abſurdum ſi pactum per ſe ſit ualidũ, licet paciſcentis pecuniariter non interſit, ſicq; ad intereſſe, utpote quod nullum eſt, agi poſſit. Nam nec ex ſtipulatione ſponſalium actio naſcitur, per quam ſponſus ſponſam ducere compellatur.

SI SERVVS EXPORTANDVS VENEAT. TIT. LV.

Generaliter ſuprà poſuimus de pactis, quæ fiunt in uenditionibus quarumcunq; rerum: nunc audiamus de pactis, quæ fiunt in uenditionibus hominum uenditorum: quia pactum fit de homine aliâs pro homine, ut ne proſtituatur, aliâs contra hominem, puta ut exportetur, de his audiuimus. & primum de eo pacto, quod fit ut homo uenditus exportetur. uenditur ſeruus pacto, lege dicta ut ſeruus exportetur. uerum quandoq; pacto comprehenditur, ut ſeruus exporteretur, & nihil additur. Hoc in caſu non ex pacto ad intereſſe agitur, & ſi homo non exportatus de facto fuerit manumiſſus (nec enim de iure manumittere poteſt)

poteſt)longas ſuas manus fiſcus inijciet. Quandoq; legi dictæ de exportando uenditor adijcit,ut liceat ſibi manumittere, quandoq; ut poſſit pœnam petere, quandoq; utrumq;. Certè ſi pacto nō ſit paritum,& homo non ſit manumiſſus, uenditor ſecundum tenorem pacti,uel alterum prædictorum faciat, uel utrūq;. Sanè celebrata manumiſſione per emptorem,de facto, uel de iure, ſi mancipiū uenditum inueniatur rurſum in locis prohibitis fiſcus illud in ſuam ſeruitutem perpetuam uindicabit,ut C.eo.l.j.Superiora ita ſunt uera, niſi uenditor legem remiſerit:etiam ita ſunt uera,ſi ſeruus uenditus conueniente emptore in locis ꝓhibitis apparuerit,ut C.eod.l.iiij. In ſumma quoq; ita notandum eſt, ꝙ ſi quis prohibitus eſt in locis minoribus,prohibitus eſt & maioribus: ſed non conuertitur,ut C.eod.l.ult.In ſumma quoq; ita notandum eſt, quòd lex de exportando homine à primo uenditore dicta,locum uindicat, etiamſi certè ſecundus emptor contra pactum faciat.Idem fiet non tantum ſi primus uenditor legem dixerit,ut ſeruus exportetur,& non exportatus in ſeruitutē reducatur. Sed & ſi eandem legem emptor primus,ſecūdusúe,uel ulterior,eundem hominem uendendo repetierit: Nam etiamſi uoluntate ſecundi emptoris contra legem moratus ſit,potior habendus eſt ille,qui acceptor fuerit legis,et poſterior magis intelligitur cauſa emptoris admonendi,eandem legem repetiſſe.Siquidem nullò modo auferre poteſt legem ſui uenditoris,cuius cōditio extitit.Quid ergo fiet,ſi prior uenditor legem dixerit,ut ſi proſtituta eſſet ancilla,libera fieret, poſterior adiecit,ut manus inijci liceret?et quidem lex fauorabilior prima fuerit, ultima non effectum ſortietur,ut ff.eod.l.Titius.

SI MANCIPIVM ITA VENIERIT, NE PROſtituatur. Tit. lvj.

SEquitur ut audiamus de eo pacto quòd pro homine uendito fit,puta ne proſtituatur:& quidem quandoq; uenditor ſimpliciter dicit, ne proſtituatur.Et quidē quandoq; adijcit ſi fuerit factum contrà, ut ſibi liceat inijcere manū,quandoq; ut ſit liber.Et certe ſi ſimpliciter dictū ſit,ne proſtituatur, proſtitutum ſit liberum. Multo fortius(ſicut dictum eſt)ut proſtitutum fiat liberum.ſi uero dictum eſt,ut liceat manum inijcere,uenditor qui non proſtituit, nec proſtituenti conſenſerit,in ſeruitutem ſuam mancipium proſtitutum poterit reuocare,ut C. eo.In ſumma notandum eſt,quòd mancipium proſtitutum lege dicta ne proſtituatur,ex conſtitutione diui Adriani ſit liberum,ut C.eod.l.j. Item in ſumma notandum eſt, quòd ex conſequentia quædam ne fiant in fraudem legi dictæ, mancipiū intelligitur proſtitutum,ſi habeatur in caupona,ut uina fortia & dulcia uiatoribus præbeat,ut Cod.eod.l.ult.Diſtat inter hoc pactum,& ſuperius, quia ſuperius eſt contra hominem,hoc fit pro homine:ſuperius fit adfirmatiuè, hoc negatiuè:ſuperius remitti poteſt,hoc minimè.

SI MANCIPIVM ITA FVERIT ALIENATVM, VT manumittatur,uel contra. Tit. lvij.

EXpediuimus in ſuperioribus de pactis duobus ſpecialiter,& ſeorſum,quorum alterum ſit pro homine,alterum contra hominem:nunc audiamus cōmuniter & promiſcuè de pactis pro homine, & contra hominem. Explicemus quid iuris ſit,ſi mancipium fuerit alienatum, ut manumittatur:uel contrà,id eſt ne manumittatur,& lege dicta de manumittendo duorū principum,id eſt Marci & Commodi miſſa ad Aufidium Victorinum locum uendicat conſtitutio.

Videamus in quibus contractibus locum habeat, & quando libertas ex prædicta Conſtitutione competat. Profectò ſi uenditor cum uendit mancipiũ, legem dixerit, ut ab emptore ad libertatem perducatur, & emptore ceſſante manumittere, per Conſtitutionem prædictam tacitam repræſentantem factum perſonæ, quæ debuit manumittere, in libertatem rapitur. Idem ſi dictum ſit, ut manumittatur, ſi dictum ſit, ut liber ſit tempore tranſacto. Idem contingit ſi uenditor dixerit, ut libertate donetur, uel ut liberetur, uel ut emptor curet liberare, ut Co. eod. l. j. ij. iij. iiij. Competit autem libertas per Conſtitutionis prædictæ beneficium, non tantum ſi uenditor legem dixerit, ut emptor manumittat, ſed etiamſi emptor legem dixerit, ut ſi uenditor ſeruum uenditum à ſe traditum ad libertatem perducat, ut C. eod. l. ſi is. Competit autem prædictæ Conſtitutionis beneficium ita demum ſi is, qui legem dixit, uoluntatem nõ mutauerit, nec enim uoluntas hæredis exquiritur, ut C. eod. l. j. & ff. eod. l. ſi uenditor. Sanè uoluntatis mutatio non id efficit, ut ab emptore manumitti nõ poſſit, ſed id efficit ne cõſtitutio locum uendicet. Locum uendicat prædicta conſtitutio in contractibus nominatis duntaxat, hoc eſt, ut ſerui ſint uenditi, donati, permutati. Et quidem tempore ſtatuto certo libertas per Conſtitutionem cõpetit, eo præterito, ſi tempus certum non fuerit adiectum: poſt duos menſes in libertate ſeruus erit, ſi ambo præſto ſint & manumittendus, & is qui manumittere debuit: aliàs poſt quatuor menſes, ſi habitent in diuerſis prouincijs: hoc ita niſi manifeſtiſſimè apparuerit actum fuiſſe, ut moriente eo, qui debuit manumittere, libertas competat, ut ff. qui ſine manumiſſ. l. ult. Si mancipium fuerit alienatum lege dicta ne manumittatur, nam cui licet legem immutare de manumittendo, quod intereſt hominis, multo fortius legem de non manumittendo, quæ ſeruatur in homine, ut C. eod. l. ſi ea. forte ſicut ſeruus teſtamento manumitti uetitus fauore perſonæ, illa perſona defuncta, manumitti poterit: ſed hodie ſerui nunquã ita manumitti poterunt, ſi lege inter uiuos dicta alienator cauerit, ne manumittantur, ut Cod. qui non poſſ. ad libert. peruenire l. ij. In ſumma notandum eſt, quòd ſi pœna impoſita fuit, & per ſtipulationem non exigitur, licet ſeruus qui lege dicta fuerat manumittendus nõ manumittatur, Conſtitutio uelut perſona libertatem imponit, ut Cod. eod. l. ult. Item in ſumma ſciendum eſt, mirabile fore duplici ratione, quòd is, qui legem dixerit de manumittendo, eam mutare poſſit: & quia cũ mutat, in ſeruo nihil iuris habet, & quia libertati deroget. In ſeruis exportatis (ſicut ſuprà diximus) Adriani cõſtitutio locum habet. Antonini & Seueri conſtitutio miſſa ad Vrbium Maximum locũ uendicat, quãdo is, qui ſeruum emit, numis ipſius ſerui lege dicta à ſeruo ut manumittatur, manumittere nõ uoluit, ut ff. de manumiſſ. l. iij.

DE AEDILICIIS ACTIONIBVS. TIT. LVIII.

PErtractatæ ſunt in ſuperioribus à Rogerio bonæ memoriæ actiones empti & uenditi, quæ ſunt quaſi principales & dominæ: nunc ordiamur & dicamus de Aedilicijs actionibus, quæ ſunt illarũ quaſi pediſſequæ. Videamus itaq; quæ uel quot ſint actiones Aediliciæ, in quibus rebus ſunt pditæ, quibus competant, & in quos dentur, ex quibus cauſis oriantur, quales ſint, & quanto tẽpore durent. Sunt aũt tres Aedilitiæ actiões. Redhibitoria, quãto minoris, & in factũ actio. Illud ante oĩa ſciendũ eſt, redhibitionẽ quoq; cõtineri empti ciuili iudicio, ut ff. de act. empt. l. ex empto. Eſt aũt redhibitio uenditionis reſolutio. Eſt redhibere facere, ut rurſus habeat uẽditor qđ habuerit: & quia reddendo id fit, idcirco redhibitio eſt appellata quaſi redditio, ut ff. eo. redhibere. Cõpetũt aũt

hæ actiones emptoribus, permutatoribus quoq;, & his qui loco emptorum habentur, & eorum hæredibus, in uenditores, permutatores, & eorum ſucceſſores, ut ff. eod. l. j. niſi reſpub. Romana diſtraxerit, ut C. eod. l. j. Sunt autem iſtæ actiones proditæ in duobus generibus rerum, fundis, & animalibus, tam brutis, quàm rationalibus: Vlpianus tamen dicit, Labeonem ſcribere Aedilitium edictum pertinere, non ſolũ ad immobilia ſeſeq; mouentia, ſed ad mobilia quoque ut ff. eodẽ. l. j. Oriuntur autem actiones iſtæ ex quatuor cauſis, morbo, uicio, pacto, & ſi uenditores non cauent prout ædiles iubent, ut ff. eod. l. ſi uenditor. Eſt autem morbus habitus corporis contra naturam, qui uſum eius ad id faciat deteriorem, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. leuis autem febricula, aut uetus quartana, quæ iam ſperni poteſt, modicumq; uulnuſculum, non inducent edictum, ut ff. eod. l. j. urgebitur autem redhibitoria uenditor tam ignarus, quàm conſcius. debuit enim hæc habere nota uenditor: nec intereſt emptoris cur fallatur, an ignorantia uenditoris, an calliditate, ut ff. eo. l. j. Hæc tamen ita uera ſunt ſi emptor ignorauerit: niſi noſſe potuit, puta animal effoſſis luminibus ueniebat, ut ff. eodẽ. l. quæritur. Si autem emptor ſciuit, non redhibebit. remiſiſſe enim eam uidetur tacitè, neq; enim intelligitur eſſe cælatus qui ſciuit: certiorari non debuit, quia nõ ignorauit: ſed nec uolenti dolus infertur, ut ff. de act. empt. l. j. & C. de tranſact. cũ donationis. Sed & ſi uenditor nominatim exceperit de aliquo morbo, nomine eius morbi nõ cõuenietur: niſi perfunctoriè exceperit, ut ff. eo. l. quæritur. § ſi uenditor. Ex uicijs autem animi redhibetur homo duntaxat, ſi fuerit fugitiuus,, uel erro: animal nõ, redhibetur homo ex uicio: niſi dictum eſt uicium abeſſe, & nõ abeſt: uel niſi mixtũ ſit uicium, ex empto tamen agi poterit, ſi ſciens id uicium animi reticuerit, ut ff. eod. l. j. & l. ob quæ. forte & ignorans tenetur, ſi uicia animi corporis morbum excedant, ut ſi nimis ſint auari cupidiq;, ut ff. eo. ob quæ. fundus quoq; peſtibulas hærbas habens ſiue peſtiferas redhibebitur, ut C. eod. l. penult. & ff. eo. l. j. fit aũt redhibitio ex ordine propoſita redhibitoria actione, aliquando tamen redhiberi mancipium debebit, licet quãdo minoris agatur: puta ſi nullius pretij ſit mancipiũ, furioſum forte, uel lunaticũ, ut ff. eo. l. bouem. Sed & interdum non morboſum pecus, uel mancipium, redhibetur propter morboſum, ut ff. eo. l. plærumq;. ex pacto quoq; redhibetur per actionem in factum, ut ff. de reſcindenda l. ſi conuenit & C. eod. l. penult. & ff. eo. quod ſi. ſed (ſicut dictum eſt ſuprà) ſi uenditor nõ cauerit redhibitoria locũ habet, ut ff. eod. l. ſi uenditor. uenit autem in actionem redhibitoriam reſtitutio pretij & uſuræ. uenit etiam ſiquid acceſſionis nomine dederit, uoluntate tamen uenditoris, ut ff. eod. l. cum autem, & l. debet. Sed & ſi damnum emptor paſſus eſt per hominem, quem redhibet, ei reſtitui debet. Econtrario cum emptor redhibet mancipium, reſtituere debet ipſum non deterioratũ ſuo facto, familiæue ſuæ, uel procuratoris. Sed & reſtituere debebit emptor quidquid ad ſe peruenerit, uel culpa ſua non peruenerit. legata quoque, & hæreditatem, etiamſi ea ſeruus perceperit emptoris cõtemplatione: quia ſi uenditio remanſiſſet nihil hæc res emptori profutura fuiſſet. nam & per cõtrarium, ſi cõtemplatione uenditoris ſeruus, qui eſt in cauſa redhibitionis inſtitutus proponeretur, tamen diceretur reſtituere emptorem uenditori non debere, ſi nollet redhibere. Et generaliter dicendum eſt, quidquid extra emptoris rem, per eum ſeruum acquiſitum eſt, id iuſtum uideri reddi oportere, ut ff. eod. l. cum autem, & l. & generaliter. Sed & ſi propter iniuriam ſeruo contemplatione emptoris factam, emptor aliquid aſſecutus eſt, uenditori non redhibet, ut ff. eo. l. bouem. Ex his quæ dicta ſunt colligi poteſt, quòd redhibitoria actio nomine morboſorum animalium uiciorumq; hominum competit, Sed & in fundis (ſicut dictum

eſt)ut eo.l.ſi tamen. Quanto minoris uero actio competit,puta ſiquid uenditor de mancipio affirmauerit,non ut laudaret,ſed ut præſtaret,& tunc tantum redhibitorium iudicium intendi poteſt,ut ff.eod.l.ſiquis.& l.ſciendum. Et notandum eſt quod quanto minoris actione ſæpius agi poteſt:ita tamen ne lucrũ emptor faciat,& bis eiuſdẽ rei æſtimationẽ conſequatur,ut ff.cod.l.quod ſi.In factum actio competit ad pretium recuperandum, ſi mancipium puta ſine iudice ſit redhibitum,ſed & ſi uenierit:& ubi placuerit ut intra tempus præfinitum redhibeatur.Nomine quoq; cautionum omiſſarum,ſed & ornamentorum nomine præſtitorum,redhibitorium iudicium,uel in factum intenditur,ut ff.eod.l.ædiles.Sopitur autem actio redhibitoria vj. menſibus : quanto minoris anno utili, ut ff.eod.l.ſciendũ eſt l.ædiles l.ſi tamen l.cum ſex.In factum autem actio,quæ eſt de redhibenda re, ubi placuerit eatenus extenditur,quatenus cõuenit,etiam ſi pactum interceſſerit, ut perpetuò redhibitio fieret: ſi autem de tempore nihil conuenerit,in factum actio infra ſexaginta dies utiles accommodatur emptori ad redhibendum,ut ff.eod.l.quod ſi.nomine autem cautionum omiſſarum,& ut iumenta præſtentur,uti optimè ornata uendendi cauſa fuerint, redhibitoria actio,uel in factum,emptoribus infra quadraginta dies utiles datur, ut ff.eo.l.ſi uero & l.ædiles.Sunt autem actiones iſtæ non ciuiles,non proprie prætoriæ,ſed quaſi prætoriæ:quia ædilitiæ.ſicut enim ius prætorium iuris ciuilis pars eſt, ſic & ius ædilicium iuris honorarij portio eſt,ut Inſtitut. de iur. natur. Eſt autẽ actio redhibitoria,ut exiſtimo arbitraria,eſtq; prodita aliàs in ſimplum,ut ff.eodem l.redhibitoria.aliæ uero duæ actiones ædiliciæ,id eſt extimatoria,& quanto minoris,& in factum actiones,fortaſſis ſunt bonæ fidei.

DE MONOPOLIIS, ET CONVENTV NEGOCIATORVM illicito,uel artificum,ergolaborum,nec nõ balneatorũ prohibitis illicitis pactionibus. Tit. lix.

AVdiuimus ſuprà de emptione,et de appendicijs earum:& quia omnia mela exempla orta ſunt ex bonis initijs,audiamus de Monopolijs.μόνον græcè,latinè unus.πόλιο ciuitas inde μονοπόλιον,id eſt unica negociatio: & hinc Monopolus dicitur qui ſolus uult eſſe uenditor emptorúe * μονοπωλῶν enim dicuntur ij,qui ſoli quippiam uendunt,ut ij qui ius Monopolij impetrauerunt.à quo fit μονοπωλια ἢ μονοπωλιον huiuſmodi uenditio, & quia ideo illicitè cõueniunt negociatores,& artifices,& ergolabi,etiam de his dicamus. ἔργον, id eſt opus, inde dicuntur ἐργόλαβοι qui in ergaſterijs,id eſt in officinis laborant.Et quia balneatores quoq; illicitè conueniunt, & iurant, ne aliter balneent,quàm ſicut ipſi ſtatuunt.hoc quoq; prohibitum eſt, & de illicitis necnon prohibitis balneatorũ pactionibus audiamus.Prohibet Imperator Zeno nequis Monopolium audeat exercere,uel in ueſtibus,uel in piſcibus,uel in quibuſcunq; ſpeciebus.Prohibet,nequis artifex,balneator,ergolabus pro operis quas exhibere debent mercedes ab ipſis ſtatutas audeat exigere:nempe officium alteri,id eſt publicæ perſonæ iniunctum, nemo priuatus debet arripere, quia iuſtum eſt ſua cuiq; committere, & rebus uenalibus Iudeorum nullus exterus eorum religionis pretia debet imponere,ut C.de Iudæis l.nemo. ſed nec ordini ciuitatis grani pretia licet ſtatuere uel taxare,ut ff.ad l.Iuliam de anno.l.ult. ſicut em̃ uendere & emere nemo cogitur regulariter, ſic nec alio pretio niſi eo pretio, quo uelit uendere uel emere.Siquis autem Monopolium auſus fuerit exercere bonis proprijs ſpoliatus perpetuitate damnabitur exilij.primas cuiuſq; profeſſionis quinquaginta librarum auri pœna multabitur. iudicum officium niſi uetuerit uel iudici intimauerit

mauerit ubi ſciuerint quinquaginta ſimiliter librarum auri pœna ferietur.

DE NVNDINIS ET MERCATORIBVS. TIT. LX.

QVia occaſione uendendi, emendiq́ quandoq́ impetrantur à principe nundinæ, dicamus de nundinis. ſiquis nundinas impetrauerit nõ utendo amittit eas decennio, ut ff. eo. l. j. cur non. ergo & decimas non exigendo nundinas qui impetrauit, nullũ ibidem debet cõuenire, nec ſub occaſione debiti aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam debet inferre. cõuentus ergo ibidem iterum cum ſteterit, nundinæ utetur exceptione.

DE VECTIGALIBVS ET COMMISSIS. TIT. LXI.

QVia ſæpe res uenales, id eſt uectigal debentes etiam licitè tranſportantur: ideo de uectigalibus, ſcilicet rebus audiamus. uel de tributis, quæ res & prædia debent. Itaq́ quia non perſonæ, ſed & res & prædia conueniuntur, poſſeſſores præteriti temporis tributum compelluntur exoluere, ut ff. eod. l. uectigalia. Sed adnectamus de commiſſis ſcilicet rebus, quæ cõmittuntur in fiſcum. Res uenales debent uectigal, excipitur, niſi præſides faciant ſibi aduehi. Excipiuntur & illæ, quæ exercitibus ſunt comparatæ, & illæ de quibus uectigal præſtari nõ ſolet. Fiſcus quoq́ ab omnium uectigalium præſtatione immunis eſt. ridiculum enim foret, ut cum fiſcus hæc omnia accipiat: & hæc tribuere debeat, ut ff. eo. l. ſi publicanus & l. licitatio. In his exigendis ſi deliquerit publicanus, tenebitur actione in factum, quæ perpetua eſt, perſonalis, prætoria, arbitraria: & datur hæredi, & in hæredem, ut ff. eod. l. ſed &. Datur autem & in duplum, in quo tamen res eſt, ut ff. eo. hoc. mitiſſimè tamẽ agitur cum publicano: quia ſi reſtituerit, quod extorſerit, etiam iudicio cœpto ante definituam ſententiam ab ſoluitur, ut ff. cod. l. j. Sed & in eo clementer ſecum agitur, quia ſi primò cõueniatur in duplum actiõe in factum, etiam pro eo quod amplius eſt ui bo. rapto. à fugitiuo nõ conuenietur, ut ff. eod. l. j. Sanè ab initio in arbitrio eſt agentis, ut lit ne agere in duplum pro eo, quod illi extortũ eſt: uel ui bo. rapt. ſiquid ui fuerit ablatum, ut ff. eod. l. licitatio. Committuntur res in fiſcum, quæ illicitè tranſſportãtur ad barbaros: ut cotes, ſales, arma. neq́ enim cõuenit ualidiores armis reddere, quos telis cõuenit indigere, ſtatimq́ deſinũt eſſe cõmittentium, ipſoq́ iure fiunt fiſci, ut ff. eod. l. cõmiſſa: & ſic perſecutio cõmiſſi fiſco dabitur contra quemlibet poſſeſſorem, ergo etiam cõtra hæredem, ff. eod. l. cõmiſſa. Cõmittitur etiam nauis cum rebus, ſi dominus nauis ſciuerit: alioquin domino nauis reſtituitur, ut ff. eod. l. cotem. Commiſſa tamen pœna pupillo remittitur, ſi infra triceſimum diem uectigal fiſco perſoluerit, ut ff. eo. Imperatores. Si tamen homo commiſſus ante quæſtionem motam fuerit manumiſſus, ſtatus eius cõuelli non poterit, ut ff. eod. l. j. Sed nec quæcunq́ res commiſſa, infra quinquennium à fiſco non occupata, poſtea ab eo poterit uendicari: lite infra quinquennium à fiſco non anticipata, ut C. eod. l. ij. militibus parcitur in omiſſis promiſſionibus ut C. eodem l. iij. Illud notandum eſt, quod ad uectigalia cõducenda debitores fiſci, uel cuiuſcunq́ rei publicæ, non ſunt admittendi: niſi parati ſint ualde idoneos fideiuſſores dare. Et quia tempore ſtatuto exacto conductores inuiti retineri non debent: niſi ſi tanti locari non poſſint, cum maximos fructus ipſi perceperint, tunc enim ſuſcipere denuo compellendi ſunt, ut ff. eod. l. cotem. Item penes cum manere uectigalia oportet, qui ſuperior in licitatione extiterit: & ita, ut locatio talis non minus quàm triennij fine concludatur, ut Codicis eodem lege penes.

VECTIGALIA NOVA INSTITVI NON POSSE,
TITVLVS LXII.

NOua uectigalia nec decreto ciuitatum inſtitui debent inconſultis principibus: & ſiquis ea inſtituerit centum aureos dabit, etſi exercuerit l. Iulia de ui publica coërcebitur, ut ff. eod. l. Iul. de ui pub. l. ult. & ff. ad leg. Iul. de ambi. & ſi eorum à ſe inſtitutorum occaſione, aliquid publicanus citra fas extorſerit, inuitus cum pœna competenti reſtituet, ut C. eod. nō ſolent.

DE COMMERCIIS ET MERCATORIBVS.
TITVLVS LXIII.

NEgociatores, qui ad domum noſtram pertinent, etiam à potentioribus hominibus debitas & ſolutas penſitationes efflagitent, ut ſi ſic, à cæteris q̄d debent fuerit exactum, tolerabilior fiat agnoſcendæ deuotionis adfectus. Sed & aurum barbaris negociatores noſtri ſubtili ingenio ſtudeant auferre, & ſi ulterius aurum pro rebus quibuſcunq; ad barbaros fuerit translatum à mercatoribus noſtris, non iam damnis ſed ſupplicijs ſubiugentur. Etſi id iudex repertum non uindicabit: tegere ut conſcius criminoſa feſtinat. nec nobiliſſimi & honore luce conſpicui, patrimonioq; ditiſſimi, perniciosum urbibus debent mercimonium exercere, ut Cod. l. iij.

DE RERVM PERMVTATIONE, ET PRAESCRIPTIS uerbis. Tit. lxiiij.

DIximus ſuprà de cōtractibus nominatis, nunc audiamus de innominatis: & quia inter nominatos contractus præcipuus eſt cōtractus permutationis, de illo dicamus. uideamus itaq; quid ſit permutatio, qualiter cōtrahatur cō ſenſu uel re, in quibus cōuenit cum emptione, & in quibus differat, cui detur actio proficiſcens ex permutatione. Item qualis ſit hæc præſcript. uerbis actio, in rem, an in perſonam, bonæ fidei, ſtricti iuris temporalis, an perpetua, ciuilis, uel prætoria. Eſt autem permutatio rerum certarum uicaria præſtatio, ſtatq; in generali nomine. quippe omnis contractus etiam nominatus incertus in larga appellatione poteſt dici permutatio, ex quo inuicem datur & accipitur. ergo & uenditio & locatio, ſed ex inopia nominum: quia plura ſunt negocia quam nomina, obtinuit, ut præfata permutatio, quæ erat olim ante monetam percuſſam uetuſtiſſima emptio diceretur: ſicq; licet hoc nomen permutatio, ita competenter declinetur, ſicut & uenditio & locatio, tamen quia latè patet, nimiſq; eſt incertus ſecundum ſignificationem uerborum: contractus iſte qui dicitur permutatio, cenſetur innominatus, quòd caret proprio ſuo nomine: uel quia actio ex eo proficiſcens, nō contrahit nomen ex eo. Certè perficitur contractus iſte non conſenſu, ſed re. nempe à re demum tradita capit initium, tuncq; primum naſcitur præſcript. uerb. actio, quæ ex hoc contractu oritur, ut C. eod. l. ij. Idem in diuiſione, quæ nō niſi traditione, ſtipulationeúe ſumit effectum. Idem fuerat olim in donatione, ſed per Iuſtinianum ad ius commune aliorum cōtractuum redacta eſt: hæc autem illico ut facta eſt promiſſio oritur. Pro traditione facienda ex l. condictio cōpetit cum emptore: quia in utraq; procedit uſucapio, præſtaturq; euictio. Redditur hæc præſcriptis uerbis actio permutatoribus, alteri cōtra alterum, hæredibus permutatorum, & contra hæredes datur autem ut detur quod dari cōuenit, cum ex altera iam parte ſit datum. uel ut id quod datum eſt, ſi euin

catur præſtando intereſſe reſarciatur. hæc ita: niſi qui dederit, cum ſibi non detur, maluerit cōdicere: nec enim uendicare poteſt, cum dominium tranſierit. niſi forte utiliter in caſu alimentorum ad inſtar, ut ſicut ſi ſit donatum, nec ſit legi paritum, utiliter uendicatur: & ita forte ubi fuerit permutatum. Hoc ubi uerè, & propriè, & ſimplex contrahitur permutatio: hoc eſt niſi neuter permutator id quod permutauerit, uenale propoſuerat, at uero ſi alter uenale propoſuerat & poſſeſſor eſt, id quod permutauit nō condicitur, ſed ad intereſſe tantum agitur. ergo nō ex omni permutatione condicitur: quia nec ex iſta emptione ſimiliter, ut quidam dicunt. Sed ego puto hunc contractum, nec permutationē eſſe, quia ex eo nō condicitur: nec emptionem eſſe, quia de pretio nō conuenit, ſed mediū fore contractum inter emptionem & permutationem, ut C. eod. l. j. perſonalis eſt, & bonæ fidei, hæc præſcriptis uerbis, et illa quæ redditur de æſtimato omīs: aliâs præſcriptis uerbis ſtricti iuris eſt, niſi forte & illa quæ datur pro precario, ut ff. de precar. l. duo. perpetua eſt, & prætoria. Generaliter præſcriptis uerbis actio naſcitur ex pactis habitis in cōtinenti in quocunq; contractu, uetus quoq; actio informatur ex omnibus cōtractibus innominatis. Ecce enim ex facio ut facias, ex do ut des. Porrò do ut des quadrifariam ſpargitur: nam ſi do rem certam, ut aliam rem certam accipiam, permutatio eſt, ut C. eod. l. quoniam. Item ſi do aliquid, ut detur mihi pecunia uelut ſpecies, contractus innominatus eſt: multo magis contractus innominatus erit, ſi do aliquid, ut aliquid accipiam in genere: ubi uero do aliquid, ut accipiam pecuniam, uel in quantitate, cōtractus celebratur nominatus, uocaturq; emptio & uenditio. Ex quarto autem articulo id eſt ex facio ut des, de dolo actio datur, non præſcriptis uerbis: niſi cauſaliter, ut C. de tranſact. l. cum mera. Cæterum dico in hoc caſu, potius dari, quàm naſci: nam aliâs aliter naſcitur, id eſt proprio iure cōpetit, aliâs à principali datur, ut ff. de pact. l. iuriſgentium. Cōfugitur autem ad actionem præſcriptis uerbis, ubi cæteræ actiones, in cōtractibus puta innominatis, et in pactis habitis in contractibus, deficiunt: ſed & ad actionem in factum confugitur ſubſidiariò. Quoties enim deficit actio uel exceptio, utilis actio uel utilis exceptio, id eſt in factū datur, ut ff. de præſcript. uerb. l. quotiens. Illud notandum eſt, quòd omnis præſcript. uerbis actio, in factum eſt: ſed nō omnis in factum præſcript. uerb. nempe præſcript. uerb. actio ſpecies eſt, in factū genus. item præſcriptis uerbis tantum ex negocijs oritur, in factum etiam ex maleficijs, & quaſi ex maleficijs: puta ſiquis mihi adductum ſeruum alienum compeditū ſoluerit, panno rubro pecus fugauerit per laſciuiam. nam ſi dolo, furti, uel de dolo datur actio. Ex quaſi maleficio in eiectis & effuſis, & in perperam per imperitiam iudicatis, in factū actio datur, id eſt in defectū eius actionis tenor, in multis et uarijs iuris articulis proditus eſt, ut C. de eccle. l. ſancimus.

DE LOCATO ET CONDVCTO. TIT. LXV.

EXpediuimus ſuprà de emptione & uenditione: nunc audiamus de locatione, & conductione. Videamus itaq; quid ſit locatio, & conductio, quomodo conueniant, quibus modis contrahatur locatio & conductio, qualiter diſtinguatur locatio & cōductio, in quos competant, in quid, quales ſint, in rem an in perſonam, ſtricti iuris, an bonæ fidei, perpetuæ, uel temporales, ciuiles, uel prætoriæ. Eſt autem locatio perſonæ reiue ad uſum facta cōceſſio, mercede certa conſtituta in pecunia numeranda: alioquin ſi de re alia danda faciendaq; conuenerit, non erit locatio, ſed innominata forma negocij, ex quo agetur actione incerta, id eſt præſcriptis uerbis, ut ff. commoda. diui. l. ſi conuenerit ff. depo-

ſiti l.j.§ ſi conuenerit. Ita conueniunt uenditio, emptio, locatio, & conductio, ſolo conſenſu contrahuntur: ſolo inquam conſenſu tacito contrahitur locatio, puta ſi conductor finita conductione in ea ſteterit, uidebitur reconduxiſſe tacite in ſequentem annum: etiamſi tempus amplius primæ conductioni fuerat præſtitutum. Hoc inquam in ruſticis prædijs, in urbanis duntaxat quatenus inhabitauerit, ut ff. eod. l. item; § penult. tunc in annum etiam in urbanis intelligetur contracta conductio. Item conueniunt: quia ſicut in emptione oportet cõuenire de pretio etiam certo conſiſtente in pecunia numerata, ita in locatione de mercede certa etiam in pecunia. Et ſicut emptio confertur in arbitrum certæ & tertiæ perſonæ, ita locatio in arbitrium alterius, ſed aliâs generaliter: puta ſic quanti bonus uir fuerit arbitratus, ſed ſpecialiter, ideſt, quanti Titius æſtimauerit. porrò etiã generaliter in uno caſu (ut puto) pignoris, hypothecæúe, poterit enim ita fieri pignoris datio, ut pecunia non ſoluta ſua die, creditor rem poſſideat pretio iuſto æſtimandam: nõ nunc, ſed tunc, ut ff. de pigno. l. ſi fundus § ult. differunt in periculo, quia poſt emptionem cõtractam omne periculum ſpectat ad emptorẽ etiam ante traditionem nõ in poſt traditione. Item uenditor tenetur, ut uel rem tradat, uel intereſſe præbeat: ſed conductor aliquando excuſatur ab utroq;, puta ſiquis bona fide domum alienam locauit, ipſaq; fuerit euicta cõductori, ſufficit ei à locatore præſtari habitationem æque commodam. Idem ſi locator conductori domum abſtulerit ſuis uſibus neceſſariam, ut ff. cod. l. ſiquis. Item differt quia locatio non eſt titulus uſucapiendi, ſicut nec transferendi dominij: niſi cauſaliter, puta ſi ex locatione detur æſtimatum prædij inſtrumentum, tunc enĩ tranſit dominium. idem ſiquis locatione contracta, redemerit opus faciendum in alieno ſolo de ſua materia & ſua opera. quippe in ſolidum redemptor tũc dominium transfert & lapidum & cæmentorum, ut ff. eod. l. cum fundus l. item ſi pretio, ſimiles caſus legis & in naue Saupheij. Et notandũ quòd operis redemptor & locator, poteſt dici etiam conductor. Contrahitur locatio purè, in diem, & ſub conditione: etiam quoad locator uoluerit, et finitur hæc locatio morte, ut ff. eod. l. iiij. in perpetuum, & ad tempus: unde ſi deceſſerit conductor tranſmittit ad hæredem: niſi uſufructus fuerit alicui à domino locatore conſtitutus conceſſusúe, tunc enim morte cõductoris regreditur ad locatorẽ, ut C. de uſufruct. l. ſi domina. Diſtinguitur ita locatio: locatur aliâs perſona, ut foſſoris, & exceptoris: alias res, ut ager, domus, equus. Et certe ubi locatur perſona, ſiue perſonæ opera, locator debet recipere perſonæ mercedem, ſiue operam exhibuerit, ſiue per eum nõ ſteterit ſed per conductorem, ſcilicet per morbum, aliumúe caſum in eius perſona contingentem, præſertim ſi eodem anno ab alijs, ut nõ interſit ſua, exceptor mercedem nõ accepit, ut ff. eodẽ. l. ſed addes § Iuli. & l. qui operas. Ergo per contrariũ prædictis modis ſi per exceptorem, foſſorem, perq; aduocatum ſteterit, nec perceptam mercedem potuerit retinere. Aduocatus tamen non conducitur, nec eſt merces, quæ aduocato datur, ſed ſalarium, honorarium, ſuffragium, uocatur, petiturq; ſi fuerit cõuentum. Vbi ſtipulatio nõ interceſſerit; actio præſcript. uerb. uel act. in factum, uel (ut melius puto) condict. ex l. de ſuffragio. Locati autẽ competit locatori, & eius hæredi, cõtra cõductorem & eius hæredem. Venit in eã primis ut promiſſa merces præſteiur, eiusúe pretium. Item tenetur conductor locatori, ſi damnum dederit in re locata, etſi ab alio ſit coloni culpa illatum, uel per inimicitias conductoris uicio exortas, ut ff. eod. l. ſi merces § culpæ & ff. ſolut. matri. l. in his. Item ſi male fuerit cõductor in re locata uerſatus, poterit expelli impune, uel ſi penſionibus nõ paruerit, etiam ſi promiſerit ſe præſtaturum pœnam, tacitè enim ineſt ſtipulationi ea condictio ſi penſiones præſtiterit, ut ff. eo. l. quæro. In his duobus poterit quidem expelli,

ſed

ſed non impune:imo mercedem habitam debebit locator, ſi expulerit cōducto rem;illi refundere,non exactam non debebit petere,id eſt,ſi ſit domus locata ſibi neceſſaria,uel ſi refectionis ſit indiga. Aliàs locator,eiusúe hæres,nec debet, nec de iure poteſt conductorem expellere ſua autoritate:& ſi tentauerit conductor optime poterit reſiſtere,ut C.unde ui l.nō ab re. Hoc inquam intelligo,ut locator poſſit expellere ſi conductor nolit miſſum intrare ſua autoritate:& conductor uelit adhuc locatore inuito in conductione perſiſtere colonario ſiue conductitio iure.nam ſi pro ſuo cœperit interuerſa poſſeſſione poſſidere, non niſi iudicis debebit expelli autoritate:hocq; ex eo probatur,quia tunc ſi colonus deijciatur, interdicto unde ui experitur contra dominum,ut ff.unde ui l.colonus & l.cum fundum. Sanè emptor,aliusúe tantum ſuccedens,non cogitur ſtare colono inquilinoúe,inquam ſimplici, ſed colono uectigalis fundi: & illi ſuperficiario,qui non ad modicum tempus conduxerit,& illi ſuperficiario (forte colono) qui fuit in colonaria poſſeſſione per xl.annos,ut C. de fund. patri.l. fundi l.iubemus.locator cogitur ſtare,hi enim tres & in re ius habent. Item in actione locati uenit dolus,lata culpa,& leuis.cenſetur autē culpa imperitia,ut ſiquis tanquam artifex cum non eſſet qui operam faciendi neceſſitate locauerit,ut ff.eod. l.ſi merces:& ſæuicia culpa eſt, ut ſi ſutor docendi occaſione puero oculum effoderit,uel eruerit.Sed & ignorantia culpa eſt,puta ſi fullo alterius pallium alteri reſtituerit, ut ff.eod. l.item.uel ſiquis uicioſa uaſa locauerit, etiam ignarus & uinum effluxerit:ſicut qui uendiderit tenebitur,ut ff.eo.ſed addes.uenit et diligentia,& cuſtodia,etiam non promiſſa:diſtinguitur tamen promiſerit locator horreorum,rebus in horreis repoſitis,cuſtodiam,uel non. Si promiſerit uel generaliter,quo caſu pręſtabit omne periculum:uel ſpecialiter quo caſu tenebitur etiam de leuiſſima culpa,ut aliquid adijciat promiſſio,ut Inſtitut.de contrahen. empt. Si non promiſit,uel tradidit claues:uel ſi non tradiderit, uel non tradens cuſtodiæ renunciauerit,tenebitur in nihilum :niſi ut cuſtodes ſuos torquendos exhibeat,ut C.eod.ex Diui Pij. Si non tradidit tenebitur, ſed tamen iure communi,præſertim ſi horrea inhabitauit,uel proximè degebat. Item in actionem locati uenit,ut inquilinus archam cum tollit,locatori damni infecti caueat: uis maior non uenit,nec caſus fortuitus:niſi conductor cum promiſit, uel in ipſum ſuo uicio inciderit. Actio conducti competit conductori, & eius hæredi,in locatorem & eius hæredem.uenit in eam,ut res locata tradatur, uel intereſſe præſtetur regulariter,& reficiatur ita,ut conductor poſſit ea uti. Inſtrumenta quoque promiſſa ueniunt.uenit quoq; ut liceat inquilino migrare,recedere, finita locatione cum rebus illatis inuectisq;, quæ inquam deſinunt teneri ſoluta penſione damnoq; reſtituto.obligantur enim tacitè inuecta in fundum, cum definitione trina, ut ſint domini inferentis, uel ſint alterius eius uoluntate, & ut ſint illata perpetuò manſura,quandiu fuerit ibi conductor,& ita, ſi locator ſciuerit inuecta in urbanis,& ſi non ſciuerit inuecta,ut C.eod.l.certi.ſed talis locator ſiquid abſtulerit conductori de conductione illi reſtituere debet, præterea ſi ſterilitas probetur,repenſatur cum utilitate ſequentium uel præcedentium annorū. Amplius ſi res locata legata ſit conductori,tenetur hæres ut penſionem acceptoferat,alioquin uel exceptio doli competet.Item ſi prohibeatur colonus uti,uel ab eo qui locauit,uel ab alio, quē nō lōga manu,uel iure prohibere poteſt,tenebitur locator ad intereſſe.Sed ſi prohibere non poſt mercedem ſolam uel debebit, uel exactam debebit refundere.habet autem diſtinctio locum in eo, qui locando contraxit bona fide,ut ff.eo.l.ſi fundus & l.& hæc.ergo ſi per uicinum ædificantem obſcurantur lumina domus conductæ, ſecundum prædictam diſtinctionem uel ad intereſſe tenebitur locator,uel non. Adhæc ſi conductor aliquid

neceſſariò uel utiliter fecerit, & tollere & repetere poteſt & reputare, ut ff. eo. l. dominus & l. colonus: niſi ſit quod poſſit imputari conductori, puta ſiquis conduxerit à fructuario etiam in quinquennium, & uſufructus extinctus eſt, omni carebit remedio conductor, qui debuit proſpicere poſſe euenire, ut ff. eo. l. nos. hoc ita, ſi fructuarius locauit tanquam fructuarius, nam ſi ut dominus qui accepit tenebitur. Illud conſtat, quòd actiones iſtæ ſunt bonæ fidei, perſonales, perpetuæ, & ciuiles.

DE IVRE EMPHITEVTICO. TIT. LXVI.

DIximus ſuprà de contractibus qui à iure gentium introducti ſunt: nunc audiamus de contractibus ciuilibus, quos Romana prudentia reperit, & ſic de contractu emphiteutico. Contrahitur eñ (ut ſuprà de non numerata pecunia agitur) de cõtrario cõtractu, quẽ ſimiliter Romana prudentia ꝓmulgauit, q literis perficitur. Vel aliter diximus ſuprà de emptione, locato: & quia contractus emphiteuticus ab alijs putabatur emptio, ab alijs dicebať locatio, quia utriuſq; contractus habet inſignia, audiamus de emphiteutico cõtractu, quẽ Zeno formauit, & ſtatuit eum medium contractum inter locationem et uenditionem, nõ inclinantem ſe prorſus ad alterutrum, ſed ſuis proprietatibus inſignitũ. Videamus itaq; quid ſit Emphiteuſis, qualiter contrahatur, in quibus conueniat, & differat cum emptione, locatatione, in quibus rebus contrahatur, & quæ actiones competant, quibus, & in quos, & in quid, & quales ſint, & quid iuris de periculo ſit, de reiectione, de alienatione. Emphiteuſis græcè, latinè melioratio, ab initio enim cœpit à ſterilibus, ſed eò uentum eſt, ut etiã fructuoſiſſima ualeant emphiteuticari. Perficitur contractus iſte conſenſu, ſcriptura interueniente. Conuenit cum emptione, quia res cum emphiteuticatur quaſi extimatur, & quia emphiteutæ datur actio in rem utilis. Differt, quia cõſtituitur penſio uel parua, & quia is, qui dat in emphiteuſim dominus remanet, & poſſeſſor ciuiliter. Conuenit cum locato in penſione, et quia periculum uel totius interitus pertinet ad dominum ſoli. Diſtat quia emphiteuſis nõ aliàs cõtrahitur, niſi in rebus ſoli, & nõ niſi ſcriptura. Duæ actiones oriuntur perſonales, & in rem, ſi contingat poſſeſſionem apud alium inueniri. Competit actio perſonalis contra cõſtituentem, & eius hæredem cui conſtitutio facta eſt, & eius hæredi (ſicut dictum eſt) ex ſtipulatu, uel ex teſtamento, uel (ſicut quidam dicunt) duntaxat cõdictio ex lege Zenonis. Vtilis datur contra poſſeſſorem quemcunq;, & cõtra dominum. In quid detur ſatis patet, ut res tradatur, & tradita ſi deſijt poſſideri, liberè uindicetur. Perſonalis, & ſtricti iuris eſt, & perpetua, ciuilis, utilis, in rem arbitraria. De periculo ſiquid legitimè conuenerit, id ſeruabitur: ſin fiet totius rei interitus ad dominum pertinebit, omne aliud periculũ quale quale, & quantumcũq;, ſpectabit ad emphiteutam. ergo de reiectione ita, ubi nihil conuenerit reijci poterit & impune, & priuata autoritate: ſi penſionẽ in priuata emphiteuſi infra triennium pro eccleſiaſtica infra biennium non præſtiterit. Idem ſi apochas tributorum ſolutorum domino nõ reddiderit, uel aliàs male uerſatus fuerit: emponemata tũc nec repetere poterit, nec abradere. Si placuerit emphiteutæ emphiteuſim ſuam alienare, dominum debebit certiorare, ut ſi uelit dare tantam quantitatẽ, quantam re uera ab alio poteſt accipere, potius habeat: ſi uero nihil uelit offerre dominus, uel non tantum, quantum extraneus. licebit emphiteutæ cuicũq; uoluerit plus offerenti dare ius ſuum poſt duos menſes. Hocq; in caſu permittendo nouo emphiteuta in poſſeſſione, dominus ſi uolet quinquageſimam poterit habere: mittere autem debebit in poſſeſſionẽ, & dare dominus nouo emphiteutæ poſſeſ-

poſſeſſionem non per procuratorem, actorem, filiū, uel ſeruum: ſed per ſeipſum uel literas ſuas; uel per depoſitionem apud iudicem. Quid ergo, ſi poſt dationem ueteris emphiteutæ dominus nullo modo uelit nouum emphiteutam admittere? tunc poterit uetus emphiteuta poſſeſſionem etiā quam non habet poſt alios duos menſes nouo emphiteutæ cōcedere, & in hoc caſu dominus per ſuā perfidiam nullam habebit quinquageſimam, ut C. eod. l. ultima. Illud deſijt dubitari, quòd etiam donare poteſt emponemata, & (ut puto) etiam non explorato domino Inſtitut. de locat. & Cod. de fundis patrimonialibus l. prima.

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE; LIBER QVINTVS.

DE SPONSALIBVS, ET ARRIS SPONSALICIIS, ET PROXENETICIS.

TITVLVS PRIMVS.

IN LIBRO SVPERIORI DE SOCIETATE, quæ cōtrahitur propter pecuniam quærendam, nunc audiamus de ſocietate coniugali, quæ celebratur propter prolem procreandā. uel aliter audiuimus ſuprà de contractibus rerum, nunc diſſeramus de contractibus perſonarum, quibus perſona per ſonæ cōiungitur, mas fœminæ ſociatur: & quia hoc fit propter nuptias, de nuptijs dicamus. Et quia ſponſalia uelut præparatoria præueniunt nuptias dicamus de ſponſalibus, & quia ſponſalium gratia uel ſponſaliorum dantur arræ ſponſalitiæ, de arris ſponſalitijs audiamus. Et quia hæc omnia expediuntur per proxenetas, ſiue proxeneticas perſonas, etiam de proxenetis dicamus. Proxenetæ uel proxeneticæ dicuntur perſonæ, quæ explorant conditiones matrimoniorum, & diligenter inquirunt perſonas eorum, qui nubere uolunt & facultates, de his loquitur cōſtitutio græca, uel de proxeneticis neutraliter. proxenetica dicuntur, quæ proxeneticis neutraliter dantur, & iure licito petuntur, ut ff. de proxeneticis l. j. Interuenit autem proxeneta etiam in multis alijs, ut in faciendis nominibus, copulādis amicitijs, & circa aſſeſſores quærendos ordinarijs iudicibus, quia mōſtrat magis nomen, quàm mandat, nō quaſi mandator tenebitur: niſi dolo fecerit, ut ff. eod. l. ij. horumq; proxenetarum miniſterium, præſertim in magnis ciuitatibus, nō eſt inutile: nec eorum operula ſpernenda eſt, ut ff. eod. l. iij. uideamus quid ſint ſponſalia, unde dicantur, qualiter contrahantur, in qua ætate, & qualiter retineantur,

diſſoluuntur aliâs cum pœna, aliâs ſine pœna. Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum, dicta ſunt à ſpōdendo: moris enim erat ueteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi futuras uxores, & inde ſpōſi & ſpōſæ appellatio nata eſt. Contrahuntur conſenſu ſolo qui contracturi ſunt, ſi fuerint patrefamiliâs: ſi uero fuerint filij familiâs etiam patres conſentire debent: ſed niſi euidenter diſſenſerint, conſenſiſſe uidentur, filia uero familiâs cogitur patri cōſentire: niſi pater eligat ei turpem & ignominioſum ſponſum, ut ff. eod. l. ſed ea. Poſt ſeptennium, & (ut ita dixerim) primæua ætate ſponſalia contrahi poſſunt. Retinentur ſponſalia conſenſu; diſſoluuntur morte, & recte tunc reſtituuntur etiamſi interuenerit oſculum, niſi mortuus cauſam ante præbuerit, quare ſperatæ nuptiæ nō complerentur, ut Co. eod. l. ij. diſtinctio enim oſculi non, niſi in donatis, locum habet. diſſoluuntur miſſo tantum repudio, id eſt repudij libello: uerbis talibus, conditione tua non utar. Et certe ſi cauſa repudij iuſta ſubeſt, impune libellus mittitur: niſi is qui repudiat ante ſponſalia cauſam illam cognouerit, tunc enim arræ datæ, ſi quæ fuerūt datæ: ſi ſteterit per dantem, amittentur: ſi ſteterit per accipientem mulierem, duplabuntur: niſi mulier fuerit minor, tūc enim in ſimplū reſtituet, ut C. eod. l. ult. nō autem reſtituuntur in quadruplum, poteſtate legis: licet olim id fieret. Specialis ſanè conuentio, ut dependatur quadruplum, fieri poteſt, ut Cod. eod. l. ult. Quæri ſolet, ſi pactum ſponſalium, uel ſponſaliorum contrahendorum ſit contractus? minime. etiamſi ſtipulatio inde facta fuerit. nam ſi matrimonium non ſequeretur ad intereſſe ageretur, quod nuſquam legitur. Amplius etiamſi pœna adiecta fuerit, nihil agitur: qa matrimonia uinculo pœnæ non debent adſtringi, ſed debent eſſe libera in contrahendo, retinendo, diſtrahendo, ideo ſtatutum eſt, ut arræ dentur, uel pignora amittantur (ſicut dictū eſt) niſi matrimonia ſubſequantur. Nam nec arbitri ſententia ſeruatur niſi pœnæ ſuæ timore, nec iudicatur abſurdum quod ſtipulatio ſponſalium non parit actionis auxilium. nam nec ſtipulatio onerandæ libertatis cauſa committitur, uel habet effectum. Sed nec ſtipulatio pœnæ ſi manumittatur, uel nō: ubi dictū eſt de manumittendo, uel non, ut Co. ſi mancip. l. ſi ea. Item quæri poteſt ſit ne idem conſenſus, uel alius, ſponſaliorum & nuptiarum? profecto idem puto, nihil enim adijcitur: niſi quia mulier uel ducitur à uero, quod eſt ex ordine, uel ducit. Sunt tamen quidam qui non inargutè diſtinguunt, & dicunt: imò ſponſaliū conſenſus eſt de futuro, nuptiarum de præſenti.

SI RECTOR PROVINCIAE, VEL AD EVM PERtinentes, ſponſalicias dederint arras. Tit. ij.

EXpoſuimus in ſuperioribus de ſponſalibus, & de ſponſalitijs arris in genere: nunc audiamus in quadam ſpecie, id eſt ſi rector prouinciæ, uel ad eum pertinentes ſponſalia dederint, id eſt ſpōſalitias arras, ſic enim uerbum iſtud ex ponitur, Cod. ſi nupt. ex re. per. l. j. Ad eum autem pertinentes hic oportet intelligi non quoſcunq; ſubiectos, ſed filios alioſue domeſticos, hi, inquam, omnes cum ea, quæ de prouincia eſt oriunda, uel aliâs ibi domicilium habet, nuptias non poſſunt cōtrahere: licet ſponſalia ualeant celebrare, ut ff. de nupt. l. ſi quis: hoc eſt licet permittantur matrimonia initiare, non tamen poterunt conſummare. nam & aliâs mulier marito mortuo infra annum non nubit, licet eam ſponſam fuiſſe non noceat, ut ff. de infam. l. ſolet. Quid ergo ſi prædictæ perſonæ, id eſt rector prouinciæ, uel ad eum pertinentes, arras dederint? profectò diſtinguitur mulier ſpontanea uoluerit coactaúe, cum modo mutauerit uoluntatem poſt depoſitum officiū. Nam ſi primum ſponte uoluerit, & nunc depoſito præſidatu

nolunt, arras acceptas debent reſtituere, ſed tantummodo in ſimplum, ut ff. de rit. nupt. l. ſi quis. uerum rigor iuris ſuadet in duplum, quia per mulierem remanet uicium. Porrò ſi ab initio coactè uoluerit, poſtq; depoſitionem officij noluerit, pignora ſibi data retinere, arraſq; præſtitas lucrifacere poterit. Sanè ſi mulieres, earumq; parentes uoluntatem non mutauerint, id eſt in eodem cõſenſu perſeuerauerint: matrimoniumq; fuerat inutile, fit utile, quod fuerat irritum, efficitur ratum. enimuero qui in patria ſua militant ex eadem uxores ducere non inhibentur, ut ff. de nupt. l. eos.

DE DONATIONIBVS ANTE NVPTIAS, VEL PRO pter nuptias, & ſponſalitijs. Tit. iij.

AVdiuimus de quibuſdam præparatorijs nuptiarũ in ſuperioribus: & quia præparatoriæ ſunt tam donationes ſponſalitiæ, quàm illæ quæ uocantur ante nuptias, antequam ad tractatum nuptiarum perueniamus de his omnibus audiamus. Videamus itaq; quæ ſit donatio ſponſalicia, & quando fiat, & quot modis ſponſalicia dicatur, & qualiter reuocetur: eadem etiam de donatione pro pter nuptias explicemus. Et quidem donatio ſpõſalicia appellatur, quam ſponſus confert in ſponſam: uel contrà. hoc fiet perraro. quippe genus mulierũ auariſſimum & tenaciſſimum, pronius eſt ad accipiendum, q̃ ad dandum. fit autem iſta donatio antequam nuptiarum feſtiuitas celebretur. Inde eſt quod ſi ſpõſus ſponſæ donauerit die nuptiarum, ſic diſtinguendum eſt: ut ſi penes ſe donauerit, nulla ſit donatio: ſi in domo ſponſæ, ualeat, ut C. de ſponſal. l. cum in. Idem fortaſſe erit ſi illa donauit illi. Inuenitur autem donatio iſta ſpõſalitia facta aliâs prorſus ſimpliciter, ut nec nuptijs non ſecutis reſtituatur, ut C. eo. l. ſi ante: aliâs fit matrimonij tantũ intuitu. Donatio quoq; propter nuptias æquiuocè & contra idioma ſermonis largitas ſpõſalitia nuncupatur ut authen. eod. eò decurſum eſt. prima donatio ſponſalitia non niſi iure communi repetitur, id eſt uel per ingratitudinem, uel ſi acceptor dictam nõ adimpleuit legem, puta quod ſponſus ei quæ modo eſt ſua ſponſa, antequam fieret ſponſa, donare propoſuit. Ea autem donatio ſponſalitia, quæ matrimonij contemplatione celebratur, ita repetitur, ſi per accipientis uicium matrimonium non ſit adimpletum. ergo ſi per dantem, eiuſue partem ſteterit, repetitio ceſſabit, ut C. eo. l. cum ueterum. Quid ergo ſi ante nuptias alterutrum mori contingit? diſtinguitur, oſculum interuenerit nec ne: ſi nõ interuenerit, donatio reſtituitur. Si interuenerit, diſtinguit̃, quis cui donauerit, oſculumq; acceperit, interueniente morte ipſe ſponſus, hæresue eius rei donatæ dimidiam partem reuocabit, ut C. eo. l. ſi à ſponſo. Hæc ita tam uariè, quia uiri dicuntur oſculum accipere non dare, mulier dare non accipere. Sed & eò, quia mulieris cõditio, ubi præbet oſculũ cum incurrat ruborem grauatur, ſed uir accipiendo oſculum nihil creditur amittere, eiuſq; conditio redditur melior, poſteaq; ad propria remeat alacrior. Donatio propter nuptias ea dicitur, quæ à ſponſo uel marito eiuſue patre ſponſæ, uel uxori cõſtituitur, & hæc antipherna nuncupatur. quippe eſt donatio pherna, id eſt dos, eſt antipherna, id eſt contra dotem donatio, ſed propter nuptias parapherna iuxta dotẽ. fit aũt donatio iſta propter nuptias (ut iam dictum eſt) & ante nuptias, & poſtea augetur, & ſimiliter antea, poſteaue. Sed & inſinuatur non tantum antea, ſed & poſtea. Inſinuatio tamen nullatenus deſideratur, etiam ſi ab alio in uiri perſonam celebratur, hoc quantum ad mulierem. A uiro autem qui eam dederit inſinuatio omiſſa illi eſt obfutura, etiamſi pacta dotalium inſtrumentorũ ſuæ parti concedant actionẽ. augmentum autem ita fieri oportet, ut ſiue ambo, ſiue alter ce-

lebrare augmentum uoluerit, non debet fieri aliqua circumſcriptio. Eo notando quòd ſi mulier rei mobilis domina res mobiles dederit in augmentũ, in hac parte nullum habebit priuilegium, ſecus circa cõſtitutionem primã. Nam poſt matrimonium augmentum ſi ſit magnum creditum, etiam inſtrumenta creditores in ſuſpitionem adducunt ut authen. in collat. vij. conſtitut. v. de æqualitate dotis. § dedimus. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd & dotes, & donatiões propter nuptias, æquis paſſibus in omnibus & per omnia ambulare debent (ut in conſtitutione) quippe dos data uel pro data habita, donationẽ propter nuptias meretur: ſi à muliere petatur. quid enim, ſi mulier dotem dare uoluerit, et uir accipere recuſat? mulier inquam danti ſimilis eſt, & donationis actio non eſt declinanda, ut in authent. collat. vij. conſtitut. v. ut exact. inſtant. dot. § illud. Sed & in actione debent eſſe pares, in pactione quoq;, adeo ut ſi pactum de lucrando fuerit in dote factum, nõ in donatione, uel ècontrà, utrobiq; factum interpretemur. Sed & ſi pacta fuerint diſparia maius pactum deducitur ad minus. Huius autem donationis nomine, non tantum perſonalis actio, ſed et in rem utilis, mulieri decernitur, & præſertim poſt diſſolutas nuptias.

DE NVPTIIS, TIT. IIII.

PRæmiſſis præparatorijs nuptiarum ponit de nuptijs, uideamus itaq; quid ſint nuptiæ, & unde dicantur, qualiter contrahantur, & in qua ætate, & quæ nuptiæ ſint permiſſæ, & quæ prohibitæ. Nuptiæ ſiue matrimonium ſunt maris & fœmnæ coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinẽ cõtinens. Et certe nuptiæ ſunt coniunctio animorum, ſcilicet nõ ex neceſſitate etiam corporum, nec enim defloratio uirginitatis facit matrimonium, ſed pactio cõiugalis. Sed nec coitus matrimoniũ inſtituit, ſed conſenſus ſolus. Quod qualiter intelligi debeat inferius exponemus, ſed & uir & mulier nõ ideo minus cõiuges erũt, quia nunquã corpore cõuenerunt. Nam & uir forte in ſcholis Romæ agens, & à cæna nõ nuptiali, ad hoſpitium redeundo iuxta Tiberim perijt ab illa muliere etiã abſente lugendum iuris interpretes reſponderunt. Inq; eo caſu mulier forte uirgo, & dotem habet & de dote actionem, ut ff. eod. l. deniq; cũ l. ſequent. Sequitur. Indiuiduam uitæ conſuetudinem continens &c̃. Indiuidua equidem quoad propoſitum animorum uotum mutuũ, licet enim ſæpe diuortio diuidantur, eo tamen propoſito conueniunt, ut ſi perpetuò uiuerent, perpetuò ſimul eſſent. Nam & Imperator perpetuò Auguſtus appellatur, nõ quia perpetuò uiuat, uel augeat, ſed quia ſi perpetuò deberet regnare, imperium Romanũ augeret. Quia quidquid de nuptijs dictum eſt, de facto contingere poſſe inter fratrem & ſororem, idcirco huic definitioni adijciendũ: cõiunctio, ſcilicet legitima, id eſt cũ uoto coeundi probabili ſiue legitimo. Quippe hæc duo concurrerẽ neceſſe eſt, licet poſtea uouentes caſtitatem nunquã coëant, id eſt coëundi uotum etiam ipſum ſit legitimũ: alioquin nullũ erit matrimoniũ. Vel aliter nuptiæ ſiue matrimonium ſunt coniunctio maris & fœminæ, id eſt conſortiũ omnis uitæ, diuini, humaniq; iuris coniunctio. ideo cõnubium atq; coniugium. hæc enim quatuor uocabula conſignificantia: nuptiæ, matrimoniũ, connubium, coniugium. Acceperunt autem nuptiæ nomen ab altera duntaxat ſui parte, id eſt à nubendo. Nam nubere mulierum eſt, nõ uirorum. Inde eſt quod mulier dicitur nupta, non uir nuptus, uel ut Iſidorus ait nuptiæ dictæ ſunt ab obnubendo, id eſt, à uelando: uel quia mulieres uelatæ incedunt, uel quia iure uelantur in eccleſijs cum à ſacerdotibus ambo benedicuntur. Contrahuntur autem nuptiæ interueniente ſcilicet conſenſu eorum, qui coituri ſunt, etiamſi filijfamiliâs fuerint, uerum ſi et ſi inuiti

uxores duxerint,& tunc habita uoluntate uel coacta, maluiſſe uidebuntur, ut ff.eod.l.ſi à patre. Conſenſum quoq; eorum in quorum poteſtate ſunt, oportet intercedere,ſaltim uel poſt cōtractum matrimonium. Quid ergo ſi parentes pu ta in furore agentes,ſenſum ſicq; conſenſum adhibere nō poſſunt? certè tunc filiorum citra parentum cōſenſum nuptiæ celebrantur. Sed & ſi citra fas & pium parentes filios ſuos uxores ducere non permittant, per præſides compellendi ſunt,ut ff.eod.l.qui liberos. Sed & citra cōſenſum parentis ſi filia nupſerit poſt xxv. annum, ſtabit matrimonium, ut authent.cum de appell.cog.§ ſi præter. Contrahuntur autem nuptiæ(ſicut dictum eſt)cōſenſu interueniente,traductio ne uxoris in uiri domum, & hoc ex ordine:uerum quandoq; citra ordinem uir ab uxore ducitur,ut C.ſolut.matri.ſi ignorans. Ergo quod dicitur matrimoniū contrahi ſolo conſenſu,certè iſtud ſolum,non dicitur ad remotionem ductionis quæ ſecundum leges ex neceſſitate exigitur ad conſummationem matrimonij, ſed ponitur ad remotionem dotis,donationis propter nuptias, pompæ atq; ſcri pturæ,quæ omnia ſunt nuptijs accidentia. Nanq; cum his & ſine his nuptiæ celebrantur.uerū ſunt certi caſus,in quibus circa nuptias ſcriptura neceſſaria eſt, ueluti inter pares honeſtate perſonas, uel ſi concubinam uxorem tibi facere uolueris, uel ſi tu maxima dignitate decoratus libertam aliquam de plebe in matrimonium tibi coniungere deſtinaris,ut C.eo.l.Imperialis & authent.ut liceat matri.§ ult. Cōtrahunt aut nuptias mulieres duodennes,maſculi puberes,id eſt poſt decimum quartum annum completum,ut C.eod. l. ſancimus. in ea enim ætate uehementer contrahunt nuptias,ut authent.de tempo.nō ſolut. dot.conſtitut. x.in collat.viij. Quippe poſt eas ætates ſexuum qualitate caleſiunt,& incentiua natura mouetur. Illud autem ſciendum eſt,cum de nuptijs puellæ quæritur,diſtingui.ſi patrem habeat,patris expectatur arbitrium,id eſt ſi ſui iuris ſit puella:in uidua maxime ſi intra xxv. annum ſit conſtituta. hæc ita ſi patris uoluntas filiæ ſententiæ non repugnat,ut C.eod.l.in cōiunctione.& l.uiduæ. Sed & ſi mulier ſibi alium uirū expoſcat,aliumq; pater ei dare laborat,is potior æſtimatur,quem ſibi mulier cōſulens approbauerit. Quippe plærumq; eſt ut ipſius ſententiæ aduerſus propria commoda inueniatur laborare cōſilium, ut C.eo.l. Si patris auxilio ſit deſtituta,matris ac propinquorum,& præſertim ulteriorum, & ipſius puellæ requiratur arbitrium,eiusq; ſtabitur arbitrio,ſi bene ſibi conſuluerit:ſed ſi puella cultu uerecūdiæ propriam noluerit depromere uoluntatem, prædictarum perſonarum concordantes ſententias præſes cōfirmabit. Sed etſi diſcordauerint ei deliberare permiſſum eſt, cui melius adulta ſocietur,ut C.eo. l.in conuentione. Illud quoq; ſciendum eſt, quòd uiri & fœminæ quantæcunq; ætates etiam ſexagenarij rectè contrahunt nuptias,ut C.eod.l.ſancimus. Expoſuimus quid ſint nuptiæ,& unde dicantur,qualiter contrahantur,& in qua ætate:modo uideamus, quæ ſint prohibitæ,& permiſſæ. Vt autē ſciamus quæ ſint permiſſæ,in primis exponamus,quæ ſint prohibitæ: ſic enim cæteras intelligemus fore permiſſas. Prohibentur autem nuptiæ ex multis cauſis, ecce enim in primis ratione ſanguinis inter aſcendentes in infinitum : ex latere quoq; eſt obſeruatio ſimilis,ſed non tanta,hoc eſt,uſq; ad gradum tantum ſeptimum,hodie per ius canonum. Sed & iure fori, non tamen poli,filij duorum fratrum iungi poſſunt. Ratione quoq; ætatis prohibentur nuptiæ inter puberes : licet ſponſalia quoq; ualeant affinitatis ratione. Eſt autem affinitas cognatio ficticia per matrimoniales perſonas contingens. Ratione quoq; honeſtatis,ut inter te & ſponſam filij tui,& inter nouercam tuam,& filium. ait enim Iulianus rectè eos facturos,qui talibus nuptijs abſtinent, ut Inſtitut.eod. l. ſi uxor. prohibentur quoq; nuptię puta l.Iulia,hoc eſt,ne ſenator libertam ducat,uel ſcenicæ filiā,ipſamúe

ſcenicam,etiam poſt expurgationem:hodie tamē ſenator,etiamſi patronus fuerit,ſi dotalia inſtrumenta intercellerint,rectè matrimonium cum liberta copulat,ut authen.eo.in col.iij.Si forte patrona tam ignobilis ſit,ut uel liberti ſui honeſtæ ſint ei nuptiæ,nec illum hodie habebit in uirum,ut ff.eo. l.ſi patrona.prohibitæ quoq; ſunt nuptiæ,inter tutorem & filiam tuam , & inter curatorem ſiue curatoris filium & filiam tuam:præterquam in caſibus , ut infrà dicemus, ut ff. eod.l.nō eſt.prohibentur quoq; nuptiæ mandatis principum, ut inter præſides & ſuos domeſticos,& ſibi ſubiectos:licet ipſæ uoluerint, multo fortius ſi reclamauerint . Sanè ſi ante præſidatum ſibi deſponſatam præſes in præſidatu duxerit,filioúe ducenti uxorem,etiam ante ſibi deſponſatam conſenſerit , in ſenatuſconſultum nō incidit:ſanè ſibi ſubiectam deſponſare poteſt,licet inde oriundam,uel ibi domicilium habentem uxorem ducere nō ualeat,ut ff.qui in.prohibentur quoq; nuptiæ conſtitutionibus principum,ut inter te & illam , quam de ſacro fonte ſuſceperis:inter te quoq; & expoſitam quam leuaueris , locoq; filiæ eam habueris ,& ſi ut filiam educaueris ,ut C.eod.l.ſiquis.Sed & eam quam rapueris ,& ſi raptæ cōſenſum accommodauerit , uxorem ducere cōſtitutionibus principum prohiberis. quippe hoc ipſum uelle raptorum ab inſidijs inducitur, ut Cod.de raptu uirginum l.j. prohibentur quoq; nuptiæ inter te & cōmatrem tuam ,inter te & monacham.Sed & quocunq; eccleſiaſtico honore gaudeas,nuptias non celebrabis:niſi fueris ſimpliciter clericus,uel lector,uel cantor, ut authent.eod.ſed & ſiquis.prohibentur quoq; nuptiæ legibus , ut inter liberum & ſeruam,uel inter liberam & ſeruum,& inter utroſq; ſeruos.ſanè iure poli admiſſum eſt tale matrimonium.Sed & ſi uxorem habeas,aliam de iure ducere nō ualebis,ut eſt de interdict.matrimo.& C.de adult.l. eum. Cæteræ nuptiæ intelliguntur permiſſæ,quæ nō ſunt prohibitæ.prohibitarum autem aliæ inceſtæ uocantur,aliæ inutiles nuncupantur.

DE INCESTIS ET INVTILIBVS NVPTIIS. TITVLVS V.

VIdeamus itaq; quæ nuptiæ dicantur inceſtæ,& quæ ſint pœnæ contrahentium illas,& quæ ſint nuptiæ aliæ inutiles.Inceſtæ autē nuptiæ ſunt, quæ contra caſtitatem atq; naturam fiunt:puta inter aſcendentes in infinitum , & ex latere uenientes ſecundū diſtinctionem legum & canonum. Inceſtas autem nuptias contrahentium pœnæ ſunt hæ.tales nuptiæ ,dicendæ nō ſunt,nec dos data,dotis nomen habebit:ſed nec de dote actioni locus erit,ut ff. de nupt. l. inceſtæ.Sed et ſiquid ab uno coniugum fuerit datum ,nullatenus repetetur, ſed confiſcabitur:hoc ita ſi utrumq; ponamus conſcium , uel datorem ſolum, ut C.eo. qui contra. Si uero utrunq; ponamus ignarum,uel datorem ſolum, locus eſt repetitioni,ut ff.de condict.ſi cauſ.l.auunculo. Præterea illa pœna imminebit,qa ſicut hij inceſtuoſi,coniuges appellandi non ſunt,ſic & filij ex tali coitu nec naturales nominandi ſunt , ſed nec à tali parente alendi ſunt , ſed ipſum alere debent,ut authent.qui mo.naturales.effi.ſui col.vij § ult. Adhæc in eo puniūtur tales perſonæ,tam mares quàm fœminæ , quia nec filijs ex tali coitu natis , nec alijs quibuſcunq; perſonis , quippiam dare uel relinquere poterunt hodie : licet liberis legitimis olim uſq; ad gradum ſecundum,& ex latere fratribus duntaxat,& ſororibus,relinquere permittebantur.Sed hodie inceſtas nuptias contrahentium pœna eſt , omnium bonorum amiſſio:illaq; bona legitimis liberis, ſi quos habent ſunt applicāda:niſi ſi quis ex his quos memorauimus in inceſtis nuptijs contrahendis conſilium monſtrabitur ineſſe. Quòd ſi deſint liberi,ſunt

conſi-

confiſcanda, ſi pater, mater, frater, ſororúe, aliiúe cognati fuerint in medio: ſecus in proſcriptis, damnatiſúe, eorum enim bona etiam agnatis cognatiſq; deferentur uſq; ad gradum tertium: præterquã in maieſtatis crimine, ut in authen. ut nul·dicimus tamen authenticam priorem, corrigi per illam poſteriorem. Ad hæc & exilium imminebit, & exautoratio, uerberatio quoq;, ſi plebeius fuerit inceſtuoſus, ſiue maſculus fuerit, ſiue fœmina. Ad hæc & ea pœna inceſtuoſo patri imminebit, quia filij ſuæ poteſtatis efficiuntur, ut authen. eod. § j.

DE INTERDICTO MATRIMONIO INTER PVPILlam & tutorem, ſeu curatorem, filioſq; eorum. Tit. vj.

CAeteræ prohibitæ nuptiæ inutiles uocantur, quibus ſcilicet ius non aſſiſtit puta ſi inſtrumenta deſint, ubi ius ea exigit: uel ſi aliàs matrimonia ſint interdicta, ut inter pupillum, & tutorem: ſeu adultam, curatorem, liberoſúe eorum, de his agamus. Tutor neq; ſibi neq; filio ſuo pupillam ſuã collocabit in coniugẽ Idcirco curatores ſi de facto copulauerint etiam infamabuntur, & adulterij accuſabuntur, ut ff. de adulterijs. Quippe tale matrimonium ea ratione inhibitum arbitror, ne tutores pupillas, & curatores adultas cõmodo ſuo immoderatè do tarent, ſed & ea ratione, quia uelut confeſſi fraudem adminiſtrationis huiuſmo di connubio tegere laborant, ſed nec ruſticitati hoc in caſu uenia dabitur, ut C. eodẽ. l. j. ſane mater pupilli pupillæúe adulti adultæúe, tam tutoris quàm curatoris filio dabitur in coniugem, ut C. eod. l. ij. Sed filiam ſuam tam tutor quàm curator, pupillo ſuo ſiue adulto nuptijs copulabit, ut C. eod. l. curatorem. in talibus enim matrimonijs nihil ſuſpicioſum occurrit, at uero tribus in caſibus tutor, curator, pupillam quondã ſuam, adultamúe, tam ſibi quàm filio collocabit in coniugem: puta ſi fuerit à patre eius deſponſata, teſtamentoúe deſignata, ut ff. de nupt. l. non eſt. Idem ſi poſt rationem redditam, annumq; xxv. exactum, talis mulier uxor fuerit ducta, ut C. eod. l. ſi patris. hæc ita ſe habent, quæ interdicto matrimonio inter tutorem, & pupillam, curatorem & adultam, liberoſúe exponuntur: ſi quis in ueritate tutor curatorúe fuerit. Enimuero ſi quis procura tor negocia puellæ adminiſtrauerit, eamq; ſibi filioúe ſuo copulauerit, tales nuptiæ ſtabunt, plus enim ualet quod in ueritate eſt quàm quod in opinione. Nec liberi ex his progeniti, uel dotes datæ, promiſſæúe aliquam calumniam ſuſtinebunt occaſione adminiſtrati officij.

SI QVACVNQVE PRAEDITVS POTESTATE, VEL AD EVM pertinentes, ad ſuppoſitarum iuriſdictioni ſuæ nuptias tentauerit adſpirare. Tit. vij.

ET quia ſimiliter propter officiũ impediuntur nuptiæ, quas quis poteſtate præditus, aliuſúe ad eũ pertinens, cũ ſibi ſubiectis cõtraxerit. de his audiamus. Et certè ſiquis poteſtate præditus nuptias cõtraxerit cũ ſibi ſubiectis, inuitis ipſis, uel parentibus eorum, ſiue uolentibus: & præſertim inuitis, pœnis tribus ſubiacebunt: ecce enim licet nuptias prohibitas nõ peregerit antè, pro tali conamine: licet conatus effectum nõ habuerit, adfectu duntaxat inſpecto, in decem libras auri multabit: licet nõ tã male, ꝗ nihil uideatur egiſſe. Nam ſi uxorẽ ſecũ dam ſimiliter induxerit: licet id facere de iure nõ potuerit, & ideo nec id fecerit, infamatur (ut ſuperius dictũ eſt) nec enim ꝙ cõtra leges fit fieri poſſe dicendũ eſt. Sed & aliàs qui ſeruũ ſuadendo ei furtũ corrumpere uoluit, licet non corruperit

ſ(:rui corrupti tenebiť,ut C.eo.de furt.Sed & tales nuptias cū ſibi ſubiectis præditus poteſtate cōtrahens,eā pœnam reportabit,quia cū honorē ambierit peractam dignitatē nō iterabit, imò ſi iterare tentauit in ea ꝓuincia, ꝗ ſibi uſurpauerit,habitare per iuge biennium non ſinatur. Illa quoq; pœna quartò adficietur præſciens, quia & ſi adhuc ipſe in poteſtate agat, circumuenta mulier cum tota ſua domo eius iuriſdictionem uitare ualeat.

SI NVPTIAE EX RESCRIPTO PETANTVR. TIT. VIII.

ET quia nuptiæ prohibitæ quandoq; ex reſcripto petuntur, de his explicemus. petuntur enim nuptiæ ex reſcripto quādoq; quæ ſunt nullæ,quādoq; quæ ſunt inhibitæ:& quidem nuptiæ,puta quæ fiunt contra naturam, uel contra rationem diuini humaniq; iuris, nec ex reſcripto petito impetratoq; ualebūt ut C.eo.l.ult.Sanè promiſſæ nuptiæ, etiam ſi reſcriptū ex abundanti fuerit impetratum,non ideo minus ualebunt,ut C.eod. l.ſ.circa finē. Sed ſi mulier mortuo marito à principe impetrauit,ut nuptias celebraret nuptiæ etiam illæ ſecundæ omnifariam ualebunt,ut ff.de infam.l.ſolet: de his uidendum.

DE SECVNDIS NVPTIIS. TIT. IX.

EXponamus quæ dicantur ſecūdæ nuptiæ,& quæ ſint illa, propter quæ puniantur ſecundò nubentes,& quæ ſint pœnæ ſecundo nubentium. Secundæ nuptiæ dicuntur quæcunq; fiunt poſt primas etiamſi fuerint tertiæ,ut C.eodem l.ſi quis.uel quartæ,uel ulteriores.uulgari tamen ſermonæ ſecundæ nuncupantur,quæ ſtātim poſt primas ſequuntur.nam et aliâs ſubſtitutio quoque ſi gradu fuerit ſecunda,dicitur inſtitutio.Duo aūt ſunt quæ puniuntur in mulieribus,ſecūdò nubentibus,nimia feſtinatio,& liberoꝝ prioris matrimonij nō obſeruata adfectio: in uiris autem punitur duntaxat ultimum. Punitur autem mulier,quæ mortuo marito nimium feſtinauerit,tripliciter:in perſona propria, in bonis proprijs,& in alienis.In perſona propria punitur, quia ſi infra annuū ſpacium(quod eſt luctui præfixum)nupſerit, perpetuò erit infamis;niſi infra annū peperit,cum uirum non elugendum habuerit; uel niſi à principe licentiam nubendi impetrauerit,abolitioneúe infamiæ,ut C.ad ſenatuſcon. Tertul.l.ſi qua. In bonis proprijs punitur,quia licet non priuetur illis, ultra partem tamen tertiam in dotem dare,uel aliâs relinquere non potuit. Sed nec ſemper uſq; ad tertiam,puta ſi plurium fuerit onerata numero liberorū.uerum (ut puto) in aliam quantamcūq; perſonā,quidquid de bonis ſuis ei libuerit, transferre ualebit. In bonis alienis ita punitur,ut ex uoluntatibus extraneorum ultimis non capiat, quod fiet inter uiuos.Sanè cognatis ſuis uſq; ad gradum duntaxat tertium, ex teſtamento ſuccedet. Quid ergo ſi maritus huic luxurioſiſſimæ mulieri aliquid reliquerit? nec uſumfructum habebit,relictaq; à uiro priori, uindicabuntur à decem perſonis,poſtea à fiſco:ſimiliter forte relicta ab extraneis cohæredibus, uľ à relinquentis hæredibus, ſimiliter forte relicta conſanguineis ultra modum, id eſt ultra gradū tertium. Eiſdem pœnis ſubijcietur, quæ infra tempus luctus peperit,ſi modo indubitatum fuerit, partum ex defuncto non exiſtere, puta ſi menſe undecimo peperit.Sed ſi non per matrimonium nupſerit, ſed per ſtuprū alicui ſuccubuerit,et hoc euidens fuerit,ſimiliter punietur,ne magis luxuria honoretur,quàm pudicitia:nec enim luxuriantibus leges fauent ſed caſtè uiuentibus,ut authen.de nupt.in col.iiij.Sed ſi facto diuortio infra annum alij nupſerit,neq; de prole dubitet,poſtea forte ædita,pœnas pacietur eaſdem. Similiter

& ea

& ea infamatur, quæ ſuſcepta filiorum tutela ſacramento præſtito contra ſacra
mentum ſecundò nubit, & infra annum. liberorum autem nõ ſeruata adfectio,
ſiue prioris tori contemptio, tranſeundo, ſcilicet ad ſecundum matrimonium, li
cet ipſum ſit licitum, pœnis multiplicibus adficietur. nam & matrimonium ſe-
cundum, quod mulier mortuo marito contra leges cõtrahit infra annum, etiam
de iure tenet, & omnino licitum ergo & permiſſum eſt. & uetitum permiſſum,
id eſt licitum. quippe ex eo nati liberi legitimi ſunt. uetitum quoad mulieris per
tinet factum. licet ergo mulier delinquit, quæ ſecundo nubit, & præſertim ſi in-
fra annum nupſerit, illud tamẽ quod facit omnino de iure tenebit. pœnæ aũt ſe-
cundò nubentium ſunt hæ. Ecce enim mulier, quæ ſecũdò nupſerit, etiam poſt
annum, ſiquid à priori coniuge quoquo titulo percepit, eius amittit dominum,
& habebit uſumfructum ſolum, inde eſt ꝙ & donationem propter nuptias mor
tuo marito intercedente pacto lucrifacit omnino, id eſt & quantum ad proprie-
tatetem, & quantum ad uſufructum, illico ubi conuolat ad uota ſecunda, etiam
poſt annum eius donationis emittit dominium, licet uſufructu in diem uitæ ſuę
ſit potitura. Quippe in donatione propter nuptias, etiam ſi alius pro uiro dede-
rit, deſerit eam proprietas, ut authen. in coll. iiij. de nuptijs. Si tamen liberos ha-
beat: ergo & dominium marito mortuo, conuolando poſtea illico amiſit. Inde
eſt, ut nec ipſa propter nuptias donationem inter liberos ſicut uelit, diſtribue-
re poſſit, ſiquidem lucrum cedit liberis, ſi hæredes ſint alterutrius uel ultriuſq;,
ut in authent. de nuptijs § quoniam. Nempe quod uiro mortuo uxor ex dona-
tione lucratur: quod uir ei dote uxore præmortua, liberis cogitur reſeruare, quã
tum ad proprietatem uſufructu patri conceſſo, ut in authen. neq; uirum § nu-
ptialibus collat viij. conſtitut. fi. Enimuero licet per authent, dominium quod
poſt mortem uiri ſtatim habuit, & poſt conuolationem illico amiſerit: per Co-
dicem tamen habebit, & poſt migrationem ad ſecundum torum retinebit, licet
quicquid ei libuerat facere poterat: nec enim de his quæ à priore uiro percepe-
rat, quippiam in quantacunq; perſonam transferre poterat: præterquam in libe
rum, liberoſue, quem, quoſq;, digniſſimum, digniſſimoſue, cenſuerat. ergo per
Codicem, ut C. eod. l. fœminæ, dominium habebit, & conuolando retinebit, li-
cet non prorſus quidquid ei libuit facere poterit, per authent. habuit & amiſit.
Ipſum tamen dominium etiam poſtea redit, ſiquis ex his præmoriatur abſq; le-
gitima ſobole quantum adquiritur ex pacto non conſiſtentium liberorum: po-
ne enim quod mulier pepigerat, nullis liberis ſuperſtitibus ſe tertiã partem do-
nationis lucraturam: ſi tres liberos habebat, & ex his unus deceſſerit, tertiã ter-
tiæ lucrifaciet, & reſiduum communicabitur quibuslibet defuncti hæredibus,
ut in authen. eo. § quoniam. Quid ergo nónne cũ deficiant huic filio deſcenden
tes, aſcendentiũ ut matris ſucceſſio eſſe debebit? ita quidẽ, ſi in bonis alijs: ſecus
in donatione propter nuptias: quia & torum primum, liberoſq; contempſerat.
Si ergo in prædictis caſibus poſt conuolationem mulier alienauerit propter nu
ptias donationem in ſuam ſponſam, alienatio facta manebit: ſi nulli deceſſerint
euacuabitur: ſi unus pro ea parte ualebit: ſi omnes deceſſerint prorſus infirmabi
tur. Hæc ita ſi duo concurrant, id eſt ſi liberos habeat & conuolet prædicta tene
buntur. nam ſi liberos nõ habeat prorſus erit innoxia. Si liberos habeat, & con
uolet, prædicta tenebuntur. Si uero liberos habeat, & à ſecundis nuptijs abſti-
net, etiam proprietatis portionẽ pro numero liberorum percipiet: & eam aliena
bit ſi uolet, ſed ſi non alienauerit, poſtea filij uindicabunt, ut C. eod. l. generali-
ter. Fieri rrgo poteſt trina diſtinctio, pepigit mulier aut non, conuolet, aut non
conuolet, ut infrà de rei uxo. actio. § illo. Si pepigit aut liberos habeat, uel non,
ſi non, omnia prorſus lucrifaciet, etiam ſi conuolet. Et ſi liberos habeat, conuo-

let,aut non. Si conuolat ſolum uſum poſſidebit,ſi non conuolat pro numero liberorum pro portione proprietatẽ habebit,& eam ſi uolet,alienabit: ſi ergo nõ alienauerit ad liberos hæc trãſibit. Quid ergo ſi uir uxori, quæ cõuolauerit,uel uxor uiro ſimiliter ſecũdò nubenti,ſimplicem uſumfructũ dederit,reliqueritúe, nunquid ex ſecundis nuptijs interibit? nequaquam:niſi ea lege datus fuerit,relictusúe,ut authen.eo § ſi uero. Ad hæc & eam pœnã reportabit,qui quæúe ſecũdò nupſerit,ut ſcilicet teſtamento liberis ſuis ſuccedat, ſicut inſtitutus quilibet, & quoad dominiũ,& quoad uſumfructũ,in ſucceſſione tamen abinteſtato diſtinguitur. Nam ab inteſtato bonoꝝ filij & dominiũ & uſumfructũ percipiet: paternorum uero mater binuba,& maternorũ pater binubus, ſolũ uſumfructũ habebit,ut authen.de nupt.§ hinc nos.ergo quod in authen.defuncto ſine liberis cauetur,ſecundarum nuptiaꝝ uelamento diſtinctio habetur,ſed certè nec in hac ſucceſſione diſtinctio eſt quoad ſuccedendi ſubſtantiã quanquã imò ſuccedendi ſit diuerſitas:nempe cõuolauerit,uel nõ,pater materúe ab inteſtatò ſuccedit filio:ueꝝ diuerſo modo. Nam(ſicut dictũ eſt)propriorũ omnem cauſam poſſidebit,maternorũ ſiue paternorum ſolũ uſumfructum habebit. huic generi ſermonis ſimilis eſt illa locutio,quæ circa donationes à parentibus in liberos collatas exprimitur,ut C.de donat.inter uirum & uxorẽ l. donationes,uel forte dicemus authenticã de nuptijs prædictã corrigi per illã alterã,utpote aliam. Amplius parens ſecundò nubens in hunc modũ punietur , ut uiro ſecũdo mulier in dotẽ,uel ut uxor ſecundo uiro in donationẽ propter nuptias,dare amplius non poſſit,q̃ in unum liberoꝝ cõtulerit:uerũ hoc mortis tempore inſpici debere ſciendum eſt,ut in authen.de nupt.§ quia uero. Ergo ſi quid amplius marito ſecũdo datũ relictumúe fuerit,poſt mortem dantis ſiue relinquentis,retrahi oportebit.quippe dominiũ uir uxori in propter nuptias donatiõe,& uxor uiro in dote uniuerſa ſua cõcedere potuit. Sed & in eo punietur mulier, quæ ſecundò nupſerit relictis liberis,ut debeat cauere de reſtituenda donatione propter nuptias,q̃ lucrifecerat quãdo decederet pater.. Sed filijs nec cauere nec reddere rationem adminiſtrationis cõpellenda eſt:licet uniuerſa eius bona tacitè ſunt hypotheca-ta. Quod ſi mulier uel nolit,uel nõ poſſit cauere per fideiuſſorẽ, de rebus oĩbus à marito ad ſe deuolutis reſtituendis,uel de reꝝ mobiliũ æſtimatoꝝ pretijs præſtandis,prædictæ res apud liberos eſſe debent:ita tamẽ ut caueant de danda tertia parte centeſimæ matri uſurarũ nomine annuis quibusq; temporibus,prætere de rebus prædictis reſtituendis,ſi ante matrem eos obire cõtigerit. Sed ſi aurum fuerit in donatione,cautio duntaxat uſuraꝝ exigitur , niſi uiri patrimoniũ habuerit auꝝ,ut authen.in coll.j.conſti.ij.§ aliud. Quid ergo fiet ſi neutra pars cauere uelit uel poſſit? res equidẽ penes matrem remanebunt,et eius oĩa bona, quæ habet quæq; habitura eſt,erũt obnoxia,ut C.eod.l.hæc edictali. Sed quid fiet,ſi mater & liberi cauere deſiderant? profectò aut mater præferetur , aut qui quæúe primò obtulerit,admittetur : ſi uero ſimul & eodẽ momento temporis, tam mater q̃ liberi cautionẽ obtulerit,aut inter eos rerum fiet diuiſio , aut forte dirimetur contentio. In ſumma ſciendum eſt,inter res donatas propter nuptias & res dotales,& res cæteras,quas pater & mater lucrifecerit,qui quæúe ſecundò nupſerit,hanc differentiam poſſe notari : quia in rebus donatis propter nuptias nulla uiro diſpoſitio datur,ſed legi cõmittitur. cætera aũt lucra ita præſumitur liberis ex eo matrimonio natis ſeruare , ſi non expreſſim tranſpoſuerit in alios ex alio matrimonio progenitos,ut authen. de nupt.§ deinceps.licet C.eo. l.ſi quis.§ talem uero licentiã,cõtrariã inducat ſententiã & liberos ex primo matrimonio natos,ad æquale participiũ cæteroꝝ à donatione propter nuptias lucroꝝ,ex ſecũdo matrimo.obuenientiũ,cũ liberis ex illo ſecũdo matrimonio natis,uocare uideatur.

SI SECVNDO NVPSERIT MVLIER, CVI MARItus uſumfructum reliquit. Tit. x.

QValiter puniaẽ mas ſecundò nubẽs plurifariã expoſitũ eſt ſuprà, nũc quẽadmodum circa uſumfructum puniatur ſecundò nubens à moriente coniuge ſibi relictum uideamus, & quidem illico ubi conuolat habens liberos amittit illum per Codicem, uerum per authen. nõ amittit, niſi ea lege acceperit ut ex ſecundis nuptijs interiret. hæc aũt de uſufructu dicuntur, qui in rebus proprijs conſtituitur, ſecus eſt de uſufructu qui in rebus nuptialibus lege conceditur, ut authen. de nupt. § ſi uero. porrò proprietas plena relicta nuda quoq; conuolantem deſerit ſine omni lege. eſt aũt diuerſitatis ratio (ut puto) quia uſufruct. de facili deperit & ſperatur abire, & ideo leges nõ curãt, ſit uſufructus quaſi modico tempore duraturus, ſed ſæpe ante mortẽ fructuarij capitis diminutione, rei mutatione, alijsq; nõ incognitis modis expiraturus, toto tempore fruentis binubi penes eũ perſeueret, nam & aliter fructuarius damni infecti ſatiſdare cogitur, habens aũt ſeruitutem realem, quia ſeruitus rei perpetrã cauſam habet, duntaxat repromittit, ut ff. de dam. infect. hoc amplius § ult. & l. qui bona § primo.

DE DOTIS PROMISSIONE ET NVDA POLLICIatione. Tit. xj.

EXpoſuimus de nuptijs, & primis, & ſecundis: & quia nuptiarũ gratia, & ꝓpter matrimoniorum onera grauia & importabilia, ſæpiſſimè dos tribuitur dosq; incipit quandoq; à pactione, & pactio fit aliàs per promiſſionẽ, aliàs per nudam pollicitationem, dicamus de dotis promiſſione, & nuda pollicitatione. fit aũt promiſſio per ſtipulationẽ ſed pollicitatio nihil aliud eſt, q̃ ſolius offerentis promiſſio, ut ff. de pollicitatio. l. iij. recipit aũt pollicitatio ꝓmiſſionis nomen æquiuocè & abuſiuè. uel certe ſi ſtipulatio interceſſerit, etiã olim ex ſtipulatu actio competebat: ſi nuda pactio, præſcriptis uerbis agebatur, pro dotibus inquã petendis. Sanè pro dote repetenda rei uxoriæ actio cõpetebat, ſi nuda pactio intendebatur. porrò hodie nõ niſi ex ſtipulatu agitur, ſiue ſtipulatio interceſſerit, ſiue non: ſiue agatur pro dote petenda, reſarciendaue, ut infrà plenius exponemus. ergo & ex nudo pacto hoc in caſu oritur actio, eſtq; circa dotẽ hoc ſpeciale. Sed & in arbitriũ ſtipulatoris collata, ſpecie uel quantitate non adiecta, dotis conſtitutio ualet: ſiue arbitratũ fuerit, ſiue nõ. Item in arbitriũ promittentis collata conſtitutio, fauorabiliter tenet contra ius cõmune. decurritur enim ad boni uiri arbitriũ, ſi & promittentis & pollicentis omnia ſunt obligata tacitè, & hypotheca tacita in prioribus ſimiliter hypotheca gaudentibus, præfertur. Item ſi pater dotem ſpoponderit ſimpliciter, id eſt non adiecto de quo patrimonio, de ſuo cogitur dotare, multo fortius, ſi de ſuo expreſſim promiſerit. Item ſi de ſuo patrimonio & filiæ ſi tamen diues eſt. Sed ſi de patrimonio filiæ tantum dotem promiſerit, de proprio dotare compellitur: niſi minus idoneus ſit, tunc enim de bonis filiæ dotabit filiam. Idem æſtimo circa donationem propter nuptias, paribus enim paſſibus: niſi aliquid excipiatur, ambulare debent.

DE IVRE DOTVM. TIT. XII.

DIximus ſuperius de promiſſione dotium, nunc audiamus de iure earum intranſitiuè, id eſt de dotibus, quæ cõſiſtunt in iure, uel quæ ſunt iura, uel de iure quod uertitur in dotibus, ratione iuris, & modi, periculi, alienationis & ſi-

milium.ſequens autem titulus illud ius dotium,quo tempore dotis expetũtur, & repetuntur,explicabit. Videamus itaq; quid ſit dos, & quæ ſit eius cauſa,à quibus conſtituatur,qualiter,quæ ſit eius diuiſio,& de dotis cõmodo,periculo euictione,alienatione prohibita conceſſaúe. Eſt aũt dos,quæ græco uocabulo pherna uocatur, donatio quæ à muliere uel pro muliere datur, marito partiúe mariti,ea mente ut perpetuò ſit apud maritũ propter onera matrimonij expedienda,& eſt donatio iſta quæ dos dicĩt licita, & iure admiſſa: iure fit etiã cõſtante matrimo. ut donatio ꝑpter nuptias augeĩ utraq; eo tẽpore,ut ſuprà de donat. propter nuptias,& nõ eſt inhibita ut ſimplex donatio.dotis aũt cauſa perpetua eſt,ut ff.eo.l.j.& propter nuptias inhibetur ut donatio ſimplex. refertur aũt dotis appellatio ad matrimonia,quæ etiã de iure cõſiſtũt. In caſtrato itaq; nec dos eſt quia nec matrimoniũ:in ſpadone & dos eſt & matrimonium,ut ff.eo. l.ſi ſerua.Siue ergo matrimoniũ nec de facto fuerit ſubſecutũ, ſiue tale quale ius non approbat,quid nomine dotis eſt datũ,matrimonium non erit,ut ff. de condict. ob cau.l.j.ff.eo.l.iij.ſicq; in his caſibus non eſt locus actioni de dote, ſed condictioni æque priuilegiatæ. Conſtituitur aũt & datur dos,aliâs ex neceſſitate,ut à patre,& à ſuis ſuperioribus:aliâs ex uoluntate,ut à cæteris, etiã à matre: niſi in caſu,puta ſi mater ſit hæretica,filia catholica,ut ſuprà de hæreticis. Quod uero dicitur patrem ex neceſſitate dotare debere, nõ eò pertinet ut matrimoniũ ſine dote eſſe nõ poſſit,ſed ſi filia aliâs nubere non ualet, pater dotare compellitur. paternum officiũ eſt dotare filiam, ut ff.de coll.& dot.promiſſ.l. ult. & ff.eod. Conſtituitur autem dos donatione,& promiſſione.promiſſione,ut per ſtipulationem,& per pollicitationem(ut ſuperius expoſitum eſt) donatione multiformiter.Nempe dantur in dotem incorporalia,ut nomen,uſusfructus: & corporalia,immobilia,mobilia,ſe mouentia,bona fide,& mala fide, æſtimata, & inæſtimata. diſtinguitur autem dos,ſiue diuiditur ſic.dos alia profecticia, alia aduenticia. Perfecticia autem quæ à patre datur etiam adoptiuo,pro filia quoq; emancipata,non enim ius poteſtatis,ſed datio patris diſtinguit dotem: ſi tamen ut parens dederit,ut ff. eod.l.iiij.idem ſi pater iuſſerit aliũm dari. Idem quoq; ſi alter patris negocium gerens habentis tamen ratum dederit. Dos quoq; profecticia eſt,quam curator furioſi patris dederit,illa quoq; ad quam procurator cõſtituitur. Sed etſi pater mutuatus creditorem delegauerit pro reo,qui pro ſe promiſerit,fideiuſſerit:ſecus ſi alius fideiuſſerit,ut ff.eo.l.v. Ex his intelligere licet, quòd omnis alia dos aduenticia eſt,ſiue eam mulier pro ſe dederit,aliusúe à patre:uel pater,non ut pater.quippe ſi pater pecuniam ex donatione acceperit, lege dicta,ut dotaret ex ea filiam,ea dos non eſt profecticia. tenetur enim condictione niſi det,ut ff.eod.l.v.§ ſiquis. Acceptilatione quoq; dos cõſtituitur, ut ff. eod.promittendo & pacto,ut ff.eod.l.ſi res.datur dos aliâs æſtimata,aliâs inæſtimata:& certe utriuſq; traditæ dominus fit maritus,ſi dominus erat qui tradidit:alioquin uſucapio bona fide accipienti procedit, indifferenter aũt dominus fit rerum inæſtimatarũ,non de naturali ratione,ſed de ſubtilitate iuris, ut C.eo. in rebus,& ff.eod.l.quamuis. Aeſtimatarum quaſi uenditarum utroq; iure. nec enim cũ æſtimatio fit,et ſumma declaratur,uenditio cõtrahitur:quia id agitur, ſi quaſi contrahitur,ut ff.eod.l.cum poſt.§ cum.neq; ſimplex uenditio eſt,ut ff. eod.quoties.hoc autem ex eo arguitur,quia nec directa,ſed utili ex empto agitur. Rerum æſtimatarum periculum pertinet ad uirum, quaſi ad emptorem, ut Codicis eodem lege in rebus. Idem in quantitatibus non æſtimatis,hæ enim res eo animo dantur, ut eas maritus ad arbitrium diſtrahat, & aſſumat, & ſic quandoq; ſoluto matrimonio eiuſdem generis & qualitatis alias reſtituit,uel

ipſe,

uel ipſe, uel hæres eius ut ff. eo. l. res. pertinet autem poſt traditionem rerum æſtimatarum periculum ad maritum: niſi mulier id egerit ut perirent. Sed & poſt æſtimationem periculum ad mulierem, non ad uirum pertinet: niſi æſtimatio ante nuptias facta eſt, & res ante nuptias naturaliter, uel uicio mulieris perierunt. Si enim ea æſtimatio ſub conditione facta eſt, fœminæ perierunt. nempe ſecutis nuptijs rerum ante nuptias æſtimatarum ad huc extancium æſtimatio perficitur, & quaſi uera ſit uendicio, ut ff. eo. l. plerunq; §. iij. Quod autem de periculo perueniente ad uirum poſt æſtimationem dictum eſt, ita debet intelligi: ſi in finibus æſtimationis res ſteterit. Si uero poſt æſtimationem conuenerit ut ipſæ res æſtimatæ, & deteriores factæ reſtituantur: quia pacto ſecundo ab æſtimatione abitum eſt, & periculum & partium lucrum ad mulierem pertinebit, ut ſuprà ſolut. ma. l. j. & l. in rebus. Euictionis autem periculum ſemper ad fœminam, etiam ſi res fuerit æſtimata, quæ euicta èſt, ut ff. eo. l. quoties, & C. eo. l. j. niſi eam conſcius alienã et citra pactum maritus acceperit, ut eo. l. auia Vel niſi dolo culpaúe uiri: res ſit euicta. in rebus enim dotalibus uirum præſtare oportet & dolum & culpam: quia ſua cauſa dotem accepit, ſed etiam diligenciam debet, quam in ſuis rebus exhibet, ut ff. eo. l. in rebus. Item ſi res æſtimata ſit euicta à muliere debetur euictio. Nam econtrario quidquid eò nomine fuerit conſecutus dotis actione ſoluto matrimonio mulieri præſtabitur: quare & ſi duplum forte ad uirum peruenerit, ad mulierem redigetur, ut ff. eodem l. quoties. Quid autem de tali periculo erit, puta is qui dotem promiſit, facultatibus defectus eſt, an ad uirum pertinebit, uel ad mulierem? Certe imputabitur uiro, ſi eum conuenire diſtulit, ſi tamen ex neceſſitate promiſit, non ex uoluntate. Nam circa donantem uiro parcitur, qui eum non præcipitauerit, nec urſerit ad ſolutionem, ut ff. eo. l. ſi extraneus. ſed quid dicemus ſi res fuerit data in dotem æſtimata, uerum conuenerit ut aut æſtimatio præſtetur aut res? ſi nihil de electione dictum eſt mariti erit electio, utrum malit res offerre, an pretium earum: multò fortius ſi dictum eſt ut eius ſit electio. Si uero ſit adiectum utrum mulier uelit, ipſa eliget utrum malit rem quæ extat, an æſtimationem. re enim non extante, omni modo præſtabit æſtimationem, ſed rem deteriorem factam reddere poterit, ut ff. eodem plerunq; §. ult. & l. ſanè. Porro in æſtimatione ſuccurritur grauatæ fœminæ, & quia non conuenit lucrari cum damno alterius maxime fœminæ, ut ff. eo. l. iure. In hunc autem modum ſuccurritur, ſi circumuenta eſt quod ſuum dederit ſeruum, omnimodo reſtituenda eſt: ſi uero in æſtimationis modo circumuenta eſt, erit in arbitrio uiri quaſi emptoris ad inſtar ueri emptoris: utrum iuſtam æſtimationem, an potius ſeruum præſtet etiam deteriorem factum. Hoc ita, ſi ſeruus uiuit: ſed ſi iam deceſſerit, ſatis eſt æſtimationem factam qualem qualem præſtari: niſi forte circa mulierem minorem, quæ emptorem iuſti pretij habuerit, & ſi uir dolum non ſtruxerit. Si uero dolum ſtruxiſtet, nec emptor iuſtus accederet, fœminæ quoq; maiori iuſtam æſtimationem debebit mortuo quoq; ſeruo, ut ff. eo. l. ſi res. fructus autem dotis ad maritum pertinere æquitas ſuggerit, cum ipſe onera matrimonij ſubeat. hoc tamen ita, ſi fructus conſtante matrimonio percepti ſunt. Sanè ſi ante matrimonium percepti fuerint, in dotem conuertuntur: niſi aliud conuenerit. Vſufructu quoq; in dotem dato, fructus qui percipiuntur uiri fiunt: niſi aliud actum ſit, ut ff. eo. l. dotis Licet autem generaliter uerum ſit, fructus perceptos etiam conſtante matrimonio uiri eſſe debere: excipiuntur tamen quædam, ut alluuio, uſufructus dotalium ancillarum inæſtimatarum, ut infra titulo primo, & ff. eo. l. plerunq;. fœtus autem pecorum ad uirum pertinent, quia fructus ſunt. maritus tamen, ſicut fructuarius, ſubmittere debet, ut ff. eodem l. plerunq;. Excipiuntur quoq;

ſeruis dotalibus obueniencia extra rem uiri ex operis,ut cont.tit.prox. Excipiuntur lapicidinarum commoda,quæ poſt emerſerunt. ſanè ſi eo tempore, quo fundus in dotem datur,lapis cæditur mariti erit, ut ff. eo. ſoluto matrimonio l. diuortio §. ſi uir.item arbores non cæduæ,nec germinales uiri non ſunt. Arbores nec in fructu cedunt,ſicut nec theſaurus in fundo dotali inuentus. eius enim dimidium quaſi in alieno ſolo inuenti mulieri dabitur. Sanè ultimi anni fructus pro rata diuiduntur, ut pro ea parte qua ſteterit matrimonium ſint uiri, pro parte altera reſtituantur fœminæ: deductis tamen impenſis à uiro factis, nempe fructus ſunt,qui ſuperſunt impenſa deducta,ut ff.ſolut.mat.l. fructus & de iur. rem in præſenti. planè quidquid in ſementem erogatur ſi meſſis non prouenerit ex uindemia deducetur:quia totius anni unus eſt fructus, ut ff.ſolu. matri.l. fructus.§.ult. Reſtat ut uideamus de alienatione dotalium rerum. & quidem uir qui ſoluendo eſt,ſeruos dotales,id eſt,inæſtimatos (de æſtimatis enim non eſt dubium)manumittere poteſt. forte etiam ſimili ratione & cætera poterit alienare:licet legibus non caueatur quia prædia dotalia, id eſt, inæſtimata propter legem Iuliam:& ſi mulier conſenſerit, non alienantur.idem ſi ſint æſtimata,uerumetiam electione fœminæ datę,tunc enim prope inæſtimata ſunt facta, ut ff. de fundo dotali l. quod ſi. Sanè caſualiter dotalis fundus alienatur:puta ſi ſterilis ſit,ut alius uberioris reditus ematur,ut ff.eo.l.ult. Quod ergo dicitur permutationem dotium fieri poſſe,ut pecunia in rem conuertatur, res in pecuniam ita intelligo,ſi res fuerit immobilis,inæſtimata,æſtimataúe (ut dictum eſt) electione mulieri tradita,uel tributa.

DE REI VXORIAE ACTIONE IN EX STIPVLATV ACTInem transfuſa,& de natura dotibus præſtita. TIT. XIII.

Diſſeruimus de dotibus conſtituendis, & de iure quod competit in his: nunc de eo iure, id eſt, de actione qua dotes repetuntur, & emptæ res armentur. Et quia hæc fiebant olim actione rei uxoriæ, quæ ſublata eſt, & in eius locum ſubrogata eſt actio ex ſtipulatu, de ea audiamus, & de natura dotibus præſtita. Exponamus itaq;, quæ actio in locum actionis rei uxoriæ ſit ſubrogata,cui detur, & in quem, quatenus, quibus priuilegijs gaudeat, qualiter maritus conueniatur, qualiterq; ea perſona, quæ dotem promiſerit exigatur. Actio rei uxoriæ dabatur olim pro dote reſtituenda, non petenda (ut reor)ſed pro petenda dabatur actio ex ſtipulatu, uel præſcriptis uerbis: hodie duntaxat ex ſtipulatu actio intenditur. Competit autem ex ſtipulato,ubi utilis ſtipulatio interceſſit,ſed & ubi inutilis,& ubi nuda pactio interceſſit.Sed & ubi cœpit à traditione ex ſtipulatu agitur,ut dos data reſtituatur, euicta reſarciatur. Porrò olim ſi à promiſſione cœperat, ſolenniter euictio petebatur,uel ex ſtipulatu, uel condictione certi: ſi à pollicitatione nuda præſcriptis uerbis. Si uero à traditione, diſtinguebatur:æſtimata fuerit, uel non. pro æſtimata dolo malo tradita contra dantem idoneum,id eſt,alium à muliere,de dolo dabatur. niſi certa ratione perſona exciperetur: pro æſtimata data, & fide bona,in factum agebatur, ut ſuprà tit. j. l. j. Priuilegio autem dotis etiam fœminæ datur ex ſtipulatu actio, etiam ubi nulla interceſſerit ſtipulatio. Nec hoc in iſto ſolo caſu contingit: imò & aliàs. ecce ſi promiſſio inueniatur ſcripta, & de interrogatione nihil eſt ſcriptum: præſumitur interceſſiſſe ſtipulatio, & ex ſtipulatu agitur. idem in omiſſa

cautione

cautione arrogationis, ut ff. de adopt. l. his uerbis. De damno quoq; infecto talis legitur ſtipulatio, ſed & ff. de fide inſtrument. l. iiij. Datur autem actio ex ſtipulatu uiro, & eius patri: & pro euicta dote reſarcienda, & pro ea petenda, contra dotis promiſſorem. Pro dote reſtituenda datur mulieri, ſuo hæredi, & eius patri, contra uirum, & eius hæredem, ſoluto matrimonio morte uiri, uel diuortio uiri culpa facto: ſed & cauſaliter conſtante matrimonio, ut ſupra tit. proximo, l. v. & ff. ſolut. matri. Hoc eſt ſi uir euidentiſſimè uergit ad inopiam aliâs quoq; conſtante matrimonio cauſaliſſimè ut deportato uiro, ut ſupra de re pud. l. j. Quatenus detur uideamus, & certe datur aliâs in id ſolum quod datum eſt, eiusúe æſtimationem, aliâs in amplius, aliâs in minus. In amplius datur illa uiro petendi dotem, puta ad uſuras uſq; ad tertiam centeſimæ fructus terræ & quæſtum ciuilium panum, ut ſuprà tit. j. l. ult. Mulieri petenti ſibi dotem reſtitui datur quoq; in amplius, puta poſt annum percipere debebit, & fructus, & uſuras uſq; ad tertiam centeſimæ pecuniarum, rerum mobilium, & ſe mouentium. Sicut enim intra annum hodie hæ reſtitui debent, ſed & immobiles ſtatim. olim autem dos non reſtituebatur: niſi annua, bima, trima die: iure tamen licito. Et olim in quibuſdam caſibus dos rectè reſtituebatur uxori conſtante matrimonio, puta ut redimat captum parentem, aliâs etiam cognatum inopem, ut ff. ſolut. matri. Veniunt autem uſuræ in prædictis: forte præter interpellationem, quæ uſuras gignere ſolet: idem ſi quid pœnæ nomine à uiro poſt dotem conſtante matrimonio fuerit exactum, ſuo tempore duplum, puta maritus reſtituet, ut ff. de iure dot. l. quotiēs. Item eſt in natura dotibus præſtita ut edictum de alterutro ceſſet, id eſt, uxor dotem conſequitur, & relictum ſibi à uiro quodcunq;: niſi maritus expreſſim cauerit ſe uelle eam fore alterutro contentam. In ea taceat ob mores retentionis uerboſitas, obq; res donatas retentio quieſcat: Sed nec ob res amotas, id eſt, ob ſpecies retentio neceſſaria eſt. Sileat & ob liberos retentio matrimonio ſoluto diuortio. Propter impenſas quoq; in corpora dotalia factas, retentio fieri non debet. quippe neceſſariæ impenſæ dotis quantitatem minuunt: utiles uoluntate mulieris factæ actione mandati repetentur: cum uoluntate, negotiorum geſtorum. uoluntariæ tolluntur ſine læſione prioris ſpeciei. Sanè illud conſtat, quod ſi in dote fuerint & quantitates & ſpecies: & ſi impenderit in ſpecies neceſſariò, utiliterúe: uir compenſationis iure de ipſis quantitatibus dotalibus gracia impenſarum, quas fecerit in ſpecies dotales poterit retinere. Quod ergo dicitur neceſſarias impenſas etiam dotem minuere, non eò pertinet: ut ſi fundus datus ſit in dotem deſinat aliqua ex parte dotalis eſſe, ſed niſi impenſa reddatur, aut pars fundi, aut totus retineatur. Sed ſi impenſum eſt in fundum dotalem per partes, quanti fundus eſt deſinet eſſe dotalis: niſi mulier ſponte marito, & intra annum impenſas obtulerit. Si uero pecuniæ, & fundi in dotem ſunt, & neceſſariæ impenſæ in fundum factæ ſunt, dotes pecuniarum minuuntur. Quid ergo ſi mulier impenſas uiro ſoluerit utrum dos ceſſet an ex integro data uidetur? & certe ſi fundus deſinit eſſe dotalis poterit alienari. Rurſus quemadmodum poterit dotalis fieri data pecunia, an & fundus uel pecunia in dotem eſſe uidebitur? & magis eſt, ut fundus redeat in cauſam dotis, & interim alienatio fundi inhibeatur, ut ff. de iure dot. l. ſi is. Quod autem dictum eſt mulieri ſoli dari dotis repetitionem: hoc intellige in dote aduenticia, quam ipſa pro ſe dabat materúe pro ea, aliusúe extraneus. hoc tamen quod de extraneo dicitur, ita debet intelligi: niſi extraneus ſtipulatus fuerit, uel ſaltim pactus dotem à ſe datam ſibi ſoli reſtitui. porrò dotem pro filia danti ſimplex pactio non proficit, etiam in continenti facta. Sicut ſola ſtipulatio

patris,etiam duntaxat in continenti facta: & ſicut donatio patris fortior eſt alio
rum datione, quia ſibi & filiæ parit actionem : ſicut econtrario pactio ſimplex
matris fortior eſt ſimplici pactione patris. nempe ſi perſona extranea dotandam
perſonam in poteſtate habẽs ſibi fuerit ſtipulata,pactaúe,ſoli fœminæ quæritur
actio, ut in hoc titulo, & ſuprà de iure dot. cum à ſocero,& infrà de pactis con.
l.quãuis ff.ſolut.matri.quoties,& ff.de pact. dota. l. ſi pater. duplici ratione
pactum patris etiam in continenti non ualet,& quia pactum non habet poteſta-
tem nouandi, & quia filiæ quoq; datione patris illico actio quæſita eſt.atqui in-
terpoſitum à matre etiam ſimplici pacto de dote ſibi ſoli reſtituenda,uerè condi-
ci poteſt: quia retro ei ſoli,id eſt, matri, alijúe extraneo dotem danti actio quæ-
ſita eſt. In hoc titulo præſenti ea forte eſt uarietatis ratio, quia cum pater do-
tat ex neceſſitate,& ſibi, & filiæ quærit: quæ ſocia eſt & particeps obligationis
profectitiæ dotis.durius eſt hoc infringere uel mutare. Vbi mater dotat ex uo-
luntate,ſoli filiæ quæritur repetitio : niſi (ut dictum eſt) ipſa mater ſtipulatione
ſibi proſpexerit, ſimpliciúe pacto in continenti interpoſito. Sanè ſi pater ante
nuptias dotem dat,tunc poterit non tantum in continenti,ſed & poſtea interual
lo quantocunq; ſine uoluntate filiæ ſibi ſoli dari, uel reddi ſtipulari : & ſimplici-
ter forte paciſci,ea ratione(ut puto) quia cum ante nuptias dos non ſit, amplius
in ea dote deſtinata poteſt pater,ut ff. ſolut. matri. l. quoties. Et hoc ante rei ux-
oriæ actionem, tacita iſta actio ex ſtipulatu, expreſſaq; recipiebat : ſiquando
enim poſt ſolutum matrimonium dos à patre eius petebatur: ſiquidem rei uxo-
riæ fuerat actio,non poterat ſolus pater ſine conſenſu filiæ ſuæ agere, ſed actio-
ne expreſſa ex ſtipulatu poterat etiam ſine filia agere. Sed hodie nec pater ſine
patris uoluntate repetet:niſi filia matrimonium reconciliauerit ſine patre. tunc
enim ſolus pater repetet,ut ſuprà de nupt. l. ſi ut proponis. Sanè dotem ad ſe re-
uerſam pactionis poteſtatisúe iure,pater ſine uoluntate filiæ minuere non pote-
rit:niſi ob fortuitam cladem,ut authen. de æquali. do. Gaudet autem actio iſta
priuilegijs multis in petitione : quæ ego ſuperius diſtinxi de dotis promiſſione,
& pollicitatione. Secernitur autem illa qua uir dotem repetit: quia hæc quæ re-
petit præfertur etiam priori:ergo & ſimiliter tacita hypotheca gaudentibus, illa
qua uir petit, minimè. item & hoc priuilegio gaudet(quòd titulo ſuperiori expo
ſuimus)etiam ſeorſum à uiro petente,quòd mulier in rebus dotalibus uindican-
dis poſt ſolutum matrimonium omnibus præfertur creditoribus : etiamſi res fu
erint æſtimatæ. Licet enim de ſubtilitate iuris tranſierit in dominium uiri, ta-
men de naturali ratione, quæ robuſtior eſt, in dominio mulieris remanſit. non
enim quod legum ſubtilitate tranſitus earum in mariti dominium uidetur fieri,
ideo rei ueritas confuſa uel deleta eſt, ut ſupra de iure dot. l. in rebus. Nam &
mulier etiam ultima, cui in rem actio competit,etiam in rebus æſtimatis:præſer
tim ex pacto,in rebus ſuis ſi extant,præfertur primæ mulieri,& eius filijs:max-
imè ſi aliâs,id eſt,ex rebus uiri ei ſatisfieri non poteſt.ut in authent. Conueni-
tur autem maritus in ſolidum,ſed non condemnatur:niſi in quantum facere po-
teſt,id eſt, ne compellatur agere. abſurdum enim foret mulieri indies uideri eũ
egentem quem maritum habuerat, & eum mendicantem, quem ſupra pectus
tolerauerat. & ideo hoc uerum eſt,quia ſi maritus fuerit in ſolidum condemna-
tus per errorem iudicis,exceptione ſe poſt ſententiam tuebitur, ut ff. ſolut. ma-
trimo. l. ex diuerſo. Sed nec,ſi maritus fuerit pactus ut condemnetur in ſolidum
condemnabitur tamen in ſolidum. quandoq; quippe cauere debet quòd dabit
ſolidum : niſi cauere uelit, condemnabitur in ſolidum, & extorquebitur ab eo
ſolidum uſq; ad quadrantem ultimum.ſed & ſi dolo deſijt ut poſſit facere, in ſo-
lidum con-

lidum condemnabitur,ut ff. ſolut.matri.ſi conſtante .ff. de re iudicat.l.ſiquis & hoc tit. §. cunq;. parcitur autem non tantum marito ſed & ſocero: ſi petatur ex promiſſione, tunc parcitur ei: ſed & conſtante matrimonio, non eo ſoluto, ut ff.de re iudica.l. ſicut §.ſed. Marito ab uxore conuento ex quocunq; contractu, non tantum pro dote ſuccurritur, ut ff.de re iudica.non tantum.in maleficio mi nimè.parcitur autem ita marito non eius hæredi extraneo, ſed filio communi ex illo matrimonio ſuccurritur, ut infrà qui po.in pigno.l.ult. Parcitur etiam procuratori uiri & defenſori,ſed duntaxat uiuente marito, ut ff. de re iudicat.l. ſi cum.fideiuſſori autem mariti non parcitur, ut ff.de reg. iu.l.tamen.

DE PACTIS CONVENTIS TAM SVPER DOTE, QVAM ſuper donatione propter nuptias,& paraphernis. TIT. XIII.

Vidimus ſuprà de dotibus,& donatione propter nuptias. Et quia cum hæc dantur pacta,quædam accidentalia interponuntur: audiamus de pacto ſi per dotem & donationem propter nuptias, & per conſequenciam quædam audiamus de paraphernis. Exponamus itaq; quo tempore iſta pacta fieri debeant,& quæ ſint utilia, & quæ inutilia, qualiter pactum minus in his interpoſitum, à maiori trahatur. Et certe ante nuptias paciſci coniugi utriq; licet: patri quoq;,& matri,extraneos etiam dantibus dotem,conſtituentibus propter nuptias donationem. Porrò poſt nuptias pacta rei danda inter omnes fieri oportet, qui dotem repetere poſſunt,& à quibus repeti poteſt,ut ff. eo.l. j.Ex pactis autem conuentis utilia ea ſunt,quæ ad uoluntatem pertinent: puta ut mulier ſe alat de dote promiſſa, & donec nupta ſit dos ab ea non petatur: aut ut certam ſummam uiro præſtet,& ab eo alatur. Alia ſunt pacta ad ius pertinentia, ueluti quando petatur & quemadmodum reddatur:in quibus pactis uoluntas con trahentium ſeruatur,ſed non ſemper. Nam ſi conuenerit, ne omnino dos petatur, mulier tamen indotata non erit. Pacta utilia ſunt hæc, ut mortua filia in matrimonio, dos apud uirum remaneat:ſed ita ſeruabitur hoc pactum, ſi liberi non interueniant,ut ff. eo.l.ſi pater. Item ſi muler pacta ſit, ne niſi dimidiam partem repetat,ualebit: ſed alterutro contenta erit ſi pœnam ſtipulata ſit, ut ff. eodem l.ſi pater. Sed & fundo æſtimato in dotem dato, ſi conuenerit mulier: ut ſiue pluris minorisúe uendiderit, uiro id ſit in dotem, pactum tenet: quo in caſu ſi culpa uiri minoris res uenerit,& ipſum mulier conſequetur. Item ſi non uenierit æſtimatio non facta præſtabitur cum pacti conditio defecerit. Nam quod non uenit,nec pluris,nec minoris uenit,ut ff.eodem l. item Sed ſi conuenerit ut ceteriori die dos reddatur,conuentio tenet, ut ff.eodem idem. Nam & ſi conuenit,ut res ex pecunia dotali comparentur, & dotales fiant, ualet, ut ff. de iur.dot.l.res. Item ſi fundus in dotem datus ſit, & conuenerit: inſpicitur, conuertatur in dotem: ut ſi fructus ſint in dotem, & maritus ſit contentus ea pe cunia, quæ ex uſuris redituum colligitur,ut ff. eod. l.ſi conuenerit. Item ſi mulier dotis cauſa certa ſumma promiſſa mancipia in dotem ea conditione dederit, ut eius periculo eſſent: & ſiquid ex eis natum eſſet ad eum pertineret,ſtari opor tet pacto,ut ff. eodem l. ſi mulier. Item ſi inter uirum & uxorem conuenerit, ut ultimi anni fructus lucro mulieris cedant,conuentio ualet,ut ff. eodem l. penul. Item in fundo in dotem centum æſtimato, pactoq; cum uiro facto ut diuortio

intercedente ſub eodem pretio uir fundum uxori reſtitueret, poſtea uolente uxore uir fundum ducentis uendidit, diuortio poſt ſubſecuto. Poteſtas eſt uiro utrum uelit ducenta reddere, uel fundum: alioquin fundus omnino erat reſtituendus, ut ff. eodem l. ult. Item ſi pater conuenerit, ne ipſe uiuus inuitus dotem exigat, ualet: ſed ab hærede exactio fiet, ut ff. eodem l. ob res, & l. ult. Item ſi conuenerit etiam poſt nuptias, ut dotis fructus mulieris ſumptibus ſeruiant, ualet conuentio: non enim eſt donatio, ſed quaſi quædam compenſatio: cum uir uxorem, etiam ſi nihil ab ea percepit, exhibere debeat. Sed & ſi pater dotem datam pro filia, illa in matrimonio mortua, paratus fuerit dotem nepotibus restitui: illis inquam utilis actio dabitur, ut C. eodem l. fructus, & l. pactum. Item uir & uxor de lucro paciſci poſſunt, æqualitate conſeruanda utriuſq;, & in conſtitutione, & actione & pactione: adeo quòd ſi pactum de lucro ex altero latere maius, ex altero minus factum fuerit, maius trahitur ad minus, ut C. eodem l. ex morte & authen. de æqual. do. ea tamen quæ minus uel nihil præſtitit quàm promiſit, minus quoq; percipiet, aut nihil, ut in authen. de non eligendo. Hoc tamen non ita exigitur: quia ubi mulier obtulit, & uir accipere recuſauit, non ideo minus mulier lucrabitur. hoc enim caſu non dans ſimilis eſt danti, ut authen. ut exact. inſtan. dot. Sed & quod dicitur, dotes & donationes propter nuptias æquis paſſibus ambulare debere, ſic intelligo: non quod alterum ſine altero non fiat, uel eſſe non poſſit: ſed quia ſi petatur, præſtari debet. item lucrorum pactio non procedet. Sed & ſi uir uel alius, qui donationem propter nuptias dederit, eam non inſinuauerit: licet inſinuationis omiſſio mulieri non obſit, uiro tamen non inſinuanti oberit: ut in pactis dotalibus concedentibus parti uiri, nullam tamen niſi ſuper dotalibus habebit actionem, ut authen. conſtitu. ij. colla. vij. Nunc uideamus quæ pacta ſuper dote & donatione ſint inutilia. Et quidem inutilia ſunt, aliàs propter matrimonij reuerentiam, ut ſi uir pacto ſe obſtrinxerit ne teneatur in ſolidum: aliàs propter honeſtatem, ut ſi conueniunt: ne ob res amotas, donatas, neúe ob impenſas ageretur, non ualet, ut ff. eodem l. conuenire. altero enim pacto mulier ad furandum inuitatur, altero ius ciuile impugnatur. Sed & inutile pactum propter rei æquitatem, ut ſolum dolum uir in dotalibus præſtet. Sed & inutile eſt pactum contra naturam dotis factum, puta ut dos reddatur die ulteriori ſiue longiori: hoc ideo, ne mulier ſecundò nubere uolens conditionem forte ſibi optimam oblatam amittat, cum enim non habeat unde nubere ualeat. Item inutile eſt pactum contra legem Iuliam factum. Item dote data pactio ſtipulatione etiam in cōtinenti à parte interpoſita de dote ſibi ſoli reddenda, non tenet, ut ſuprà multipliciter probaui. Nam & ſi creditor paciſcatur, ne ſibi liceat pignus uendere, non ualet, ut ff. de pig. l. fideiuſſor & de precario non reuocando, ut ff. de preca. De rebus autem quas extra dotem mulier habet (quæ paraphernæ dicuntur) quod muliere prohibente uir his minime utetur, ut C. eodem l. hac. Ergo permittente his utetur. Quid tamen fiet, ſi mulier marito nomina, id eſt, fœneraticias cautiones dederit, ut loco paraphernarum apud maritum maneant; & hoc maximè in dotali inſtrumento fuerit aſſcriptum? certe uir has actiones intendet, nulla rati cautione ab eo exigenda: ſecus in non dotalibus, & non paraphernalibus; Et uſuras pecuniarum, quas exegerit, per ſe proq; uxore ſicut uolet expendet. pecunias autem ſortis mulieri ſine dolo diligenter ſeruabit, uel in cauſas ad quas mulier uoluerit diſtribuet. Proq; his paraphernis bona uiri omnia, ſicut & pro dotalibus, erunt tacitè hypothecata: niſi hypothecæ fuerint conſtitutæ expreſſè, ut C. eodem l. ult.

DE DOTE CAVTA NON NVMERATA.
TIT. XV.

DIctum eſt ſuprà de dote præſtita, & quia ſæpe inuenitur dos cauta non numerata: uideamus nunc de dote cauta, non numerata. dotem numeratio facit in quantitatibus, in ſpeciebus: præſtatio, non promiſſio, ſcripturaúe: quo ad hoc ut mulieri repetitio detur. nec enim repetit: niſi re ipſa dotem dederit, ut C. qui pot. in pig. l. ult. Scriptura inquam dotem non facit illico, quia uir donandi animo ſe auxiſſe dotem ſcripſerit: niſi ſilencio, uel expreſſim eam donationem legitimè confirmare maritus affirmauerit. Nec illa ſcriptura, qua uir mulierem dediſſe ſibi dotem ſcripſerit: niſi temporis ratione, puta toto tempore mtrimonij. Vel ſi ultra decem annos durauerit matrimonium, non iuuabitur: niſi minoris fauore. Si uero infra biennium ſoluatur matrimonium, infra annum ſi ultra biennium, uſq; ad decennium per tres menſes nõ numeratæ dotis querimonia poterit proponi. Hoc ergo in caſu plura ſingularia ſunt, nempe licet aliâs non numeratæ pecuniæ exceptio biennio artetur, hoc tamen caſu producitur, & artatur. Producitur, quia ſi matrimonium durauerit ultra biennium, & uſq; ad decennium toto tempore matrimonij excipi poteſt: & ultra per tres menſes artatur, ſi intra biennium ſoluatur matrimonium. tunc enim & ſi in penultima die biennij ſoluatur matrimonium, non niſi infra annum non numeratæ ſibi dotis. ergo non numeratæ pecuniæ maritus, uel eius hæres, uxori uel eius hæredi exceptionem opponere poteſt. Eſt & in hoc caſu tertium ſpeciale, quia licet aliâs minor in temporalibus exceptionibus, ipſo iure ſeruetur illæſus: ſed ſi decennium tranſierit hoc caſu reſtituitur, ut authen. de temp. non ſolut. dot.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM, ET à parentibus in liberos factis, & ratihabitione.
TIT. XVI.

EXpoſuimus ſuprà de donationibus licitis iureq; permiſſis, quæ fiunt inter ſponſos & inter coniuges, id eſt, de donationibus quæ dotes uocantur. Nam & dos donatio quædam eſt: nunc audiamus de donationibus ſimplicibus uetitis inter coniuges: & quia inter parentes & liberos donationes quoq; inhibitæ ſunt, etiam de his audiamus: & quia utræq; utiles fiunt ratihabitione, dicamus quoq; de ratihabitione. Quare itaq; prohibitæ ſint donationes inter coniuges dicamus, & quo iure, & quæ aliquando ab initio ualent, etiam id adnectamus, & ſic per conſequenciam intelligere poterimus cæteras ab initio inutiles fore, & quomodo illæ, quæ ſunt inutiles confirmentur ratihabitione. & eadem dicamus de donatione inter parentes & liberos prohibita. Prohibitæ ſunt donationes inter coniuges moribus, ut ff. eod. l. j. tribus ex cauſis: & quia uenalia fierent matrimonia, & quia melior pauperior fieret, & ditior, & deterior: & quia operam potius darent quæſtui inter ſe & deceptioni, quàm honeſto amori, uel liberorum procreationi. Et ſi moribus prohibitæ ſunt, ergo iure ciuili. Nam ius quod moribus continetur ciuile eſt. prohibentur ergo donare coniuges, & hi, qui in eorum poteſtate ſunt, & hi qui eos in poteſtate habent. duo quoq; ſoceri etiam ſibi non donabunt. Sanè nec mater filio donat in poteſtate patris poſito, ut ff. eod. l. j. nec eunti in caſtra: tunc enim donare poterit, forte immobilia: licet nec nunc pater, niſi immobilia ſed nec ſerui præfatorũ donabũt. Sed & ſi ſerui mei uſufructus ad aliũ pertinet, & de peculio qd' ad me nõ ptinet, uxori meæ donet non ualet: ſecus eſt in libero bona fide ſeruiente, ut ff. eo. l. iij,

iiij. Sanè ſocrui ac nurui,& econtrà; donari poſſe certum eſt, ut ff. eodem l. iiij. Prohibita eſt donatio ſiue fuerit de facto inter coniuges: ſiue facto ſolo, ne melior ſit conditio eorum qui deliquerunt, ut C. eodem l. iij. Concubinarius tamen focariæ rite donabit: niſi ſit miles, nec enim milites meos à focarijs ſpoliari uolo ait Imperator, ut ff. de donat. l. donationes, & C. eodem l. ij. meretricibus quoq; bene donatur, ut ff. eodem. Eſt autem conceſſa donatio ſepulturæ cauſa, ſed pro loci religione. idem in his quæ cadaueribus adiacent: multo magis ſi uxori quid uir donet Deo offerendum, ut ff. eodem l. uir. ſed & pro honore uiri pecuniam erogabit licita donatione: præſertim ſi non ſit locupletior, ut ff. eod. l. v. §. penult. Sed ſi maritus pecuniam donauerit uxori ad comparationem unguentorum, & ipſa ex ea emerit, uel ea creditori ſuo ſoluta, de ſua pecunia emerit, donatio ualet. nec enim locupletior eſt quæ tantundem in rem mortuam impenderit, ut ff. eodem l. idemq; & quod ſi autem §. penult. Item ſi alter alteri ſeruum manumiſſionis cauſa donauit, donatio tenet, ut ff. eodem l. idemq;. Item ſi uir uxori: uel econtrà, donauerit ad refectionem ædificiorum exuſtorum tenet donatio, ut ff. eodem l. quod ſi uir. Item ualet donatio in annuo, menſtruoue, ut ff. eodem l. ex. Item ſi alter alteri rem alienam donauit, & donatarius eam uſuceperit ab eo: licet locupletior eſt, non reuocabitur. quia donator pauperior factus non eſt, ut ff. eodem l. ſed & ſi. Item ſi ambo ſibi donauerint coniuges & maritus ſeruauerit, uxor conſumpſerit: quaſi quadam compenſatione inter ſe excluduntur, ut ff. eod. l. quod autem expectetur. Item ſi uir paſſus eſt uxorem de ſuo accipere, uel ei dedit unde mulier ſe exhiberet, quaſi compenſationis iure datio tenet, ut ff. eod. l. ſtipulata, & C. eodem l. ſicut. Item ſi maritus hæres inſtitutus donationis cauſa repudiauerit, hæreditatem uti ad mulierem ſubſtitutam perueniret, donatio tenet. Sed & ſi maritus ex Trebelliano totam hæreditatem reſtituit nullo deducto ualet, quia potius pleniore officio tractus uidetur fidem exoluiſſe, quàm donaſſe. nec enim de ſuo proficiſcitur quod de alieno potius plenius præſtatur, ut ff. eodem l. ſi ſponſus §. ſi mater §. ſiquis. Item mortis cauſa donatio in coniuges ualet: ſed & facta diuortij cauſa, ut ff. eodem ſi eum. Quid dicemus, ſi inter extraneos facta ſit donatio rei alienæ, & aut uſucapione coierint: uel contra, ſi inter uirum & uxorem facta ſit donatio, & ante impletum prædictum tempus ſolutum ſit matrimonium? nihilominus procedere temporis ſuffragio conſtat, quia altero modo ſine uicio tradita eſt poſſeſſio, altero quoq; uicium quod inerat amotum eſt, ut ff. eodem l. ſed ſi. Item ſi uxor ex pecunia ſibi donata uſuras perceperit, uel ex prædijs ſibi donatis fructus: licet horum principalium donatio non ualeat, acceſſiones tamen præfatas mulier iure licito lucratur, ut ff. eodem l. quid ergo, & l. de fructibus. Cæteræ donationes inutiles ſunt, ſiue per ſe, ſiue per interpoſitas perſonas celebrentur, ut ff. eodem l. iiij. In ſumma ita demum donatio inutilis eſt, ſi donator de ſuo diminuendo donatarium fecerit locupletiorem. Cæterum ſi alterum deeſt, repetitio ceſſat, ut ff. eodem l. ſi ſponſus circa finem. Eatenus autem donatio inter ipſos facta & inter eos, qui ad eos pertinet; aut quod per interpoſitas perſonas, utiq; eſt nulla regulariter: qđ ſi aliarum extrinſecus rerum perſonarumue cauſa commixta ſit: ſi ſeparatio non poteſt fieri donatione ualere. Si ſeparari poteſt cætera ualere, quod donatū eſt non ualere, ut ff. eo. l. ſi ſponſus. Eſt autem ſic inutilis donatio, quod ſiquidem eſt traditum dominium non tranſit, & res poteſt uendicari; ſi fuerit acceptolatum nullius eſt momēti, ſi fuerit promiſſum aut ipſo iure denegabitur actio, aut obſtabit exceptio, ut ff. eo. [illegible] tradita eſt poterit condici condictione ſine cau-

ſine cauſa, ubi bonam fidem habuerit perſona, quæ accepit, id eſt, credidit donationem tenere: condictione ex iniuſta cauſa ubi ſciuerit donationem non ualere. Repetitio autem fit (ſicut & ſuprà dictum eſt) ita demum ſi hæc duo concurrant, id eſt, ſi pauperior factus qui donauit: ditior, qui accepit, ut ff. eodem l. ſi ſponſus. §. ult. & l. quia. hoc ideo quia non amarè, neque tanquam inter infeſtos, ius prohibitæ donationis inter coniuges tractandum eſt, ſed inter coniunctos maximo adfectu & ſolam inopiam timentes, ut ff. eo. l. ſi id §. iij. ſed non uelut inter maleuolos repetitionis cauſa debet agi, ut ff. ſed ſi §. quod legaturus. Porrò licet præfata donatio ſit nulla, ſi tamen uir uel uxor donationis cauſa ſeruitute non utatur, ſeruitus amittitur: uerum poſt diuortium condicitur. Sed & ſi ab uxore uir exceptione, quæ donationis cauſa ſubmoueri noluit, facta à iudice abſolutione: ſententia quidem ualebit, ſed condicetur ei cui donatum erit, ut ff. eo. l. v. § ſi donationis §. ſi uxor. Nunc uideamus quibus modis reuocetur donatio coniugalis, & quibus modis confirmetur. Reuocatur dicto expreſſo: & facto, ut uendendo. uerum ſi in obſcuro fuerit an donator reuocauerit, pronior erit iudex ad confirmandam, quàm ad infirmandam, ut ff. eodem l. cum hic. Eſt enim donatio fouenda, quæ pudicitiæ premio ceſſit, ut C. eodem l. res. Infirmatur quoque donatio iſta ſi ea perſona quæ donationem accepit prius deceſſerit: hoc niſi uir uxori uel uxor uiro donauerit. Porrò ſi mater mariti donauerit uxori, non tamen fiet firma donatio: ſi ſocer donator prius deceſſerit, ſed maritum quaſi & ipſe donaſſet præmori oportet. Quid ergo ſi ambo ſimul naufragio perierint? donatio ſtabit, quia neuter prius deceſſit: niſi & id appareat quis prior ſpiritum emiſerit, ut ff. eodem cum hic. Licet enim uidetur dicendum mulierem prius expiraſſe, quia fragiliorem habet ſpiritum. Confirmatur donatio coniugalis ratihabitione duobus modis ſilentio, expreſſa confirmatione: niſi poſt deceſſerit nec ullo modo reuocauit is qui donauit: hoc tamen ita, ſi donatio fuit intra legitimum modum, uel ſi ultra fuerit inſinuata. Sed tunc ratihabitio prorſus retro trahitur. Si uero fuerit ultra nec inſinuata, ſpecialiter tamen eſt confirmata, ualebit confirmatio, & ratihabitio non ex eo tempore quo facta eſt, ſed ex tunc, ut C. eodem donationes. Omnia prædicta de donationibus inter parentes & liberos intelligi debent. hæ enim iuris impoſſibilitate prohibitæ ſunt. Cum enim una & eadem perſona iuris artificio æſtimetur pater & filius, genitor & genitus: ſi alter alteri donat ſibi ipſi donare uidetur. Valet tamen aliquando etiam ab initio donatio collata à patre in filium: puta ſi donauit ei eunti in caſtra mobilia & ſe mouentia, ut C. fami. erciſc. ſi filiusfami. Item ſi in filium diurnam donationem fructuum contulit, ut C. de bo. quæ. libe. ibi dotem pro filia, donationem propter nuptias pro filio præſtitit. abſceſſit enim illico dos à bonis patris, ut C. de coll. dot. ult. Idem forte ſi pater donauit miliciam, confirmetur & hæc donatio, ſicut & ſuperior. Sed hæc tamen ita, ſi pater donauit filio: ſiue uelut extraneo, ſiue cogitando de ultimo iudicio, & aliâs. his equidem caſibus ita firma donatio fit, quia res donata morte parentis efficitur filij. Sed quia tempore mortis adhuc erat in bonis, in fam. erciſc. iudicium uenit: non ut erciſcatur, ſed præcipiatur, aliâs tota: ubi alter filius habet debitum bonorum ſubſidium, aliâs non tota: niſi caret debito. Hodie autem ita demum præcipiet ſi alia hæreditate abſtinere uolet. Nēpe & ex teſtamēto fit omniū datorū nō relictorū collatio: ubi teſtator nominatim inhibuerit. Illud in fine huius ſummæ ſciendū eſt, qđ donatio ab Imperatore in Imperatricē collata: & econtrà, illico ualet, nullaq; extrinſecus opitulatione indiget, ut C. eo. l. penul. Illud quoq; nō eſt ꝓtermittendū qđ oratio diui

Seueri, quæ loquitur de confirmatione donationum, regulariter ad donationem rerum pertinet, non ad ſtipulationem: quæ utiq; non confirmatur, niſi morte in anno, ut ff. eo. l. Papinianus.

DE REPVDIIS, ET IVDICIO DE MORIBVS SVBLATO. TIT. XVII.

AVdiuimus ſuprà de nuptijs colligandis, & quia omne quod colligatur ſoluitur: audiamus qualiter diſſoluatur, & ſic de repudijs: & quia erat de moribus iudicium, audiamus de illo non roborato ſublato. Exponamus quæ differencia ſit inter repudium & diuortium, unde dicatur, quibus uerbis fiat utrunq;, quot teſtibus, qualiter, quando cum pœna, & quando non, & ex quibus cauſis hæc fiant, & quibus modis dirimatur matrimonium. Ea eſt differencia, quia repudium locũ habet propriè inter ſponſas: diuortium inter coniuges ut ff. de uerb. ſignificat. l. inter, ſed tamen alterum pro altero promiſcuè ponitur Dicitur diuortium à diuerſitate mentium: uel quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium, ut ff. eodem l. ij. In ſponſalibus diſſoluendis hæc uerba ſunt prodita: condicione tua non utar: in diuortio res tuas tibi habeto, uel ab eo vij. teſtes interuenire oportet, quales in teſtamentis: preter libertum eius, qui diuortium facit. Etiam eius libertum accipiemus, qui à patre, auo, proauo, cæteriſq; ſurſum uerſum manumiſſus ſit, ut ff. eodem l. nullum. fit diuortium duntaxat repudiumq; miſſo libello, & nullum eſt diuortium, niſi uerum uerbum animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem fiat. Itaq; diuortium quod calore iracundiæ fit, non prius ratum habendum eſt, quàm ſi perſeuerància apparuerit iudicium animi fuiſſe. & ideo per calorem miſſo repudio ſi in breui reuerſa eſt uxor diuertiſſe non uidetur. Imminet pœna repudianti ſine cauſa arrarum amittendarum, uel duplandarum, & non amplius: niſi in quadruplum ex conuentione; ut C. de ſponſal. l. ult. coniugi diuertenti imminet pœna multiplex, puta dotis, & donationis propter nuptias amittendæ, ut non nubat infra quinq; annos: & ſi aliàs nupſerit ipſo iure fit infamis, & adulterij poſſit accuſari. Sanè qui quæue licitè diuertit, poterit etiam longo antea nubere, ſed non niſi poſt annum quo quis de prole dubitet, ut C. eodem conſenſu. Dirimitur matrimonium morte, captiuitate, ſeruitute, ut ff. eodem deportatione, uel ignis & aquæ interdictione non ſoluitur: ſi tamen caſus in quem maritus incidit non mutet coniugis adfectionem, ut C. eodem l. j. Et hoc caſu conſtante matrimonio dotis repetitio datur, ſed hodie coniunx coniugem abſentem ſemper expectare debet: niſi pro ueto eum audierit ſub iureiurando mortuum. Sed & hodie quæ illicitè diuertit, non nubet, ſed in monaſterium detrudetur, ut authen. eo. in colla. viij. §. quod. Cauſæ aũt iuſtæ quibus uir coniugẽ: & ediuerſo, poteſt repudiare ſunt multæ. hæ ſcilicet ſi arguerit adulterũ, uel homicidã ueneficum, uel ueneficã maieſtatis reum uel ream, falſarium uel falſariã, ſepulchrorum diſſolutorem uel diſſolutricem, ſacrilegum uel ſacrilegam, latronem, latronum ſuſceptorem uel ſuſceptricem, abactorem uel abactricem, plagiarium uel plagiariam: cum impudicis mulieribus ſe uidente cœtum ineuntem, quod maximè caſtas exaſperat, uel alio ſimili modo ſibi inſidiantem, ſi ſe uerberibus quæ ab ingenuis mulieribus aliena ſunt adficientem probauerit. Hæ pœnæ uel cauſæ communes ſunt uiris & mulieribus: hæc ultima cauſa per authen. & reprobata, ut authen. ut liceat matri & auiæ. Ex tribus cauſis uir repudiauit uxorem, puta ſi nolens uiro hæredem dare de induſtria abortiuit cum uiris ad lauacrum omne cõmune pergit: uiuente marito de alterius mariti

uiri nuptijs

uiri nuptijs cogitauit, ut C. eo. l. ult. Illud quoq; notandum eſt, ſi matrimonium ſine dote erit, uel propter nupt. donatione, & coniunx ſine aliqua ex prædictis cauſis diuerterit: ſi culpabilis habuerit patrimonium quadragintarum librarum auri in quartam ſuæ ſubſtantiæ plectetur: ſi ultra poſſederit in centum libras auri multabitur ei dandas quem quamúe ſimili cauſa reiecerit, ut C. eo. l. ult. §. ij. hodie tamen per canones nihil horum omnium pactorum penè obtinet.

SOLVTO MATRIMONIO QVEMADMODVM DOS petatur. TIT. XVIII.

ET quia matrimonio ſoluto dos repetitur, quemadmodum dos repetatur ſoluto matrimonio uideamus. Et certè dotem aduenticiam mortuo marito, uel matrimonio uiri culpa diſſoluto, mulier etiam filiafam. ſine patre repetit: multo magis emancipata. Sanè dotem profecticiam, nec pater ſiue filia, ſiue ſua ſiue emancipata: nec filia ſine patre repoſcit: niſi filia matrimonium ſine patris conſenſu reconciliauit, ut C. de nupt. ſine conſenſu in quam filiæ expreſſo tacitoúe, ut ſi euidenter non diſſentiat: perperam tamen pater ſolus repetit, ut ff. eo. l. ſi eum. Porrò dos profecticia in matrimonio mortua filia, ſua, uel emancipata, non facto à uiro retentionis pacto, ad patrem redit liberis non relictis, ut ff. eo. l. poſt, & C. eo. Quippe patrimonium eſt filiæ. ergo & eius filij ſuccedere ei in illo debent, ut C. de rei uxor. act. rem in præſenti, & ff. de minor. l. iiij. ff. de religio. Hocq; ita debere intelligi & manuteneri, ex eo arguitur: quia filij dotem conferunt: ergo & penes eos eſſe debet. nempe ſi conferunt habent, ut C. de coll. illam, ſed & ex eo arguitur, quia ab initio ubi pater dotauit filiæ, abſceſſit dos à bonis patris, ut ff. de coll. dotis l. ult. Quod ergo dicitur ſileat ob liberos retentio, non obloquitur. hoc enim tunc eſt cum matrimonium eſt ſolutum diuortio. Sed nec illud obſtat: & pecuniæ damnum ſenciat & amiſſæ filiæ. nec enim filiam æſtimatur amiſiſſe: cum filius filiaúe ex ea ſuperſit. nec enim ſine liberis decedit, qui nepotem reliquit: & idcirco nobis filios ædimus, ut ex eorum prole nobis diuturnitatis memoriam in æuum relinquamus, ut ff. de uerb. ſignificat. l. liberos. Illud notandum eſt, quòd licet ubi non idoneus eſt, in quantũ facere poteſt conueniatur: tamẽ ſi factus poſtea ſoluendo ſit, in ſolidum exigetur, ut C. eo. l. nec. Itaq; huic tractatui neceſſaria ex ſuperioribus lector aduerte.

SI DOS CONSTANTE MATRIMONIO SOLVTA FVERIT. TIT. XIX.

ET quia dos conſtante matrimonio quandoq; à marito ſoluitur uxori: uideamus quid iuris ſit, ſi conſtante matrimonio ſoluta fuerit. Conſtante matrimonio à marito dos uxori ſoluitur: aliâs ex neceſſitate, aliâs ex uoluntate. Ex neceſſitate ſi uir uergit ad inopiam, ut ff. eodem l. ſi conſtante, & C. de iur. dot. l. v. marito deportato, ut C. de repudijs. Ex uoluntate: puta ut uxor prædia emat, urgens debitum ſoluat, patrem fratremúe redimat, inopem exhibeat, ut ff. quamuis. His caſibus licet ſoluere non cogatur ſi tamen ſoluerit, liberatur: aliâs uero ſi ſoluerit donaſſe uidetur. Et ideo cum fructibus quoque repetit maritus perceptis ex die refuſæ dotis:

maritus inquam qui de retentione pepigerat. hoc tamen ita: niſi uel uxorem occiderat uel eam adulterari fecerat, ut ff. eo. ſi ab & l. cum mulieri.

NE FIDEIVSSORES VEL MANDATORES DOTIVM dentur. TIT. XX.

OLim pro reſtituendis dotibus fideiuſſores dabantur: audi in contrarium ne fideiuſſores uel mandatores dentur. Et quidem nec ante matrimonium nec eo conſtante maritus fideiuſſorem uel mandatorem pro dote reſtituenda uel conſeruanda dare debet, nec cogitur: ne cauſa perfidiæ generetur in connubio. cum enim mulier perſonã ſuam marito integriter committit: multo melius ei ſuam credere debet ſubſtantiam. nam & teſtibus per ſententiam ſuam in ſacramento eorum credere debent, ut C. de teſti. l. ſiquando, & conſtituit ne dotem deteriorem reſtituat. ſi tamen fideiuſſor fuerit datus, pignusúe, tenebitur ad inſtar fideiuſſoris à teſtatore tutori dati, ut ff. eo. Sanè ſoluto matrimonio fideiubere poteſt & debet de facto, poſtea ſi ad meliorem fortunam peruenerit omnia reſtituet, ut C. rem in præſenti §. cum autem, & ff. eo. l. ſi rem §. quoties. Porrò mulier, & eius pars caueri poteſt ritè & utiliter uiro eius pro dote præſtanda, ut ff. de iur. dot. l. inuitus.

RERVM AMOTARVM. TIT XXI.

QVoniam dotis repetitio minuitur, quia uxor amouet: de actione rerũ amotarum audiamus. Videamus unde rerũ amotarum actio naſcatur, cui, in quem detur, in quantũ, quando, quanto tempore duret, qualis ſit hæc actio. Ex delicto naſcit̃, ut ff. eo. l. ſi mulier §. ult. l. ex furto. facit enim furtũ & uxor uiro: & econtrà, licet furti actio nõ intendatur propter reuerenciã matrimonij, id eſt, carnalis copulæ, ut ff. eo. l. j. & ij. & penult. ſed tamen ceſſat actio furti, ubi alter alteri ſubripuerit cõſtante matrimonio: ſed ſi ſucceſſerit furi, cõdictione furtiua, nõ rerum amotarũ conueniri poteſt cõſtante matrimonio: ſic nec expilatæ hæreditatis, ut C. de fur. l. viij. Sanè ſi matrimonio ſoluto cõtrectauerit furti cõuenietur, ut ff. eo. l. iij. porrò uxor licet nec furti nec rerũ amotarum actione poſſit conueniri conſtante matrimonio: ſi tamen res amotas poſſidet, uir eas uindicabit, & per condictionem ex iniuſta cauſa contra eam experietur & actione ad exhibendum, & ff. eo. l. nam. & pro damno dato, proq; corrupto ſeruo etiam conſtante matrimonio conuenitur à uiro: ſed fauore nuptiarum parcitur, & in ſimplum conuenitur, ut ff. ſerui corrupt. l. penult. multo magis ex contractu alter ab altero conueniri poteſt. patet hæc actio ei cui amotio facta eſt, & eius hæredi contra amouentem: ſed contra patrem peculiotenus, ut ff. eo. l. iij. & ff. de condict. furt. l. Iul. contra hæredem, ſi peruenerit ad eum uel poſt litem conteſta. ut in alijs pœnalibus: aliàs petitione hæreditatis conuenietur, ut ff. eo. l. ſi propter. Datur ei cui amotum eſt, & in eius fructus: & ratio damni habetur & incrementi, ut in condictione furtiua, ut ff. eo. l. penult. Sed ſi coniunx res amotas non reddat æſtimatio fieri debet quanti in litem uir iuraſſet: non enim inuitus res ſuas uendere cogendus eſt, ut ff. eo. l. ſi cum & l. non enim: neq; de euictione cauebit propter contumaciam amouentis, ut ff. eo. l. ideoq;. Item qui rerũ amotarum actionem inſtituit, deferre poteſt iuſiurandum: ſed ei non refertur. ergo is cui defertur cogitur iurare, non amouentis pater, hæresúe, ut ff. eo. l.

Marcellus

Marcellus & l. idem Labeo. patetq́ rerum amotarum actio non tantum pro re bus proprijs ſed & pro pignoratis,& bona fide poſſeſſis,ut ff. eod. l. ſi concubina & l. ſi rem. Datur rerum amotarum actio, non ſolũ ſi amotio facta eſt diuortio,ſed etiam ſi cum diſcederet,id quod amouit,cælauit,ut ff. eod. l. ſi concubina,utilis quoq́ amotarum actio datur ſi mulier cũ de uiri uita deſperaſſet,amouet & diuertit:uiro qui poſt conualuit,utilis datur,ut ff. eod. l. ſi mulier. Datur regulariter ſoluto matrimonio,ut ff. eod. l. j. In ſolidum datur contra amouentem,nec habetur eius ratio ut cõueniatur in quantum facere poteſt. pendet em̃ ex furto ut ff. eod. l. ſi mulier. § ult. Caſualiter datur conſtante matrimonio propter cauſæ neceſſitatem ut Cod. de furto l. ult. in fine. perpetua eſt quia rei perſecutoria eſt,& famoſa:non quia eius pœna certa ſit aliqua, ſed ideo dicitur pœnalis,quia ex delicto oritur:& quia contra hæredem nõ datur ex ordine, & per iuſiurandum in litem, quædam tamen lex uidetur dicere quòd quandoq́ ſit in quadruplum,ut ff. eod. l. ad fiſcum.

NE PRO DOTE MVLIERIS BONA ADDICANTVR. TIT. XXII.

NVlli mulieri bona uiri mortui addicantur iure dominij. ſanè ſi nullo hærede relicto deceſſerit uir, poſtulabit ut ei conſulatur miſſione in poſſeſſionem,& uindicatione cum tacitè omnia uiri bona ei ſint obnoxia.

DE FVNDO DOTALI. TIT. XXIII.

DIctum eſt ſupra generaliter de dotibus, & quia fundus dotalis priuilegio munitur,de fundo dicamus dotali. Videamus quando dicatur dotalis,& quis,quo priuilegio gaudeat. Dotalis dicitur fundus nõ ex promiſſione,ſed domini tradita poſſeſſione,ut ff. ſolut. matri l. de diuiſione. is propriè ſolus eſt dotalis qui inæſtimatus traditus eſt. uiri de ſubtilitate iuris,uxoris manens de naturali iure. idem ſi æſtimatus electione præbita fœminæ. prope enim abitum eſt ab æſtimatione per ſequens electionis pactum,ut ff. eo. l. quod ſi. Eo priuilegio gaudet quia alienari non poteſt ſpontanea alienatione, etiam ſi mulier quadragies milies conſenſit:ſecus in donatione propter nuptias. Nam ſi mulier conſenſerit primum,& poſt biennium ei qui eſt ſoluendo alienare poterit,& obligare, ſed nõ dotalem fundum:niſi caſualiter, puta ubi alium amat uberioris reditus, ut ff. de iur. dot. l. ult. Sanè ex neceſſitate alienatur, ut ſi maritus non prouocet, ſed prouocetur,ad inſtar adminiſtratoris eccleſiæ,ut C. eod. l. ult. Sed ex neceſſitate aliàs alienatur,puta ex cauſa damni infecti miſſus in poſſeſſionẽ, iuſſusq́ poſſidere fit dominus. item ad hæredem cum uniuerſitate tranſit, ſed cũ ſua cauſa,ut non poſſit alienari, ut ff. eod. l. j.

DIVORTIO FACTO, APVD QVEM FILII nutriantur. Tit. xxiiij.

DIuortio facto ſæpe contenditur, an apud matrem patremúe liberi morari debeant,& de hoc audiamus. Et certè quia ex ordine maiores trimo apud patrem,minores apud matrem morari debent. uerum interdum iudex æſtimabit apud quem melius morari ac nutriri debeant. poſt trimatum tamen patris expenſis ali debent & apud patrem conſtituti.

DE ALENDIS LIBERIS AC PARENTIBVS. TITVLVS XXV.

OCcaſione ſumpta apud quē morari nutririue debeant liberi: audiamus de liberis alendis à parentibus, & econtra. Sed certè pater cogitur alere filiū, maximè illū qui ſibi nō ſufficit. Quippe naturalis ſtimulus artat parētes ad educationē filiorꝶ, ut C. de iur. dot. rem in pſenti. hoc ita ſi cōfiteatur, ſed ſi neget, iudex ſummatim cognoſcet, et alimēta decernet: alioquin pignoribus captis coercebitur, ut ff. eod. l. ſi quis. Et hoc ſuadet Senatuſconſ. Plancianum, pœna pignorum denunciata, & præiudicium edicto perpetuò propoſitum, & remediū alimentorꝶ apud præſidem minori indultum, ut C. de patria poteſtate l. penult. econtrà quoqꝫ filius etiā emancipatus cogitur alere patrem inopem, ut Co. de patria poteſt l. filia, & ff. eodem lege ſi quis. Nam iniquiſſimum merito quis dixerit patrem egere cum filius ſit in facultatibus, ut ff. eod. l. ſi quis. Simili ratione patronus libertum, dominus Vaſallum, Vaſallus dominum, libertus patronum egentem, debet exhibere: niſi certa ratione id ſibi ademit, indignusqꝫ reperiatur, ut ff. eod. l. ſi quis.

DE CONCVBINIS. TIT. XXVI.

EXpediuimus ſuprà de nuptijs & ſic qui de uxoribus naſcuntur filij legitimi & quia nobis naſcuntur ex concubinis, qui dicuntur ſpurij & baſtardi, audiamus de concubinis. Concubinam unicam etiam in domo licet ei habere, qui uxorem non habet: ſi tamen uxorem poſſit eam habere, concubinatus enim nomen per leges aſſumpſit, ut ff. eod. l. in concubinatu. fieri autem poteſt concubina cuiuſcunqꝫ ætatis, dum non ſit minor duodecim annorum: non tamen concubina patris, erit filij: & econtrà. prope enim nefaria eſt iſta coniunctio, ut ff. eo. l. j. poteſt eſſe concubina liberta etiam aliena, ingenua quoqꝫ: maximè quæ ſit nata in obſcuro loco. item quia miniſter in prouincia: licet ex cauſa cōſtante officio uxorem habere non poſſit, concubinam habere poteſt, ut ff. eod. l. ult.

DE NATVRALIBVS LIBERIS, ET MATRIBVS eorum, & ex quibus cauſis iuſti efficiantur. Tit. xxvij.

QVia de concubinis naſcuntur liberi naturales, qui & ipſi aliquando illegitimi ſunt alendi. Videamus de naturalibus liberis, & eorum matribus, ex quibus cauſis iuſti & legitimi efficiuntur. Exponamus itaqꝫ ex quibus cauſis naturales liberi efficiuntur legitimi, & qualiter eos natos eſſe oportet qui ſunt legitimi, & quatenus naturales manentes naturales, id eſt ſpurij, baſtardi ſuccedūt ſuis naturalibus patribus, & ex teſtamento, & abinteſtatò. Fiunt legitimi ſi à patribus curiæ dentur, ut ipſi patri ſuccedant, & pater eis: non patris cognatio eis, nec ipſi patris cognationi. Si cum eorum matre cōtrahatur dotalibus inſtrumentis, id eſt nuptialibus confectis, ſi pater dixerit in teſtamento legitimos habere ſe uelle, eos legitimos ſibi fore, & ipſi conſentientes (aliter enim non procedit) principi ſupplicantes exhibeant teſtamentum, & ſic principis et legis dono fiant hæredes & legitimi. Item ſi in teſtamento ſubſcripto filios uel filium nominat, etiam ſi plures habuerit. nam id amplectentibus prodeſt ad ius filiorum legitimorum accipiendum. Sed ſi cum ancilla rem habuerit, & poſtea dotis inſcriptio facta fuerit: ipſa dotis inſcriptio, ſimul & libertatem, & ius ſuorum tribuit.

Et eſt

Et eſt notandum, quòd matrimonio cum concubina facto, non ſoli illi qui nati ante fuerant, ſed qui poſt naſcuntur legitimi fiunt. fiunt autem legitimi demum (ſicut dictum eſt) ſi naſcuntur ex concubina unica in domo, & ſi naſcuntur ex coitu non reprobato legibus. Et quidem coitus alius probatus, alius permiſſus propter fragilitatem humanitatis, alius reprobatus. probatus cũ uxore legitima. Reprobatus alius ſi fit ab uxore habente alium, ab eo qui uxorem non habet. Fit ab uxore habente alium tribus modis: puta ſi uxorem habens de facto ſecundam uxorem ſuperinduxerit, & eam habuerit. Idem ſi ſuperinduxerit concubinam. Idem ſi aliâs acceſſerit ad aliam uxorem qualem qualem ſiue alterius uxorem, ſiue alterius cõcubinam: ſiue aliam mulierem, uirginem, uiduam, conſanguineam, uel monacham. Et ab uxore non habente alium fit coitus reprobatus duobus modis: puta ſi quis habuerit aliquam extra domũ uulgò paſſim, uel ſi quis abutatur pluribus non uxoribus pluribus ſuccubis quas habet in domo. porrò uxorem non habens, ſi tamen habere poſſit, licitè coit & ſiquis talem habuerit in domo, & cũ talibus concubinis hæc agit. certè magis debẽt dici pellices uel ſuccubæ quàm concubinæ. Igitur talis diuiſio fieri poteſt, filiorum alij ſunt naturales & legitimi, alij naturales tantum, alij legitimi tantum. Naturaliũ tantum alij ſunt ſerui, alij liberi. Liberorũ alij ſuccedunt, ut nati ex præfata concubina: alij non, ut nati aliâs reprobè. Eorum qui ſunt naturales & legitimi, alij ab initio, alij ex poſt facto. Ab initio ut ex matrimonio primordialiter genito. Ex poſtfacto, ut ex matrimonio cum concubina poſtea confecto. Eorum qui ſunt legitimi tantum, alij per adoptionem ſimplicem, alij per arrogationem. Ex teſtamento ſuccedunt ita ſpurij, ſi pater nec legitimos reliquerit, nec parentes: etiam in teſtamento & inter uiuos eis poterit omnia largiri. Si uel legitimos ſolos uel legitimos parentes reliquerit, ſpurij duntaxat unciam percipere poterunt: & ad eam unciam illorum mater conſtituta uiriliter uocabitur, ſi fuerit in medio, licet hic non legatur ſi parens talis deceſſit teſtatus: ſed ubi deceſſit teſtatus idem uidetur eſſe dicendum: ſi ſoli cõcubinæ reliquerit ſemiunciam, ut eam uiriliter cum natis diuidat, imò non procedit, quia nihil ei relinquere poteſt: niſi ubi eſt ſola, id eſt ſine filijs. Si uero parentes ſolos reliquerit, relinquet eis pater præfatorum baſtardorum neceſſariò falcidiam ſi uolet: omne reliquum poterit relinqui naturalibus. Ab inteſtato ſi reliquerit uel legitimos, uel uxorem ſaltim multo magis ſi utrunq; uinculum, ſuccedunt: & licet ipſa non ſuccedat ſibiq; nõ proſit, agnatis proderit. Si uero uxor eſt, nec legitimos reliquerit in duas uncias tantum ab inteſtatò ſuccedunt, cætera habebũt ordine ſeruato, cognati uel fiſcus. ergo ab inteſtato ueniunt aliâs in modicum, aliâs in nihilum, aliâs in totum. Ex teſtamento alij in ſolidum, alij etiam penè in ſolidum, aliâs in modicũ, aliâs in nihilum. De illis autem naturalibus prædicta debent intelligi, quos conſtat eſſe naturales filios. Quod ego dico conſtare non poſſe: niſi ſint ex unica domo. Ergo ſiquis habet duas in domo, aut dicam conſtare non poſſe, aut ſi dicatur ita poſſe conſtare in duabus habitis in domo, ſicut in una? dicam quia iſtud conſtare non confert, quia illi coitus toti & prorſus cum illis duabus contra legem fiunt, & ſic ſiqui ex his nati fuerint, non ritè poterit dici, hic pater eorum eſt, uel hi ſunt filij naturales.

DE TESTAMENTARIA TVTELA. TITVLVS XXVIII.

EXpoſuimus ſuprà de contractibus, & de quaſi contractibus: & quia inter quaſi contractus dignior eſt tutela, audiamus de tutelis. uel aliter diximus ſuprà, quoniã parentes neceſſe habent filijs prouidere in alimonijs. & quia nunc debent eis prouidere in tutoribus dandis, uideamus de tutelis. Et quia tutela alia teſtamentaria, alia legitima, alia datiua, cõſtatq́ quod teſtamẽtaria dignior eſt, uideamus primũ de teſtamentaria. Videamus quæ tutela dicatur teſtamentaria, & quis poſſit in teſtamento tutorem dare, quis non, cui, & cui non: ſed primum dicamus quid ſit tutela, unde dicatur. Eſt autem tutela in capite libero uis & poteſtas ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit iure ciuili data ac permiſſa. poteſtas ſcilicet duplex, ad differentiã curæ: nempe curator cogitur quidẽ curam ſuſcipere, ſed non adultus: præterquã ad litem. Sed tutor cogitur ſuſcipere & pupillus cogitur admittere. In capite libero ad differentiam dominicæ poteſtatis, & quia hæc oĩa pater habet, adijcitur ad tuendũ ſcilicet duntaxat. Ea quæ ſubijciuntur iure ciuili data ac permiſſa, non de definitione ſunt, ſed tutelæ diuiſionem inducunt. Siquidem permiſſa dicitur tutela legitima & teſtamentaria, et datiua. & quia teſtamentaria excellentior eſt de ea primitus dicamus. Teſtamentaria dicit̃, & quæ in teſtamẽto datur & codicillo teſtamento confirmato, ut ff. eod. l. iij. aliàs tutor teſtamentarius inutiliter datur. Item poteſt dare tutorem qui habet teſtamenti factionẽ, non mater: multo minus alius extraneus. Sed ſi mater dederit, etiam ſi non inſtituerit interdum confirmatur, id eſt ſi aperte inueniatur probatus. Sed ubi extraneus libertus patronum inſtituit, confirmatur quandoq́, ſed ita demum, ſi apertè ſit probatus. Datur etiam in teſtamento ſeruus proprius & alienus tutor, eoq́ ſolo poſt aditam hæreditatem tutelamq́ admiſſam liber futurus eſt, ut Inſtitut. Datur priuatus & magiſtratus: licet ſe uelit excuſare. libertus, filiusfam. ſed non fœmina ex ordine: nõ minor, non miles, non incertus tutor. Item ſi duo Titij uel duo Apollonij tutores dati ſunt in teſtamẽto, nec apparet de quo ſenſerit teſtator, neuter tutor erit, ut ff. eod. l. duo. non prorſus mutus, ſurduſúe. hi autoritatẽ probare nõ poſſunt ut ff. eod. l. ult. Dari poteſt duntaxat filio impuberi in poteſtate poſito, in teſtamento, codicilloúe confirmato teſtamento. Quatuor ergo eſſe oportet, ut ſit filius, in poteſtate, impubes, in teſtamento: aliàs etiam ſi à patre legitimo datur, tenet datio, ſed ſequitur confirmatio: multo minus tenet matris datio etiam naturali filio, patriſúe naturalis, uel cuiuſcunq́ extranei etiam inſtituentis. in his tamen caſibus confirmatio fieri debet.

DE CONFIRMANDO TVTORE. TIT. XXIX.

SEquitur ut de cõfirmando tutore dicamus. Inutiliter datus tutor etiam à patre legitimo indiget confirmatione, puta ſi dederit impuberi ſuo, uel impuberi emancipato, uel impuberi etiã ſuo, in ſuo teſtamento, codicillo teſtamento confirmato: multo magis ſi filio ſpurio, etiã in his quæ ei relinquunt̃, ut C. eo. l. ult. Sed & à matre datus: ergo inutiliter, aliter ſolet, aliter debet cõfirmari à prætore Romæ, & à præſide in prouincijs: ſolet ubi non reliquit, debet ubi inſtituit. Illud notandum, q̃ pater uolens tegere iniuriam exhæredationis, etiam exhæredato filio impuberi dat tutorem, ut ff. eodem lege tertia, & Cod. de Inſtitut. Ex his poteſt intelligi, quòd duobus modis, etiam pater legitimus, inutiliter dat tutorem ſine teſtamento, uel etiam in teſtamento: ſi non ſuo impuberi inſtituto, exhæredatoúe filio, filiæ: poſthumo, poſthumæ, nepotibus: ubi non ſunt recaſuri in poteſtatem ſui patris, ut ff. eodem lege tertia. Sed & ſi

dederit

dederit filio uel filijs, filia & filiæ continentur: ſed nõ econtrà, et poſthumis, ſed non econtrà. Item ſi dixerit ſingulariter teſtator, do tutorem filio, pluribus uidetur dediſſe, ſi plures habeat, maſculis, & fœminis, & poſthumis. planè ſi dixerit filio uel filijs, nepotes non continentur: ſi dixerit liberos continebuntur nepotes, ut Inſtitut. qui teſtament. tut. da. poſſ. omnis alius à patre inutiliter datur. opus eſt enim ſemper confirmatione. ergo ſi mater dederit filio ſuo legitimo, uel baſtardo: pater etiam naturalis in his quæ ei relinquuntur, ut C. eod. l. ult.

DE LEGITIMA TVTELA. TIT. XXX.

ET quia legitima ſuccedit teſtamentariæ, audiamus de legitima. uideamus quæ differentia ſit inter legitimam & teſtamentariam, unde dicatur legitima, in quibus differat, & qualiter finiatur. differt quia teſtamento tutor datur, hæc ipſo iure competit. Item teſtamentarius ſit tutor etiã extraneus, legitimus non eſt, niſi conſanguineus. Dicitur legitima quæ competit cõſanguineis, quia lege xij. tab. introducta eſt. Illa uero quæ patronis defertur ad exemplum dicitur legitima, ut eum liberto ſuccedat eius tutelam ſubeat. Sed & fiduciaria tutela eſt, quam pater emancipator filij legitimi accipit. Dicitur exemplaris ad exemplum patronorum, quo patre defuncto ſi liberi uirilis ſexus eius exiſtant, fiduciarij ſunt tutores filiorum ſuorum, & fratrum, ut Inſtitut. eo. Eſt & quarta qua ſi legitima ut orphanotrophorum, & ſimiliũ. Defertur iure ſanguinis tutela per legem ueterem duntaxat agnatis maſculis, non cognatis. ſed maſculis, non fœminis ex ordine. Sed hodie etiam pariter cognatis: non minoribus ann. xxv. foret enim fœda rerum nominũ confuſio agere ſub tutela, & tutelam adminiſtrare. legitima patronorum tutela datur ei, qui manumiſit, uel inter uiuos, uel ex cauſa fideicom. uel ſi ea lege accepit ut manumittatur, ſed eo ceſſante conſtitutio manumiſit. Planè ex Rubriano ſenatuſconſulto manumiſſus libertus, nõ habebit eum patronum tutorem, qui rogatus fuit manumittere, ut ff. codẽ. l. iiij. Item notandum quòd legitima patronorum, differt à legitima agnatorum: quia legitima patronorum pertinet ad ſolos liberos, non ad eos, qui ſunt nati ex altero filio mortuo: in agnatis ſecus. Sed & patroni non ſatiſdant: niſi perraro, ſed agnati ſemper ut ff. eo. l. iiij. & l. antepenult. finitur autem tutela multis modis: primo pubertate ſublata corporũ inuerecunda inſpectione: finitur arrogatione facta tamen tutoribus cõſentientibus: deportatione, reuocatione in ſeruitutem per ingratitudinem: captiuitate ſuſpenditur. finitur quoq; morte pupillorum uel tutorum. Pupilli quoq; capitis diminutio omnes tutelas perimit: ſed capitis diminutione tutoris licet maxima, tollatur omnis tutela: minima tamen non niſi legitima ſola. finitur quoq; certa conditione, certoq; adueniente tempore: ſed & deſinit quis eſſe tutor curatorue ſi fuerit mortuus, excuſatusue ut Inſtitut. quib. modis tutela finitur.

QVI PETANT TVTORES VEL CVRATORES, TITVLVS XXXI.

AVdiuimus de teſtamentaria tutela & de legitima, audiamus de datiua, & quia datiua tutela conſtituitur per prætores, per iudices, qui dant eos, & per eos qui dantur: conſtatq; quia prius fit petitio, quàm datio, uideamus qui petant tutores & curatores, & quæ ſit differẽtia inter datiuos & ſuperiores. Certè ſuperiores non petuntur, datiui petuntur. item teſtamentaria ſub conditione

dantur datiui. Item ſuperiores ipſo iure ſunt tutores, hi non. item ſerui à teſtatore d antur, à iudice minimè. Petunt autem tutores & curatores quidam ex neceſſitate, ut mater, libertus: quidam ex uoluntate, ut cæteri. ecce enim mater ſi nõ petijt tutorem filio impuberi ab eius ſucceſſione impuberis mortui repellitur: niſi fortuito caſu ipſa mater excuſetur, ut C. eod. cum à matribus. Item ignoſcitur matribus, ſi eis non fruſtrantibus alius præuenit & petijt: uel ſi earum filij penitus egeni erant, ut ff. ad ſenatuſcon. Tertyl. l. ij. § ſi mater. Si uero petierit lugubrem impuberis mater ſucceſſionem habebit: niſi compulſa petierit, ut ff. ad Tertyl. l. ij. Cogitur ergo mater filio tutorem nõ habenti tutorem petere, nõ præciſè, ſed cauſatiuè: Hoc ſi uelit ſuccedere. petit autem tribus modis, & ex nouo, & ueteres reprobando, & utiliter datos confirmando, ut ff. eod. l. ij.

VBI PETANTVR TVTORES VEL CVRATORES. TIT. XXXII.

ET quia tribus modis petuntur tutores, audiamus ubi petantur. ibi unde pupilli originem habent per patrem, uel ubi eorum ſunt facultates, tutores & contutores creandi ſunt. Si in prouincia ubi morantur non poſſident, neque inde originem habent, in patria ſua defenſores legitimos ſortiantur.

DE TVTORIBVS VEL CVRATORIBVS ILLVſtrium uel clariſſimarũ perſonarum. Tit. xxxiij.

ET quia illuſtribus, ſpectabilibus, clariſſimiſq; pupillis, & puberibus etiam interdum dantur tutores & curatores, audiamus de his. Et quidem illuſtris præfectus cum prætore adhibitis, decem quoq; uiris de numero centumuirali, eum, eoſue nominabit, quem quoſue idoneum uel idoneos comperit. Hoc tamen de illis pupillis debet intelligi, quibus neq; teſtamentarij defenſores, neq; legitimi in ætate ſubpetunt. In prouincijs autem curiales nominare debent, ſed ipſi creandi non ſunt, ut C. eod. titulo.

QVI DARE TVTORES VEL CVRATORES POSSVNT, & qui dari non poſſunt. Tit. xxxiiij.

AVdiuimus de petentibus tutores & curatores, nũc audiamus de dantibus eos qui dari poſſint. Dare poteſt tutorem & curatorem Romæ præfectus prætor, in prouincijs præſes, ſi magnæ non ſint facultates pupilli, adulti, id eſt ultra quingentos ſolidos, defenſores, conſules, creabunt eos ut Inſtit. de attilia. tuto. Dari poſſunt tutores hi ſoli, cum quibus teſtamenti factio eſt, & ſoli liberi à iudice etiam purè. Datur tutor pater, filius, & curator, maior filius, priuatus, honoratus, ut conſul, prætor, licet ſe poſſint excuſare. ueteranus hæres etiã non miles, non furioſus, non mente captus, non demens, non prodigus, non condemnatus de crimine, non mutus, non ſurdus, non minor, non mulier, niſi à Cæſare impetrauit, ut ff. de tut. non luminibus captus, non patrimonialis colonus, ut C. eod. l. ult. non minoris debitor, non epiſcopus, non monachus, non preſbyter, non diaconus, non ſubdiaconus, nõ quiuis clericus datur, licet prædictorum quidam ad legitimam admittantur tutelam, ut C. de epiſc. generaliter.

QVANDO MVLIER TVTELAE OFFICIO FVNgatur. Tit. xxxv.

OLim fœmina filiorum ſuorum etiam baſtardorũ tutelam cauſaliter ita ſmpetrabat,ſi iuraret ſe ad ſecundas nuptias non cõuolaturam, ſed hodie iuſiurandum non exigitur. Si tutela ſine ſacramento habita,ſi conuolauerit expellitur à tutela, ſaluo omni alio iure filijs,admittitur autem ad tutelam ſi creditrix ſit filiorum debito in ſua natura remanente,licet in alijs ſit ſecus. Præfertur mater omnibus legitimis tutoribus datiuis,ſoliq́ teſtamentarij præcedunt. Ita tamen ſi tutrices fient,ſi in actis ſenatuſcon. Velleiano,& omni alij auxilio renunciauerint,ut C.eod.l.ult.nam & quia nuptias adfectauerit mariti eius bona tacitè primo minori ſunt obnoxia,ut in quib.cau.pig.taci. contrah. ſi mater.

IN QVIBVS CAVSIS TVTOREM HABENTI TVtor uel curator dari poſſit. Tit. xxxvj.

TVtorem habenti quandoq; tutor datur,puta in locum cõuenti, & ſuſpecti, & excuſati,relegati,& ob augmentum facultatum. his tamẽ in caſibus melius curator dicitur,quàm tutor. licet enim tutor non detur puberi, curator tamen datur impuberi,& hæc cura pubertate,ſicut tutela,finitur,ut ff. de tuto.da l.curatorem.ergo impropriè hic dicitur curator, quia impuberi, impropriè tutor,quia datur tutorem habenti. tamen impropriè curator, quia tutor dicitur, proprie autem auctor uocatur ſiue adminiſtrator,ut ff.de curat.l.ſed &.

DE ADMINISTRATIONE TVTORVM ET CVRATOrum,& de pecunia fœneranda,& deponenda. Tit. xxxvij.

SVprà diximus de omnium tutorum & curatorum creatione, reliquum eſt, ut dicamus de eius adminiſtratione. Quid enim conferret creatio, niſi ſequeretur adminiſtratio?& adnectamus de pecunia pupillo non fœneranda, ſed deponenda. Videamus itaq; qualiter compellatur adminiſtrare, & ex quo tempore,& quid ſit tutelam adminiſtrare,et quæ debeat inter adminiſtrationẽ agere. Compellitur autem tutor & curator pignoribus captis tutelam & curam agnoſcere etiam extra ordinem à præſide,ut in Inſtitut.de ſatiſdat.tut. & curat.& ff. eod.l.j.niſi competenter ſe excuſauerit infra tempora præſtituta, ex quo tutori innotuit,uel minus iuſta ignorationis ratione nõ didicit ſe uocatum eſſe, & ad adminiſtrationem accedere debuit. Et tenebitur ſiquid perierit,quippe & de gerendis ſi abſtinet inter excuſationem arguitur,ut ff.eod.l.ita. § ult. etſi uertatur in dubio an ſcierit,pupillus probare debet,ut ff. eod.l.tutor,& Co.de periculo tutorum l.ſi tutor. Inuentarium ſanè debet ante facere,quàm adminiſtrat.& ſatiſdare ille qui ſatiſdare debet,iurare debet tutor & curator,quòd omnia gerat, quæ utilia putauerit,& inutilia non admittet,non ideo tamen à ratione excuſatur. Porrò ea,quæ ſeruari non poſſunt, ſed ſeruando pereunt, præter inuentarium & ſatiſdationem & citra decretum,diſtrahuntur. Et tutelam curamúe adminiſtrare nihil aliud eſt, quàm bona pupilli & adulti attingere & gerere, ut ff. eod.l.ij.uideamus itaq;,ubi tutor & curator debeat agere,& quæ debeat omittere. Agere debet hæc,pecuniam pupilli debet deponere, ſi prædia,quæ emat, idonea non poſſit inuenire, quoad occaſio emendi patuerit·hoc ita, niſi pecunia permodica ſit,& niſi tutor & curator ſuſpectus foret,tunc enim & ſi permo

dica ſit deponenda eſt pecunia. ergo prædia comparare debet. Sed uendere debet animalia ſuperflua, ueſtimenta detrita, & ea quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, ut poma, pira, ceraſa, etiamſi teſtator remiſerit, immunitatemq́ conceſſerit, uel etiã ſi dixit, ut tutor nihil uenderet, diſtraheret, tamen caſui res ſubiectas uendet, neglecto teſtatoris imperio. nemo enim ius publicum remittere poteſt, nec formam antiquitus conſtitutam, ut ff. eod. l. ita. Debet dotem & donationẽ propter nuptias conſtituere pro modo facultatum pupillorum & pupillarum, adultorum & adultarum: alimenta quoq; conſtituere, impenſamq́, ſi forte de ſuo præſtitit, repetere poterit, ut C. eod. l. iij. & ff. eod. l. cum plures. Alimenta inquam his qui circa pupillum ſunt, ut ff. eod. l. tutor. ſecundum dignitatem debebit ſoluere, mores quoq; debet inſtituere. Eſtq́ præcipuum tutoris officium, ne pupillum relinquat indefenſum, ut ff. eod. l. tutoris. ergo ſolutionem faciendam debet admittere, pro eo debet poſtulare iudicium ſubire: alioquin indefenſum eum relinquit, ut ff. eo. l. generaliter. Suſcipere autem debet tutor ipſorum iudicium, ſi pupillus uel abeſt uel infans ſit, poſtea ſatis eſt, ſi pupillo ſuſcipiente autoritatem præbeat, ut ff. eod. l. j. § ij. in adultis ſecus. Quid ergo ſi tutor in cauſa obtinuerit, perdideritúe? ipſi etiam non dabitur actio intentanda: niſi forte ſe liti obtulit, ſed dabitur pupillo poſtea adulto facto, id eſt poſt pubertatem, ut ff. eod. l. ij. Licet tamen ſolutionem tutor debeat agnoſcere, tamen ubi debitum pupilli tutori ſoluitur, ipſo iure debitor liberatur: non ipſo iure tamen pleniſſimè, reſtitutio enim ſequi poterit. Si pupillo ſoli ſoluitur nullo iure liberatur ſi tamen pupillus iteratò petens pecuniam ſaluam habeat, doli mali exceptione ſubmouebitur: occaſionem iuris uolens trahere ad iniquum ſuum cõpendium. Vt ergo pleniſſimè liberetur, & non timeat reſtitutionem, ſub iudice ſoluat. Aliquando tamen non reſcinditur reſtitutione ſolutio ſoli curatori facta etiam ſine iudice: puta in ſolutionibus redituum, penſionum, uſurarum, biennales metas non excedentium, ut C. eod. l. ſancimus l. conſtitutionem. Item exigere debet tutor à ſe ipſo, & in bonis pupilli ponere, ſibi quoq; ſoluere poteſt: licet ſibi uendere non ualeat rem pupilli præſertim, niſi unicus eſt tutor. Exigere quoq; debet debitores pupilli, ne ſi efficiantur nõ ſoluendo, teneatur, ut ff. eod. l. ſi res. niſi periculum nimis ſub ipſo irrepſerit, ut ff. eod. l. quoties. § ſicut. certe libere debet agere ea quæ agenda ſunt. Nam quæ bona fide egerit à pupillo non reſcinduntur, ne hæc ſi admittãtur, in pupilli perniciem uertantur, nemine ad eius negocium accedente, ut ff. eo. l. decreto. Porrò nec tranſigere, nec nouare poteſt, cum damno pupilli, ut ff. eod. l. ult. Sed nec donare poteſt res pupilli, tum quia datur non clauditur donationis uerbo, tum quia dilapidat. tunc demum tutor loco domini habetur cum bene adminiſtrat, nõ cum expoliat, ut ff. pro emptore l. qui fundum. § ſi tutor, & ff. de adminiſtra. tutor. & C. eod. non omni. Interdum tamen dare poteſt, puta ſponſalicia munera patribus & cognatis mittere, ut ff. eod. l. cum plures. interdum (ut ſuprà dictum eſt) uendere, & aliquãdo obligare etiam immobilia pro lite ſcilicet quam nomine pupilli inſtituit, ut C. eo. l. ult. Sed nec manumittere tutor curator mancipia pupilli adulti poteſt: quia manumiſſio adminiſtratione patrimonij non continetur. Item fœnerare tutor curator pecuniam pupilli adulti non debet: quia nouiſſimè, id eſt nouiſſimo iure cautum eſt pecuniam pupilli non eſſe fœnerandam. Quod ſi fecerit mutui ſubiacebit periculo qualitercunq; contingenti. Quid ſi tamen eundo in uetitum fœnerauerit? fœnus utiq; perceptum pupillo præſtabit. Sed & poſt depoſitum officium debet tutor monere pupillum puberem factũ, ut ſibi petat curatorem, ut ff. ita. § iiij. negociumq́ quod cœperit debet etiã poſtea cõſummare. Illud notandum eſt, quòd ſi plures erant alicuius pupilli tutores, et aliquid de bonis fuerat ſu

erat furatum, ſpeciali cenſura uno ſoluere duplum conuento, de rationibus red dendis cæteri liberantur. Non enim uidentur tam furtum facere, quàm aliter perfidè agere, ut ff. eod. l. tres.

DE PERICVLO TVTORVM ET CVRATORVM. TITVLVS XXXVIII.

SEquitur ut audiamus de periculo tutorum & curatorum. & quidem ſi tutores qui gerere debent, periculo ſuo ceſſauerant, ſi negocia pereant: tutor & curator inquam non ſoli illi qui gerere debent, ſed & tutores omnes qui dantur noticiæ cauſa, ut ff. eodem. l. iij. & Cod. eod. l. j. blandiuntur enim ſibi qui aiunt hos non teneri, ut ff. eod. l. iij. Tenentur autem ita, ut gerentium facultates primum excutiantur, ipſi poſtea. Sed & in quatuor caſibus alijs hi qui non gerunt tenentur, ut ſi diſſimulauerint, fraudē adhibuerint, uel participauerint, uel cum ſuſpectos facere deberent, nō fecerint, ut C. eod. l. j. diſtinguitur an q gere re debent connexè uel diuiſim gerant: ſi connexè unuſquiſq; in ſolidum poteſt conueniri, licet remedium epiſtolæ poſſit impetrare. idem ſi propria autoritate diuiſerunt. Sed diuiſione facta à teſtatore, uel à iudice, nō niſi ſeorſum poterunt conueniri, ut ff. eod. l. iij. & iiij. ſi tamen culpa uel dolo non remouerunt ſuſpectos, uel cauſam agendo iura pupilli prodiderunt ut C. arbitrium tutel. l. ij. arguuntur in his caſibus inſolidum. Tenentur autem de periculo rerum pereuncium per ignem: uel aliàs ſi male fuerint repoſitæ, & non in horreis tutis reconditæ dolo, culpa lata, leui: ſecus ſi perierit per fortuitum caſum, nō obſtante pacto, uel iudicio. Interdū tamen non tenetur, niſi de dolo, & culpa lata, ut ſi comparauerit prædia minus idonea, non electa conditione bona, ut ff. eod. l. tutor qui repertorium §. ij.

QVANDO FACTO TVTORIS VEL CVRATORIS minores agere uel conueniri poſſunt. Titulus xxxix.

EX facto tutoris & curatoris conuenitur minor. ecce ēm ex quaſi cōtractu, ut ſi iudicatus ſit tutor in cauſa pupilli, uel aduerſarij eius, pupillus poſt pubertatem conuenitur, & experitur utili actione præiudicatura directè: niſi tutor nouauerit, uel falſò confeſſus fuit pupillum occidiſſe, ut ff. ad l. aquil. l. proinde. Ex contractu, ita ſi tutor pecuniam pupilli crediderit, & ſi ſibi ſoli fuit ſtipulatus reddi: poſt utilis pupillo, præſertim finita tutela, datur actio. Sed ſi tutori pecunia credita in rem pupilli ſit uerſa, pupillus adultuſúe actione utili conueni tur. Item ſi tutor curator, locauit, uendidit, pupillus adultuſúe non tantum tuto rem & curatorem actione tutelæ uel utili negociorum geſtorum nomine curæ poterit conuenire, ſed & conductorē & emptorem poterit exigere, ut Co. eod. Illud ſanè certo certius eſt, quòd iure communi in pecunia pupillo credita per tutorem pupillo directa condictio & directa hypothecaria quæritur.

SI EX PLVRIBVS TVTORIBVS VEL CVRATOribus omnes, uel unus peragere rem minoris, uel conueniri poſſint. Tit. xl.

AB uno ex pluribus tutoribus & defendi & agi poteſt cauſa pupilli & adulti, ubi adminiſtratio non eſt diuiſa: uel ſi diuiſa autoritate propria. Si uero ſit diuiſa uel à teſtatore, uel à iudice: his tantum conuenit inſinuari, uel ab ipſis litem inferri, qui in ea prouincia adminiſtrant.

NE TVTOR VEL CVRATOR VECTIGAL conducat. Tit. xlj.

QVi tutor eſt non conducit uectigalia, ſed nec ſi deſijt eſſe tutor, nondum tamen rationem reddidit pupillo uel adulto. Secus eſt ſi ratione nõ reddita, ipſe pupillus uel adultus mortuus eſt. Sanè mortui tutoris uel curatoris ſucceſſore uiuo: nec ſi tutor curatorúe ſucceſſerint ei, qui cum fiſco contraxit, falſi tenebuntur, ut ff. ad l. Cornel. de fal. l. j. ſi tamen inquit Imperator prædictis modis peccaueris, & me ultro adiuueris & uectigal minori ſatisfeceris, falſi crimine excuſaris. Sanè ſi primo fiſco fueris obſtrictus, & poſtea tutor curator eligaris, periculo te excuſare poteris, ut C. eod.

DE TVTORE VEL PROCVRATORE, QVI NON ſatiſdedit. Tit. xlij.

TVtores alij ſatiſdare debẽt, ut legitimi, & ſine inquiſitione dati. Teſtamentarij, ex inquiſitione dati non debent ſatiſdare, id eſt non coguntur. Quid tamen ſi plures fuerint? & hi licet non debeant neceſſario ſatiſdationem exponere, illam tamen quæ uoluntaria eſt debent præſtare. Nam commodius fit ut tutela geratur per unũ, quàm per plures. Sed ſi non conueniunt: & niſi à prætore decretum ſit quis gerat, alter ab altero ſatis petere non poteſt. Sed ſi alter alteri ſatis obtulerit, is cui oblatum eſt, neceſſe habet uel ſatis accipere, uel ſatis offerre adinſtar iudicialis iuramenti, ut Inſtitur. eod. ergo pluribus teſtamentarijs datis ex inquiſitione, licet neceſſaria ſatiſdatio locum habet nõ uoluntaria fiet, & ſicut in pluribus legitimis, & ſine inquiſitione gemina ſatiſdatio locum habet neceſſaria & uoluntaria. in pluribus datis in teſtamento & ſine inquiſitione ſola uoluntaria locum habet. Interdum & qui ex inquiſitione datus eſt, ſatiſdare cogitur, ſiue ſit tutor, ſiue ſit curator: puta cũ à defenſore ciuitatis, & à præſule datus eſt pupillo uel puberi nõ habenti facultates ultra quingentos ſolidos.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS VEL CVRATORIbus. Tit. xliij.

VIdeamus qui poſſint ſuſpecti fieri, & quis poſſit ſuſpectos facere, & apud quos, & unde deſcendat hoc crimen, quæ ſit pœna, ex quibus cauſis competat, hæc accuſatio, & quis dicatur ſuſpectus tutor uel curator. Eſt autẽ ſuſpectus is qui ex fide tutoris & curatoris officium gerit, licet ſit diues: & licet ſatiſdederit & iurauerit. nec enim ſatiſdatio uel iuratio propoſitum mutat: imò pauper, fidelis tamen non eſt remouendus. Item is qui nondum eſt cœperat gerere quaſi ſuſpectus eſt. nec enim uerè ſuſpectus poterit remoueri, id eſt nõ admitti, ſed infamabitur. ergo is ſolus propriè remouetur, qui in tutela uel cura gerenda accuſatus eſt. per ipſe agendo, ut uendendo, intercipiendo, infamabitur: ſi dolo id egit, & cauſa remotionis expreſſim in decreto ſit ſignificata, ut ff. eod. l. hæc.

l.hæ.ſi culpa, remouebitur. quod ſi non infamabitur, patrono parcitur, ut aut nō remoueatur, ſed detur ei collega, aut remoueatur ſed ſine nota. idem in quouis iudicio neceſſitudinis uicto non tamen in patrono. Deſcendit autem hoc crimen, id eſt hæc criminatio ex l.xij.tab. Fit accuſatio iſta Romæ apud prætorē, in prouincijs apud præſides, & apud eos qui mandauerunt. Suſpectus fit tutor & curator omnis generis teſtamentarij, legitimi, datiui, & qui ſatiſdederint, & iurauerint. Arguere ſuſpectum tutorem & curatorem quicunq; poteſt. publica eſt enim hæc accuſatio. Nam mater & auia admittitur, omnis quoq; mulier per penſam pietatem habens: etiamſi aliâs mulier ſoleat repelli. Cōtutor quoq; contutorem accuſabit, etiam qui iam remotus eſt, ſed adultus quoq; curatorem accuſabit cum conſilio neceſſariorum: impubes etiam. Sed & ſi libertus fuerit qui fraudulenter geſſit, uel ſi ſe abſentauerit, ut alimenta pupillo decernantur, etiā ad præfectum mittitur puniendus. Idem ſiquis redemerit tutelam & curam. Illud autem notandum caſualiter, etiam ſine accuſatione iudex ſuſpectum poterit repellere, ſi ei liqueat de eius malicia. hoc fauore pupillorum dicitur, ubi poterit ſine ſcriptis accuſare. Idem in crimine Lenocinij ut ff. ad l.Iul. Item ſciendū eſt, quòd remoti ob dolum fiunt infames duntaxat, ſi qui ob negligentiam, deſidiam, ſegniciem, culpam, inertiam, ignauiam, inopiā ſummouentur, nequaquam fiunt infames, ut C.eod.l.ult. & ff.eod.l.tutor. § ult.

DE IN LITEM DANDO TVTORE VEL CVRAtore. Tit. xliiij.

SI cauſam habens cū pupillo tuo, ne actio pereat, permittebas ei inuito olim petere Prætorium tutorem, cum quo litigabas, qui, inquam, peracto litigio deſinebat eſſe tutor. Sed hodie inuito cauſaliter ad litem poſces curatorem, non tutorem. quippe tutor datur perſonæ aliâs cauſæ ut hic: & ideo in titulo dicitur de in litem tutorem dando, ſubaudi ſecundum ueterum ritum. uel dic quia mox ſe corriget uel (quod melius eſt) curatorem. Cum hoc quidem litigabis, uel per te, uel per procuratorē ciuiliter. uel forte in hoc caſu neceſſariè ſubijcies procuratorem, ut tutor curatorſue cum procuratore confligat. & hoc uidetur dici C.eod.l.ult.

SI CONTRA MATRIS VOLVNTATEM TVTOR datus ſit. Tit. xlv.

SI tutor datus ſit contra ultimam matris uoluntatem: multo magis patris remouebitur, aliâs cū infamia aliâs ſine infamia. uoluntas enim deficientis legitima, pro lege & iure ſeruanda eſt.

SI MATER INDEMNITATEM PROMISERIT. TITVLVS XLVI.

SI mater petierit tutorem filio uel etiam petierit & conſenſerit ſuo periculo, Velleiano ſe tuebitur: niſi ſpecialiter in decreto ſit cōprehenſum illum mulieris periculo dari, ut C.eod.l.& C.ad Velleia.ſi mater.

VT CAVSAE POST PVBERTATEM ADSIT TVTOR. TITVLVS XLVII.

CAuſæ inchoatæ tutor quondam etiam poſt tutelam debet adſiſtere, ſed & ſi prouocauerit illã cauſam debet exercere: inſtrumenta quoq; pupillaria reddere debet. Sed & loco quarto pupillum adultum factum monere, ut ſibi petat tutorem.

DE EO QVI PRO TVTORE NEGOCIVM GESſit. Tit. xlviij.

QVi uerè tutor fuit actione conuenitur directa, utili negoc. geſtor. Qui pro tutore uel procuratore geſſit utili conuenietur & experietur. Sed ſi crediderit ſe tutorem eſſe, uel curatorem, cum non eſſet geſſerit directa agit. ubi enim ſponte quis gerit locus eſt directæ, ut ff. de negocio. geſtorum l. tertia. Tutor autem uerè & curator etiam utili negociorum geſtorum nonconuenitur à pupillo, uel adulto: niſi poſt tutelam finitam & curam, ut Codicis eodem. l. l. iij. Non niſi in furioſo, ut ff. de ratio. diſtrahen. l. niſi. Alijs autem actionibus tutor curator etiam conſtante officio, conueniuntur: puta furti, damni, iniuriæ. Nam nec ſocius conſtante ſocietate actione pro ſocio conuenitur: licet communi diuidundo. Sed nec uxor rerum amotarum: licet l. aquilia, & ſerui corrupti. Sed pro tutelæ actioni utili contra eum qui ſciebat ſe tutorem & curatorẽ non eſſe, locus eſt ſtatim, ut ff. de eo qui pro tut. l. j. § ij. Sed & uerè tutor, ſi pupillo ſe obligauit, habet actionem contra pupillum antequam illum liberet, ut ff. de contra. actio. tutel. l. ult.

VBI PVPILLI EDVCENTVR. TIT. XLIX.

PVpillorum educatio matri, quæ uirum non ſuperinduxit, committenda eſt facie prima: præſertim nemine petente eos ſibi committi. Sanè ſi inter tutorem, & propinquos orta fuit controuerſia: tunc præſes deliberabit, & eum qui proximior fuerit, propter ſuſpectam ſucceſſionem, ſiniſtramq; mortis inſidiarũ ſuſpitionem, & pudicitiæ impuberis uiolationem, ut ff. eod. l. penult. repellet, & ulteriorem admittet: etiam ſi pater alium forte dixerat, ut ff. eod. l. ij.

DE ALIMENTIS PVPILLO PRAESTANDIS. TIT. L.

TVtor copiã facere apud præſidem debet, ut alimenta competentia pupillo conſtituantur, & de facultatibus ipſius pupilli (nec enim ſuo tutor cogitur alere) qui tamen ſi plus iuſto uel æquo conſtituerit, modus ſeruabitur, ut ff. eo. l. ij. Sed & ubi moderata fuerunt alimenta ſtatuta, patrimonio imminuto ipſa minuantur. nam et eo aucto augebuntur, ut ff. eod. l. iij. Quid ergo ſi tutor bonitatis intuitu, noluit ſecreta patrimonij pupilli publicari: utpote ne ſuſpectũ æs alienum pandatur, quod taceri interdum melius eſt pupillo, quàm cum de modo bonorum quæritur proferri. Et ſi de ſuo pupillum aluit, erudiri fecerit: certe poterit (niſi plus iuſto impẽderit) repetere, nec pupillus adultus factus hos ſumptus debet recuſare, aſſeuerans ſe uento uixiſſe: cum membra fortiora poſſint etiam ſine impendijs erudiri, cum didicerit dialecticam & philoſophiam.

ARBITRIVM TVTELAE. TIT. LI.

DIximus de tutorum conſtitutione, uarietate, ſatiſdatione: nunc uideamus quæ tutelæ nomine prodita eſt etiam contrà tutorem, & hæredes eorum. Nam

Nam de cõtraria tutela in ſpeciali titulo agetur inferius. Et notandum eſt, quòd citra morem ſolitũ imprimitur hæc rubrica per genitiuum, nec per ablatiuum, ſed per accuſatiuum: & dicitur arbitrium tutelæ, quale ſit exponamus. Videamus itaq; cui detur directa actio tutelæ, in quem, quando, in quantum, & qualis ſit actio tutelæ directa. Datur pupillo quondam facto adulto, & eius hæredi, contra tutorem & eius hæredem. Datur autem finito demum officio: niſi caſualiter (ut dictum eſt) in ſuperioribus. Veniunt autem ea quæ geſta ſunt, ſed & gerenda, id eſt omiſſa. Veniunt quoq; res reſtituendæ, in quibus geſtio admiſſa eſt. Nec obliquitur quod dicitur: in tutelæ actione res non uenire, ſed culpam ſolummodo, id eſt quanti interfuit eum nõ fuiſſe abſtentum, ut C. eod. l. eum. Ea enim conſtitutio loquitur cauſaliter, id eſt in eo caſu ubi conſulte abſtentus eſt: habetur quoq; ratio damni & lucri, ſi initio uictori minori non captauerit lucrum. uenit dolus, diligentia, culpa lata, leuis: præterquam ſi uictori emit prædia minus idonea leui culpa. in eo enim caſu non niſi lata culpa coërcetur. Vrgetur autem tutor olim nomine amiſſi negocij, omiſſiue, ex ordine actione tutelæ: ſed et ſi perſeuerauerit tutor in adminiſtratione connexa, tutelæ actione eo nomine quoq; conuenitur, ut C. eod. l. tutor. Nam & aliter nomine eius tempo ris quo nodum fuerat tutor geſſerat, ſed poſtea factus tutor ipſe tutelæ actione tenebitur, ut Codicis de negotiorum geſtorum l. cum. prætoria eſt hæc actio, perpetua, perſonalis, ut Co. eo. tutorem.

DE DIVIDENDA TVTELA, ET PRO QVA PARte quiſq; tutorum conueniatur. Tit. lij.

Qvatuor modis diſtinguit. ſi diuiſa eſt tutela à præſide ſeorſum, unuſquiſq; cõuenietur pro parte. idem ſi à teſtatore. Sanè in tribus caſibus unuſquiſq; in ſolidum poterit conueniri: puta ſi ſuſpectum non remouerunt, uel tardè ſuſpitionis rationem mouerunt, uel ſi ſuſpitionis cauſam agendo ſua ſponte iura pupilli prodiderunt. At uero ſi plures connexè adminiſtrauerint, uel ſi diuiſerunt adminiſtrationem propria autoritate, & quem uoles in ſolidum poteris conuenire & exigere. Conuentus tamen tria habebit remedia, ſiquidem remedium epiſtolæ, id eſt diuiſionis, ſi tempore litis conteſtatæ tutor ſit ſoluendo, ad inſtar fideiuſſorum, ut ff. de ratio. diſtrahen. l. non. Habet quoq; remedium, ut ſi patiatur ſe in ſolidum conueniri, poſtulet actiones ſibi perſonales cedi contra collegas, & pignora in ſe transferri. Et habet remedium & ante condemnationem, & poſtea, ut cedatur ſibi actio. Cum & præter ceſſionem (licet non fideiuſſori) competat ei utilis ſuo nomine: hoc tamen ita, ſi non ex communi geſtu, nec ex proprio dolo cõdemnatus eſt. maleficiorum enim fœda communio eſt, ut ff. de rat. diſtrahen. Sed notandum eſt, quòd ſi ex ordine tutores conueniuntur: primum illi qui geſſerunt, & hæredes eorum: ſecundò illi, qui non geſſerũt, & hæredes eorum & fideiuſſores: tertiò nominatores.

DE IN LITEM IVRANDO. TIT. LIII.

Qvia in tutelæ actione in litẽ iuratur, de iureiurando in litem ſubijcit. Quæri poteſt quare titulus iſte hic ponitur, cum etiã in alijs pluribus locis Codicis peræq; poni potuerit, ut in multis alijs actionibus iuratur in litẽ? ad quod forte ita poteſt reſponderi, quia contra tutorem in litem iuratur, etiam ubi cul-

pa inſtrumenta non conficit confectaq; non exhibet. Videamus itaq; quid ſit in litem iurare, à quo deferatur hoc iuſiurandum, cui, qualiter, quando, in quibus actionibus: & ſi iudex poſſit taxare, uel id quod eſt iurandum minuere, & ob quam cauſam iuretur. Certe nihil aliud eſt in litem iurare, quàm litis, id eſt rei p litem petitæ æſtimationem ſuo iureiurando declarare. Non enim res pluris fit per hoc, ſed ex contumacia æſtimabitur ultra eius pretium, ut ff. eod. l. j. § defertur autem à iudice ſolo, ut ff. eo. l. uideamus. Soli domino litis datur ſed non omni, quia non impuberi. & non datur ei qui pro domino, id eſt tutori, curatori: ſi tamen uelint in litem iurare admittuntur, ſed non coguntur: ſecus in ſacramento calumniæ, in ſacramento expenſarum, & in eo iureiurando quod pro lite decidenda decernitur. Hæc enim iuramenta ſubire compelluntur. Planè licet impubes non admittatur, adoleſcens admittitur, ut ff. eod. l. uideamus. Qualiter iuretur rem ſibi fuiſſe tanti taxabit iudex. Sed hòdie non fit taxatio poſt iuſiurandum licet olim poſtea taxabatur. & quod erat durius, etiam quod erat iuratum imminuebat. Iuratur in actionibus in rem, in arbitrio, & actionibus ſtricti iuris non iuratur: niſi ubi iudex rem forte quæ perit, ſua ſolertia æſtimare nõ poteſt, ut ff. eod. l. ij. Iuratur autem ob dolum non ob culpam: niſi contra tutorem, ut C. eod. l. alio iure. uel niſi forte ubi aliter res æſtimari non poteſt.

DE HAEREDIBVS TVTORVM. TIT. LIIII.

SIngulari iure hæredes tutorum non tenentur de leui culpa tutorũ: niſi in tribus caſibus poſt litem conteſtatam, uel niſi genere ſit præſtitum, uel niſi cũ damno pupilli lucrum ſit captum. Idem in hæredibus magiſtratuum, id eſt nominatorum. Sanè de ſua propria culpa etiam leui, tutoris hæredes tenebuntur: ſiue noua pupilli negocia, ſiue uetera inchoata. cum ſint hæredes maſculi, ex neceſſitate conſummauerint.

SI TVTOR NON GESSERIT. TIT. LV.

ETiam ſi tutor uerus non geſſerit tenetur de non geſtis: & in omiſſis culpæ ratio æqualiter tenet. planè protutor, qui putat ſe tutorem & non eſt, non tenetur: niſi geſſerit, & tunc utili tutelæ actione & actione pro tutelæ tenetur.

DE VSVRIS PVPILLARIBVS. TIT. LVI.

QVia multipliciter uſuræ ueniunt in actione tutelæ, de his audiamus. uſurarum tria genera ſunt, utputa aliæ ſunt maximæ, ſiue grauiſſimæ, id eſt centeſimæ. In actione tutelæ, aliæ dicuntur pupillares, aliæ legitimæ, id eſt ex more regionis currentes. Centeſimæ ueniunt in duobus caſibus, ubi tutor uertit in ſuos uſus, ſi iudex præceperit ut deponeret, & neglexerit. In quatuor caſibus pupillares, id eſt mediæ uſuræ præſtantur: ſi falſò negauerit apud ſe eſſe pecuniam, ſi moram depoſitionis fecerit, & non interueniente iudicis præcepto: ſi negando impoſuit pupillis neceſſitatem accipiendi mutuam pecuniam ſub uſuris ad onera ſua expedienda: ſi à debitore pupilli tutor tales exegit. In cæteris minores præſtantur uſuræ, id eſt quincunces quæ dantis trientes, ut ff. de admiſtra. tuto. l. tutor qui. § ſi poſt.

DE FIDEIVSSORIBVS TVTORVM SEV CVTATORVM. TITVLVS LVII.

TVtoris fideiuſſorem,& eius hæredem:etiam tutoré dimiſſo,iure ueteri primò poteris cõuenire in ſolidum:niſi fideiuſſor ſit acceptus in ſolũ id , quod à reo principali ſeruari nõ poſſit. Sed hodie non:ſicut nec pignoris poſſeſſor eſt, niſi primum regulariter excuſaueris debitorem.

DE CONTRARIO IVDICIO TVTELAE. TITVLVS LVIII.

AVdiuimus ſuprà de directo tutelæ iudicio & curæ,nunc audiamus de contrario. Contrario locus eſt etiam ſi directum pupillus non mouerit: puta ſed plus in rem ſuam tutorem erogaſſe,propterea directum non mouerit:tutelæ tutor contrario iudicio eum poterit conuenire,ut ff.eod. l. ult. finita tutela curaq; regulariter contrarium tutelæ , & contrarium utile negociorum geſtorum datur quondam tutori & curatori etiam remoto.datur quoq; etiam procuratori,pro tutore pupilli,furioſi,prodigi, uentris hæredibus, contra prædictos & prædictorum hæredes. Datur autem de eo quod pupillo,inúe rem eius impenſum eſt in tutela,& ante,& poſtea , à tutoris hærede ſi quid ſolutum eſt hoc iudicio petitur,ut ff.eod. l. penult. Venit in hoc iudicium uſura quouſq; tutori quod impenderit reſtituatur,non oppoſita compenſatione uel reprobata,tutore non acquieſcente:in id tamen quod bene geſſit & diligenter , etiam ſi aduerſum habuerit euentum. Item ubi ſe obligauit tutor uel curator antequam ſoluat liberatur,ut ff. eod. l. ult. Item uenit in hoc iudiciũ id quod pater pupilli debuit, puta ubi tutor diſtulerat exigere propter utilitatem pupilli.

DE AVTORITATE PRAESTANDA. TIT. LIX.

VIdeamus quid ſit autoritatem præſtare,qualem oportet eum eſſe qui autoritatem debet præſtare,in quibus cauſis neceſſaria ſit , in quibus non. Autoritatem præſtare nihil aliud eſt , quàm probare & conſummare quod agitur. Oportet tutorem autoritatem præbentem audire & loqui , non nutu ſed ſermone,ut ff. eod. l. j. & ij. Oportet etiam eſſe intelligentem,id eſt mente præſentem,& oculis mentis uidentem:licet corpore cæcum. Oportet & eum eſſe corpore præſentem,et in negocio. interpoſita enim tutoris autoritas per epiſtolam, & non mox,nihil agit:licet ratihabitio aliâs ſoleat retrotrahi. Neceſſaria eſt tutoris autoritas ubi pupillus ſe debet obligare,& cõditionem ſuam grauare:puta ſi mutuam pecuniam uelit accipere,uel mutua obligatione ſe obligare. Sanè aliquando cum tutoris autoritate pupillus conditionem ſuam grauare non ualet,in alienando immobilia , in manumittendo . porrò meliorem conditionem ſuam reddere poteſt etiam ſine tutore,præterquam quòd hæreditatem etiam lucroſiſſimam ſine tutore adire non poteſt : ne occaſione ſumpta ab una lucroſa, ſæpiſſime adiret damnoſam. Sed nec iudicio ſtare pupillus ſine tutore,pubes ſine curatore ex ordine poteſt . De momentaria tamen poſſeſſione minor poteſt agere. Sui quoq; matrimonij uiolati iniuriam poterit perſequi. Impetrata quoq; ætatis uenia & experiri poterit & conueniri,ut C. de appellat. l. ſi actor. Quid ergo ſi plures ſint tutores? ſi cõnexè agũt, unius autoritas ſufficit:ſi diuiſim,ſinguli in ſuis regionibus autoritatem debent præſtare. hoc tamen ita:niſi res quæ agitur ipſius tutelæ ſolutionem faciat,ut puta ſi pupillus ſe in arrogationem dare deſiderat,ut C. eod. l. ult.

QVANDO TVTORES VEL CVRATORES ESSE desinant. Tit. lx.

TVtores deſinunt eſſe tutores pubertate, quæ non ex inhoneſta corporis in dagatione penſatur, ſed ex annorum numero. In maribus quoq; curatores deſinunt eſſe curatores adueniente iuuentute. deſinũt quoq; remotione de qua dicendum poſtea.

DE ACTORE A TVTORE SEV CVRATORE dando. Tit. lxj.

SI tutor curatorúe abeſſe uolueris ex propria utilitate non tutorem, non cura torem ordinare debes, id enim fit per publicam abſentiam, ſed actorem tuo periculo conſtituere in propoſito decreto.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM ET CVRA torum. Tit. lxij.

EXpediuimus in ſuperioribus qualiter tutores & curatores remoueanť quia ſuſpecti & reprobi, nũc audiamus qualiter excuſentur: quia minus idonei. Videamus itaq; quid ſit excuſatio, quibus cõpetat, infra quæ tẽpora, ex quibus cauſis admittať excuſatio. Excuſatio eſt alicuius iuſtæ cauſæ allegatio, ob quã artari non debeat ad ſubeundam tutelã curamúe. Competit aũt his, qui nominantur ad tutelam curamúe excuſatio, non appellatio: niſi ubi forte allegata ex cuſatio, ſit reprobata per ſententiã, ut C. eod. Porrò à muneribus appellatio eſt ab initio. Excuſat ſe quis & ubi nominatur, ſed & ſi iam gerere cœperat: non ta men per libellos excuſatio fit, ut ff. eod. l. excuſare. fit autem excuſatio, eiusq; profeſſio infra quinquaginta dies, & infra quatuor menſes cauſa debebit termi nari computatis in his menſibus quinquaginta diebus, qui quinquaginta dies computantur, ex quo cognouerunt tutores curatores ſe datos. Et hoc ita, ſi ha bitanť infra centeſimũ lapidem ab eo loco ubi ſunt dati. ſimiliter per ſingula uiginti miliaria dabuntur ſinguli dies, ſitq; adiectio triginta dierũ: quod tamẽ ita intelligi debet, ut in ultra poſito loco plures dies q̃ quinquaginta eſſe poſſint, pauciores minimè. Allegatur aũt excuſatio multis ex cauſis. ecce eñ in primis propter liberos. ſi quis eñ tres liberos Romæ habet ritè ſe excuſat, in Italia qua tuor, in puincijs quinq;: à tutelis præſertim extraneorꝫ non ſuorꝫ aliorꝫ filiorũ, ut ff. l. amiciſſimos. Proſunt aũt & liberi ſecũdi, id eſt nepotes ex filio nõ ex filia ita tamen, ut omnes in loco unius, id eſt ſui patris ſuccedant. Proderunť aũt & naturales qui ſunt legitimi & in poteſtate conſtituti: in adoptionem dati, non ta men accepti, & præcipue ſimpliciter. Prædicti tamen omnes ita excuſantur ſi uiuunt, mortui minimè: niſi ſiqui in acie belli ceciderint, hi quia per gloriã uiuere intelliguntur (etiam ſi fuerint fœminæ) excuſationem præbent. Item tria onera tutelarum non adfectarum præbent excuſationem. Adfectata dicitur tam uetus quàm noua tutela, ſi ſemeſtre tempus ſuperit uel minus, ut ff. eo. non tamen. Res adfectata non ſolet eſſe oneroſa. interdum tamen & una tutela, ſi ſit negocioſa excuſat, ut ff. eod. ſiue non. Tres tutelæ cenſentur, ſi in tria fuerint di uiſæ patrimonia. non enim diuerſitas perſonarum ut fratrum plurium una bona habentiũ, tres tutelas facit, ſed diuerſitas patrimoniorꝫ. Itẽ miniſtratio fiſcalis excuſat: poteſtas quoq; publica, ſed & ꝑpter utilitatẽ publicã abſentia publica. priuata eñ ex cauſa abſuturus interim actorẽ ſuo periculo cõſtituere debet.

Reuerſus quoq; tutor de abſentia publica anno uacabit, & ad nouam tutelam uocatur: ſed & ad ueterem mox redire debebit. Item ſi litem de omnibus bonis quis cum pupillo habet, uel de parte magna ab eius ſe tutela excuſat. Paupertas quoq;, qua quis uel ſibi uix ſufficit, probat excuſationem. Valitudo quoq; aduerſa. Sed & inimicitiæ habitæ cum patre capitales, ſi tamen reconciliatiō nō interuenit excuſant. Item ſi quis à patre pupillorum de ſtatu controuerſiam paſſus eſt, excuſatur. Aetas quoq; ſeptuaginta annorum excuſat. Quia in ea ætate labor et tuſſis tædium, & uerboſitas temporis acti. Profeſſiones quoq; liberaliū diſciplinarum & præſertim ſcientiæ iuris excuſant. Sed & qui fuit tutor à cura eius ſe debet excuſare: niſi ſit libertus ipſius. maritus quoq; licet ſe immiſcuerit ſi uolet excuſabitur. Sed & tutor ingenuus, uel pro ingenuo habendus, id eſt natalibus reſtitutus, ſi tutor fueris datus libertino non habenti ius anulorum, excuſaberis, ut C. eo excuſationis. Sed & ſi exiges tributa excuſaberis. Silenciarius quoq; ſi fueris excuſaberis: ſed & ſi fueris patrimonialis colonus, non fiſcalis. ſi fueris Ilienſis, ab extraneorum tutelis excuſaberis. urbicis quoq; piſtoribus excuſatio datur, ut ff. eodem lege ultima. Cæteri ab his aliàs pelluntur, aliàs compelluntur.

SI TVTOR VEL CVRATOR FALSIS ALLEGAtionibus excuſatus ſit. Tit. lxiij.

SI falſis allegationibus quis excuſationem meruerit, excuſatio ceſſabit: ſicut ſententia falſis inſtrumentis obtenta, licet libertas ob falſam cauſam probatam non reuocetur. Si ueris allegationibus quis excuſatus ſit incompetenter: ut aduerſa parte abſente, eisq; qui eam uolebant & debebant defendere, non erit excuſatus. Idem ſi aliàs tutor potius ambitione, quàm iuris ratione excuſauit ſe, uel ſi mentitus eſt: puta dixit, ſe nondum cœpiſſe gerere, cum tamen iam cœperat: & ideo promptius meruit excuſari, non debebit ei opitulari ut C. eod.

SI TVTOR REIPVB. CAVSA ABERIT. TITVLVS LXIIII.

SI Reipub. cauſa abſuturus es, ad id tempus te excuſare debuiſti, ne obſtringaris nomine temporis medij. quod ſi prætermiſiſti eo primum excuſſo qui geſſit, poſtea conuenieris.

DE EXCVSATIONE VETERANORVM. TITVLVS LXV.

QVi honeſtam cauſariam miſſionem meruerit, & qui ueteranus factus eſt, & integram famā retinet, & priuilegia iſta habebit. expreſſim uacationem munerum perſonalium, nec in metallū dabitur, nec in opus metalli, nec beſtijs ſubijcietur. Sed & ſi compulſus: forte ſi alij conueterani tutelam accepit, uocatus ad aliam, præſertim filij non conueterani, ritè ſe excuſabit.

QVI NVMERO LIBERORVM SE EXCVSANT. TITVLVS LXVI.

NVmero liberorum præfixorum legibus gaudens, ſed & aliorum legitimorum te tutorem eſſe falsò ſi adſeueraueris, non excuſaberis, ut ff. eod. qui tres tutelas habens non defunctorias ſiue non adfectatas.

QVI NVMERO TVTELARVM SE EXCVSANT. TITVLVS LXVII.

A Quarta excuſaberis. finito autem officio non etiam ſi non ratio tutelæ uel curæ ſit adhuc reddita aliæ ſubſtitui poſſunt. Sanè imperfectæ uacationis ſpecies licet permixtæ ad excuſationem nō proficiunt. Igitur ſiquis habens duos filios,& duas tutelas curasúe excuſationem non præbent.

QVI AETATE SE EXCVSANT. TIT. LXVIII.

Sicut dictum eſt maior annis ſeptuaginta uocatus ad tutelam uel curã, ſi uolet ſe excuſare ſolenniter poterit.

QVI MORBO SE EXCVSANT. TIT. LXIX.

Lvminibus captus uel caſſus,mutus,uel ſurdus,furioſus, perpetua ualetudine tentus:nō tantum à nondum ſuſcepta tutela uel cura,ſed etiam à ſuſcepta poterit ſe excuſare:forte & ipſo iure.

DE CVRATORE FVRIOSI ET PRODIGI. TITVLVS LXX.

Avdiuimus ſuprà de tutoribus qui dantur impuberibus, & de curatoribus qui dantur puberibus uſq; ad uiceſimum quintum annum. & quia furioſi & prodigi, qui nō ſunt pupillis adſimiles curatores accipiunt:uideamus de curatore furioſi. Furioſis & prodigis legitimi ſiqui eis fuerint primò dabũtur. etiã filius patri,& pater filio:his deficientibus,uel quia nullos habẽt, uel minus idoneos,extranei tribui ſolent. Ideo dixerim ſolẽt, quia plærięq; plærumq; furorem fingunt,ut munera ciuilia uitent ut ff. eod. Dabuntur autem extranei ubi nõ ſunt neq; teſtamentarij, neq; legitimi:niſi dictum eſt interueniente præſide,tribus primatibus quoq; in prouincijs;Romæ apud præfectum uocatus iurabit ſe omnia facturum,quæ putauerit utilia: & omnia omiſſurum,quæ crediderit inutilia. hodie tamen generaliter de omnibus tutoribus et curatoribus hoc iuſiurandum præſtari debet. Quatuor ſpecialia in curatore furioſi & prodigi,quia maiori datur:& quia tutor ex lege ſine omni ſatiſdatione primò uenit, & quia ex inquiſitione datus quandoq; ſatiſdat: & quia aduerſus eum etiam conſtante officio agi poteſt. Item ſucceſſio per tutorem furioſi, quæ ſit ab eodem poſtea facto compote repudiatur uelut à pupillo. Etſi furioſus in furore deceſſerit ſucceſſionem,licet aliud ſit in pupillo,ad hæredem ſuum non tranſmittit.

DE PRAEDIIS, ET ALIIS REBVS MINORVM ſine decreto non alienandis uel obligandis. Titulus lxxj.

Dictum eſt ſuprà incidenter prædia minorũ alienari non poſſe ſine decreto, nunc per ſpecialem titulum adnectamus de prædijs minorum, & alijs rebus non alienandis uel obligandis ſine decreto. Videamus itaq; qualiter ſingula uerba huius tituli debeant intelligi, & quomodo conſtitutione ſit prohibita hæc alienatio,uel obligatio,& quomodo per decretum ſit admiſſa,& eo ceſſante ſit nulla, & quale oporteat eſſe decretum. Ait diuus Seuerus Theopholo &

Clemente conſulibus interdictum ne tutores uel curatores prædia ruſtica uel ſuburbana uendant: niſi in conceſſis caſibus, quod in ſequentis tituli expoſitione notabimus ſine decreto. Quòd ſi forte alienum æs erit tantum, ut ex rebus cæteris non poſſit exolui, tunc Prætor uel alius iudex adeatur, qui æſtimabit quæ debeant & poſſint alienari & obligari: manente tamen actione pupillo & adulto, ſi poterit probari obreptum fuiſſe prætori. Hæc autem actio erit perſonalis contra tutorem & curatorem, & in rem, ut ff. eod. l. j. & l. magnis. § penultimo. Neq; minor ſine tutore & curatore: uel tutor curatorue ſine minore, uel uterq; in ſimul ſi uendiderit minorum prædia ruſtica uel ſuburbana, uenditio talis ſine decreto facta ualebit. Idem ſi creditor uendidit pignus quod à minore tantum habuit: porrò ſi à deceſſore pignus cœpit, uenditio ab eo facta mero iure ualebit, ſed eorum reſtitutio locũ habebit. Hodie nec urbana, ſed nec res mobiles per Conſtantinum: exceptis illis, quæ ſi ſeruantur non ſeruantur. Prædia autem forte minorum accipe non ſolum ea, quorum nomine directa minoribus competit uindicatio, id eſt quæ iure dominij ſunt minoris, ſed & quæ minorum utiliter ſunt, ut uectigalia, ſuperficies, emphiteuſis. Item minorum debent intelligi, & eorum qui uelut minores habentur, ut furioſi, prodigi, ut ff. eod. l. ſi prædia. Sed uero etiam fuerint ſterilia, ſaxoſa, uel peſtifera minorum præfata prædia, ſine decreto non alienantur uel obligata petuntur, ut ff. eo. l. ſi fundus. Alienationis uerbo & hic ſignificatur quoquo titulo facta alienatio: ſine iudicio permutatio in dotem, ſiue in ſolutum datio. Sine iudicio facta alienatio etiam cum decreto facta non tenet: niſi propter dotem & propter nuptias donationem. ſed in his duobus caſibus minor ſi fuerit lapſus interueniente tutore reſtituitur. licet ſecus ſit in facta per iudicem ſolutione. Simili modo etiam obligatio uacuatur. Eſt prohibita alienatio & obligatio oratione diui Seueri, et Senatuſconſulti quod latum eſt Theophilo & Clemente conſulibus ceſſante decreto omnino: uel eo non utiliter interpoſito, nec alienatio nec obligatio tenet ex ordine. eo interpoſito quandoq; tenet. Nec enim (ut diximus) in datione ſimplici, ſed ſi decretum fuerit obreptione impetratum, id eſt non ut oportet datum nihil cõfert. Dicendum itaq; nobis qualiter debeat impetrari & indulgeri. Ecce iudex ordinarius debet adiri, & apud eum debet probari num ſit forte aliud in bonis pupilli, nec in numerato, nec in alia quantitate, nec in alijs rebus mobilibus, unde æs alienum non modicum poſſit exolui. hæcq; cognitio dominium dare non poteſt, ut ff. eo. l. magis. Et notandum eſt, quòd non niſi ob æs alienum decretum datur, etiam ſi tutor & curator utiliora prædia ſeſe pecunia redacta poſſe emere allegent, ut ff. eod. magis, & C. eod. l. ob æs. Item ubi uenerint neceſſariò alienanda prædia iudex debebit inquirere, quæ ſint minori minus utilia, & ea alienari debebit permittere. Item ubi prætor concedit, concedere debet purè nõ ſub alternatione. Item notandum, quòd ſicut ſenatus prohibet ſuperiorum rerum alienationem & obligationem, ita prohibet ne det in emphiteuſim, uſumfructũ alicui conſtituat, ſeruitutem imponat. hæc nomina uerbo clauduntur alienationis. Quid ergo ſi tutor curator prædia minoris furioſi prodigi, de facto alienauerit ſine decreto, uel inutiliter interpoſito? minor reuocabit omnino, niſi alienanti minor ſucceſſerit, uel niſi minor quondam factus maior longo tempore ſoluerit, uel expreſſim taciteue confirmauerit. Quæ omnia qualiter ſe habeant in ſequentibus titulis uberius exponetur. Porrò ubi reuocat minor, furioſus, prodigus, prædium, reſtituere debet pretium, ſi ſit locupletior, ut Codicis eq. lege utere.

QVANDO DECRETO OPVS NON EST. TITVLVS LXXII.

DIximus ſuprà aliquando ualere uenditionem, & ex ea alienationem prædiorum minorum, & perſonarum ſimilium ſine decreto: nunc illas cauſas ponamus, quando decreto opus non eſt. Et certe in decem caſibus alienatio ſine decreto facta ualet: puta ualebit, ſi Cæſar conceſſit. adinſtar enim præſidis decreti principalis conceſſi accidit. Idem ſi teſtator in ultima uoluntate ut alienaretur cauerit. Item ſi pater minoris uendiderat, & nondum tradiderat, et ſic obijt, enim pupillo ei ſuccedens debebit tradere. dominium in hoc caſu etiam transfertur ſine decreto. Item econtrario ſi pater pupilli prædium emerat, & conuenerat cum uenditore, ut ſi uenditor uellet ei retradere pretium reſtituat ei prædium, etiam minor ei ſuccedens & debebit & poterit reſtituere prædium ſine decreto. Item tutor & curator uendere poſſunt ea, quæ ſeruando pereunt: ut poma, pira, cera ſa, ueſtimenta detrita, & animalia ſuperflua. Item prouocatus minor non prouocans alienabit. Item ſi ex pecunia alterius pupilli alteri pupillo res empta ſit, ei cuius pecunia fuit etiam ſine decreto res erit obligata. Item iudiciale uel prætorium in minore ſine decreto capitur. Item ſi pupillus fuit condemnatus ut det & iubente iudice dederit alienabit, ut ff. eo. Item per exercitium litis minoris tutor uel curator rem immobilē poterit obligare, ut C. de adminiſtra. tuto. l. ult.

SI QVIS IGNORANS REM MINORIS ESSE, SINE decreto comparauerit. Tit. lxxiij.

PRædij minoris inutiliter facta alienatio multis modis cōfirmatur. Quippe ſi minor ut dictum eſt alienanti ſucceſſerit cōfirmatur. Idem ſi expreſſim maior factus confirmauerit: ut ſi dixerit ratam habeo factam uenditionem. Item ſi tacitè, puta maior factus pretium nondum ſolutum petijt. Item ſilentio quoque propter minorem ætatem habito, minor quondam factus maior temporis præſcriptione ſummouebitur aliàs decem, aliàs uiginti, aliàs quinque annorum. Decem interabſentes, uiginti inter præſentes ut ubi extraneus quicunque prædium ſuum tanquam minoris uendiderit, licet notabile & mirabile uideatur tribus rationibus, quia non uidetur titulus eſſe, ſed hodie niſi putauerit ſuum. forte excipitur tutor & curator eiusque hæres ſpeciali ratione, ut his uendentibus bona ſi de emptor non poſſit uſucapere, uel præſcribere etiam poſt minorem ætatem uiginti annis, ſed tantum triginta. Et hæc præſcriptio docetur ſub titulo hoc, quia ubi lex inhibet alienationem, & uſucapionem & præſcriptionem debet inhibere. Et quia prædium filij à patre uenditum uelut patris non præſcribitur, niſi triginta anni, & hæc præſcriptio docetur ſub hoc titulo.

SI MAIOR FACTVS VENDITIONEM FACTAM RATAM habuerit. Tit. lxxiiij.

RAtihabitione confirmatur alienatio quinque annorum ſilentio, hoc ubi minor ſine tutore & curatore uendit, uel tutor & curator ſine minore, uel uterque in ſimul minoris prædium tanquam minoris uendidit, locus eſt, inquam, quinque annorum præſcriptioni. Hæc differentia eſt inter hunc titulum & ſuperiorem, quia in ſuperiori titulo exponitur, niſi minoris prædiū ab extraneo uelut extranei ſit uenditum: hoc autem in titulo dicitur ubi prædium minoris uenditum eſt tanquam minoris, ſiue à maiore ſolo, ſiue ab extraneo. ſecus ſi donauerit

uerit ſimpliciter, id eſt non donauerit propter nuptias. eo enim in caſu non confirmatur tempore donatio: niſi iure communi, id eſt decem, uel uiginti annorum ſilentio. Hoc quidam nimis uerbis legis innitentes dicunt habere locum tantum in illis minoribus, qui tutelam uel curam habebant, uel ueniam ætatis impetrauerant. Sed ego puto de omnibus minoribus intelligendum, ſiue tutorem curatoremúe habeant, uel non. forte etſi puberes fuerint, & pupilli, qui uel ſoli uendiderint tutoris curatorisúe autoritate.

DE MAGISTRATIBVS CONVENIENDIS. TIT. LXXV.

NOn tantum tutor & curator eorũq; hæredes conueniuntur actione tutelæ, ſed magiſtratus, ſcilicet minores, id eſt tutorum & curatorum nominatores. Sanè actio nõ datur in magiſtratus minores, id eſt in eos qui dant tutores & curatores: puta in prætorem, præfectum, proconſulem, præſides: ſed nec in ordinem ſubſidiaria datur, nec in magiſtratuum nominatores, uel pro eis datos fide iuſſores. Conueniuntur magiſtratus minores, id eſt nominatores, & eorum hæredes actione ſubſidiaria in factum uel utili tutelæ. Nam eadem actio quæ redditur in tutores, eadem datur in magiſtratus, & eorum hæredes ut ff. eodẽ. l. ult. Conueniuntur autem, ſiue minus idoneos tutores, & curatores dederint, id eſt dandos nominauerint, ſiue inutiliter caueri curauerint. Sanè hæredes magiſtratuum, ſed nec hæredes tutorum & curatorum, non tenentur: niſi de dolo & lata culpa defuncti tutoris & curatoris magiſtratus defuncti, id eſt nec hæredes magiſtratuum, nec tutorum curatorum tenentur de leui culpa defuncti tutoris & curatoris magiſtratus defuncti, id eſt nec hæredes magiſtratuum: niſi in tribus ſuperius poſitis caſibus. Conueniuntur porrò ordine tali: primo conueniuntur tutores qui geſſerunt & hæredes eorum & fideiuſſores eorum. Secundo loco illi qui non geſſerunt, & hæredes & fideiuſſores. ultimo loco conueniuntur magiſtratus, id eſt nominatores, & (ſicut dictum eſt) eorum hæredes & fideiuſſores à tutoribus & curatoribus dati magiſtratibus pro indemnitate adminiſtrationis ut C. eod. l. j Quia aliquando prius conueniũtur magiſtratus, quàm tutores notandum eſt, ut de rationibus diſtrahendis l. j. Nunc in quarto loco conuenitur ſcriba, ut Codicis eodem lege ultima: & æſtimator patrimonij, ut ff. eodem lege ſecunda.

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE. LIBER SEXTVS.

DE SERVIS FVGITIVIS, ET LIBERTIS, MANCIPIISQVE CIVITATVM ARTIFICIBVS, ET AD diuerſa opera deputatis, & ad rem priuatam, & dominicam pertinentibus. Tit. j.

IN SVPERIORI LIBRO TITVLO DE adminiſtratione tutorum & curatorum legitur ſeruos minorũ fugere, aliâs propter diſſolutam diſciplinam, aliâs propter ſæuiciam immodicam tutorum & curatorum: ideo nõ incompetenter de ſeruis fugitiuis apponitur. Et quia ſerui dominici, id eſt fiſcales & ad rem priuatam pertinentes, id eſt ſerui Cæſaris fugiunt, etiam de hís audiamus: deq; libertis priuatorum Reipub. fugientibus ſimiliter adnectamus. aliâs diximus in ſuperioribus de actione tutelæ, quæ oritur ex quaſi cõtractu. Et quia quædam petuntur actione ex teſtamento, quæ ſimiliter ex quaſi contractu naſcuntur in hoc ſexto libro de reliquis notabimus. Et quia relicta alia ſunt uniuerſalia, ut hæreditates: alia ſingularia, ut legata & fideicommiſſa, cõſtatq; quia uniuerſalia relicta ſunt digniora, quàm ſingularia, prius de hæreditatibus audiamus. Et quia hæreditates deferuntur, aliâs ex teſtamento, aliâs ab inteſtato: teſtamentariæ ſucceſſiones digniores ſunt, quàm legitimæ, primò de teſtamentarijs et ſic de teſtibus uideamus. Et quia iure cõmuni, & iure ſingulari cõficiuntur teſtamenta ut militum, & de his primo loquamur. Et quia ex teſtamento hodie, & ab inteſtato olim conferre debemus, de collationibus tractatus habentur. & quia conferunt nõ tantum liberi, qui ſuccedunt iure ciuili, ſed & qui iure prætorio ſuccedunt ut per bonorum poſſeſſionem, opus eſt ut audiamus de bonorũ poſſeſſione. Et quia non tantum ingenuorum ſed libertorum ſucceſſio defertur, & ex teſtamento & ab inteſtato: & ipſe ſæpe ſe ſubtrahunt per fugam, ut eorum nobis debita ſucceſſione priuemur, & obſequijs quæ nobis debent in non faciendo, & operis quas debent in faciendo, etiam de his inſeramus. Et quia hoc totum furtum eſt primum de furtis agamus, & conſequenter de ſeruo corrupto. Et quia excellentiſſimum eſt quoddam furtum, licet anomalum quod ſeruus facit, cum ſeipſum domino fugiendo ſubripit fugitiuus, dicamus. furatur enim ſeipſum domino ſeruus fugitiuus quia ſui furtum facit, ut C. de his qui ad eccle. l. ult. & C. hoc tit. Dicamus itaq; quid ſit ſeruus fugitiuus, & erro, quæ pœna ei imponitur, & eius ſuſceptori et iudicio non inquirenti, & ei, qui apud ſe & circa cubilia nõ patitur inquiſitionem fieri. Seruus

fugiti-

fugitiuus eſt qui ea mente à domino recedit, ne amplius ad eum redeat: licet mutato conſilio poſtea ad eum reuertatur. Erro qui puſillus fugitiuus eſt, ille qui temporibus cōſumptis in rebus nugatorijs tandem ſed ſero ad dominum redit: & fugitiuus econtrario dicitur magnus erro. Triplex pœna imponitur ſeruo fugitiuo. prima quia cum ipſe eſt res furtiua à nemine poſſit uſucapi, ante purgationem iudicij: ſed nec ipſemet poterit lōgo tempore ſeipſum præſcribere, id eſt ſibi uel libertatem uel libertatis poſſeſſionem comparare. quia in fuga moratur non libertate, ut C. de præſcript. quæ ſi. pro liberta. l. j. Tertia erat pœna quia uel in metallum dabatur, uel pede amputato debilitabatur, ſi ad barbarum proficiſcebatur. Sed hodie pro furto nec moritur nec membrum abſcinditur: ſed aliâs caſtigatur. Ei qui cælauit, licet nunc non cælat ea pæna iniungitur, quia ipſum domeſticum fugitiuum debet reſtituere, & alium æque bonum dare: uel uiginti ſolidos, ſi ſeruus fugitiuus fuerit priuatæ perſonæ. Eſt autem recipere fugitiuum abſcondendi cauſam præſtare in ſuo, in alieno agro. Si uero alicuius Reipublicæ non Romanæ quis receperit ſeruum, & cælauerit, ipſum debebit reſtituere, & alium æque bonum dare: uel uiginti ſolidos prout uoluerit, & præterea duodecim ſolidos. Si uero quis occultauerit ſeruum fiſcalem duodecim libras argenti debebit fiſco dare, & ipſum reddere: & quia lex nō addit, de uiginti, uel de alio æque bono, nec ego adijcio; ſufficit duodecim librarū argenti multa. Item notandum eſt, ꝙ receptor ſi hominem infra uiginti dies reſtituerit, ſenatus ei pœnam remittit, ut de fugitiuis l. j. hoc tamen intelligo ſi abſit à furti uicio. Nam ſi furtum faceret, nec eo reſtituente ſenatus ei pœnā furti remittere poſſet: quia dicitur in C. de agrico. l. ſeruos, eum qui ſeruum fugitiuum occultauerit duodecim libras argenti debere fiſco dare, & domino æque ſeruū bonum: ſpeciale in tributarijs ſeruis ſicut ibi innuitur intelligitur. Item quod dicitur in tit. C. de colonis Thracenſibus, eum qui ſeruum alienū occultandum putauerit, domino duas libras auri debere exoluere: in colonis Thracenſibus tantum accipiatur. Item quod legitur in C. de gyneciarijs, hoc eſt in textoribus noſtris ſpecialiter intelligitur, ut quinq; librarum auri damno ſubiugetur ubi occultauerit, & adhuc occultat: & in ternas, ubi deſijt occultare mancipia magiſtratus. Vbi quis accipit literas à præſide niſi inquiſierit ſeruum priuatæ perſonæ, centum ſolidorum pœna irrogatur. Ei quoq;, qui apud ſe quæri prohibet, ſimilis pœna imminebit. Si uero nō inquiſierit ſeruum libertumúe Reipub. duo uicaria mancipia dabit. Ceſſat autem propter maliciam ſerui, puta ſi mentitus ſe ingenuum ſub mercede apud aliquem fuerit. Item propter maliciam domini, puta ſi dominus ſeruum propter lucrum apud aliquem inſcium dimiſerit: hoc enim caſu dominus non ſolum percipiet lucrum pœnæ, ſed etiam mancipium confiſcabitur, indignus enim eſt dominus habere pœnam, quia cōſcius eſt. Sed nec fiſcus pœnam petet à domino, quia ſolus receptor hanc pœnam dat. Item ſciendum eſt, quòd prædictæ pœnæ tutoribus imminent malicioſè recipientibus ſeruos in domibus minorum. Sed & notandum eſt, quòd eadem pœna pro libertis ciuitatum receptis, ſolicitatis irrogatur, quæ iniungitur pro ſeruis ipſarum ciuitatum. Item pro ſeruo fugitiuo ciuitatis, ſi non fuit à defenſore requiſitus & reuocatus idem defenſor duo uicaria mancipia exigatur, ut Cod. eod. l. mancipia. Item notandum eſt, quòd de libertis priuatorum nihil ſub hoc titulo dicitur.

DE FVRTIS ET SERVO CORRVPTO, TITVLVS SECVNDVS.

Dictum eſt ſuprà de quodam furto, nunc generaliter audiamus de furtis: & quia propter furtum ſæpe corrumpitur ſeruus, de ſeruo corrupto dicamus. Videamus unde dicatur furtum, quid ſit furtum, quis faciat furtum, quis paciatur furtum, cuius rei fiat, quot ſint furtorum genera, quot ſpecies erant actionis furti, cui detur actio furti, in quem, in quantum, quibus ex cauſis decernatur, & ex quibus denegetur, & ab initio & ex poſt facto, & qualis ſit actio furti. Furtum, id eſt à furuo, id eſt à nigro dictum eſt: quia plærūq; fit nocte uel à fraude, uel à ferendo & ab auferendo. facit enim utrumq; fur, & fert ſibi, & aufert poſſeſſori: uel à græco ſermone, quod φῶρας appellant fures. imò & græci à ferendo φ ῆρας dixerunt: abducunt enim qui furtum faciunt. Eſt autem furtum contrectatio rei fraudulosa. non adijcitur alienæ: quia rei propriæ dominus facit furtum, qui creditori rem pignoratam ſurripuit. furtum eſt contrectatio, id eſt corporis amotio, uel baiulatio rei corporeæ. Et quidem licet enim furtum fit quandoq; gracia uſus uel poſſeſſionis, nunquam tamen fit furtum niſi rei corporalis fraudoloſa, id eſt animo lucri pecuniarij facta domino inuito. Inuitū oportet intelligi ubi fur putauerit dominum non inuitum. Nam ſi putauit non inuitum, excuſatur à furto. putatio eñ ſola uera fallaúe excuſat ab actiōe furti. ſed in cōmodato dato, putandi cauſa diſtinguitur, ut ff. eo. qui re. Sed & ſi putaſti uolentem excuſari: licet dominus nolit, dolo cares. Omnibus porrò uerbis præfatæ definitionis cauſaliter derogatur. Ecce ſine contrectatione furtum admittitur, intercedente eo quod eſt pro contrectatione: puta ſiquis aſinum ſuum immiſerit in equas alienas. item ſi falſus creditor ſummittit cui ſoluatur furtum facit: licet enim non contrectauerit pecuniam, tamen propter præſentiam contrectaſſe uidetur, ut ff. eod. falſus. l. ſi ſeruus. Dictum eſt corporeæ, quia non niſi corpus poterit contrectari: et mobilis tantum res, ſublata opinione fundi locíue fieri poſſe: niſi quod eſt primum immobile fieret mobile, ut creta exempta de fundo non quia foſſa, ſed quia ablata. Animo lucri pecuniarij derogatur. Ecce enim ſiquis perperam ſeruum alienum duxit ad præfectum uigilium, furti tenetur. & ſiquis ancilla aliena non meretrice abutitur. primò quod uoluntatem ſuã quæ fuit ei pro pecunia, patrauit. ſecundò quia libidinem expleuit. Item ſi quis pecuniã in ſacco poſitam ſubtraxit, et ſacci nomine furti tenetur. licet de ſacco ſeorſum nullo modo cogitauerit. Item uolente domino furtum ſit, puta perſuaſit quis ſeruo meo ut mihi furtum faceret, is mihi notificauit, egoq; ut eū in furto deprehenderem, permiſi. perſuaſor inquam furti tenetur, licet domino uolente ſit factum, & ſerui corrupti, licet ſeruus deterior non ſit factus. tamē quia conſilium conſultoris in perniciem probitatis ſerui introductum eſt, & alius ſeruus non adeo conſtans corruptus fuiſſet, contra communes regulas utraq; intenditur actio. Facit furtum is qui intelligit ſe delinquere. Ergo & pubes pubertati proximus. omne enim crimen in impuberem cadit, præter adulterium: & talibus impuberibus non ſeorſum parcitur. Sed ſi per culpam deliquerint puta damnum dederint, reſtitutione iuuantur. Patitur autem furtū uiuens perſona duntaxat, non lege ficta: hæreditati enim furtum regulariter fieri non poteſt, ut ff. ſiquis teſta. l. j. fit furtum rei duntaxat corporalis. incorporalia enim palpari nō poſſunt. mobiliſq; rei, ut cretæ exemptæ fit furtū, & ſeruus adſcriptitius, qui eſt pars, ſoliq; membrum domino & ſolo ſe ſubtrahit. Genera furtorum duo ſunt, id eſt duo ſunt per quæ ſufficienter diuiditur furtū in quibus duobus omne furtum conſiſtit manifeſtum. Eſt autem furtum nec manifeſtum illud, quod non eſt manifeſtum. tantum enim ualet negare finitum, quantum adfirmare infinitum. Manifeſtus hic eſt qui in ipſo furto deprehenditur, uel uidetur, nō ſi lateat dominus cum uidet, ſed ſi ad apprehendendum occurrat, puta circa ſcrinium.

Sed

Sed ſi in domo,egreſſus quoq; oſtium,puta in curia,uineto, oliueto, uiridario. Amplius fur manifeſtus eſt,ſi fuerit deprehenſus antequam perueniat ad locũ deſtinatum cum furto. Locus deſtinatus is eſt,quo ea nocte manſurus eſt: licet forte de eo loco fur nihil cogitauerit, nec is cui furtum fit, eũ apprehendit,nec alius ei negocium gerens. nec hoc caſu mihi per alium actio quæritur, ſed quæ ſita monſtratur,ut ff.de uſur.l.ſiquis, & ff.quod ui. Et in hoc caſu etiã ex retro furtum manifeſtum exiſtimatur. Inde eſt quòd ſi ab initio quis inſtet & querat quale ſit furtum,reſpondere neſcio, ſed declarabitur retro ut aliàs ex poſtfacto. Species manifeſti furti olim erant quatuor. furti concepti actio,quæ dabatur ei cuius in domo inuenta erat res furtiua,licet forte fur non foret. Et actio furti oblati quæ dabatur ei,apud quem erat concepta competit contra eum, qui opem tulit. Et actio furti prohibiti,quæ dabatur in eum qui prohibebat furtum inquiri,& furti non exhibiti,quæ ſpecies actionis furti:quia iniquitatem cõtinebant, exoleuerunt. Datur autem actio furti cuius intereſt ex honeſta cauſa pecuniaria. Intereſſe datur ei qui damnum paſſus eſt,non qui lucrũ facturus eſt, ideoq; uſucapienti nõ dat, ut ff.eo.l.ſi is. Datur ei,cuius intereſt:nec ſoli,nec omni.no ſoli,quippe creditori habenti duos ſeruos pignoratos pro decem, quorum ſeruorum unuſquiſq; ualebat decẽ:ſi fuerit ſurreptus unus, actio furti datur. licet enim iam nunc non interſit ſua,quia tamen intereſſe poteſt,puta ſi moriatur ille ſeruus,qui remanſit apud eum,tribuitur illi actio furti,ut ff.eod. Non datur omni ei cuius intereſt,non enim datur malæ fidei poſſeſſori,ut furi. furti enim fur non agit,ut ff.eod.l.qui uas. Sed nec creditori datur,ubi res ſubripitur debitori quæ creditori obligata non eſt:licet creditoris interſit non fieri pauperiorem. Item nec ei datur,cui res debita eſt ex ſtipulatu,uel ex cauſa legati ante traditionem. Sed nec uxori rei dotalis ſurreptæ nomine,ut ff. eo. Interdũ nec is omnis cuius intereſt rem non interire,furti actionem habet,ſed is ſolus cuius periculo res eſt,ut ff.eod.l.eum. nempe propter rem commodatam filio ſubtractam pater furti non agit,ut ff.eod.l.eum. Nec enim furti actio competit niſi ratione dominij uel poſſeſſionis,uel utriuſq;:& (ut breuius loquar) ei ſoli competit actio furti.cui datur rei uindicatio uel directa uel utilis,ut domino, bonæ fidei poſſeſſori,ſicut creditori. Nam hypothecaria in rem eſt.item colono datur: nouo domino ut hæredi,bonorum poſſeſſori,patri adoptiuo,& legatorio, ut ff.eod.l.ſi dominium.datur ergo furti actio ei,cuius intereſt ex honeſta cauſa, ſicq; domino,& non domino ut bonæ fidei poſſeſſori,& colono. Denegatur quandoq; domino,puta ſi res ſurrepta eſt fulloni,qui ſit ſoluendo. tamẽ debitori domino datur furti actio,aliàs ipſi ſoli domino,ut ſi creditor cum duo ſerui ſibi eſſent obligati uno ſurrepto ne ſibi deberetur exegit. aliàs ſoli creditori, puta ubi eius culpa res ſubtracta eſt. aliàs utriq; datur, puta ubi creditoris intereſt tantũ ratione debiti,nõ culpæ. In fullone contrà,quia uel ſoli domino dabitur(ut dictum eſt) uel ſoli fulloni. Item creditor exactam pecuniã reſtituit, fullo minimè ſicut nec commodatarius pecuniam ut dixi, quia regulare eſt id. Secus tamen eſt in caſibus ut in ſeruo ducto ad præfectum,& in ancilla nõ meretrice ſurrepta propter uenerem. Item filios noſtros ſi quis ſurripit patribus nõ matribus furti actio datur uel competit,licet non condictio furtiua,& in hoc caſu licet pecuniariter forte nihil interſit, puta propter operas,ut ſi filius erat nullarum operarum, puta impubes, adfectus tamen ratione,furti agetur. Datur autem actio furti in furem,& in non furem,puta quia ad furtum faciendum conſilium præbuit, & opem, in hæredem furis non niſi lite iam conteſtata cõtra furem, uel ubi aliquid peruenit ad hæredem. duplatur & quadruplatur uerũ rei pretiũ ubi furtum factum eſt ratione rei ubi furtum factum eſt non gratia rei, ſed uſus bonæ fidei

poſſeſſionis utilitas ſola duplatur, ut ff. eo. ſi uendidero. Argumentum his præbet, quia lance raſa non lancis pretium, ſed ſolius eius quod abraſum eſt pretiũ duplatur. Quare cum lancem intercipere noluerit, uel equum quo ueheretur forte ultra metam, puniri debet in totum. ergo in his ſolis caſibus id ſolum quod perceptum eſt, ut pannus modicus, abraſio pauca, uſus equi, æſtimatio ipſius equi duplicabitur uel quadruplabitur. Decernitur autem furti actio ex his cauſis propter dominiũ, uel poſſeſſionem, uel utrunq; nec enim dabitur, cui perſonalis actio competit. Denegatur actio furti aliâs ab initio, aliâs ex poſtfacto. Ab initio aliâs propter perſonam, aliâs propter cauſam. propter perſonam aliâs propter naturalem rationem, ut inter patrem & filium: præterquam in caſtrenſibus. aliâs propter iuſgentium, ut inter dominum & ſeruum, aliâs propter ciuilem rationem, ut inter cõiuges. In his enim caſibus licet furtum fiat, furti tamen actio non datur. Propter rem utpote modicam inter libertum & patronum, ut ff. eod. l. libertus. Propter cauſam, ut in ſuperioribus exemplis, puta ut ſiquis uoluit intercipere lucrum contrectauit totum ſic q; furtum fecit. Aliquando furtum, & res fit furtiua, & competit actio furti, ut ſi extraneus ſurripuerit. aliquando fit furtum & res fit furtiua, ſed ceſſat actio furti, ut ſi filius ſubtrahit: ſi uxor, uel econtrà. aliquãdo fit furtum, & cõpetit actio furti, ſi res non ſit furtiua, ut ſi debitor dominus ſubripuerit creditori. Ceſſat actio furti ex poſtfacto, ut ſi quid cui ſubtractũ fuerit, poſtea quoquo modo ratum habuerit. Sed & denegatur propter electionem, puta res cõmodata à commodatario ſubtracta eſt, tu ſciens ſi maluiſti commodatarium actione commodati conuenire, quàm furem actione furti. Sed & ſi furem ad præfectũ uigilum duxiſti, electa criminationis uia, ciuilem actionem furti tibi peremiſti, ut ff. eod. l. interdum. Ex maleficio eſt actio furti, & ſtricti iuris, perſonalis, pœnalis, perpetua. Ciuilis eſt actio furti nõ manifeſti, ſed manifeſti furti prætoria. Et notandum eſt, quòd præter actionem furti pœnalem, rem petimus & rei uindicatione & condictione furtiua. Sequitur ut uideamus de actione ſerui corrupti cui detur, in quem, in quantum, qualis ſit ſerui corrupti actio. Inuenitur & directa & utilis. Directa datur domino cui ſeruus corruptus eſt. Nam cum corpore eſt corruptus tantum l. Aquiliæ actio datur domino, ſiue in totum, ſiue in partem, nõ extraneum, ſed & contra ſocium ſi ſeruum communem celauerit. Datur & hæredi, ſiue manſerit ſeruus in hæreditate, ſiue exierit de hæreditate. Vtilis datur nõ domino, ut fructuario, bonæ fidei poſſeſſori: licet uideaẽ obloqui l. j. § j. Datur in corruptorem, & in perſuaſorem: puta in illum, qui perſuaſit ſeruo, ut contemneret dominum. perſuadere eſt plus quàm compellere, qui perſuaſit mentem uiolauit. Datur & noxaliter in dominum corrumpentis ſerui. in hæredem nõ datur quo àd pœnam, licet quo ad rem in duplum; ſed in duplo continetur perſecutio rei. rem intelligo non ſeruum ipſum defloratum, ſed eius deteriorationem. res quoq; per ſeruum exportatæ ueniunt. Conſtat quòd hæc actio prætoria eſt, ex maleficio, ſtricti iuris, pœnalis, ſed mixta, & annua, & perpetua. In fine notandũ eſt, quòd & utili actione ſerui corrupti agitur pro filio corrupto, & datur hæc actio inter coniuges: etiam conſtante connubio, ſed fauore nuptiarum in ſimplum, ut ff. eod. l. ultima.

DE OPERIS LIBERTORVM. TIT. III.

Diximus ſuprà de libertis ciuitatum fugitiuis, nunc audiamus de fugitiuis libertis priuatorum. & quia fugiunt ut ſubtrahant nobis operas quas debent, & obſequiũ, & operarum cauſa dignior eſt, primũ de operis audiamus.

Videa

Videamus itaq; quid ſit opera, quæ ſit operarum diuiſio, & quomodo inter ſe
differant, quis poſſit imponere, cui, quando, qualiter, quo iure petantur à pa-
trono, & qualiter libertis remittantur. Opera eſt diurnum officium. Ope-
rarum aliæ ſunt officiales ſiue obſequiales, aliæ uocantur fabriles. nomine
fabri & alterius artificij operæ intelliguntur, ut cerdonicæ, pictoriæ. Hæc eſt
differentia, officiales conſiſtunt, & in faciendo, & in non faciendo. Item fabri-
les in artificio ſunt. obſequiales nõ niſi perrarò et modicè, ut ff. de condict. inde.
l. ſi non, & l. interdum. Item fabriles ſi non fuerint præſtitæ, pecunia præſtabi-
tur: in officialibus contrà eſt. Imponere poteſt ſolus patronus fabriles operas, q
gratuitam libertatem præſtitit. Obſequiales ſine impoſitione debentur, id eſt
naturaliter. ergo fabriles non ritè imponit, qui ex neceſſitate fideicommiſſi ma-
numiſit, uel qui emit ut manumitteret. Ei poſſunt imponi, qui gratis manumiſ-
ſus eſt & ſponte, non ei qui emptus eſt, ut manumittatur. nõ ei qui decreto, uel
per fideicommiſſum manumiſſus eſt. Et non tantum puberi, ſed & impuberi.
nam impuberis operæ ſunt aliquæ, ut ſi librariarius ſit, uel nomenclator, uel hi
ſtrio, uel alterius uoluptatis artifex, ut ff. eodẽ. l. vj. Imponi autem debent poſt
manumiſſionem. dominum enim eſſe oportet, liberti ut obligentur promitten-
do, uel iurando: & tales operæ, quæ iure licito probè imponuntur. nec enim au
diendus eſt patronus ſi operas poſcit, quas ætas uel infirmitas recuſat, uel qui-
bus inſtitutum, uitæ honeſtum propoſitum minuitur. Sed & ſuo uictu & ueſti-
tu libertus operas præſtare debet, ſi habet unde ſe exhibeat: alioquin & alimen
ta ei dabit patronus, uel liberto dabitur ſpacium, ut poſſit primum quærere ui-
ctum, ut ff. eod. Imponuntur (ſicut dictum eſt) per ſtipulationem patroni non
eius ſerui hoc in caſu. Item ſingulari iure ſi libertus iurauerit ſe præſtaturũ ope
ras patrono, aliud alij adiecto ſoluens etiam filio, ſe non liberat. Item lite de ope
ris cum liberto conteſtata per patronum, mortuo patrono translatio nõ datur
hæredi extraneo, ut ff. eod. l. ſi operarum. Petuntur autem impoſitæ operæ præ
fatis modis actione in factum. Sanè non impoſitas ſiquis præſtiterit, uel inutili-
ter impoſitas ingratus repetit: ſi ſciens ſibi imponi nõ poſſe, & paſſus eſt & præ
ſtitit nõ repetit. Præſtare autem operas libertus debet etiam eius artificij, quod
poſt manumiſſionẽ didicerit. Si ergo ceſſet in operarum præſtatione, de operis
iudicium oritur: niſi operæ ſint impoſitæ onerandæ libertatis cauſæ. Oritur cũ
operæ præterierint, præterire autem non poſſunt antequam cedere incipiant,
& incipiunt poſteaquam fuerint indictæ, ut ff. eod. l. ſiquis. § iudicium. Compe
tit autem ut ſuprà dictum eſt ad operarũ præſtationem, & notandum quia ſicut
alimenta futura uendere quis non poteſt niſi ſit uitæ ſequioris, ita nec patronus
operas futuras: niſi propter inopiam id fiat, ut C. eo. ſed non præſtitarum ex ne
ceſſitate præſtatur æſtimatio. Et notandum, quòd patronus electis muneribus
liberti & operis, à bonorum poſſeſſio. contra tabulas repellitur, licet non à ſuc
ceſſione ab inteſtato, ut C. de bono. contra. tab. libert. l. ult. et ex hoc liberam te
ſtamenti factionem habuiſſe creditur, ut C. eod. l. ſi quam. Item ſciendum eſt, q
licet patronus operas futuras uendere nõ poſſit, ex ordine poteſt locare, & ma-
xime ipſis libertis poſtulantibus. Sed liberti quoq; operas debent etiã fabriles,
& obſequiales in non faciendo etiam hæredibus extraneis, non eas quæ ſunt in
faciendo: maritis nõ debentur fabriles niſi fuerint inſtituti. Item libertus cogi-
tur operas præſtare etiã amicis patroni nec enim oportet patronum, ut operis li
berti ſui utatur, perpetuò ægrotare uel ludos facere, ut ff. eod. ſi libertus. Reli-
quum eſt ut uideamus, & quomodo libertus ab operarum exactione libereṭur.
& certe ſex modis, ut ſi habuerit duos liberos in poteſtate uno tempore uel di-
uerſis, & hoc lege faciente, ſi remiſit patronus, ſi liberta puta ad dignitatem per

uenit, ut indignum ſit eam præſtare: ſi maior ſit annis quinquaginta, uel liberta nupta eſt uoluntate patroni: uel ſi contra uoluntatem patroni iure tamen nupſit puta ſi eam compulit iurare ne nuberet: uel niſi compulit iurare ut ſibi nuberet, uel niſi eam compulerit, quæ aliàs nubere non poterat. quod tamen dicitur de nuptijs ita intelligitur ſi nullas nuptias contraxit, ut ff. eod. l. ſicut. Nam & ſi libertus iurauerit ſe præſtiturum operas, quas patronus fuerit arbitratus: ſi ęquũ arbitratus fuerit patronus, ita demum tenetur libertus, liberatur quoq; naturali ratione liberta à præſtatione operarum, ſi eam patronus ſibi fecerit uxorem. Amplius liberatur ab operis promiſſis, ſi eas promiſerit libertatis cauſa. imò ab initio nec tenetur. ſed & ſi quis aliquo tempore præſtiterit operas ſibi nõ impoſitas uelut impoſitas, non urgebitur in poſterum, ut ff. eod. operis, & l. qui onerandæ.

DE BONIS LIBERTORVM. TIT. IIII.

Vidimus ſuprà quid iuris in bonis liberti uiuentis patronus operarum nomine habeat, nunc audiamus de bonis libertorum, & quod ius in bonis libertorum mortuorum patronus habet, dicemus quoq; de iure patronatus. Videamus itaq; qualiter olim ſuccedebat patronus, & qualiter hodie, & quis patronus, & cui liberto, & quando, quando non, & poſtea ius patronatus diſtinguemus, & certe olim licebat liberto habenti, uel non habenti liberos impune præterire patronum in teſtamento, & hæredem quemuis inſtituere. & ita demum ſuccedebat ſi hæc duo concurrerent, id eſt ſi inteſtatus moriebatũ libertus, & nullo legitimo filio hærede relicto. ergo ſi adoptiuum reliquerat, apertè iniquum erat patronum prorſus excludi. Qua de cauſa poſtea per prætorem hæc iniquitas emendata eſt. ſiue enim faciebat teſtamentum libertus non habens ſuos hæredes uidebatur in teſtamento bonorum non tamen caſtrenſium dimidiam patrono relinquere: & ſi nihil aut minus reliquerat. Secus ſi inter uiuos donauerat dabatur patrono contra tabulas liberti partis dimidiæ bonorum poſſeſſio: ſiue inteſtatus moriebatur relicto tantum adoptiuo filio, dabatur & eadem & eatenus bonorum poſſeſſio. & ſic excludebant patronũ ſoli liberi naturales, & ſui, & emancipati, & in adoptionem dati: non tamen exhæredati. et hoc erat ius medium, poſtea iure tertio cautum eſt, ut ex bonis eius qui reliquerat patrimoniũ ſex milium ſextertiorum, & habet pauciores liberos quàm tres, id eſt uel unum ſolum, uel duos tantum, patronus liberto conteſtatò & inteſtatò uiriliter ſuccedebat: ſi tres reliquerat pluresúe, omnimodo repellebatur. Quarto loco iure nouiſſimo ita diſponitur, hodie patronus ſuccedit liberto ab inteſtato decedenti ſi ne liberis plus minus reliquerit aureis centum. Ei uero teſtato & liberos non habenti, minus centum aureis poſſidenti, nullatenus ſuccedit plus habenti inteſtato. Vbi tamen uel liberos non habebat, uel liberi inſtituti hæreditatem nõ adierunt, uel liberos ex hæredauit: non in dimidiam, ut olim, ſed in tertiam patronus ſuccedit. forte etſi aſcendentes & collaterales reliquerit. Non tamen omnis patronus ſuccedit ab inteſtato: quia non ille qui manumiſit accepto pretio à ſeruo, ut eum emeret à domino. ſed nec ille qui libertum per calumniam in ſeruitutem petijt. uel ſi capitaliter accuſauerit: uel ſi in cauſa tali non tamen ſe ulciſcendo teſtimonium contra libertum dixit. hæc tamen ita, niſi patronus minor fuerit, uel niſi accuſationis eum pœnituerit, uel poſt cõteſtationem uel poſt ſententiam pro ſe datam: uel niſi libertum in ſeruitutem petierat nõ ut ſibi cauſam eui ctionis conſeruet, ut ff. co. l. ſi quis libertum, uel niſi patronus ſit inſtitutus pro debita parte etiam ſub conditione ſi filius ſuus morietur. uel niſi ubi fuerit pro

parte

parte inſtitutus, aliam partem acceperit: uel donationibus cauſa mortis, uel inter uiuos, ea lege ut imputetur in parte debita: niſi eius patroni filius ſeruum nō tamen poſtea euictum quoquo relicti titulo acceperit, ut ff. eo. l. iij. & l. ſi uero. Sed nec omni liberto patronus ſuccedit, quia nō ei qui natalibus reſtitutus eſt, nec ei qui à principe non obreptitiè teſtandi licentiam impetrauit, ut ff. eo. l. iij. Sanè ei, qui ius anulorum meruit, ritè ſuccieditur: ita tamen patronus ſuccedet, niſi ius ſuccedendi iure amiſerit. quod fit aliâs ab initio, aliâs ex poſtfacto. Ab initio, ut ſi pretio manumiſerit, ut ſuprà expoſitum eſt. Ex poſtfacto aliâs ſuo, aliâs alieno. Alieno tunc ubi princeps natalibus reſtituit. Suo facto. aliâs malo, aliâs bono. bono ubi patronus ius patronatus remiſit. malo, ut ſi in ſeruitutem eum petat, uel capitis accuſauit, uel ſi eius uitæ inſidias præparauit, uel ſi eum iurare quod turpe eſt compulit. Iure patronatus defertur ſucceſſio liberti patrono (ut dictum eſt) nōn tamen ei qui iurauit ſe patronum eſſe, ut ff. eod. Iure quoque patronatus, ſi libertus extiterit ingratus ferendus non eſt: imò ſi inofficioſus fuerit, caſtigabitur: ſi contumeliam dixit uel conuicium, relegabitur: ſi manus intulerit in patronum libertus, uel delatorem ſubornauit in metallum dabitur, ut ff. eod. l. j.

SI IN FRAVDEM PATRONI A LIBERTIS alienatio facta ſit. Tit. v.

ET quia ſæpe libertus alienat inter uiuos, ut patronus debito bonorum ſubſidio defraudetur, audiamus quatenus reuocetur, & qua actione. Reuocatur eatenus ut ſubſidium debitum bonorum patronus habeat, & non amplius. Reuocabit idem in querela donationis inofficioſæ: ſecus in querela teſtamenti inofficioſi, & in alienatione facta in fraudem creditorum: & in alienatione à liberto menciente ſe minorem centenario in fraudem legis facta. in his tribus caſibus reuocatur quicquid alienatū eſt, ut ff. ſi in fraudem. fit autem reuocatio per actionem Fauianam, & Caluiſianam, ut ff. de iure patro. l. ſi libertus & l. ult. Secus in alienatione facta à filio emancipato. illam enim alienationem parens nō reuocabit per Fauianam uel Caluiſianam: licet patronus partem reuocet, quia iniquum eſt iure liberis hominibus non eſſe liberam ſuarum rerum adminiſtrationem, ut ff. ſi quis à parent. l. non uſq;. Porrò filius reuocat per Caluiſianam alienata à parente, ut ff. eod. l. ult.

DE OBSEQVIIS PATRONO PRAESTANDIS. TITVLVS VI.

AVdiuimus ſuprà de iure quod competit patrono ad pecuniarij lucri præſtationem, audiamus de iure quo libertus patrono obſtrictus eſt, ob honoris & reuerentiæ exhibitionem: & ſic de obſequijs patronis præſtandis. & certe patroni perſona liberto, ut patris filio, tam uiua quàm mortua, ſemper ſancta & reuerenda uideri debet. Inde eſt, quòd famoſam actionem libertus intendere non poteſt contra patronum. ſed in pecuniaria cauſa ius dicenti de ea ſumma libertus poterit breuiter æquitatem ſuæ petitionis exponere. Sed nec de dolo contra patronū mentionem expreſſim debebit habere ut ff. de in ius uocādo. Sed nec quicunq; ſine uerborum temperie debebit actionem intendere. Sed nec uerborū contumeliam, uel conuicium, libertus in patroni iniuriam debebit admittere: idq; in alienis perſonis admiſſum leuiſſimum æſtimatur, in patronum à liberto admiſſum cenſetur duriſſimum. hæc ita ſunt (ut expoſitū eſt) niſi aliquid

ſit quod poſſit imputari patrono, quare à liberto ſuo ei nullo debetur reuerentia

DE LIBERTIS ET EORVM LIBERIS. TIT. VII.

EXpoſuimus ſuprà qualiter à libertis patroni honorantur, nunc qualiter liberti onerantur. Et quidem onerantur ex ingratitudine licet non omni, in ſeruitutē detrudūtur, & ideo uideamus quis poſſit reuocare in ſeruitutē, & quis reuocari, & quo iure fiat reuocatio. Reuocat patronus, & eius hæres, & extraneus, & ille ſolus patronus, qui nō ex neceſſitate fideicommiſſi manumiſit, ſed ſponte: & dominus qui ſine pretio manumiſit & gratis: ſed & dominus qui manumiſit pretio accepto, ſiue à ſeruo, ſiue à ſerui amico. Qui manumiſit ex fideicommiſſo, uel extraneus qui manumiſit ſeruum ex mandato ſerui, pecunia ſeruili à ſeruo præſtita, & poſtea illum manumiſit, eum non reuocabit. Poterit reuocari libertinus, & eius filius. de eo tamē filio quidam intelligendum putant, qui à parente manumiſſus eſt: æſtimantes abſurdum poſtea natum utpote ingenuum in ſeruitutem eum detrudi uelut libertum. Sed & is licet ingenuus (ut puto) in ſeruitutem detrudetur, etiā à patroni hærede extraneo. Porrò licet patroni extraneus hæres libertū reuocet, extraneus tñ hæres liberti nō reuocatur. fruſtra eñ titularetur de libertis, et eorꝫ liberis, ſi cū à parentibus ſint manumiſſi, et ipſi ſint libertini: ſicq́ ſecundum hunc ſenſum titulare ſufficit de libertinis. Accedit his argumentum quòd non tantum patronis, ſed & maritis patronarum, & uxoribus patronorum, filijs patronorum: non hæredibus & extraneis hæredibus reuerentia debetur. & ſi econtra uidetur dici poſſe, quòd etiam nō libertus, id eſt filius liberti & ingenuus, ſi ingratus & inſolens extiterit, in ſeruitutem ualeat detrudi. Item illud notandum eſt, quòd liberti patronis & eorum hæredibus omnibus reuerentiam debent, & ab hæredibus patroni etiam extraneis reuocantur. Sanè libertorum hæredes, & ſi ſint filij, patronis quidem debent, ſed non eorum extraneis hæredibus. Item ſciendum eſt, quòd libertorū filij etiam ingenui, non alij libertorum hæredes etiā ingrati reuocantur, ſed tantum à patronorum parentibus, non ab hæredibus patronorum. fit autem reuocatio extra ordinem ut C. eod. l. j. per accuſationem extraordinariam, quia hæc accuſatio & per procuratorem mouetur, ut ff. de obſequi. l. per procuratorem & ff. de procurato. uel forte hæc reuocatio fit adinſtar inofficioſæ donationis, & eorum quæ ob ingentes donationes reuocantur per actionem in rem utilem.

DE IVRE AVREORVN ANVLORVM, ET DE NAtalibus reſtituendis. Tit. viij.

AVdiuimus quemadmodum liberti onerentur, nunc dicamus quemadmodum exonerentur. & quia hoc fit per natalium reſtitutionē, & anulorum aureorum impetrationem, audiamus de his. Si ius aureorum anulorum impetrauit libertus non tamen patrono inuito ut ingenuus erit: licet nō per omnia, imaginem enim libertatis præſtat, non ingenuitatis ſtatum. Sanè hodie per authenticam omnis libertus fit ingenuus, & pro ingenuo in quibuſdam caſibus habeť, ut in muneribus publicis ſuſcipiendis, & in anulis aureis ſine impetratione. Poſt impetrationē et ius patronatus ꝑmanet illæſum, ut opa ꝓmiſſa p̄ſtetur ſucceſſio utraq; debeať, in ſeruitutē reuocetur, in cauſa diuortij teſtis nō admittatur. Natalibus reſtituitur quis per principem tantum, & duntaxat uolente patrono, uel eius filio, ut ff. eod. l. ij. reſtitutusq́ natalibus libertus neç operas ulterius patrono debebit, nec ſucceſſionem, nec ullius honoris uel reuerentiæ exhibitionē

bitionem. prorſus enim deſijt libertus eſſe, ut ff. eodem l. ſecunda. Hæc tamen ita ubi libertus per mendacium natalium impetrauerit reſtitutionem, ut ff. eod. lege prima.

QVI AD BONORVM POSSESSIONEM, ET INFRA QVOD TEMPVS ADMITTANTVR. TITVLVS IX.

EXpoſitum eſt ſuprà qualiter ſucceditur libertis, nunc qualiter ingenuis. Et quia ingenuus ſuccedit & iure ciuili & prætorio: & de prætorio pauca dicenda ſunt, primũ de iure prætorio loquamur. Et quia iure prætorio ſucceditur per bonorum poſſeſſionem, audiamus de bonoꝝ poſſeſſ. Videamus itaq; quomodo hic accipiatur hæc duo uerba: bona, & poſſeſſio, & quis poſſit petere bonorum poſſeſſionem, & cuius, qualiter diſtinguatur bonorũ poſſeſſio, ex quib. cauſis introducatur, unde tempus incipiat cedere, & quantum tempus bonoꝝ poſſeſſioni petendæ legibus ſit præſtitutum. Bona enim hic intelliguntur etiam quæ nõ beant, ſed incõmodum habent, etiam ſiue ſint in corpore, ſiue ſint in iure. poſſeſſionis nomen ponitur hic in deſignatione non facti ſed iuris: ut nihil ſit aliud, eſſe bonorum poſſeſſorem, quàm iure prætorio rerum hæreditariarum petitorem. Prætor enim neminem facit hæredem, quia non poteſt: ſic nec ſenatus uſumfructũ conſtituit, ſed facit pro hæredem, id eſt loco hæredis bonorum poſſeſſorem conſtituit. Eſt aũt bonorũ poſſeſſio ius petendi patrimonij, retinendiq; uel rei quæ fuerit cuiuſcunq; cum moritur. petere poteſt bonorum poſſeſſionem quis per ſe & per alium, ut per ſeruum procuratorem: licet nõ hæreditatẽ. Sed & ſi quis petierit nomine Titij, et Titius poſtea inueniatur furioſus, petitio ualet: rati enim habitio ad prioris poſtulati confirmationem pertinet, ut ff. eod. l. ult. CVIVS? & patris & filijfamiliâs, dũmodo ius reſtãdi habuit uel in caſtrenſibus. Non aũt niſi pro tribunali peti debet. & inuito non quæritur. et per procuratorem quæritur, ſed non repudiatur. per prætorem quoq; pupillo quæritur ut C. eo. l. bonorum. Et in bonorũ poſſeſſione eſt ius accreſcendi, & locus ſucceſſorio edicto, quo quis ſibi ſuccedit. Item bonorũ poſſeſſio quali quali uoluntate declarata acquiritur: ſublata in hac quoq; petitione uerborum ſolennitate, ut C. eo. l. ult. Bonorum poſſeſſio, alia ordinaria, alia extraordinaria, ut ea quæ datur his qui ex legibus nouis ueniunt, ut in ff. eod. Item hæc bonorum poſſeſſio, alia dirrcta, alia (ut ita dixerim) utilis. Item ordinaria bonorũ poſſeſſio, alia datur ſecundum uoluntatem, alia contra uoluntatem: alia neq; ſecundũ uoluntatem, neq; contra uoluntatem. Secundum uoluntatem datur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas. Contra uoluntatem datur bonorum poſſeſſio contra tabulas. At illæ, id eſt quæ ſunt ab inteſtato, neq; ſunt ſecundũ uoluntatem, neq; contra uoluntatem. Introducta eſt bonorum poſſeſſio alia gratia cõfirmandi ueteris iuris, ut bonorum poſſeſſio ſecundũ tabulas: alia gratia emendandi, ut unde liberi: alia gratia impugnandi, ut contra tabulas ex teſtamento. Secundum uoluntatem ſunt duæ, ſecundum tabulas, & contra tabulas ab inteſtato: ſublatis alijs quatuor, unde liberi, unde legitimi, unde cognati, unde uir, unde uxor. Cedit tempus, ex quo quis ſciuit, & ſe uocatum, & hominem defunctum, ut ff. eodem. l. iij. liberis & parentibus non artandis nimium. In honorem ſanguinis annus utilis proditus eſt, cæteris ſpacium centum dierum utilium præfixum eſt ut Inſtitutio. eodem.

QVANDO NON PETENTIVM PARTES PETENtibus adcreſcant. Tit. x.

ET quia ſæpe contingit ex pluribus qui petere poterant bonorum poſſeſſionem alios petere, alios minimè, & non petentiū partes parentibus adcreſcere, audiamus quando non petentium partes petentibus adcreſcant. Et quidem adcreſcunt ubi qui petere poterant, nō petunt: uel quia nolunt repudiando, uel quia aliàs nō poſſunt, tempore puta morteúe excluſi, ut ff. de bono. poſſeſſ. l. iiij. ſed ſecus eſt, ut C. de ſucceſſo. edict. l. j. Nam & ubi quis non petijt, uel ab alio ſibi petitam ratam non habuit, & ſic obijt, ad hæredem bonorum poſſeſſio non tranſit licet uideatur contra Inſtitut. de Orphiciano ſenatuſcon. Ita demum eſt actio, ſi in eodem ſint gradu, & ex eodem capite uocentur. Nam ſi ex diuerſo ceſſat adcretio, puta hærede ſcripto extraneo, à liberto patrono præterito nō petente: nō tamen niſi unius & certæ partis patrono competere bonorum poſſeſſionem, ut ff. de bonorum poſſeſſ. l. ſed cū. Sed ita demum petenti bonorum poſſeſſionem adcretio competit: ſi incertum ſit petijt alter, uel nō. quia poſteriori aliâs dies non cedit, ut ff. de bono. poſſeſſ. ſi plures.

DE BONORVM POSSESSIONE SECVNDVM TABV. TIT. XI.

DIximus de bonorum poſſeſſionibus in genere, nunc dicamus per ſingulas ſpecies, & quia digniores ſunt quæ dantur ſecūdum uoluntatem: uel quæ competunt ex teſtamento quàm quæ dantur contra uoluntatem, uel cōpetunt, primum de his agamus, quæ cōpetunt ex teſtamento. Et quia hæ ſunt duæ ſecundum tabulas & cōtra tabu. & ſecundum tabulas dignior eſt, ꝗ contra tabulas, uideamus primū de bonorum poſſeſſione ſecundū tabulas. Videamus quibus detur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas & quando, id eſt ſecundum quas tabulas. Bonorum poſſeſſio hæc datur hæredibus inſtitutis utiliter, etiam poſthumis, ut ff. eod. l. hi. Inſtitutis duntaxat iure, ut Inſtitut. eo. Nam ſi ius hæreditatem capi prohibet, & bonorū poſſeſſio ceſſat, ut ff. de bonorum poſſeſſ. l. nō. Datur autem Inſtitutis per ſcripturam, & purè et ſub cōditione: hocq; etiam poſt conditionis defectum interdum prætor tuebitur, ut ff. eod. l. ſi ſub. Datur quoq; domino ſeruo inſtituto. ambulat enim cum domino bonoꝝ poſſeſſio, ut ff. eo. l. ij. § penult. Datur & ſecūdo inſtitutis ſubſtitutis, & his qui ſubſtituti ſunt ſubſtitutis: ſed gradatim, id eſt prioribus deficientibus, ut ff. eod. l. ij. § defertur. Datur aūt ex tabulis ſupremis, ligneis, lapideis, æneis, eboreis, chartis, membranis: literis duntaxat ſcriptis, nō notis quæ nō ſunt literæ, ut ff. de bono. poſſeſſione l. ſi bonorum poſſeſſio datur. Datur, ſi is qui fecit tabulas teſtari potuit, utroq; tempore, & quo fecit & quo moritur. ergo impubes filius, uel filiusfam. qui credidit ſe patremfam. teſtatus fuit: & poſtea factus eius ſtatus deceſſerit, quāuis teſtari poſſit nō tamē eius bonorū poſſeſſio peti poterit, ut ff. eo. l. j. Excipitur niſi cum antea in tabulis fecit & factionem teſtamenti habuerit poſtea furore uel interdictione amiſit ut ff. eod. l. j. Sed & ut hæc bonorum poſſeſſio competat, hæc oportet cōcurrere, id eſt ut tabulæ ſint ſupremæ, id eſt poſt quas nullæ ſint compoſitæ: & ut ſint ſignatæ, & manſerint ſignatæ, id eſt non fuerint reſignatæ per teſtatorem aliumúe teſtatoris uoluntate. Nam ſi fuerunt reſignatæ ſine teſtatoris uoluntate, ab aliquo uel à pluribus, non oberit, ut ff. eod: l. j. Signatæ ſeptem teſtium ſignis. Quippe etiamſi plures ſignauerint, ſeptem tamen ſufficiunt, ſi appareant ut ff. eod. l. cum. Porrò ex æquitate etiamſi tabulæ nunc

non

non extent, ſemel tamen extiterint poſt teſtatoris mortem ſatis eſt, etiamſi poſtea interciderint, ut ff. cod. l. j. Illud notandum eſt, quòd hæc bonorum poſſeſſio ex abundanti datur etiam ſuis qui iure centumuirali ueniunt, ſi fuerint inſtituti, ſubſtitutiúe. Illud notandum eſt, quòd patris tabulas, licet nō pupillares, ſufficit eſſe ſignatas, ut ff. cod. l. ut. Item notandum, quòd ſi de tabulis referatur quæſtio, per ſeptem oportet probari: reprobata eorū ſententia qui ex hoc loco C. ſumunt & dicunt, per duos probari poſſe. profectò hæc opinio eſt, et nō ſententia. Nempe fruſtra fuiſſet ſtatutum, foretq; ridiculum dicere teſtamentū vij. teſtes exigere, ſi nunquam eſſet opus inducere.

DE BONORVM POSSESSIONE CONTRA TABVLAS, quam prætor liberis pollicetur. Tit. xij.

Vidimus de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, nunc audiamus de bonorum poſſeſſ. contra tabulas. Hæc ex teſtamento datur, licet & contra teſtamentum nititur, quia occaſione teſtamenti oritur. Exponamus itaq; quibus detur, & quando detur, & quando ceſſet. datur liberis duntaxat, ſi ſunt naturales & legitimi: ſed & legitimis tantum, id eſt adoptiuis. Datur & ab hoſtibus reuerſis, datur reſtitutis, datur naſcituris, id eſt poſthumis, & ſuis, & emācipatis: & his qui habentur pro emancipatis, id eſt qui aliàs exierunt de poteſtate, ut ff. eod. l. j. Datur inquam præteritis, non inſtitutis etiam ſub conditione: niſi poſt defectum conditionis, ut ff. eo. l. iij. § penult. Competit autem illis ſolis liberis, qui iure inſtitui poterant, ut ff. cod. l. iij. Competit etiam exhæredatis nō ritè uel ſub conditione: ij enim quaſi præteriti ſunt, & liberi certo iudicio exhæredari debent, ut ff. eod. l. ſi poſt. § iij. & l. ſub conditione. Ceſſat hæc bonorum poſſeſſio contra teſtamentum fœminarum, quia fœminæ ſuos hæredes nō habent, ut ff. eod. l. illud. Ceſſat quoq; in eo qui inſtitutus eſt: niſi cauſaliter, ut dictū eſt. Ceſſat & bonorum poſſeſſio contra tabulas ubi præteriti filij ſeruus fuerit inſtitutus, uel factus legatarius: dominus quoq; legatum elegerit, uel ſeruum inſtitutum adire hæreditatem iuſſerit, ut ff. eod. l. iij. § ult. Item ei qui cōtra tabulas bonorum poſſeſſionem accipit, legatorum & fideicommiſſorum, cauſa mortis donatorum, & retentio & petitio denegatur, ut ff. cod. ſub conditione. Quid ergo liberi hi rumpentes teſtamenta, nunquid dabunt à ſcriptis hæredibus legata relicta? dabunt utiq; iure ueteri, ſed relicta ſolis parentibus, & liberis, tutoribus et curatoribus: ſed his duntaxat dotis nomine, etiam ſi quid amplius ſit in relicto, ut ff. de legat. contra tabulas. l. & ſi. Ita tamen ſi dos fuerat data, ut ff. de legat. cōtra tabu. bono. poſſeſſ. l. uirilis. l. ſi quid. Sed ea ſola legata præſtantur ab his qui accipiunt contra tabulas, quæ utiliter relicta ſunt, ut ff. de legat. cōtra tabu. l. iij. §. ult. Illis autem liberis legata non præſtabuntur, quibus bonorum poſſeſſionem prætor dedit ex cauſis præſcriptis. Nam ſi præteritus accipit bonorum poſſeſſionem, legatum non habebit: & econtrà. Conſtituere ergo debet apud ſe præteritus, & deliberare utrum perſequatur, ut ff. de legat. contra tabu. l. v. § ij. Hoc autem ſolum legatum liberis & parentibus relictū præſtatur à præteritis, quod ipſis parentibus & liberis principaliter, id eſt eorū perſonis relictum eſt: non ſi eorum ſeruis licet per illos ſeruos ad liberos parentesúe debeat peruenire. hoc enim caſu non de lucro, ſed de onere contenditur, ut ff. de legat. contra tabu. l. iij. Illud notandum eſt, quòd ſi dolo etiam ſcripti hæredis legatarius petierit contra emancipatum præteritum bonorum poſſeſſionem per contra tabulas ſibi indultam, legatario utilis actio dabitur, quia prætoris propoſitum eſt ſine iniuria cæterarum perſonarum bonorū poſſeſſionem teſtamenti dare, ut ff.

cod.l.ſi emancipatus. Illud quoq; ſciendum eſt, quòd hodie ex cauſa exhæredationis & præteritionis nullum eſt teſtamentum: nec ergo rumpendum. & hodie omnia legata utiliter tamen, etiam omnibus perſonis præſtanda ſunt.

DE BONORVM POSSESSIONE CONTRA TABVLAS liberti, quæ patronis uel liberis eorum datur. Titulus xiij.

ET quia bonorum poſſeſſio contra tabulas datur patronis, & patronorum liberis, præteritis, uel non rectè exhæredatis: qualiter manumiſerit ex coactione, ſponte, gratis, uel non: dummodo inter uiuos factum ſimplex non inter poſuerit, ubi is extraneus pecunia ſibi à ſeruo data ſeruum emerit, & manumiſerit, huic nihil libertus debet niſi ſimplex obſequium. Excipitur quoq; ille patronus qui operas impoſuit electis liberti muneribus & operis: licet non à ſucceſſione ab inteſtatò, à bonorum tamen poſſeſſione, id eſt cōtra tabulas patronus repellitur. & ex hoc liberam teſtamenti factionem creditur acquiſiſſe, ut C. de oper. l. iiij. C. eod. l. ij. Differt hæc contra tabulas, quæ datur patronis & eorum liberis, ab ea quæ datur liberis: quia ea quæ datur liberis, datur etiā ubi nullus eſt hæres, ſed in patrono contrà, ut ff. eod. l. illud.

VNDE LIBERI. TITVLVS XIIII.

DIximus ſuprà de bonorum poſſeſſione ex teſtamento, nunc audiamus de bonorum poſſeſſione ab inteſtatò. hæ ſunt quatuor, unde liberi, unde legitimi, unde cognati, unde uir & uxor. Erant olim aliæ quatuor, unde decem perſonæ, unde patroni & patronæ, & eorum liberi & parentes, unde cognati manumiſſoris, et tanquam ex familia. porrò exoleuerūt ut in Inſtitut. de bonorum poſſeſſione. Et quia prima eſt cauſa liberorum, ita in ſucceſſione prætoria, ſicut in legitima: audiamus primum de bonorum poſſeſſione unde liberi, per quam liberi uocantur. Videamus itaq; quando detur unde liberi, & quibus detur, ubi paterfamiliâs deceſſit inteſtatus, uel ſi eius deſit teſtamentum: puta ſcriptus nō petijt ſecundum tabulas, præteritus contrà tabulas, aut alia tempora petendæ bonorum poſſeſſionis non largiantur: uel ſi teſtamentaria repudiatur ſucceſſio. repudiata enim bonorum poſſeſſione ex teſtamento conſequens eſt, ut ab inteſtato petitio fiat, ut ff. eod. l. j. Idem ſi inſtitutus teſtatoris uoluntatem nō habet aut quia teſtator tabulas ſcidit, uel cancellauit, uel aliâs uoluntatem mutauit, ut ff. eod. l. j. Datur autem ita demum ſi certum ſit tabulas nō extare, uel ex his petitionem non fieri nec poſſe fieri. Datur liberis natis, poſthumis quoq;: dummodo portentur in eius uentre quæ uxor eſſe poteſt, ſuis, emancipatis: non tantum ſi ſteterint in emancipatione, ſed etiam ſi pater poſtea adoptauit & remancipauerit, ut ff. eodem. l. liberi. Datur quoq; adoptiuis, ſi tamen manſerint in adoptione, ut ff. eo. l. j. § ij. Et notandum eſt, quòd turbato mortis ordine utilis bonorum poſſeſſio unde liberi, id eſt unde parentes dabitur bonorum poſſeſſio liberorum parentibus. Sed parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit, liberos naturæ ſimul & parentum commune uotum. omnia enim noſtra ex uoto liberis noſtris parans, ut ff. eodem de bonis lib. lege penultima, & ff. eodem l. ſcripto.

VNDE

VNDE LEGITIMI, ET VNDE COGNATI. TITVLVS XV.

SEquitur ut dicamus unde legitimi, id eſt agnati. datur ſecunda ab inteſtato bonorum poſſeſſio agnatis proximis, ubi liberi non ſunt, uel ſi ſunt repudiauerint omnino, ut ff. eod. l. ij. quia nec quaſi liberi ſuccedere, nec quaſi legitimi uolunt. quippe in ſequenti bonorum poſſeſſione ſibijpſis ſuccedere poſſunt, ut ff. eod. l. ij. Eſtq; bonorum poſſeſſio competens maſculis, fœminis, ingenuis, & libertis: ita tamen cōpetit hæc bonorum poſſeſſio, ſi certum ſit patremfamiliās fuiſſe illum, qui obijt. Nam quamdiu hæc certitudo fuerit, & bonorum poſſeſſio, ceſſabit petitio, ut ff. eod. l. ij. § iij. Datur autem hæc bonorum poſſeſſio illis ſolis, qui abinteſtatò poſſunt ſuccedere, uel per legem, uel per Senatuſconſultum, ut matres, filij. In ſumma ſciendum eſt, quòd quamdiu ſpes eſt, aliquem ſuū hæredem defuncto poſſe exiſtere, legitimus nec iure prætorio ſuccedet: puta ſi defuncti uxor prægnans ſit, uel filius apud hoſtes, ut ff. eod. l. penult.

VNDE COGNATI. TIT. XVI.

VIdimus de unde liberi & unde legitimi, uideamus de unde cognati. Hæc bonorū poſſeſſio nudam habet indulgentiam. datur cognatis, qui nō ſunt agnati: ſed & agnatis ſi ſint capite minuti, niſi ſint fratres qui & capite minuti perſeuerant agnati. Complectitur cognatos uſq; ad ſextum gradū & à ſeptimo natum à ſobrino ſobrinaúe. Datur nato, naſcituro, ita tamē, ſi uiuo eo de cuius bonis agitur, fuit conceptus. Nam ſi poſt mortē, non uocabitur: quia uiuo eo non dum erat animalis, ut ff. eo. l. j. Datur autem proximo. Et proximus dicitur qui ſolus eſt cōtra idioma ſermonis. Datur quoq; ſectis de uentre. Datur quoq; ſpurijs inter ſe: forte & patri concubinario, dabitur in bonis filij ſpurijs: & econtrà Admittuntur autem cognati gradatim, ut ſi fuerint in gradu primo, omnes ſimul admittantur etiam ſi fuerint multi.

DE SVCCESSORIO EDICTO. TIT. XVII.

QVia in bonorum poſſeſſionibus, de quibus dictū eſt, locus eſt ſucceſſorio edicto: quo & alter alteri ſuccedit, & quis ſibijpſi, dicamus de ſucceſſorio edicto. Hoc edictum ideo propoſitum fuit, ne bona uacua ſine domino forent, & ne mora longa creditoribus fieret. uel ut abeant creditores quem conueniant uel hærede ceſſante creditoris miſſi in poſſeſſionem bona legitimè diſtrahant. Et certe priore ceſſante ſequens uenit: niſi prior excluſus tempore uel repudiatione, ipſe ſibi uelit ſuccedere. Nam filius anno repudiatione excluſus ab unde liberi, habebit unde legitimi. Item excluſus ab unde legitimi, habebit tertio anno ſi uolet utili unde cognati. Item in bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas dici poteſt, quòd ſi is non petierit bonorum poſſeſſionem ſecūdum tabulas, qui ab inteſtato potuit ſuccedere, ipſe ſibi ſuccedit, ut ff. eod. l. j. intra annum uenit filius & parens, non ſolum ſuo nomine, ſed ſi eorum ſeruus inſtitutus fuerit. Illud notandum eſt, quòd ſimplex cognatus, id eſt qui ſic cognatus eſt quòd non eſt agnatus edicti ſucceſſorij beneficium non habet, ut ff. eod. l. ult. hoc ideo forte quia pòſt cognatos nullus ſuccedit: niſi uir & uxor per bonorū poſſeſſionem unde uir & uxor, & fiſcus poſtea.

DE CARBONIANO EDICTO. TIT. XVIII.

DIximus de bonorum poſſeſſionibus ordinarijs ex teſtamento, deq; ordinarijs ab inteſtato: reſtat ut dicamus de quatuor unde uir & uxor, ſed quia ſuccedentibus ſiue iure ciuili, ſiue iure prætorio, & ex teſtamento & ab inteſtato, aliquando datur Carboniana bonoꝝ poſſeſſio, agamus de Carboniano edicto. Videamus itaq; unde dicatur Carboniana, quis moueat cõtrouerſiam cum bonoꝝ poſſeſſio Carboniana decernitur, cui det, qualiter mouetur cũ datur bonorum poſſeſſio iſta, quando detur, quæ ſit differentia inter hanc & aliâs. Dicta eſt Carboniana à Carbone autore, qui introduxit eã. Mouet̃ cõtrouerſia aliâs à patre, aliâs à fratre, aliâs ab extraneo impuberi duntaxat. mouetur quoq; quæſtio ſtatus, & bonorum cũ datur bonoꝝ poſſeſſio. Mouetur quæſtio interdũ ut dicatur unum fuiſſe ex liberis, interdũ alterius hominis filius, interdũ quoq; ſeruus defuncti. Nam magis conſulendũ eſt his, quibus periculum maius intenditur: ſi enim aliter obſeruaretur inuenta erit ratio, quemadmodum audaciſſimus quiſq; maiore iniuria impuberem adficiat. quod & plura & grauiora de impubere menciatur. Item & ſi fiſcus quæſtionẽ mouet Carboniana decernitur. Sed & ſi teſtamento filium negauerit dummodo exhæredem nõ fecerit, ut ff. co l. j. Interdum quoq; cũ filius ſcriptus, puta poſthumus eſt, negeturq; ex defuncto natus, ſed ſi dicatur ſubiectus locũ habet Carbonianũ edictũ, ut ff. eod. l. j. Datur impuberi cui quæſtio mouetur gemina & ſtatus & bonoꝝ, differturq; poſt pubertatem. Si de ſtatu tantum moueatur quæſtio, ex Conſtitutionibus, nõ ex edicto Carboniano in tempus pubertatis differtur. niſi forte illico eam terminari pupillo expediat, puta propter argumenta, quæ tũc pro pupillo ſunt in promptu de facili peritura. Datur Carboniana ex teſtamento regulariter, ut contra tabulas. decernitur bonorum poſſeſſio caſualiter quoq; ubi ſecundum tabulas, quin ab inteſtato competat nemo dubitat, ut ff. eod. l. iij. § j. Datur ergo cauſa cognita, & ita, ſi euidens ratio faciat pro impubere. Sed & ſi ratio faciat uel modicè pro puero. Denegabitur autem ſi euidens ratio ſit cõtra puerum: ſicq; tunc ceſſabit Carbonianum edictũ. ſed & tunc ceſſabit cũ filius exhæres ſcriptus eſt, hæresúe: ſaluo caſu de poſthumo, quem ſuperius poſui. Notandum quia cauſę cognitio in duobus uertit̃, id eſt Carboniana poſſeſſio data ſit, uel non: & quod ſæpius fit cum cauſa debet fieri, aut illico fieri, ſi expediat pupillo. quod utiq; faciendum eſt: ne quod fauore pupillorum ſit proditum, ad eorum retorqueatur incõmodum. His autem opus eſt ut detur Carbonianum, ut ſit impubes cui moueatur quæſtio gemina. Eſt duplex bonorum poſſeſſio una ordinaria primũ uel ex teſtamento unde liberi: quæ etiam exhæredato datur, ut ſi filius nõ contra tabulas petit, ſed ab inteſtato unde liberi: quia neget patris tabulas tales eſſe, ut ſecundũ eas dari bonorum poſſeſſio potuit, ut ff. eod. l. ſcriptus. Miſſus aũt in poſſeſſionem puer nec incõmoda ſentiet: aletur interdũ rebus alienis. hoc tamen ita, ſi natus ſit ex matrimonio indubitato partu legitimè cuſtodito, ut C. eod. l. ult. Satius enim eſt pupillum alienis ali, quàm fame necari, ut ff. eo. l. ſed &. item & alias ſcilicet neceſſarias impenſas, puta in ſtudia puer diminuet, ut ff. eod. l. de bonis. Sed & illud cômodum habebit puer miſſus in poſſeſſionẽ, quia poſt pubertatẽ poſſeſſionis munere fruetur: hoc ita ſi ante cauit, uel nunc uelit. Cæteꝝ ſi neq; cauit, neq; nũc cauere uelit, aufertur pupillo bonoꝝ poſſeſſio, & dabitur aduerſario ſatis offerenti, ut ff. eo. l. de bonis. § ult. Erit aũt puer in poſſeſſionẽ, aliâs ſolus, ut ſi cauit: aliâs, id eſt ſi non cauit cũ alijs poſſidebit: hoc inquam ex ordine. Porrò caſualiter etiamſi cauerit etiam cum alijs, puta cum fratribus poſſidebit, ut ff. eod. Sed quid ſi neuter ſatiſdet, curator conſtituetur qui

bona

bona adminiſtrabit: hocq; in caſu in ſimul ambo poſſidebunt, ut ff. eod. l. ſed & ſi. Item ſi ſatiſdedit pupillus, hæc bonorum poſſeſſio ad res perſequendas, & ad debita exigenda, non tamen ad poſſeſſionem adipiſcendam proderit, ut ff. eo. l. penult. In ſumma illud notandum, quòd licet fuerit hæc bonorum poſſeſſio decreta, nondum tamen fuit rerum poſſeſſio impuberi data: & interim impubes pubuerit, de eo quod à poſſeſſore petet, puero probatio incumbet, ut ff. eod. l. antepenult. Differt hæc bonorum poſſeſſio à cæteris, quia illæ ordinariæ ſunt, hæc eſt extraordinaria. Item cæteræ ſunt iuris, hæc eſt facti. Item, poſt tempus cedunt, ex quo petitor ſcierit defunctum: Carbonianum ex tempore ex quo controuerſiam ſibi fieri cognouit, ut ff. eo. l. iij. §. penult.

VNDE VIR ET VXOR. TIT. XIX.

Diximus de cæteris bonorum poſſeſſionibus, nunc audiamus de bonorum poſſeſſione unde uir & uxor. ut hæc bonorum poſſeſſio peti poſſit oportet ut matrimonium interceſſerit uel de facto, uel de iure. Cæterum ſi iniuſtum fuerit, nec bonorum poſſeſſio peti nec aliquid capi poterit, ut ff. eod. l. ſed & ut autem hæc bonorum poſſeſſio locum habeat oportet ut mortis tempore matrimonium conſtiterit, & uel nullum diuortium interceſſerit, uel non iure. Tunc enim quantum ad ſucceſſionem intelligitur durare matrimonium, ut ff. eo. licet mero iure inſpecto non poſſumus negare eſſe diuortium, puta ſi liberta inuito patrono ab eo diſceſſerit, ut ff. de repudijs. Datur autem bonorum poſſeſſio defuncti uiri uxori deficientibus aſcendentibus, deſcendentibus, collateralibus: præterea fructus occupat, etiamſi in ciuitatibus quibuſcunq; quiuis ita ſine ſucceſſione obierit, ut C. de bonis uacantibus l. j. aliudq; collegium licitum fiſco præfertur. ita tamen uxor uiro ſuccedet, niſi mortuo marito infra annum nupſerit. tunc enim uiro uſq; ad gradum tertium cum ſuis conſanguineis ex teſtamento uel ab inteſtato ſuccedere poterit. Præterea marito mortuo locupletiori uxor ſuperſtes laborans inopia dote præſtita cum liberis etiam ſuccedet in quartam, ſi tres fuerint, uel pauciores: ſi plures uiriliter capient. liberis quoq; ſeruabit proprietatem, ſi fuerint, ſi non potietur etiam dominio, imputabiturq; legatum in talem portionem, ut authen. de exhiben. reis §. quoniam & ut liceat matri & auiæ. §. quia uero lege: multo fortius ſuccedet uxor uiro ſi non reliquerit uiro liberos, ſed patrem matrem, ſed nec hos, ſed duntaxat conſanguineos. In ſumma ſciendum eſt, quòd ſi in duobus imperialis liberalitatis ſocijs unus ſine hærede deceſſerit, in id donatum non uxor, ſed ſocius ſuccedet, ut C. li. x. ſi liberalitatis Imperialis ſocius ſine hærede deceſſerit.

DE REPVDIANDA BONORVM POSSESSIONE. TIT. XX.

Vidimus de bonorum poſſeſſione admittenda, nunc loquamur de ea repudianda. & quidem poſſeſſionem is ritè repudiat cui delata fuerit: licet non ſolus non omnis. Quippe filio delata in fraudem filij, pater non recte repudiat nec patri delata uiuente patre filius: nec pupillo delatam tutor ualet repudiare, licet adquirere. Porrò ab eo tamen impubere, cui delata fuerit, recte repudiatur: uerum antequam ſit admiſſa. ſicut enim repudiata non poteſt aduocari, ſic nec admiſſa ad inſtar hæreditatis poteſt repudiari: hoc ita, niſi iure ætatis quis admiſſam repudiet, repudiatamue aduocet, eo ſaluo quoq; quod diximus ſuprà,

quia ſiquis primam bonorum poſſeſſionem ſibi competentem repudiauerit, unde liberi, poſtea petere poterit, unde legitimi: & ſi unde legitimi, poſtea unde cognati.

DE COLLATIONIBVS. TIT. XXI.

EXpoſuimus ſuprà qualiter ſuccedatur iuræ prætorio, nunc uidendum eſt qualiter iure ciuili. Sed quia & illi qui ſuccedunt iure prætorio, de quo dictum eſt, & illi qui ſuccedunt iure ciuili, de quo dicendum, quandoq; conferunt de collationibus agamus. uel aliâs uidimus ſuprà quemadmodum emancipati, quos ius ciuile non cognouit per prætorem uocantur cum ſuis, id eſt, uidimus qualiter honorentur, & quomodo ſucceſſores efficiuntur, nunc uideamus qualiter conferendo grauentur: & inde occaſione ſumpta de omnibus collationibus dicamus. Aequum quippe fuit ut cum emancipati appetunt paterna ergo ſibi, id eſt, iure ciuili non debita in medium conferant poſtea, ut ff. eo. l. j. §. j. Videamus itaq; quid ſit collatio, unde dicatur, quis conferat, & quis non, cui, quæ olim conferebantur, & quæ hodie, quando, & qualiter fiat collatio, in qua ſucceſſione, quo iure, & quæ ſit pœna non conferendi. Collatio eſt ius quo res quondam hæreditaria, nunc non hæreditaria, fiet hæreditaria, id eſt, redigitur, incontinenti ut diuidatur. Dicta eſt collatio quaſi in commune latio. Nam quod antea erat proprium adducitur in medium, id eſt, communi ſubijcitur. Conferunt emancipati ſuis, etiam non ſuis, nec emancipatis, ſed his ultimis tantum profecticia, id eſt, quæ à patre eis obuenerant. Conferunt ſui ſuis. Sanè emancipati non conferunt emancipatis, nec ſui emancipatis. hoc iure ueteri ſed hodie omnes liberi conferunt omnibus liberis, etiam adoptiui, ab hoſtibus reuerſi: licet moriente parente, de cuius bonis agitur nihil habuerint, & ff. eodem l. j. §. j. Olim conferebantur ab emancipatis relicta, & omnia peculia: niſi caſtrenſia, & quaſi, dignitatis nomine pro filio à parente data: ſed & adhuc pro unius filij dignitate debita à patre de communi detrahantur. Item quarta arrogato debita, ſi arrogatus uelit ſuccedere cum fratribus, naturali patri erat conferenda. Item peculium caſtrenſe quod pater ſuccedens filio habebat conferebatur, & quia mortuo filio deſinit eſſe peculium, & quia non nunc adquiritur ſed non admittitur, ut ff. eo. l. j. §. ſi is. Item ſibi ex contractu debitum purè & ſub conditione emancipatus ueteri iure debet conferre, ſed & à ſe debitum ſub conditione. Verum emancipato hoc caſu filius debet cauere conferre pro ea parte, quam contulit exiſtente conditione illum defendet. Item ſi forte propter inopiam cauere emancipatus non poſſit, non ab eo transferenda eſt poſſeſſio, ſed ſuſtinenda donec poſſit inuenire fideiuſſores: ut tamen de his quæ ſeruando non ſeruantur ſuo hæredi & diſtractio & actio detur, caueatq; ſuus emancipato ſe in medio collaturum, ſi poſtea ab emancipato fuerit cautum, ut ff. eo. l. ij. §. ult. Item emancipatus impuberi cui controuerſiam facit, conferet: ſed & ei cauere debet ſuus. quod ſi fuerit uictus, ſibi collata, emancipato reſtituet, ut ff. eo. l. iij. §. ij. Illud notandum eſt, quòd iure etiam ueteri emancipatus actionem furti licet conferebat, nō tamen actionem iniuriarum, ut ff. eo. l. ij. §. emancipatus. Hoc quoq; ſciendum eſt, quòd collationis ſtipulatio tunc committitur cum interpellatus cum aliquo ſpacio quo conferri potuit nō facit, quia boni uiri arbitratu collatio facienda eſt Siue igitur in totum collatio facta eſt, ſiue in partum, tantum committitur ſtipulatio: & ſiue quis non cōferat, ſiue dolo fecit quo minus conferat, quanti ea res erit, in tantam pecuniam actione ex ſtipulatu, qui cauit condemnabitur ut ff. eo. l. ſiquis §. ult. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi emancipatus dum liberat contu-

lit,& poſtea bonorum poſſeſſionem omiſerit, ſi tantum cauit contra fratrem agentem ipſo iure tutus erit, ſi dederit condicet, ut ff. eo. l. iij. Porrò hodie non conferuntur: niſi ea quæ parentibus & filijs data filiorum morte parentum ſint facta, id eſt, ea ſola quæ quondam fuerunt paterna. ergo hæreditaria; modo ſint filiorum, non hæreditaria. ergo relicta non conferuntur, nec peculia etiam profecticia conferuntur. ſed quia ſunt omnia aduenticia. Quando ergo ſola ea quæ fuerunt parentum; id eſt, dotes & propter nuptias donationes abſceſſerunt à bonis dantium, etiam ſimplices donationes propriè conferuntur, id eſt, cum ſint ſingulorum deducuntur in medium. Tunc tantum fit ab emancipato collatio; quoties is qui in poteſtate eſt interuentu emancipati affectus eſt aliquo incommodo. Cæterum ſi non eſt, collatio ceſſabit, puta ſi emancipatus patris iudicium iam meruit, nec quicquam amplius morte patris nanciſcitur quã quod in eum uiuens pater contulit. Idem ſi de legatis paternis tantum accepit, quantum bonorum poſſeſſor contra tabulas occupat, tunc collatio ceſſabit, ut ff. eo. l. j. §. iij. Iubet prætor conferri ut rectè caueatur pignoribus, uel reis, uel ſubita diuiſione: ſi enim conferenda diuidit, non expedit cauerę; niſi aliquid ſit in occulto, in quibus neceſſario facienda eſt cautio. ſed & ſi emancipatus tantum ſuo hæredi remittit, quantum ſuus ex collatione debet habere, contuliſſe uidetur. item ſi nomen paterni debitoris delegauerit, uel quid de ſuo dederit, ut ff. cod. l. j. §. iubet. fit quoq; collatio compenſatione, ut ſi filia cõiugata dotem conſtante matrimonio, ergo nondum reuerſam ſibi compenſet: & catenus minus de hæreditate recipiat; ubi uir eſt ſoluendo. item actionis in bonorum ceſſione fit collatio, ſi uir ſine uicio uxoris conſtante matrimonio fiat non ſoluendo, ut in authen. de æquali dot. §. illud quoq;. Fiebat olim collatio in ſucceſſione ab inteſtato, & in ſucceſſione ex teſtamento: ita demum ſi parens hoc dixit expreſſim uerum hodie etiam in ſucceſſione ex teſtamento locum habet, ſiue teſtator iuſſerit ut fiat, ſiue non dixerit ne fiat. Tunc ſolum ceſſat ubi expreſſim dixit, ne fiat. Ex teſtamento ceſſat ita demum collatio, ſi pater hoc deſignauit expreſſim. hoc intelligo ſiue in ultima uoluntate, ſiue cum inter uiuos dixit, & ne unquam fieret; uel quid ſimile dixerit, & in ea uoluntate deceſſerit. fit autem in authentica collatio dotis, & aliorum datorum: & hoc ita, ſi illa data extent, uel cũ ſint conſumpta ſed dolo malo, perinde habentur ac ſi extarent. Dotis inquit & aliorum datorum. Ergo omnium. Nam cum authentica dicat indiſtinctè & aliorum: neque enim cum authentica diſtinguitur per aliam authenticam, ſtabitur huic authenticæ. Diciturq; omnia data à parente debere conferri. Nam cum dos, quæ ab initio exiuit de bonis, conferatur, cur non & donatio ſimplex, quæ demum poſt mortem exijt, debet conferri etiam donatorum ſimplicium. itaq; in collatione tria iura poſſunt notari. Vetuſtiſſimum, quo donatio ſimplex non conferebatur, ubi teſtator id expreſſim dixit: uetuſtius, ut C. eo. l. penult. quo & in alio caſu conferebatur, id eſt, ſi ex alia parte dos uel donatio foret. Nouiſſimũ quo omnia data, ergo & ſimpliciter donata ſunt (ut ueriſſime reor) conferenda. nec obloquitur hæc donata non reuocata nomen relictorum obtinere, quia non poteſt inferri ſint relicta quæ utiq; non ſunt conferenda. quippe diſtinguitur donatio ſimplex à parente in filium collata, ſilencio duntaxat ſi tradita, id eſt, non reuocata: quo caſu licet uim relicti obtineat cõfertur, nec hoc relictum eſt, licet uim eius habet: an expreſſim fuerit in teſtamento confirmata. quo caſu quia uerè relictum eſt, uel fideicommiſſum, non confertur. Data autem à parente ſiue donata filio conferuntur: ſed ita demum, ſiue donata fuerint filio uelut extraneo, ſiue cogitando de ultimo arbitrio. Hæc enim licet in bonis parentis fuerunt ante teſtatoris mortem, & cum moritur poſt mortem fient filij, cui data ſunt. Confir-

mantur hæ duæ donationes. Sanè ubi pater donat filio in poteſtate conſtituto, uel ubi filio in poteſtate uel in peculium conferendo: illa inquam donatio quia non eſt proprie donatio, non confirmatur: ergo non confertur, ſed æqualiter ut res paterna. Nec obſtat quo minus conferatur donatio ſimplex collata in filium uelut in extraneum, ſiue conferendo in eum ultimum iudicium: quia poſt mortem filij efficitur. Nempe aliàs non confertur, niſi conferentis foret. Sanè filius cui ſimpliciter donatur (ut dictum eſt) olim ſiue uellet etiam in hæreditate parentis ſuccedere, ſiue uellet abſtinere, id omne quod à patre ſibi donatum fuerat, poterat præcipere: imò melius dixerim retinere, ſi tamen alter filius debitum haberet bonorum ſubſidium, ut C. famil. erciſcun. l. filiæ, tunc in iudicio fam. erciſcun. hoc totum percipiebat. Si uero alter filius uel nihil haberet, uel non integrum bonorum ſubſidium, ei cui inofficioſè donatum fuerat famil. erciſ. iudicio detrahendum, ut etiam alter habeat legitimum debitum ſubſidium bonorũ, ut C. de inofficio. donat. l. pater. Licet enim dictum eſt donata filio in poteſtate conſtituto, ſiue ut extraneo, ſiue cogitando de ultimo arbitrio, morte confirmantur, id eſt, filij efficiuntur: tamen & quia ante mortem, & cum parente mortuo in defuncti bonis inueniuntur. ergo hæreditaria ſunt, id eſt, in iudicium familiæ erciſcun. deducuntur: ſed præcipiuntur, aliàs in totum, ut alter filius habeat debitum bonorum ſubſidium: aliàs cum diminutione, ut alter filius illud non habeat. Nec obſtat quod dicitur talem ratihabitionem retro trahi, ut non deducatur in familiæ erciſcundæ iudicium. non enim trahitur quoad dominium, quia id fieri non poteſt, ſed duntaxat quoad cauſam fructuum. Nam & ſi pater miliſes uelit, & dicat, ut id quod donat filio, quem habet in poteſtate, ſtatim fiat ſuum, nihil agitur quo ad præſentem ſtatum, deduciturq́ in familiæ erciſcundæ iudicium. Ita demum fit ſuum, ſi uel expreſſim confirmauit, uel non reuocauit: ſicq́ utpote ſuum proprium factum filius, cui donatum fuit, ſi uelit parenti qui ſibi donauit ſuccedere, poterit & debebit etiam illud conferre in medium. Quanquam dico & dixi, quia ſi uoluerit ab hæreditate abſtinere, quidquid ſibi à patre donatum eſt poterit retinere. Sed nec obloquitur quod dicitur filio donatum uelut extraneo, etiam in iudicium fam. erciſcun. poſſe deduci: & poſtea utpote mortis confirmatione filij illius effici debere, ab eo tamen, ſi uelit ſuccedere, conferri. Nempe licet pater donat filio in poteſtate ſua conſtituto uelut extraneo, id eſt, bene merito, non tamen donat filio emancipato: illico enim fieret ſuum nec ueniret in fam. erciſcundæ iudicium diuidendum, uel præcipiendum. Verũ ab emancipato hoc quoq; ſuis conferendum eſt, cum etiam ſuo id conferatur ſicut eſt ſuperius ſæpiſſime dictum. porrò quod donatum eſt extraneo prorſus, id eſt, non ſuo: ſiue ſuccedat alicui cum eius filijs, ſiue cum alijs extraneis, profectò ille donatarius cohæredibus conferre non cogitur. fit collatio fam. erciſc. iudicio uel condictione ex lege, uel iudicis officio. Pœna non conferencium filiorum donationes propter nuptias, dotes, donationes ſimplices, ea eſt, ut eis non cõferentibus actiones hæreditariæ debeant denegari ut C. eo. l. poſthumo. l. ſi.

DE TESTAMENTO MILITIS. TIT. XXII.

Disservimvs ſuperius de ſucceſſionibus prætoris, nunc audiamus ciuiles, & de illis diſputemus. & quia iure ciuili ſucceditur ex teſtamento, & ab inteſtato ſucceſſio quàm teſtamentaria dignior eſt, de illa primum audiamus. Et quia ſucceſſio teſtamentaria diſponitur in teſtamentis, de teſtamentis loquamur. Et quia teſtamenta fiunt duo

bus mod

buſ modis,ſingulari iure,militari,& communi iure paganorum: conſtatq; quia teſtamenta militum ſunt digniora, de teſtamento militis dicamus. Videamus itaq; unde miles dicatur,quomodo teſtamentum militare conficiatur, quæ iura ſingularia ſortiatur, quæ communia, quo modo deficiat ratione perſonæ,rei, cauſæ, temporis. Miles à malo dictus eſt, quia coercet homines à malo, uel à multitudine,uel à numero mille uel à milicia,id eſt,duricia, quam duriciam pro nobis ſuſtinent. Teſtamentum militis ſola & ſimplici militis uoluntate perficitur,ut ff.eodem l.j.§.miles.Sed diſtinguitur utrum ſint in milicia,uel in expeditione,an in ſuis ædibus.Si ſunt in ſua domo uel alibi iure cõmuni poterunt teſtari.Sed & cum in caſtris agit militariter duobus modis teſtatur. Ecce in bona ualetudine poſitus uel communem numerum teſtium & inter eos patrem poterit adhibere.Nec ullorum magis intererit,quàm militum contrarium non admitti:alioquin non difficulter homines exiſterent poſt mortem militis, qui adfirmarent ſe audiſſe dicentem militem ſermonibus blandis, RELINQVO HVIC BONA MEA, & per hoc iudicia uera ſubuerterentur.quod ne fiat, cum incolumis eſt in caſtris,neceſſe habet teſtari conuocatis adhoc hominibus.ergo ad minus duobus,ut Inſti. eodem. Porrò in prelio conſtitutus lanceaq; forte transfixus,adeo ut uitæ ſortem derelinquat, quomodolibet teſtatus in puluere uel in uagina mucronis, uel in margine,clypeo rutilante ſanguine literis,notisúe, & nullo teſte conuocato ritè dicitur teſtatus. Hoc tamen ita,ſi infra uoluntatem illam non mutatam obijt. Et ita ſi conſtat quod ſcriptura qualis qualis fuerit defuncti militis.uel ſi in dubium deducatur iure communi,id eſt, per duos duasúe teſtes militis fuiſſe probentur. Ei ſoli militi permittitur militariter teſtari,qui militat.Nam extra caſtra ſi agit in uillis,in balneis,in ruſticorum domibus,in ædibus proprijs,non niſi iure communi teſtabitur,ut C.eo.l.penult. Iam non ei ſoli qui iam electus eſt,ſed in numeros relatus eſt: nec de fide rupta ſacramento militari damnatus eſt, teſtari permittitur ſingulari iure: ſecus ſi de delicto leuiori, id eſt,militari duntaxat fuerit condemnatus,ut ff.eodem l.ex militari delicto & l.antepenult, & C.eodem l. & militibus. Sortitur iura ſingularia multa. Ecce enim ſine legitimo numero teſtari poteſt. Et (ut dictum eſt) inter teſtes pater erit teſtis filio ſi militauerit teſtanti & filius patri, ut in Inſtit.de teſtamen. Item ad tempus poteſt inſtituere & extraneo impuberi ſubſtituere, etiam poſtquam hæres fuerit,ut C.eodem in teſtamentis. Et quoq; pupillariter, id eſt, directò, non tamen uulgariter ſubſtituere. pro parte quoq; ab initio teſtari poteſt, ſed communi iure in parte & in re una,as continetur:ne paganus decedat pro parte teſtatus,& pro parte inteſtatus,ut Inſti.de hære.inſti. Sanè aliquando in militis teſtamento facta inſtitutio, quanquam militum teſtamenta uinculis iuris communis non ſubijciantur;etiam communi iure diſtinguitur. Nam ſi paterfam. miles filiam ex duabus uncijs, uxorem ex uncia ſcripſerit hæredem: nec de reſiduis uncijs quicquam ſignificauerit, in tres partes diuiſiſſe eum hæreditatem apparet,ut duas habeat filia quæ ſextantem accepit, tertiam uxor quæ ex uncia hæres eſt inſtituta,ut C.eodem l.quanquam. Item ſilencium militis iure teſtantis ſingulari ſcientis ſe habere liberos, pro exhæredatione habetur, ut matris, aui materni.Inſtitut.de exhære.libero.§.ult.& C,eodem l. ſicut. Item priuilegiata teſtatio militis non defalcatur, non per querelam expugnatur, non per contra tabulas ſubuertitur. Item ſi miles iure communi cœperit teſtari,non tamen priuilegio renunciauit,poterit adhuc militariter teſtari. Item ſi miles ante militiam fecit teſtamentum,& miles factus, & in expeditione agens,reſignauit illud, & quædam adiecit, uel detraxit:uel aliâs manifeſta eſt militis uoluntas hoc ualere

uolentis, ualebit teſtamentum primum quaſi ex noua militis uoluntate. Porrò non miles id non poſſet, ſed ab initio neceſſe haberet ordiri, ſiquid uellet mutare, uel addere: ſed obſcure dictum poteſt declarare, ut ff. de teſtamen. Deniq; militis capitis diminutione non mutatur teſtamentum: licet pagani, ut in Inſtitut. eodem. Item muti & ſurdi milites, non literati, quandiu militant: etiam ſi nec à Cæſere impetrauerint, teſtari poſſunt. Verum non milites uix permittuntur teſtari niſi fuerint uel literati, uel à principe impetrauerint, ut Inſtitut. eodem, ut ff. de teſtament. l. ſurdus & l. obſides. Item iure ſingulari à milite minore annis xx. directò inutiliter relicta libertas, fauore militis etiam olim intelligebatur fideicommiſſaria. ut C. eod. ſi Rufinus. Item ſi miles non per errorem dixerit, FORTVNATO LIBERTO MEO, DO, LEGO. id eſt, ſeruum ſuum ſciens dixerit: ſic & animum dandæ libertatis habuerit, illi equidem & directa libertas competit, & legatum dabitur: ex pagani teſtamento fiet numerum, ut C. eod. l. ex his. Item miles ita inſtituere poteſt, QVOAD VIVIT TITIVS SEI HAERES ESTO. ut ff. eodem l. miles. Iura communia hæc recipit miles: in hoſtium poteſtate poſitus nec iure militari teſtari poteſt, ut ff. eodem l. facere. Item miles bonorum poſſeſſionem ultra tempora ex edicto determinata, petere non poteſt: quia generalis eſt iſta determinatio, ut ff. eodem in fraudem l. dotalem. Item teſtamentum militis ignominioſe dimiſſi ſtatim deſinit ualere, ut ff. eodem teſtamenta. Item turpem perſonam miles inſtituere non poteſt, ut ff. eod. l. miles §. ij. Deficit teſtamentum militis ratione perſonæ militis teſtantis, ut ſi ſit fide rupta damnatus; ratione hæredis inſtituti ut perſonæ turpis, ratione rei, ut fundi dotalis legati. Ratione cauſæ, ut ſi captatoriè inſtituit. Nempe nec in teſtamento militis captatoriæ inſtitutiones ualent, ut ff. de hæred. inſtut. l. captatorias, & C. eodem captatorias. Deficit ratione temporis, ut ſi militari teſtamento iure ſingulari facto reuerſus miles, etiam infra annum honeſtè deceſſit, ut C. eodem ex teſtamento, & Inſtitut. eodem. Item notandum eſt, quòd filius factus miles (ſicut & paterfam. factus) utroq; iure poterit in caſtrenſibus teſtari. Item miles non poteſt tutorem dare nepotibus recaſuris in poteſtatem ſui patris. Item ad honorem militis etiam unius pœna fit metus multorum ut cæteri milites terreantur. Militem ſe paſſum uenundari cum participio pretij capite detruncari Menander ſtatuit, ut ff. de pœnis l. quædam.

QVI TESTAMENTA FACERE POSSVNT, VEL NON poſſunt. TIT. XXII.

Diximus ſuprà de teſtamentis quæ fiunt iure ſingulari, nunc dicamus de teſtamentis conficiendis iure communi. Sed quia in teſtamentis condendis habetur delectus & inſtituencium, & inſtitutorum, ſiue inſtituendorum: priusq; eſt inſtituere quàm inſtitui, audiamus qui teſtamenta facere non poſſunt: & ſic per conſequenciam ſciemus qui facere poſſunt. Quidam prohibentur teſtari ratione ætatis: etiamſi ſint patresfamiliâs, ut impuberes. Porrò fauore teſtamentorum etiam pridie quàm impleant duodecimum annum fœminæ, quartumdecimum mares: multo magis die ultima & ea nondum impleta, teſtari ritè poſſunt, ut ff. eodem qua. Alij prohibentur propter infamiam quos leges iubent eſſe improbos, inteſtabilesq;, ut lege Iulia repetundarum de crimine famoſi condemnati. Sed & hi, quibus aqua & igni eſt interdictum. prohibentur teſtari deportati, captiui, obſides, prodigi, de ſtatu pagani incerti, plus quàm hæretici, babtiſma-

baptiſmatis iteratores, apoſtatæ. Alij prohibentur propter conditionem ut ſerui, etiamſi deceſſerint in ea uoluntate facti liberi: filij quoq; familiâs de rebus non caſtrenſibus uel quaſi. Sanè de caſtrenſibus poſſunt teſtari, & iure communi, & iure ſingulari: ſed duntaxat quandiu ſunt in expeditione, de rebus quaſi caſtrenſibus teſtantur, alij filijfamiliâs tamen iure communi, ut clerici, ſilentiarij, aduocati. Sanè infirmi corpore, ſani mente, manci, eunuchi, ſpadones, poſſunt teſtari, ut C. eodem eunuchi, ff. eo. qui manus. Item muti & ſurdi non milites, ſiue literati ſunt, ſiue à Cæſare aliâs impetrauerunt. furioſi quoq; poſſunt interuallis dilucidis, ut C. eodem furioſum. Diſtinguuntur autem muti uicia & ſurdi ſint diſcreta, an contracta. Si ſunt contracta & per naturam nihil rectè agunt: ſi ſint contracta per caſum, ſi literas norunt. Siquis ſurdus eſt natura. ſed loquitur, elogium conficiet. Si uero ſurdus ſit tantum caſu, de eo non eſt dubium quin poſſit teſtari. Porrò ſi audit, ſed non loquitur: ſiue id contingit natura, ſiue caſu, ſi nouit ſcribere poterit teſtari, ut C. eodem l. antepenult. Cæci autem caſu uel natura ita teſtantur præſentibus vij. teſtibus & tabulario, id eſt, quolibet ſcriptore etiam ſeruo, ut ff. eodem. l. ſeruus. tamen debent exponere uoluntatem & plenè & legitimè, uel nolint uel non poſſint, cuilibet poſſunt credere uoluntatem ſuam ſcribendam: & in eodem loco collatis teſtibus, cartula à quocunq; ebram teſtatore & teſtibus legatur, ut ubi tenor cartulæ omnibus innotuerit, teſtator profiteatur ſe elogium agnoſcere ſuum, & poſtea etiam ſubſcriptio & ſignator ſequatur vij. teſtium, ſequaturq; octaua tabularum ſubſcriptio. Ergo in teſtamento cæci multa ſunt ſpecialia. primum eſt, quia licet ſit nuncupatiuum, non tamen ualet ſine ſcriptura. Eſt aliud ſpeciale quia ſubſcriptione opus eſt. Eſt & tertium, quia licet ſit ubicunq; per ſcripturam nihil ualebit, niſi teſtibus innotuerit.

DE TESTAMENTIS, ET QVEMADMODVM TESTAMENTA ordinentur. TIT. XXIII.

SVprà audiuimus de teſtamentis quæ fiunt iure ſingulari, nunc de teſtamentis conficiendis iure communi. Vel aliâs, audiuimus ſuprà de teſtantibus, nunc de ipſis teſtamentis, & quemadmodum teſtamēta ordinantur. Videamus itaq; quid ſit teſtamentū, unde dicatur, quibus, & quot uerbis conficiatur, quæ ſint genera teſtandi, quales teſtes, & quot exigantur hodie in teſtamēto, et quot erant olim, & qualiter teſtamentū omne cōficiatur, & qualiter in irritū deducat. Teſtamentū eſt uoluntatis noſtræ ſententia iuſta, de eo quod quis poſt mortem ſuā de bonis ſuis fieri uelit, De eo, id eſt, uniuerſo patrimonio: ut excludatur ſingulare relictū. Nempe & ubi quis quē inſtituit, ex parte, uel ex re certa: nec reliquum alicui aſſignauit, nec aliud diſponere deſtinauit, totū capiet inſtitutus. in parte enim cōtinetur & as. Dictū eſt teſtamentū quandoq; quinq; uerbis, ut his. ESTO MIHI HAERES LVCIVS TITIVS, quandoq; quatuor ex his, quandoq; tribus, quandoq; duobus, quandoq; uno tantum, ut ſi dixerit teſtator, ESTO, ut ff. de hæred. inſtituen. ita tamen ualebit adeo compendioſè confectum teſtamentum, niſi conſtiterit teſtatorem plura diſponere uoluiſſe, ut ff. eod. l. ſi is. fuerunt olim tria genera teſtamentorum unum pacificum, quod calatis comicijs dicebatur, ſecundum bellicum quod procinctum uocabatur: hæc duo prorſus etiam pridem abierunt. Acceſſit poſtea aliud genus, quod dicebatur per æs & libram: quia fiebat per imaginariam uenditionem, quinq; teſtibus, & libripende, ciuibus Romanis præſentibus: eo quoq; præſente, qui emptor erat, factū hoc diu-

tius permanſit, at uero & partim hoc in uſu eſſe deſijt. Porrò, ſicut olim erant tria genera, ſic hodie ius teſtandi per ſcripturam tripertitum eſt quodammodo. Quippe exigitur ſeptem teſtium præſencia, quod ius ciuile uetuſtiſſimum quodammodo exigebat, in eo genere teſtandi quod fiebat per æs & libram. Subſcriptiones adhibentur ex conſtitutionibus, ſignacula imprimuntur ex edicto Prætoris ſeptem teſtes exiguntur in teſtamento conficiendo. Excipitur teſtamentum militis quod ualet duobus teſtibus conuocatis: quinimo nullo teſte adhibito, multo fortius uel uno, ut ſuperius expoſitum eſt. Excipitur quoq; teſtamentum eius cui à principe citra regulas iuris teſtari permittitur, ut C. eodem l. ſi nō Excipitur quoq; teſtamentum eius, qui apud principem teſtatus eſt, vij imò plurium obtinet uicem teſtium, ut C. eodem l. omnium. Excipitur teſtamentum ruſtici, ubi ſeptem teſtes haberi non poſſunt, ſed ſufficiunt quinq;. Sed & tunc, etiam ſi omnes literati non ſint, licet ſcientibus literas pro ignorantibus ſcribere hocq; in caſu oportet illis etiam ſcriptam uoluntatem innotuiſſe. Iuratiq; teſtes hoc poſt mortem teſtatoris deponere debent, ut C. eodem l. ult. Exiguntur autem hi ſoli, cum quibus eſt paſſiua ſignificatione teſtamenti factio: non tamen hi omnes, quia non impuberes, non mutus, non ſurdus, non inteſtabilis, non hæres, non teſtatoris filius (quippe reprobatum eſt domeſticum teſtimonium) non mulier, non hermaphroditus, non furioſus: niſi ſit dilucidis interuallis, non ſeruus. Sanè cum adhibitus quis eſt, ſi liber omnium opinione credebatur, teſtamentum non periclitatur, ut Inſtitut. eod. ergo opus eſt ut teſtes ſint ciues Romani, puberes, mares: non detenti inuiti, ad quod uenerint certiorati: rogati, non fortuiti, ut ff. eodem l. hæredes. Porrò qui teſtamentum ſcripſit teſtis eſſe poterit, ut ff. eodem l. domicius. legatarius quoq; & fideicommiſſarius, ut Inſti. eodem Tutor quoq; datus teſtamento, ut ff. eod. l. qui teſtamento. Conficitur teſtamentum duobus modis, per ſcripturam, & per nuncupationem: & certè ſi quis uelit nuncupatiuè teſtari, ſufficit teſtatori coram ſeptem teſtibus legitimam ſuam declarare uoluntatem ſi tamen inſtituat, nec cæcus ſit. Nempe inſtitutio caput & fundamentum eſt teſtamenti. ergo ſi ſunt omiſſi nullum eſt teſtamenrum. Si legitima proceſſit inſtitutio ratum erit teſtamentum fidei ratione: ſed ſi inſtituit extraneum & præterijt filium, id eſt, nec nominatim inſtituit nec exhæredauit. Olim teſtamentum per bonorum poſſeſſionem contra tabulas ſubuertebatur, ſed hodie ipſo iure: quantum ad extranei inſtitutionem, ſed cæteris permanet firmum ſi tamen ſit legitimè uallatum: ita tamen excuſatur inſtitutor, ſi filius natus uel naſciturus uelit ab inteſtatò hæreditatem auocare, ut ff. de iniuſto teſt. l. filio. In teſtamento per ſcripturam ſimiliter in prædicto modo facto exiguntur inſtituti, & ſeptem teſtes qui fuerant acciti, nullo contrario actu interueniente ſubnotent teſtamentum, ſuo uel alieno anulo habente caracterem præterea ſubſcribere debet quis cuius teſtamentum ſignauerit, ut ff. eodem l. penult. Nec in hoc teſtamento, licet ſecus ſit in nuncupatiuo, regulariter exigitur ut teſtibus innoteſcat defuncti iudiciū. Sanè & ſine omni ſubſcriptione teſtium rectè procedit, ſi parens literas doctus manu propria non ſinguauerit, ſed literarum conſequencia declarat omnia, ut authen. de teſtamentis imperfectis. Porrò inter nō liberos ſubſcriptionibus opus eſt, & teſtatoris & teſtiū, ſed inter liberos licet in prædicto caſu nō exigatur ſubſcriptio ulla nominis, tamē hæredis à teſtatore uel ab alio teſtatoris uice neceſſariò faciēda eſt inſcriptio, ut auth. conſtit. ij. in coll. vij. Quod aūt dixi inter liberos in præfato caſu nulla ſubſcriptiōe opus fore, ita oportet intelligi: ſi parēs perfectum faciat teſtamentū. Nam imperfectū parētis inter quales quales liberos teſtamentū per ſcripturā conditum, ita demū ualebit

ualebit ſi aliquid fuerit uel à parente uel à liberis ſubſcriptum, ut authen. de triente & ſemiſſe. Quod ergo dicitur aliâs uoluntatem defuncti parentis qualem qualem inter liberos ratam eſſe, de nuncupatiua oportet intelligi, deq; legitima prima. Nam ſi uoluntatem perfectam inter extraneos interpoſitam alia uoluntate uelit infringere, quæ non ſit perfecta, non poterit aliter: niſi in priore perfecta non fuerunt ſcripti hæredes, qui ab inteſtato ueniunt, inq; tali parentis deſtructoria uoluntate quinq; iurati teſtes eſſe debent, ut C. eodem l. hac. Porrò inter liberos perfectum teſtamentum non aliâs infringitur uoluntate alia, niſi pater ſeptem teſtibus declaret nolle ſe tale teſtamentum ualere, & aliam prætere a condat uoluntatem perfectam, ut authen. de teſtamentis imperfectis. Ergo teſtamentum inter liberos, non teſtamento imperfecto: nec ſi dixerit ſe nolle ualere primam, etiam inter acta rumpitur: niſi etiam dixerit coram ſeptem teſtibus ſe nolle ualere priorem uoluntatem, & aliam condidit perfectam. aliâs autem qualem qualem parentis uoluntatem inquio eſſe ratam, ſiue ipſe parens qualem qualem uoluntatem uoluit facere: ſiue deſtinauit facere perfectam, ſed non ualuit conſummare. Quod ergo dicitur ubi quis propoſuit perfectè teſtari, nec perfecit, nihil agi, nec iure teſtamenti: licet uoluit, quia non potuit: nec iure codicilli, licet potuit, quia noluit. hoc obtinet inter liberos. Infirmatur ergo teſtamentum quandoq; contrario perfecto, ſed & imperfecto, ut ſuperius expoſitum eſt. Irritum quoq; dicitur ſi teſtator teſtamentum cancellauerit, uel ſaltem linum inciderit, ut C. eodem l. penult. Solo autem eo quod dixit ſe nolle prius ualere teſtamentum, non infirmatur ipſum primum teſtamentum: niſi præterea id dixerit, uel coram tribus teſtibus, uel inter acta, & tertio loco poſtea tranſiuit decennium ante teſtatoris obitum, ut C. eodem ſancimus. Infirmatur quoq; pagani teſtamentum ſi teſtator capite minuatur poſtea, uel ſi adoptauerit aliquem per Imperatorem. Ab initio eſt infirmum uel nullum, ſi uel is qui teſtatus eſt inſtitui non poterat, uel ſi neminem inſtituit, uel aliquem inſtituit: ſed filium naturalem, uel poſthumum præterierit, uel ſi alia ſolennia deſint.

DE HAEREDIBVS INSTITVENDIS, ET QVAE PERſonæ inſtitui non poſſunt. TIT. XXIIII.

Audiuimus ſuprà de his qui inſtituunt, nunc dicamus de his qui inſtituuntur. uel aliter: audiuimus ſuprà de teſtamento, quod eſt quiddam totum integrum, nunc audiamus de eius partibus. & quia ſuprà tractauimus de prima parte, id eſt, de inſtituentibus, adnectamus de hæredibus inſtituendis, & quæ perſonæ hæredes inſtitui poſſunt. Videamus itaq; quid ſit hæredem inſtituere unde dictum ſit inſtitutum, quibus uerbis fiat inſtitutio, & quando inſtitutio ſit facienda. Qui non poſſunt inſtitui, & qui poſſunt inſtitui, & qualiter inſtitutio ſit facienda, & quantum capiat inſtitutus, qualiter inſtitutus conueniatur, & experiatur. Hæredem inſtituere nihil aliud eſt, quàm aliquem ſibi hæredem ſtatuere. Eſt autem dictum inſtituere, quaſi intus, id eſt, in locum ſuum quem ſtatuere. Hoc enim agit qui inſtituit, ut inſtitutus loco ſuo poſt mortem ſuam dominus ſit bonorum ſuorum: ſitq; inſtitutio duntaxat in teſtamento. quippe hæreditas aliâs, nec dari, nec adimi poteſt iure directo, ut C. de teſtament. & C. de pact. con. l. hæreditas. Fit autem inſtitutio duntaxat etiã uerbis imperatiuis, ut ESTO MIHI. uerbis inflexis, ut ſi dicatur, TITIVS SIT, uel HAERES ERIT. uel directis ita, MANDO, VOLO, VT TITIVS HABEAT HAEREDITATEM MEAM, uel bona

ut C.de teſtament.l.quoniam,ut fiat hæres.ſed & his uerbis Titius hæreditatis meæ eſto dominus recte inſtitutio fit; ut ff. eod. his uerbis fieri debet inſtitutio ante omnia quia inſtitutio initium,caput & fundamētum eſt teſtamenti: uerum etiamſi fiat poſt exheredationem non oberit,ut ff. eo.l.j. Sunt qui à nullo inſtitui poſſunt deportati qui dicuntur peregrini,ut C.eo. Hæretici,baptiſmatis iteratores,collegia illicita,incertæ perſonæ. Ex ordine inſtitui poſſunt cæteri, alij cum delectu,alij ſine delectu. Cum delectu, ut mulieres infra annum nubentes à cognatis uſq; ad gradum tertium. Spurij nati ex concubina licita liberis ſibi legitimis exiſtentibus in unciam. Ex damnato inceſtoq; coitu geniti, licet ab alijs à patre tamen matreq; etiam nec ex modico poſſunt inſtitui. Item de illis liberis, qui parentem captiuum redimere, furioſum exhibere, & curare neglexerint. Cæteri ſine delectu,ſeruus alienus,hæreditarius,captiuus,captiui ſeruus,communis ſeruus:ita tamen,ſi cum eorum domino ſit in paſſiua ſignificatione factio teſtamenti,dominus dixerit, ESTO HAERES CVM FVERIS LIBER: adiectione habita pro nulla liber erit, ſicut & inſtitutus hæres à pagano. Sanè ad tempus ſublato tempore in perpetuum hæres erit. ſanè ſi purè hæres inſtitutus fuerit,& libertatem ſub conditione accepit,occaſione libertatis etiam hæreditas in euentum conditionis differtur,ut ff.eo.l. ſeruus, & l. Trebacius. liber quoq; inſtitui poteſt,paterfam. filiusfamiliâs,mutus, ſurdus, furioſus, prodigus. Eſt enim cum his factio teſtamenti paſſiuè,licet nō actiue. Priuatus, miles,honoratus,laicus,clericus,monachus,ciuitas,Impator, Imperatrix,fiſcus,eccleſia,locus alius uenerabilis: ſed & incertæ perſonæ inſtituunt hæredes diuini numinis intuitu ut captiui,pauperes, ut C.de epiſcop. Aliâs inſtitutus hæres certus eſſe debet deſignatus proprio nomine, uel aliâs indubitabili ſignificatiōe,ut ff.eo.l. quoties §.ſiquis. Porrò ſi ſcripſit aliū quā uoluit teſtator,nec ſcriptus erit hæres, quia uoluntate deficitur: nec alius quia non eſt ſcriptus,ut ff. eodem l.quoties. Sanè etiam quædam incerto poteſt inſtitutio fieri. ita, TITIVS ET SEIVS VTER EORVM VIVET, HAERES ESTO,ſi uterq; uiuat ambos hæredes eſſe, altero mortuo eum qui ſupererit hæredem fore,quia tacita ſubſtitutio ineſſe uidetur inſtitutioni,ut ff.eo.l. Titius & l.quia. Sanè ſiquis uelut frater inſtituatur, qui nō eſt frater,inſtitutio caſſatur. Fit inſtitutio purè,& ſub conditione,& non alieno arbitrio. Diſtinguitur tamen conferatur expreſſa uoluntas in extraneum quo caſu nihil agitur,quia captatoria eſt: an in inſtituturū,ut ſi dicat, ESTO HAERES SI VOLVERIS, quo caſu ualet inſtitutio, habetq; hæc conſtitutio conditionis effectum in neceſſario,in uoluntario hærede ſuperuacuā eſt: cum etiam ſi non fuerit addita, inuitus non efficitur hæres, ut ff. de condict. inſtitu. l. uerba. Porrò in contractibus contra eſt, quo caſu uoluntas expreſſa collata in alterum non in alium, id eſt, tertium utilis eſt. Eſt autem captatoria inſtitutio quæ confertur in uoluntatem expreſſam tertiæ perſonæ, & in futurum, ut iſta, ESTO HAERES SI TITIVS VOLVERIT. & nil ualet,ut ff. eodem l.captatorias. Verum ſi uoluntas expreſſa uelataúe conferatur in pretium ualet,ut ſi dicatur, ESTO HAERES, SI TITIVS VOLVIT ASCENDIT, ut ff. eod.l. illæ. Item inſtitutio continens impoſſibilem conditionem ualet, ſed contractus nullus eſt, ut ff. de condit. inſtitu. l. j. & l. conditiones, ut ff. de act. non ſolum. Capit autem inſtitutus eatenus, ſi unus fuerit ſolus: omnia capiet ſimpliciter inſtitutus ex aſſe, & ex parte,ex re quoq; certa: ſi plures fuerunt inſtituti ex æquis partibus æquas habebunt. Quid ergo ſiquis fuerit inſtitutus ex ſemiſſe, uel ex alia parte,& poſtea teſtator dixerit,& tu alius hæres quidquid erit relictū habebit. Item ſi ex reliquo,ſi quid ſit reliquū,ſi nihil erit reliquum nihil habebit. item ſi totū ſit reliquum,totū ſubſtitutus capit. Quid quoq; erit,ſi teſtator dixit, ESTO

HAERES

HAERES, TITIVS EX BESSE TV PANPHILVS EX QVATVOR VNCI-
IS, & tu, SEIVS HAERES ESTO. certè ultimus tantum habebit, quantum
duo priores. Quid ergo erit ſi ultra aſſem inſtitutiones proceſſerint: puta ſic,
TITIVS ESTO HAERES EX SEMISSE, TV PANPHILVS EX QVATV-
OR VNCIIS, TV SEIVS EX ALIIS QVATVOR, ET TV MEVIVS HAE-
RES ESTO? certè habebit Meuius quicquid eſt uſq; ad dipondium. Quid quo
q́ue ſi expleto dipondio in primis perſonis, poſtea qui inſtitutus ſit ſimpliciter.
idem eſt quod in aſſe ſimplici. Inſtitutus autem hæres pro parte pro qua inſtitu-
tus, & conuenietur, & experietur ex ordine. nempe de ſeruitute, iureq; de ipſo
ſinguli in ſolidum experientur. Item liberi patroni de operis æqualiter agent,
etiã diſpariter inſtituti, ut ff. de operis l. ut iuſiurandi ex rebus certis alio inſtitu-
to, ſiue ſimpliciter, ſiue ex parte: uelut legatarius nec conuenief, nec experietur.

DE INSTITVTIONIBVS, VEL SVBSTITVTIONIBVS ſeu reſtitutionibus ſub conditione factis. TIT XXV.

AVdiuimus ſuprà de hæredibus inſtituendis & generaliter, ſic de inſtitutio-
nibus: nunc dicamus de inſtitutionibus in ſpecie, id eſt, ſi fiant ſub condi-
tione, deq; ſubſtitutionibus & reſtitutionibus factis ſimiliter adnectamus. Vide
amus itaq; quæ ſit uarietas inſtitutionum liberorum, & dicamus quàm uariè &
differenter principes interpretantur. In his omnibus fit inſtitutio purè, fit in di-
em, uel aliâs ad tempus. quo quidem caſu diei & prætoris uicio ſublato, & purè
& perpetuò inſtitutus erit hæres. Sanè ita inſtitutus quis cum capere poterit ritè
inſtituitur. Sub conditione inſtituitur quis aliâs impoſsibili, uel probroſa, iuriúe
contraria: aliâs ſub poſsibili. Sub impoſsibili inſtitutus conſiſtente in faciendo
quaſi purè inſtitutus quis hæres habebitur, ut ff. de hæredib. inſti. l. ſeruus. Item
aliâs inſtitutus quis ſub quacunq; impoſsibili conditione, ut ſi monumentum
miræ pulchritudinis & magnitudinis triduo fecerit hæreditatem tunc accipiet.
Verum imperio teſtatoris non improbabitur, imò de rato cum poterit cauere
debebit. Nam & ubi quid cui ſub iuriſiurandi conditione relinquitur, licet ei iu-
ratio remittatur, non tamen impoſita datio, uel actio ei remittitur, ut ff. eo. quæ
ſub. hoc ita, niſi alius in faciendo præuenerit. Nam & ſicui hæreditas relicta fue
rit ita, ſi Stichum manumiſit: uel forte legatum ei fuerit in prædictum modum,
& Stichus fuerit mortuus, uel manumiſsus uiuente teſtatore. nihil enim imputa
bitur, imò habebit & hæreditatem & legatum: non enim uidetur defectus con-
ditione, ſed non potuit parere conditioni, Impleta eſt enim uoluntas defuncti ſi
poteſt impleri, ut ff. eo. quæ ſub §. penult. Item nec hæres occiſi, etiamſi non uin
dicauerit, ut C. quibus ut indignis l. ſororem: ſed nec mater præuenta, quæ
non petiјt tutorem: niſi fruſtratoriè id egerit, ab hæreditate impuberis filiј mor
tui repellitur, uel excluditur, ut ff. ad Trebell. l. j. Amplius non tantum per ali-
um præuenientem impleta conditio proderit ei, qui implere debuerit, ſed &
impleta in alium modum: puta mater inſtituit filium, ſi fuiſſet emancipatus: im
pleta cenſebitur, ſi patris morte naturali uel ciuili à poteſtate fuerit liberatus,
ut C. eodem l. ſi mater. Idem in conuerſo caſu, ut ff. ad Trebell. l. mulier ij.
Item ſiquis ex contractu aliquo nominato ſeruum ſuum alicui tradidit, legemq;
dixit ut acceptum manumittat, & ſi non fecerit pœnam præbear: acceptore eti-
am ceſſante manumittere per cõſtitutionem impletur conditio, celebraturq; ma
numiſſio, ſicq; pœnæ ceſſat exactio, ut C. ſi mancipium l. ea. Sub poſſibili condi-

tione inſtitutus quicunq; parere debet. Cæterum hæres non fieret, etiamſi fuerit filius in poteſtate conſtitutus. Quippe filiorum alij dicuntur ſui, alij ſunt extranei, id eſt, emancipati, alij nec ſui, nec emancipati. Et conditionum ad utrumlibet ſe habencium, alia eſt poteſtatiua, alia caſualis, alia mixta, ut C. de ſeruis neceſſa. l. ult. & C. de caduc. toll. Et certe filius in poteſtate conſtitutus, non debet à patre inſtitui ſub conditione : niſi poteſtatiua, cui ſi paruerit hæreditatem habebit : ſi non, repelletur, deducta relicta legitima ab hæreditate paterna. Porrò ſub conditione caſuali, uel mixta inſtitutus à patre, filius qui eſt in eius poteſtate, & ſi non paruerit cum non potuerit, non ideo minus hæreditatem habebit: alius autem ſic inſtitutus prorſus extraneus, omnis filius emancipatus, nec ſuus nec emancipatus, ita demum hæreditatem habebit, ſi paruerit conditioni, uel per filium Anthylli in cuius perſona fuerat inpleta conditio ſteterit. ergo per contrarium ſi per cuius uicium malumúe interitum, qui implere debuerat, ſteterit, hæreditate carebit, ut C. eo. l. j. prædicta omnia quæ de inſtitutionibus, ut ita dixerim, primis expoſuimus, intelligi debent & de ſecundis ſubſtitutionibus & de reſtitutionibus. Interpretantur principes inſtitutionibus, ſubſtitutionibus reſtitutionibus, conditionem defeciſſe, quæ reuera extitit : puta ſiquis fuerit rogatus ſi dediſſet, uel ſine teſtamento, uel ſine liberis, interpretantur ineſſe, quæ non erat. Vt ſiquis rogatus ſit reſtituere cum deceſſiſſet, ſi liberos tamen habuit non artabitur : licet illa conditio expreſſim inſerta non fuerit. tacitè enim ineſt. nempe non eſt ueriſimile patrem (ſi de nepote cogitaſſet) eum taliter ſubſtituiſſe uel rogaſſe, ut C. eodem generaliter. Nam & aliàs principes noſtri interpretantur inſtitutionem factam eſſe, quæ facta non fuerat, ut C. de inoff. teſt. l. ſi mater: & non eſſe factam, quæ re ipſa præceſſerat, ut C. de hæredi. inſti. l. ſi pater. Item notandum, quòd ſiquis fuit inſtitutus, ſi decem Titio dederit, & per acceptorem ſteterit, uel ſi fuerit inſtitutus ſi in municipio ſtatuas poſuit, & per municipes ſteterit, non minus hæres erit: paruiſſe enim uidetur, ut ff. eod. l. ſi ita, & ff. de condit, & demon. l. ſi Titius. Item notandum quod ſiquis fuerit inſtitutus ſub caſuali, uel mixta : puta, ſi ille conſul factus fuerit, uel ſi nauis uenerit, hæreditas obtinebitur : ſiue ante mortem, ſiue cum morietur teſtator, ſiue poſt mortem illam oportet quòd impleta fuerit conditio, ut C. eo. ſancimus, & ff. de demonſtrat. l. iij. Si uero poteſtatiua fuerit conditio, poſt mortem illam oportet impleri, & ab eo, qui ſcierit eam ſibi fuiſſe impoſitam. non enim uidetur obtemperaſſe uoluntati, qui facto obtemperauit, ut ff. de demonſtra. l. iij. Item ſciendum eſt, quòd ſi conditio iam impleta fuerat eo tempore, quo teſtator eam inſtitutioni legatoúe inſeruit, etiam ignorante teſtatore, perinde habebitur ac ſi per hæredem legatariumúe impleta fuerit, ut ff. de demonſtra. hæc conditio. Item ſciendum eſt, quòd principes noſtri interpretantur impletam, quæ alio modo eſt impleta, ut C. eodem l. ſi pater: & non ineſſe conditionem, quæ fuerat appoſita, ut C. eodem l. ſi ita,

DE IMPVBERVM ET ALIIS SVBSTITVTIONIBVS. TIT. XXVI.

EXpoſuimus de ſubſtitutionibus parum & incidenter, nunc audiamus de illis uberius & principaliter : & ſic dicamus de ſubſtitutionibus puberum, & alijs ſubſtitutionibus. Videamus itaq; quid ſit ſubſtitutio, quot ſint ſpecies ſubſtitutionis, quomodo committatur quæq; ſubſtitutio, & quando expiret, cui ſit ſubſtitutio, & qualiter intelligatur quæq; ſubſtitutio. Subſtitutio eſt ſecunda inſtitutio. Diciturq; ſecunda, non ſolum ea, quæ fit poſt primam, ſed

tertia,quartaúe,ulterioróue. Nam & ſecundæ nuptiæ dicuntur, nõ tantum quæ uerè propriæ ſunt ſecundæ,ſed etiam tertiæ & quartæ, & omnes ulteriores,ut C.de ſecundis nuptijs. Vel ſubſtitutio eſt inſtitutio facta ſub conditione. Subſtitutionis duæ ſunt ſpecies,directa, & nõ directa. Non directa dicitur obliqua: eadem uocatur etiam fideicommiſſaria, ſed fideicõmiſſaria aliâs expreſſa, aliâs tacita. Expreſſa ut hæc. ROGO TE PANPHILE VT ILLI CVM DISCESSI RESTITVAS HAEREDITATEM, VEL POST TEMPVS ALIVD. Tacita eſt ut illa,quæ colligitur ſub compendioſa à milite facta, ut C. eo. precibus, & C.ad Trebell. l. non iuſtam. Directa aliâs uulgaris, aliâs pupillaris. uulgaris alia eſt expreſſa, alia tacita. Expreſſa eſt quæ fit uerbis negatiuis, ut hæc. SI ILLE MIHI HAERES NON FVERIT, ILLE ALIVS SIT HAERES. diciturq; uulgaris,quia à quocunq; patre,matre,extraneo fit, cuicunq; impuberi filio,nõ filio,maſculo,fœminæ. Tacita eſt ut hæc. VOS INVICEM SVBSTITVO: Tacita eſt & alia, ut hæc. SEMPRONIVS ESTO HAERES PLOCII. eo tamẽ caſu,ubi teſtator Plociũ antea inſtituerat, ut de hæred. inſtituen. l.ult. ergo uulgaris tacita uerbis fit adfirmatiuis. Eſt & tertia uulgaris tacita, VT SI NON FVERIT NATVS POSTHVMVS, ut C. de inſtitut. l. ult. Eſt & illa forte uulgaris. QVICVNQVE MIHI NATVS, SIT HAERES FILIO MEO IMPVBERI, ut C.eod.l.penult. Pupillaris,alia expreſſa,alia tacita,alia compendioſa, alia exemplaris. Pupillaris expreſſa, alia duplex,ſiue cõpoſita, alia ſimplex. Duplex eſt, quæ cõtinet primum caſum,id eſt uulgarem, & ſecundum,id eſt pupillarem:ut, SI IMPVBES NON FVERIS HAERES. uel, SI FVERIS ET INTRA PVBERTATEM DECESSERIS ILLE SIT HAERES, & hoc quia eſt expreſſa etiam matrem excludit. Simplex eſt,quæ fit tantum affirmatiuis uerbis,ut hæc. SI FVERIS HAERES ET ANTE PVBERTATEM DECESSERIS ILLE SIT HAERES. hæc autem pupillaris quandoq; continet tempus lege ſtatutum,quandoq; tempus productius, & retrahitur, id eſt retro trahitur ad pubertatem, ut hæc. SI NON FVERIS HAERES. uel, SI FVERIS ET INTRA XXV ANNVM DECESSERIS ILLE SIT HAERES. Quãdoq; cõtinet tempus arctius,ut hæc. SI NON FVERIS. uel, SI FVERIS, ET INTRA DECIMVM ANNVM DECESSERIS ILLE SIT HAERES. Hæc, inquam,nõ producitur,ut ff.eod. Tacita pupillaris eſt,quæ intelligitur ſub uulgari. Expreſſa uel tacita etiam contra matrem interpretatur: niſi ipſa fuerit inſtituta. tunc enim non interpretamur eam contra matrem,ut Co.de inſtitut.l.ult. Item tacita pupillaris quandoq; intelligitur ſub expreſſa pupillari,ut Co.cod.l. cum quidam. Porrò ſub pupillari non memini me legiſſe tacitam uulgarem intelligi. Compendioſa eſt, quæ facta eſt pupillo. tempus eñ habet incertum,ut hæc. SI NON FVERIS HAERES, uel. SI FVERIS ET DECESSERIS, ILLE SIT HAERES. Hæc ut reor à pagano,ſicut à milite fieri poteſt: licet quidã cõtrà ſentiant,ſed in eo eſt differentia,quia in milite facta porrigitur ad tacitam fideicommiſſariam,ut C.eod.l.precibus. intelligitur enim legitimus hæres, id eſt mater rogata ſubſtituto dare hæreditatem, & ſine minutione quadrantis: & hoc quoq; militis fauore,ut C.eod.precibus. Sanè ſi à pagano ſit facta,puberta te omnino ſopitur: ſicut expreſſa, & tacita. Tunc autem uulgaris fit pupillaris, cum pubes non inſtitutus impuberi duntaxat inſtituto ſubſtitutus eſt, ut C.eo. l.iiij.etiamſi mater(ut puto)nõ inſtituta in medio,ut ſuperius dictum eſt,fuerit. Nam quod uulgò dicitur tacitam pupillarem non eſſe admittendam, hoc tunc obtinet,ſi fuerit cum filio inſtituta. Sed tunc uulgaris porrigitur ad tacitam pupillarem,cum duo filij ſunt inuicem impuberes inſtituti, & ſubſtituti: aliâs in omni caſu,utpote uulgaris tantum manet,fixaq; & ſtabilis perſeuerat, & nõ niſi

in milite porrigitur. Subſtituit autem pater pupillariter his omnibus concurrentibus, primi & ſecundi gradus filio, nato, naſcituro, inſtituto, & etiam exhæredato ut Inſtit. eod. & C. de lega. l. cum quidam. & ita tamen ſi ſint in ſua poteſtate: & ita demum, ſi ſit impubes etiam in teſtamento. Nam cum inſtitutio nō fiat niſi in teſtamento, nec ſubſtitutio, quæ & ipſa inſtitutio eſt. Extraneo uero, uel filio puberi, uel impuberi emancipato, nemo niſi miles poteſt ſubſtituere directò: niſi uulgariter, id eſt negatiuè: ſed adfirmatiuè minimè; id eſt ſi deceſſerit poſt pubertatem habeat illum hæredem. nullum enim habere teſtamento hæredem poteſt, niſi ſuo, id eſt à ſe facto teſtamento. uel ſi ſit à patre filio ſuo impuberi factum, ut Inſtitut. eod. Exemplaris eſt illa, quæ fit filio etiam maiori furioſo, uel mente capto. Fit à patre in hunc modum. SI NON FVERIT HAERES FILIVS MEVS FVRIOSVS: uel, FVERIT, ET INFRA FVROREM, VT ITA DIXERIM, VEL IN FVRORE DECESSERIT, ILLE SIT HAERES. Exemplaris iſta tria habet ſpecialia, quia fit & à matre ſed uerè pupillaris minimè: & fit etiam non impuberi, & quia filius ille furioſus fuerit mentis compos, uel frater ille tantum ei ſubſtituitur. talibus in medio non exiſtentibus quilibet ſubſtitui poteſt, ut C. eod. l. humanitatis. Et notandum quia ſub pupillari expreſſa affirmatiuis uerbis facta, alia pupillaris, id eſt tacita quædam pupillaris intelligitur ut C. eo. l. cum quidam. Nam cum quidam duobus filijs impuberibus inſtitutis hæredibus adiecerit ſi uterq; deceſſerit ſuntq; impubes, tertium ſibi fore hæredem, placuit tunc demum habere locum ſubſtitutionem, cum uterq; intra pubertatem obierit. cogitaſſe enim patrem primo decedente fratrem in eius locum debere ſuccedere, ut C. eod. l. penult. & ff. eod. l. ſi pater. Fideicommiſſaria committitur, id eſt effectum ſortitur rogato decedente ſine liberis: ergo econtrario ſopitur eo decedente relictis liberis. Vulgaris cōmittitur hæreditate nō adita. ergo expirat ea adita: niſi ubi quis errans uerè ſeruum inſtituit, cum ipſum liberum crediderit. Quippe in eo caſu etiam hæreditate adita ab inteſtato, ſeruo cōtra rigorem ex æquitate ſubſtitutus uulgariter admittitur in quadrantem, ut in Inſtitut. de uulg. ſubſt. Item tranſit in pupillarem, quādo (ut ſuperius dictum eſt) expreſſa pupilaris, & tacita committuntur in impubere poſt aditam à ſe hæreditatē obeunte intra pubertatē. ergo expirant eo decedente poſt pubertatem, nec porriguntur hæ duæ etiam à milite factæ ad fideicommiſſariam. Porrò compendioſa ſubſtitutio à pagano facta effectū ſortitur pubere decedente intra pubertatem, expirat eo decedente poſtea. enimuero in milites facta (ut ſuprà dictū eſt) inſtitutio, impubere poſt pubertatem decedente ad fideicommiſſariam porrigitur, priuilegio militum, ut C. eod. l. precibus. Exemplaris committitur furioſo decedente intra furorem, quaſi infra ætatem. ergo in contrarium eo facto compote expirabit. Et ſciendum eſt, quòd ubi ex diſparibus partibus aliqui, puta tres inſtituti inuicem ſubſtituti ſunt: licet nulla partium mentio in ſubſtitutione facta fuerit, tamē hæ duæ partes in ſubſtitutione intelliguntur repetitę, quæ in Inſtitutione ſunt poſitæ, ut in Inſtitut. eod. & C. eod. l. j. niſi pater contrarium uoluerit, ut ff. eod. l. ſi plures.

DE NECESSARIIS, ET SERVIS HAEREDIBVS INSTItuendis, uel ſubſtituendis. Tit. xxvij.

Audiuimus ſuprà de uarietate inſtitutionum & ſubſtitutionum, nunc dicamus de diuerſitate hæredum. uel aliter diximus de hæredibus inſtituendis liberis hominibus (ut ita dixerim) nunc de ſeruis neceſſarijs hæredibus inſtituendis, & ſubſtituendis. Hæredes alij ſunt extranei ſiue uoluntarij, alij ſui & neceſ-

neceſſarij, alij tantum neceſſarij. Hæres extraneus ſiue uoluntarius dicitur, qui defunctum ſanguine non attingit: diciturq; uoluntarius, quaſi ſi uelit hæres fiet alioquin minimè. inde eſt quod appoſitá uoluntas conditionem hæredi extraneo de ſuperuacuo, ſed adiecta ſeruo proprio conditionem facit, ut ff. de condi. inſtitut. Item extraneus hæres dicitur filius emancipatus, & is qui nec ſuus eſt, nec emancipatus. Filius quoq; alienus, qui inquam ſi anteá adierit iubente domino liber factus fuerit, adeundo ſibi hæreditatem quærere poterit: nondum liber ſi domino iubente adijt, poteſt etiam domino iubente nolle adire, domino quærit, tam in cuius dominio tūc fuit cum inſtituitur, quàm alij ſi in alterius poteſtatē tranſeat ante conditionem. Sui & neceſſarij dicuntur filij, qui ſunt in poteſtate teſtatoris. Neceſſarij dicuntur, qui etiam nolentes, id eſt ignorantes ſunt hæredes: non tamen nolentes, quippe filijs ſuis etiam ignorantibus, ergo & infantibus, qui ſemper ignorare intelliguntur, ipſo iure infigitur hæreditas, ut in Inſtit. de hæredita. quæ ab inteſt. deferunt. Sui dicuntur quia domeſtici ſunt, & quodámmodo uiuentibus patribus domini intelliguntur, ut ff. de poſthu. l. in ſuis. Et non tantum qui eſt in poteſtate, ſed etiam qui mero iure deſijt eſſe in poteſtate: puta in hoſtium ſeruitute conſtitutus cum pater moritur. Quippe ſiue obijt, ſiue redijt in poteſtate fingitur fuiſſe per fictionem poſtliminij, & legis Corneliæ. Nepos quoq; eſt ſuus hæres natus ex filio, de ſui patris poteſtate patre ſuo morte, uel emancipatione, aliaúe ratione ſubducto de medio, ut in Inſti. de hæredum qualitate & differentia. Inq; ſuis hæredibus aditio non eſt neceſſaria, imò locum nō habet, nec habere poteſt, ſed immixtio, ut ff. de legitimis hæred. in ſuis. § ſed & per prætorem. Licentiam habent abſtinendi, tam puberes, quàm impuberes: ſed differenter puberes, antequam ſe immiſceant, impuberes poſtea etiam ſine reſtitutione. ſed ſerui excipiūtur: hi enim etiam impuberes coguntur adire, pro hoc, quòd in commodo ſeparationis, habent commodum eorum, ſcilicet quæ poſt aditionem quærunt ſi fuerint maiores, etiamſi nondum bona attigerunt, ut Inſtit. de hæred. quali. & differ. & ff. de ſuperat. l. j. §. ult. Neceſſarius hæres tantum appellatur ſeruus proprius à domino inſtitutus hæres, etiamſi in alio gradu acceperit hæreditatem, in alio libertatem, ut Co. eod. cum quidam. Sed & non tantum ſi inſtitutus fuerit adiecto nomine libertatis, conſequetur utrunq;: ſed etiā ſi ſine libertate fuerit inſtitutus, eſtq; hoc uerum, etiamſi miniſter creditorum fuerit à domino ſeruus inſtitutus duntaxat meus, non tamen quæſtioni reſtitutionis ſubiectus, non pignori ſpecialiter obligatus: is em̄ poſtmodum pecunia ſoluta liber fiet, ut ff. qui & à quib. pigno. Sanè ſi dominus ſeruo ſuo pignorato libertatē in teſtamento reliquerit directò per fideicommiſſum etiam hæredem rogaſſe conuincitur, ut ff. de fideicomiſ. libert. l. generaliter. & eſt hoc uerum, etiamſi primo hæredem inſtitutum ſine libertate; eū poſtea teſtator legauit, legatumúe antea, poſtea hæredem inſtituit: licet hoc mirabiliſſimum uideatur, ut C. eod. l. cum quidam. Ita tamen ſeruus à domino inſtitutus fit liber, & hæres neceſſarius, ſi manſerit in eadem cauſa, id eſt ſi non fuerit antea inter uiuos manumiſſus. tunc enim liber cum fiat, & non ex teſtamento hæreditatem adibit, ſi uolet, & ſibi hæreditatem quærit ſuo arbitrio. Hocq; ita demum uerum eſt, ſi purè inſtitutus fuerit. porrò ſub conditione poteſtatiua inſtitutus, ſi paruerit, utrunq; conſequetur: ſi parere contempſerit, uel id fecerit ut parere non poſſit, utroq; carebit. Si ſub caſuali fuerit inſtitutus & cōditio euenerit, utrunq; habebit: ſi defecerit libertatem quidem habebit, hæreditate priuabitur: pertinebitq; illa hæreditas ad legitimos, ſi fuerint ſoluendo: ſi non, in defectum ſeruo neceſſario hæredi dabitur, ut C. eo. l. ult. Illud notandum eſt, quòd ſeruus proprius non poteſt inſtitui ita. ESTO HAERES CVM LIBER FVE-

RIS, ut ff. de condit. inſt. l. ſeruus. Seruus autem proprius inſtitutus neceſſarius hæres dicitur, quia ſiue uelit, ſiue nolit, hæres fit. Quod dicitur, quod poteſt uelle adire. hoc enim tunc obtinet cum à non domino, id eſt alij, eſt inſtitutus: non cum à domino, id eſt ſibi. hoc ergo in caſu mutus etiam adibit, & inuitus hæreditati obligabitur. Nam & aliâs liber homo inſtitutus hæres, rogatusq́ꝫ reſtituere ſi hæreditatem dixit ſuſpectam, eam cogitur adire & reſtituere, nõ deducto quadrante ex Trebelliani autoritate, ut Inſtit. de fideicõmiſ. hæredita. Item ſi quis hæreditatis partem admiſerit, ſi ſolus hæres teſtamẽtarius, uel legitimus, aliam quoq́ꝫ partem admittere cogitur. Item ei qui admiſit partem ſuam, alterius repudiantis portio adcreſcit etiã inuito, ut C. de impub. & ali. ſubſti. l. teſtamento & C. de iur. deliberan. l. quidã. Nam nec totius rei dominus partẽ poteſt habere pro derelicto, ut ff. pro derelict. l. an pars. Sed & ſi dñs partem negotiorꝫ procuratori iniunctorũ uelit reuocare, nõ poterit facere: aut em̃ oĩa, aut nulla negocia reuocabit. Nempe ꝓcurator iure hanc inconſtantiã recuſabit, ut de ꝓcurat. l. in cauſæ.

DE LIBERIS PRAETERITIS, VEL EXHAEREDATIS. Tit. xxviij.

EXpoſuimus ſuprà de hæredibus inſtituendis, & ſubſtituendis: & quia liberos proprios contingit quandoq́ꝫ præteriri, uel etiã iniquè exhæredari, dicamus de liberis præteritis uel exhæredatis. Videamus itaq́ꝫ quid ſit filium præterire, quid exhæredare, quid olim iuris fuerat, q̄d hodie obtineat. Præterire filiũ hodie eſt, nec inſtituere nec exhæredare. Exhæredare eſt à ſua hæreditate ſuum filiũ iudicio ſuo ultimo repellere Verꝫ hoc nõ niſi in teſtamẽto poteſt fieri: et certè ſi iuſta cauſa ſubſit, quare pater exhæredare debuit, id eſt una de xiiij. exhæredatio ſtabit. Idem ſi filius parentẽ exhæredauit, et una de ſeptẽ cauſis interceſſerit. Hoc tñ ita, ſi à teſtatore nominatim cauſa fuerit inſerta in teſtamento, & ab hærede ſcripto probata. Porrò ſi exhæredatio fuerit iniuſta, per querelam euacuabitur: præſertim iure ueteri, uel hodie ipſo iure. cum hodie nõ ſit (ut extimo) querela niſi inter fratres forte. Nam ſi exhæredatio eſt iuſta, ei ſtabitur: ſi eſt friuola, caſſabitur. Olim in omnibus caſſabatur inofficioſa uoluntas quaſi furioſæ perſonæ: niſi in libertatibus etiã quæ ſui fauore & olim pręſtabantur, ſed xx. aurei dabantur. hodie ex cauſa exhæredationis & præteritionis, teſtamentũ eſt irritum, quantũ ad inſtitutionem. In cæteris firmũ perſeuerat. forte nec aurei præſtandi ſunt. Hoc tamen ita, ſi filius cuius fauore proditũ eſt, uelit irritum facere, ut ff. de iniuſt. t. l. filio. Item pater olim neceſſe habebat filium maſculũ nõ præterire, id eſt quoquo titulo neceſſe habuerat ei quartã relinquere: primò totam, poſtea per Iuſtinianũ uel de ea modicũ: ſed permittitur ei ad ſupplementum. Porrò iure tertio, id eſt nouiſſimo per authen. uel modicum ſufficit habere, ſed tamen inſtitutionis iure: non dico de quarta, ſed de triente, uel ſemiſſe pro liberorum numero. Ita aũt puto inſtitutionem tenere, ſi de ſuo, id eſt de eo quod habet in bonis cũ moritur pater filiũ inſtituerit. Ergo de dote filia inſtituta uel iuſſa eſſe contenta, patrẽ poterit inteſtatũ facere. dos enim in bonis patris non eſt tempore mortis. Quid enim aliud eſt inſtituere, quàm in bonis ſuis poſſidendis uel regendis quem ſtatuere? Item olim pater ſi filiam nec inſtituebat, nec exhæredabat filia patiebatur teſtamentũ ſtare & fratri inſtituto accreſcebat in ſemiſſem, & erat hoc ludibriũ & cõpellebatur de hoc ſemiſſe dare legata: & erat hoc ludibriũ. Item ſi uolebat inſtituere uel exhæredare, & inter cæteros poterat hoc facere: hoc erat abſurdũ. Item ſi exhæredabat, legata illi filiæ relinquere neceſſe habebat: & hoc erat ludibriũ. Sic enim filia præterita utpote legata debens, minus

pus inueniebatur habere q̃ exhæredata, quæ etiã legato onerabatur, nec legata dare cogebatur: imò quartam habere debuerat. hocq; ludibriũ erat. Sanè hodie pater cogitur inſtituere uel exhæredare nominatim, id eſt nomine proprio: uel ea uoce, uel oratione, quæ uice nominis proprij fungitur, filiũ ſuum, uel filiam, emancipatũ, emancipatã, in adoptionem à ſe extraneo datã: alioquin niſi prædicta curantur, pater, mater, inteſtatus uterq; decedet, & ſtatim, et ab initio. Quid ergo ſi poſthumum nõ inſtituerit pater nominatim, uel exhæredauerit? licet eo nondũ nato, tamen teſtamentũ tenet: eo tamen nato factoſe, eũ agnatione rumpitur teſtamentũ. Item nepotẽ inſtituere debet uel exhæredare ne uiuo auo, patre ſuo mortuo per legẽ Velleam in locũ eius ſuccedens, quaſi agnatiõe rumpat teſtamentũ. ergo iam natos præciſè cogitur inſtituere uel exhæredare, ſi uelit teſtatus decedere: filios naſcituros uel nepotes non abſolutè, ſed cauſatiue, id eſt nec poſtmodũ: licet non ſtatim inteſtatus efficiatur. ergo nati ſtatim faciũt inteſtatum parentẽ, poſthumi ſi naſcanẽ: nepotes ita demũ, ſi in locũ ſui patris ſuccedant per quaſi agnationẽ. Item per quaſi agnationem rumpitur teſtamentum, ſi poſt teſtamentum à ſe factum, filium ſibi fecerit per arrogationem, uel per prætorem, quicunq; puta auus nepotem inſtituerit.

DE POSTHVMIS HAEREDIBVS INSTITVENDIS, VEL EXhæredandis, uel præteritis. Tit. xxix.

DIximus de filijs natis, nũc dicamus de poſthumis hæredibus inſtituendis, uel exhæredandis. Et certè (ſicut dictũ eſt) parens debet poſthumũ nominatim inſtituere, uel exhæredare: hoc inquã debet facere, ut ſatisfiat iuri & utriuſq; temporis debet fieri mentio, id eſt ſi ſe uiuo ſiue ſe mortuo naſcetur. uel neutrius mentionẽ habere debet: alioquin inteſtatus moritur, licet in C. eod. l. ult. contrà uideatur. Verè poſthumus nec odio parentis à matre iuſtè poteſt exhæredari: uel econtrà. Porrò olim etiã inter cæteros exhæredabatur, ſed propter eam iniuriã legato honorabatur filia nata, quod erat ludibriũ: etiam ſine datione exhæredabatur, ut C. de liberis præteritis l. ult. Rumpit aũt poſthumus teſtamentum ſi ſit natus, non abortiuus, ſed perfectè & ſi nõ integrè, cũ ſpiritu tamen, nõ declinans ad monſtrũ, uel prodigium. Hoc uerum eſt, etiã ſi mox ut natus fuerit obierit, ut C. eod. l. penult. Porrò in hoc caſu licet teſtamentũ ſit ruptũ nimia iuris ſubtilitate & ſcrupuloſitate, tamen ex æquitate ſcriptus hæres per bonorũ poſſeſſionem ſecundũ tabulas utiliter poterit hæreditatem petere, etiã legatarij legata exigere, ut ff. de iniuſt. teſt. l. poſthumus. Nam etiã in irrito teſtamento quandoq; fit idem, ut in Inſt. quib. mo. teſta. infirma. Nam etiam filio nato præterito: ergo teſtamento nullo, relicta petuntur, ſi ille filius præteritus à ſcriptis hæredibus, nihil auocare uoluerit, ut ff. de iniuſt. teſt. l. filius. Item filius de uentre ſectus rumpit teſtamentum. cæterũ foret iniquiſſimum etiam ineptiſſimum dicere, Cæſarem (qui fuit honor mundi) patris ſui teſtamentum nõ rupiſſe: ſi forte pater eius ſuo teſtamento nullam mentionem habuiſſet.

DE IVRE DELIBERANDI, ET ADEVNDA, VEL adquirenda hæreditate. Tit. xxx.

AVdiuimus in ſuperioribus de hæredibus inſtituendis & ſubſtituendis, & quia hæredes inſtituti, de quibus dictũ eſt, legitimi quoq; de quibus dicendum eſt, ſecum deliberant an debeant hæreditatem admittere uel omittere, dicamus de iure deliberandi. Et quia deliberatione habita quandoq; aditur & ad-

quiritur hæreditas, dicamus de adeunda & adquirenda hæreditate. Videamus itaq; quid ſit deliberare, cui datur ius deliberandi, quid interim deliberanti liceat agere, quid ſit hæreditatem adire, & quorum ſit adire, repudiare, immiſcere, abſtinere: & qualiter hæreditas deferat̃, cui ab eo, uel ab alio ꝑ eo quæratur, & quanto tempore olim & hodie deliberari debeat, & qualiter hodie ſpreta deliberatione remedium ſufficit Iuſtiniani. Eſt autem deliberare in mente ſua reuoluere, & cum amicis explorare, quid potius expediat admittere, uel omittere. Datur deliberatio homini libero hæredi inſtituto. Nempe ſeruo inſtituto, non ipſi ſeruo (quoniam habetur pro nullo) ſed eius domino deliberandi prætor cõcedit arbitrium, etiam non minus quàm intra centum dies utiles, ut ff. eod. l. j. & ij. & non tantum ſemel, ſed ſæpius: ex magna tamẽ cauſa, id eſt ſi prætori ſuadeatur terminum primum præſtitum ſufficere non poſſe, ut ff. eod. l. iij. & iiij. Et notandum eſt, quòd hæredi deliberato inſtrumentorum inſpiciendorum copia debet fieri, ut proinde inſtruere ſe poſſit, expediat nec ne, agnoſcere hæreditatem, ut ff. eod. l. v. Ex ordine interim hæres nõ diminuet alienabitúe. ergo nec actiones mouebit. Eſt enim abſurdum ei cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere, ut ff. eod. l. ait. Diminuet tamen ueſcendi cauſa, ut ff. eod. l. ſi filius. alienabit quoq; quandoq;, puta ut teſtatorem funeret, urbana ædificia ſarciat, ruſtica colat: & ne pignora commiſſa uendantur, ut ff. eod. l. ait. Circa temporalem tamen præſcriptionem creditoribus nullum interim præiudicium generabitur, ut C. eod. l. ult. Adire nihil aliud eſt, quàm uelle hæreditatem habere. Eſt enim non iuris, ſed facti, adire: ut poſſidere, uendere, ſoluere, tradere: ergo etiam ante uoluntatis declarationem adeundo, id eſt ſolo animo quis fit hæres, ut C. eod. uerum ne aditionis emergat quæſtio opus eſt iudicio, puta ut diſtrahat, locum permutet: etiam pro parte hæreditaria creditoribus ſoluat. Hæc eñ iudicia ſunt quibus conuincitur hæres ſiue ſuus hæres, ſiue extraneus ſit, ſiue filius emancipatus. Nam cum hodie etiam nõ petita bonorum poſſeſſione emancipatus fiat hæres, ſola uoluntate ab alio hærede ipſe filius emancipatus, non diſtinguitur in aditione, id eſt in hæreditatis acquiſitione. Eſt autem adire extraneorum, & repudiare eorundem, immiſcere, & abſtinere ſuorum hæredum. Quippe ipſo iure ſunt hæredes etiam ignorantes, & uolentes non tamen repudiantes: ipſoq; iure eis infigitur hæreditas, ut in Inſtit. de hære. quale. & diffe. & Inſti. de hære. q. ab inteſt. Quippe in ſuis hæredibus aditio eſt neceſſaria, ut ff. de legit. hære. l. in ſuis. Defertur hæreditas aut ab inteſtato, aut ex teſtamento. & quidem defertur homini libero aliàs patriſam. aliàs filiofam. Patriſam. delatam ipſe adeundo hæreditatem ſibi illã quærit, ſi fuerit maior: ſi minor, opus eſt tutore, uel eo non conſtituto in medio, aut male gerente, ei ſufficiet prætoris autoritas: ſicut & tutoris multo fortius. Si uero fuerit filiofam. delata, nec filius ſine patre, nec pater ſine filio poterit adire regulariter. Quid enim ſi filiofamiliâs delatam filius ipſe recuſet, pater uult admittere: uel econtrà, pater recuſat, filius uult admittere, alter ſine alterius conſenſu eo in caſu hæreditatem poterit adire, nullumq; commodum incommodumúe non adeunti filio patriúe obueniſt, ut C. de bonis quæ libe. Porrò ubi infanti, id eſt minori ſeptem annis fuerit hæreditas delata, quid debeat, & poſſit fieri: ſi patrem habeat, tutoresúe, uel non, multipliciter cauetur & diſtinguitur, ut C. eodem l. ſi infanti. Seruo hæreditas relicta non acquiritur: niſi dominus ſeruo ut adeat iuſſerit, & niſi ſeruus iubenti domino adeundo obtemperauit. Et notandum eſt, quòd licet olim tripliciter adquirebatur hæreditas, & ipſo iubente, & uoluntate intercedente, & facti ſolennitate, id eſt petita bonorum poſſeſſione: tamen non niſi duobus modis quæritur, id eſt, uel ipſo

iure

iure, uel ſola uoluntate. A cæteris etiam emancipatis teſtatore mortuo, & hære ditate nondum adita, quandoq; creditores legatarij fideicommiſſario inſtante, quandoq; non. ſimiliter hæredi, qui non repudiat, licet adire: nō perpetuò, ſi ſit extraneus, ut quidam dicunt, ſed tantum intra utilem annum, ut ff. de acquir. hæred. l. Pantonius & C. eod. l. cum. Excipitur niſi mater, uel filius emancipatus, intra quinquennium querelam moueat: uel niſi forte extraneus hæres ætate uel errore, uicietur, uel niſi forte quis ſibi ſucceſſerit, uel ſi nondum aliàs hære ditatem admiſerit. Suus autem hæres perpetuò poterit ſeſe immiſcendo hæredi tatem adquirere: licet enim patre uiuente dominus intelligatur, ideoq; non poſſit uſucapere, tamen poſt mortem parentis demum, uerè & propriè paternam acquirit hæreditatem, ut Cod. de furt. l. de his. Sanè extraneus hæres in deliberatione moriens ius deliberandi quod habuit, ſi moritur infra annum, ad ſuum tranſmittit hæredem: ſi poſtea, nihilum, quia nō hæreditatem, utpote quia nondum adijt: nec ius deliberandi, quia annus effluxerit. Suus autem hæres perpetuò, id eſt uſq; ad xxx. annorum curricula nedum ius deliberandi, ſed etiam ipſam hæreditatem (utpote ipſo iure ſibi infixam) ad ſuum tranſmittit hæredem. hoc ita, niſi etiam ſuus hæres apertè repudiauerit, ſicq; abſtinuerit. Repudiatur autem hæreditas, & re, & uerbis, & quocunq; uoluntatis declaratæ iudicio, ut ff. eodem l. recuſari. Porrò ſi bona patris ſuperſtitis repudiat, non minus poſt mortem patris bona poterit uindicare, ut ff. de acquir. hæred. l. qui ſuperſtitis. Vbi autem creditores legatarij, fideicommiſſarij inſtant, iudex aditus tempus ſtatuet moderatum, & (ut dictum eſt) non minus centum dierum. Porrò ab Imperiali culmine annus poterit impetrari, ab alio iudice ſpacium nouem menſium. Sed ubi creditores inſtant (ut puto) ſcriptus hæres poterit nō adire, non repudiare, non deliberationem petere. Quid ergo fiet? iudicio meo ſuus hæres perpetuò poterit petere, extraneus non, niſi intra annum adierit: niſi forte iuuetur, ut diximus ſuprà. Ergo ſi infra hoc tempus hæreditatem admiſerit, omnifariam tenebitur: ſimiliter ſi non repudiauit. eo enim ipſo, quia non repudiauit, admiſiſſe uidetur. Eo ſolo caſu excuſabitur, nec urgebitur, ſi repudiauit. Spreta deliberatione & omiſſo domini inſtituentis conſilio, non imperio, ita diſponitur. Hæres aut certus eſt de adeundo. quo caſu illico adeat, & ex propria uoluntate omnibus tenebitur creditoribus: aut certus eſt de non adeundo, ergo recuſat, ſicq; nullis tenetur creditoribus. aut dubitat, quo caſu ſuperuacuæ deliberationis omiſſis anfractibus faciat inuentarium, ſiue repertorium, in quo ſcribitur omne patrimonium, poſteaq; non urgebitur: niſi in quantum in hæreditate repererit. Sed non facto inuentario ſi quis adierit quatietur in ſolidum: niſi fuerit minor, uel miles: caueat tamen hæres ne quid de hæreditate amoueat, quod non inſcripſerit. Conuentus enim, uel per ſeruorum hæreditariorum tormentum confeſſus, uel cum fuerit ei delatum ſacramentum, condictione ex l. ultima C. conuentus condemnabitur in duplum. Exordium autem capere debet inuentarium intra triginta dies, & inter alios lx. debet impleri. uerum ego non puto multum referre quo tempore, dummodo intra dies lx. conſummetur. Debet autem inuentarium fieri in præſentia eorum quorum intereſt, id eſt legatariorum, fideicommiſſariorum, libertate donatorum, creditorum: ſed & alij adſumendi ſunt teſtes, non alienigenæ, ſed indigenæ, & qui teſtatorem nouerint. Et in initio inuentarij uenerabile ſiue ſaluificum crucis ſignum debet adponi. hoc ita, ſi tres fuerint præſentes, id eſt in eadem prouincia: ſi uero fuerint in alia prouincia ad conficiendum inuentarium, annuum indulgetur ſpacium. Quid ergo ſi quis fecerit inuentariū, & ad

deliberationis non conuolauit auxiliũ,& contra creditores iuuabitur,& contra legatarios legis falcidiæ beneficio utetur. Si uero tm̃ deliberauerit,utroq; carebit auxilio. Si uero etiã deliberauerit,& repertoriũ fecerit:licet creditoribus teneatur in ſolidum,contra legatarios tamen & fideicommiſſarios legis falcidiæ habebit beneficium,ut C.eod.l.ult.

DE REPVDIANDA VEL ABSTINENDA HAEREditate. Tit. xxxj.

DIximus quomodo hæreditas adquiratur,nũc audiamus de repudianda,& abſtinenda hereditate. Is ſolus poterit repudiare,qui poteſt adquirere,certusq; debet eſſe cuius uelit hæreditatem quærere uel repudiare: licet de ſuo ſtatu dubitet,ut ff. eo. l.j.l.in repudiãda l.ſed & ſi de. Scriptus hæres,legitimusue ita demũ repudiatione hæreditatem amittit, ſi in ea cauſa ſit hæreditas ut adiri poſſit. Nam ſi inſtitutus ſub conditione repudiauerit,nihil agit,etiam qui putat ſe neceſſariũ:licet ſit uolũtarius,repudiare nõ poteſt.quia plus eſt hic in opinione,quàm in ueritate,ut ff.eod.l.is qui. Sed nec is repudiare poteſt, qui putat teſtamentum uel non ualere uel falſum eſſe. Quid ergo ſi inſtitutus idemq; legitimus nõ admittit,ſed quaſi legitimus repudiauit? ſubdiſtinguit ſi ſciuit, utranq; repudiauit:ſi ignorat ad neutrum ei repudiatio nocebit, neq; ad teſtamentariã, quia hanc non repudiauit:neq; ad legitimam,quia nondũ ei delata fuerit, ut ff. eod.l.nec. Et notandũ eſt, quòd ſicut hæreditas admiſſa repudiari nõ poteſt,niſi ratione ætatis:ſic nec repudiata poteſt auocari, niſi uel propter ætatẽ.uel niſi ſit ſuus hæres:quippe is repudiatã poteſt auocare etiã intra trienniũ,poſt xxviij annum computandum. Si omnia adhuc ſint integra,id eſt,ſi non adhuc hæreditas admiſſa eſt,neq; ab hærede,neq; à ſubſtituto,legitimoúe,neq; à fiſco, neque per creditores adhuc bona ſunt uendita.

DE EDICTO DIVI HADRIANI TOLLENDO, ET QVEMadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur. Titulus xxxij.

TEſtamento confecto ſicut iure proditũ eſt,nihil reſtat:niſi ut ſcriptus, alius ue quis hæres factus in poſſeſſionem mittatur. Et quia edictũ diui Hadriani de ea re minus iuſtè loquebatur,de eo inſcribitur non corroborando,ſed tollendo atq; caſſando. Edicto diui Hadriani cauebatur hæreditatis omnis uiceſimam partem hæredi auferendam,& fiſco dandam.quod quia ſummè iniquum erat, funditus eſt ſublatum. Mitti debet hæres inſtitutus etiam ſub cõditione in poſſeſſionem. quoniam ſubſtitutus legitimusúe ita, ſi nulla de teſtamento moueatur quæſtio. Sed & ſi mouetur qualis qualis quæſtio, etiamſi teſtator dicatur ſeruus fuiſſe. præſertim ſi ea quæſtio ipſi,cum iuraretur,nõ mota fuerat. Sed hoc ita intelligendum cenſeo ſi uicia inuiſibilia imponantur teſtamento. Item (meo iudicio)excipitur,ſi conſtet teſtatorem fuiſſe impuberem.uel ſine delatione probari poteſt, filium impuberem ab inteſtato petentem ideo exhæredaſſe parentem,quia pater dixit eã nouercam adulteraſſe. Porrò ſi uicijs uiſibilibus aſſeuerant eſſe ſubiectum, alia ratio reformat negocium.nempe ex teſtamento abolito,uiciato, nec depoſitionibus teſtium legitimorum uallato: & quia non eſt in prima figura ceſſat miſſio.ergo oportet eſſe in prima figura,niſi illa prima ſit legitimo numero uallata. Item ſi poſſeſſor aliud teſtamentũ exhibet interim ceſſabit miſſio.Item ſi poſſeſſor dicat, ſe poſſediſſe uel ex nouo ab hærede,& ei

qui

qui potiora iura oſtendit, dabitur poſſeſſio, uel relinquetur: niſi tantum temporis effluxerit, quod petentis intentionem cõquieſcere faciat, etiam in iudicio petitorio. Hocq́ꝫ uerum puto ut hæredi (ſicut expoſitum eſt) illico detur poſſeſſio, etiamſi teſtes teſtamenti non iurauerint: dummodo teſtamentũ appareat in prima figura, etiam ſine omni uicij peractione confectũ, & legitimo teſtiũ numero uallatũ. ſecus ſi petitoriũ inſtituatur iudiciũ. tũc em̃ opus eſt (ut in ſuperioribus probauimus) ut ſeptem teſtes qui interfuerunt ueritatẽ arguant iurando. Poſtulatur aũt poſſeſſio duobus modis iudicio, & ſine iudicio. Iudicio aliâs principaliter, ſiue expreſſim, per ut interdictum quorꝫ bonorum: aliâs per cõſequentiam ut cum hæreditatis petitio, rei uindicatio proponitur. Nam ſi in his actionibus fuerit obtentum cum proprietate in ſimul poſſeſſionis impetrabitur compendium. Sine iudicio, cum hæres qui petit, ſolo iudicis officio nititur, ipſiusq́ꝫ implorat auxilium.

QVEMADMODVM TESTAMENTA APERIANTVR; deſcribantur, & inſpiciantur. Tit. xxxiij.

TEſtamenta aperiri, inſpici, & deſcribi poſtulantibus his quorum intereſt, etiam de calumnia iurantibus cautũ eſt legibus. Neq́ꝫ enim teſtamentũ duntaxat unius hominis eſt, ſed hominũ, quibus quid illic adſcriptũ eſt. Quin imò publicum eſt inſtrumentũ, expeditq́ꝫ prædicta fieri, propter controuerſias, quæ ex teſtamento proficiſcuntur de quibus nec tranſigi nec ueritas poteſt exquiri, ut ff. eod. l. j. poſtulabit aũt legata fideiuſſor libertate donatus hæres quoq́ꝫ: ſed etiã ipſum corpus teſtamenti hæres poterit uindicare, et pro eo ad exhibendum agere: prætorisq́ꝫ erit officium ut cogat ſignatores uenire, ſignaq́ꝫ quoq́ꝫ ſua recognoſcere. Publicè enim expedit ſuprema hominum iudicia exitum habere, ſed omnibus teſtibus abſentibus cauſa aliqua aperire tabulas urgeat: interuenientibus alijs bonis uiris prætor faciet tabulas aperiri, & poſt cognitionem & deſcriptionem, ſine die tamen & conſule, uidebit ab eiſdem tabulas ruſus obſignari, ut ff. eod. l. ſed ſi quis, & C. eod. l. ij. Cum ergo nõ p̄ſentibus illis teſtibus, qui in teſtamentorꝫ cõfectione fuerunt, teſtamenta aperiuntur, relinquitur, ut tabularum apertio deſcriptioq́ꝫ nõ ſit inſinuatio. quippe ea fieri nõ poteſt niſi præſentibus teſtamentorꝫ teſtibus. Titulus itaq́ꝫ iſte nõ edocet qualiter teſtamenta inſinuentur, ſed qualiter aliâs aperiantur: proq́ꝫ priuata utilitate inſpiciantur, legantur, deſcribantur: puta, ut ſciatur, quid, quantũ, cui, à quo, & quando præſtandum fuerit relictũ. Itẽ ſi mulier uentris nomine ſit in poſſeſſione, aperiendæ ſunt ſecundæ tabulæ, ut ſciatur cui uentris & bonorꝫ demandata ſit curatio, ut ff. eod. l. ſi mulier.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI PROHIBVERIT, VEL coëgerit. Tit. xxxiiij.

COntingit aliquãdo ut hæres ſcriptus nuncupatusúe omni careat beneficio puta ſi nolentem teſtari coëgerit: uel ſi aliâs uolentem teſtari, teſtari prohibuit, & ideo quid iuris ſit exponamus, ꝑfecto omni priuabitur hæreditario cõpendio, qui teſtatorẽ cõpulit prohibuitúe teſtari, puta pro foribus manens uel obſtructis foribus, teſtes nõ permiſit ingredi. Idem ſi quis teſtatorẽ uolentem teſtamentũ mutare, prohibuit ne ualeat immutare. ergo qui dolo malo teſtatoris in ſe iudiciũ prouocauerit, uel aliâs alterius uoluntate eũ facere teſtamentũ, immutareúe, effecerit, nullũ ex teſtamento capitur cõpendium. in hoc caſu oẽs ei hæreditariæ denegabũtur actiones. Sanè defuncti iudiciũ in ſe prouocaſſe blando, honeſto, maritaliq́ꝫ ſermone nõ eſt crimino ſum, ut C. eod. l. ult.

DE HIS, QVIBVS VT INDIGNIS AVFERVNTVR hæreditates, & Senatuſconſulto Silaniano. Titulus xxxv.

SIcut dictum eſt hæreditate priuatur indignus ea qui teſtatorem uiuentem offenderit: ſed & qui teſtatorem interfectum nō uindicauerit. & ideo inde ſumpta occaſione, generaliter dicamus de his, quibus ut ab indignis hæreditates auferuntur. Et quia Silanianum Senatuſconſultum de ea re agit, etiam ad Senatuſconſultum Silanianum iura pertinentia audiamus. Teſtatoris necem is qui hæres futurus eſt, prius debet ulciſci, quàm eius adeat hæreditatem. quare ſi prius adierit, quàm ultus fuerit hæreditas aufertur ab eo, & applicabitur fiſco. ex regula quæ eſt, ut quæ indignis auferuntur fiſco applicantur: fiſcus tamen relicta præſtabit, ut ff. de inoffi. teſta. l. papinianus. § meminiſſe. Minori tamen parcitur, etiamſi non uindicauerit, non ideo tamen hæreditatem amittit, ut C. eod. l. minoribus. Item ita demum maior qui non uindicauerit hæreditatem amittit, ſi uindicare potuerit. Nam ſi interfector, cædiſue actor non compareat, non priuabitur hæres: ſed nec hæres hæreditate priuabitur, ſi ab alijs in ulciſcendo fuerit præuentus, morem gerens amico uel humanitatis officio, ut C. eo. l. ſororē. Nam nec mater ab alijs præuenta, quæ tutorem non petijt hæreditatem amittit: niſi forte cum fruſtraretur ideo non petierit, ut ff. ad Tertul. l. ſiue. Sed et marito etiam non heredi, qui necem uxoris non uindicauerit, dos utpote indigno auferetur, ut ff. eod. l. ei. multo fortius ſi eam ſtrangulauerit, uel occidi fecerit, ut ff. ſolut. matr. l. ſi uir. Item libertus relicta ſibi in teſtamento patroni amittet, ſi ipſum etiā mortuum illicitæ mercis negociatorem detulerit, quamuis & premium meruit. & eſt notabile, ut ff. eod. l. j. Sed qui ex illius uxoris, quam contra mandata dixerit, teſtamento perceperit, & ex ſubſtitutione impuberis hæreditatem adierit. Idem ſi uiuentis cognati hæreditatem donauerit, ut ff. eo. l. ij. Item ſiquis legatum acceperit, & poſtea teſtamentum falſum dixerit, legatum amittere debebit. Sed etiam ſi is, cui rogatus ſim reſtituere, falſum dixerit non ei amodo, ſed fiſco reſtituere debeo, ut ff. eod. l. poſt. Excipitur, niſi is qui accuſauerit falſum hæres extiterit legatario, uel hæredi ſcripto, ut ff. eod. l. poſt. & l. qui Titij. Item excipitur filius, qui teſtamentum patris iure factum negauerit: quoniam de iure diſputauit, non iudicium impugnauit, aut accuſauit, ut ff. eo. l. penult. Sed etiam qui cauſa mortis donationem acceperit, teſtamentū falſum dixerit, non amittet, ut ff. eod. l. tutorem. Sed nec filius, qui iubenti patri obtemperans tacitam fidem interpoſuerit: quia parendi neceſſitatem habuit, relictum non amittit, ut ff. eod. l. in fraudem. Sed & relictum amittit qui accuſatori aſtiterit, uel fideiuſſor pro eo fuerit. Sed & (quod notabile eſt) iudex ſi falſum pronunciauerit legatum amittit, ut ff. eo. l. poſt. Porrò ſi uiuo teſtatore is deceſſerit contra prædictam regulam, non fiſco uindicabitur, ſed apud eum, à quo relictum fuerit remanebit, ut ff. eod. l. poſt. Sed & ſiquis rogatus ei dare, qui capere poterit legatum eo tempore quo ſibi legabatur, ei tamen nō præſtat: quia eo tempore quo petit, eſſe deſijt: & ideo hæres legatum retinebit, quia nulla fraus eius interuenerit, ut ff. eod. l. in fraudem. Item ſi legatarius cælauerit teſti, non ex quo poterat legatum petere, equidem iſtud legatum legatario auferetur, & fiſco nō dabitur ſed apud hæredem remanebit, ut C. de legat. l. penult. In ſumma illud notandum eſt, quòd indigno hærede pronunciato ex prædictis cauſis actiones confuſæ non ſunt reſtituendæ, ut ff. eod. l. indigno. Silaniano Senatuſconſulto cauetur, ut necati teſtatoris familia ſi opem nō tulerit cum ferre potuerit, etiam ſummo ſupplicio adficiatur, & libertate priuetur donata. Hæc inquam ita, ſi interfecti

terfecti teſtatoris fuerit propria, uel pro parte: etiam ſi fuerit ſub conditione le-
gata, uel pignori, uel uſuifructui obnoxia. Sed & ſeruus mariti pro nece uxoris
occiſæ: & econtrà, ſoceriq́ ſeruus, ſi opem nõ tulerit, ſupplicio ſubditur propter
promiſcuum uſum. Sanè ſi filius fuerit occiſus matris proprius: uel econtrà, ſup
plicio non adficitur à patre ſecus ſi habeat in poteſtate filium aut non, ut ff. ad
Silania. l. j. Habet autem locum hoc ſenatuſconſultũ, ſi quoquo modo per uim
dominus fuerit occiſus: cæterum ſi ueneno, nequaquam. Quid enim familia
moliri poteſt aduerſus eos, qui ueneno interimũt? planè ſi uenenum per uim ſit
infuſum, etiam hoc ſenatuſconſultum habebit locum, aliâs tamen ueneni male-
ficium nõ relinquitur impunitum, ut ff. eod. l. j. ergo ſi ſeruus opem ferendo do
minum liberauerit tutus erit. Sed & ſi non liberauerit, ſi tamen corpus ſuum ob
iecerit, uel ſaltim exclamauerit, ut ad auxilium ueniretur: quia fecerit quod po-
tuit, ut ff. eod. l. j. § excuſantur. fertur autem auxiliũ armis, manu, corporis ob-
iectu, clamore, ut ff. eod. l. cum dominus. Quid ergo ſi omnes domini aggreſſu
ram paciuntur, ut occidantur, & uni tantum ſeruus opem tulerit non excuſabi-
tur, ſi omnes iuuare potuit. Sed & ſi non potuerit, & cuidam uel quibuſdam o-
pem tulerit, uenia dignus erit, nec ei imputabit̃ cur huic potius quàm illi opem
tulerit, cum utriq́ eſſe auxilio non potuerit. nam etiamſi alium elegiſſet eadem
facta fuiſſent, ut ff. eod. l. ſi quis. § iiij. Excuſatur quoq́ ſeruus qui nõ exaudiuit
crebras uoces domini cum occideretur. Item excuſatur qui in uinculis habeba-
tur ſine dolo malo ſuo, ut erumpere non ualeret. Item ſeruus excuſatur qui furo
re uexatur. item qui languore, uel ſenio premitur, ut opem ferre nõ poſſit, ut ff.
eod. l. ſi quis. Item ſeruus impubes excuſatur quia ætas eius ignorat quid uide-
rit: is tamen puer qui non multum à pubertate aberat, & ad pedes cum occide-
retur cubuerat, nec poſtea necem eius prodiderat, ſed ſilentio malicioſè tradide
rat nõ excuſat̃, ut ff. eo. l. excipiunt̃. Sanè aliâs ſerui impuberes nec etiã torquen
tur, ſed terreri ſolent, & habena uel ferula cędi. Nam (ut quidã philoſophus ait)
uix ſolis uerbis corrigit̃ ſeruus, ut ff. eo. l. j. impuberi. Quid ergo ſi ſeruus ex ſti-
pulatione debitus cædem domini arguit: ſicq́ libertatem meruit, equidem ſtipu
lator nihil habebit. Nam ſi ſeruus id non egiſſet, & ſupplicio adfectus fuiſſet, &
ſtipulator quoq́ nihil reportaſſet, ut ff. eod. l. ſi quis. § ſi ex ſtipulatu. In ſumma
illud notandum eſt, quoniam ſi interfectus dixerit à quopiam ſibi mortem fuiſ-
ſe illatam, non erit ei credendum, ut ff. eodem lege ſi quis & l. Caius. Item illud
notandum eſt, quòd ſi iudicis nequitia cædis autores abſolud fuerunt, nec ſer-
uus obierit, nec hæredibus, qui non defunctoriè debitum officium impleuerũt,
quamuis non prouocaſſent, hæreditatem auferri non oportere uiſum eſt, ut ff.
eod. l. propter. Illud notandum eſt, quòd ſi unus ex pluribus dominis non com
páreat, quærendum eſt de eo quid factum ſit per ſeruos, quos cõmunes habue-
runt. nec enim in caput domini præſentis torquentur. licet forte per eorum quę
ſtionem paciuntur interfectum à ſocijs fuiſſe necatum, imò de ſalute aut ultione
domini non apparentis quæſtio agatur, ut ff. eod. l. etſi. Sed & illud, quòd in co
gnitione aperti aduerſus ſenatuſconſultum teſtamenti eius, qui à familia ſua oc
ciſus eſſe dicatur, quinquennij tempus præſtitutum eſt Tauro & Lepido conſu
libus. Eos tamen qui parricidij pœna teneri poſſunt, etiam eodem ſenatuſcon-
ſulto ſemper accuſare permittitur, ut ff. eo. l. in cognitione. Item illud ſciendum
eſt, quòd hæres qui cauſam interfectionis perſequitur res hæreditatis urgentes
ordinare ſaluis probationum indicijs non prohibetur, ut ff. eod. l. hæres. Sed &
illud notandum eſt, quòd libertates relictæ ſui fauore competunt ex eius teſta-
mento, cuius utpote interfecti differtur hæreditatis aditio: quia nondum facta

ſit ultio. ergo etiam quod ex his erit ingenuum etiam ſibi quæret & ad poſterita tem remittet, ut ff. & C. l. penult.

DE CODICILLIS. TIT. XXXVI.

HAbito tractatu maiorum (ut ita dixerim) uoluntatum ultimarum, quæ teſtamenta dicuntur, & Codices: nūc adnectamus de minoribus ultimis uo luntatibus, quæ codicilli nuncupantur. Videamus itaq; quis poſſit codicillos conficere, in quibus codicilli conueniant cum codice, id eſt cum teſtamento, & in quibus differant. Codicillos is ſolus & omis poteſt cōficere, qui & teſtamen tum ualet componere: ualet inquam de iure. Quid enim ſi conficeret cum facul tatem non haberet, equidem non poterit teſtari: poterit tamen (ut ita dixerim) codicillari, ut ff. eod. l. diui l. conficiuntur. Cōuenit codicillis cum teſtamento, quia ſicut teſtamentum conficitur per ſcripturam & per nuncupationem, ſic & codicillus fit etiam per ſcripturam, & ſine ſcriptura. codicillus tamen non ſcriptus abuſiuè dicitur codicillus. Item ſicut furioſus non poteſt facere teſtamentum: niſi in dilucidis interuallis, ſic nec codicillum, ut ff. eod. l. ij. Item ſicut ubi quis teſtamentum condere propoſuit, nec conſummauit, non ualet tanquam te ſtamentum, nec tanquam codicillus, quia non uoluit: ſic etiam ubi quis codicil lum facere propoſuit, nec conſummauit tanquam teſtamentum nō ualebit, ſed nec tanquam codicillus, ut ff. eod. l. j. Differt codicillus à teſtamento, quia in te ſtamento dūtaxat fit inſtitutio & exhæredatio, id eſt hæreditas datur uel adimi tur. enimuero in codicillo nemo poterit inſtitui uel exhæredari, nemini poteſt hæreditas dari uel adimi. Sed nec hæredi purè inſtituto poteſt cohæres adijci, uel ſubſtitui in codicillo, ſed nec conditio poteſt apponi, ut ff. eod. l. diui. Hoc ideo dictum eſt, ne teſtamentorum et codicillorum cōfundantur nomina. Nam alioquin fuiſſent fruſtra excogitata uaria nomina, ut C. eo. l. ſi idem. ſed etiam ea ratione, quia nemo fit hæres, niſi uel ab inteſtato uel ex teſtamento, ut C. de pact. ſuper dotem l. hæreditas. Sanè hæreditas licet non poſſit nec dari nec adimi, niſi in teſtamento: ergo non in codicillo. hoc tamen debet intelligi iure directo. quippe in codicillo hæreditas data: ergo inutiliter, quantū ad hoc ut is cui relicta eſt, hæres fiat, peti poterit ex fideicommiſſo, id eſt ſalua falcidia hæredi legitimo. Ergo iſte cui relicta eſt hæreditas in codicillo, non eſt uerè & propriè hæres, ſed fideicommiſſarius duplici ratione: & quia tantum dodrantem percipit legitimus hæres quadrantem. Et quia non nanciſcitur hæreditatem ſiue hæreditatis dodrantem iure obliquo, id eſt, ex fideicommiſſo, ut ff. eod. l. ij. § ult. & l. diui. § j. & Inſtit. eod. Nam etiam ſi quis ei, quem in teſtamento purè inſtituit, codicillo conditionem adſcripſit: licet hæreditas codicillis, neq; dari, neque adimi poſſit, tamen in defectum conditionis de ademptione hæreditatis defunctus cogitaſſe intelligitur, ut ff. de condit. inſtitut. l. quidam. Ergo ſicut hæreditas datur in codicillo, non directo ſed iure obliquo, id eſt ex fideicommiſſo, ſic adimitur. Quod autem ſuperius diximus nihil agi, ubi quis teſtamentum facere propoſuit, & non conſummauit: niſi ut uel iure codicilli ualeat adiecerit, debet intelligi: alioquin niſi illud ſit adiectum ualebit nihilum, niſi inter filios qua le quale ſit declaratum elogium. Tunc enim ualebit parentis iudiciū quale qua le, ſiue propoſuit facere quale quale, ſiue deſtinauerit teſtamentum perfectum. In ſumma notandum eſt, quòd ubi quis hæreditatem petens ex teſtamento uictus fuerit, poſtea ex fideicommiſſo, ſiue aliàs ab inteſtato petere non poterit. Idem etiam econtrà: hoc inquam præciſè uerū eſt, ubi defunctus teſtamentum

facere

facere uoluit,ſed nec adimpleuit,nec ut iure codicilli ualeat adiecit. Sed & ſi ad iecerit idem erit,ſed inter cæteros inter aſcendentes uſq; ad quartum gradum,et inter collaterales uſq; ad tertium,quis poterit uariare: & agens ex teſtamento ſi fuerit uictus,poſtea poterit etiam ab inteſtato petere,& obtinere,ut Co. eod.l. ult.Item illud ſciendum eſt,quòd ſufficiunt quinq; teſtes in codicillo.Item illud notandum eſt,quòd literæ quibus hæreditas promittitur,uel animi affectus exprimitur,uim codicillorum non obtinent, ut ff.eodē. l. literæ. Item illud ſciendum eſt,quòd licet in cōfirmatione codicillorum paterfamiliâs adiecerit,ut nō aliâs ualerent quàm ſi manu ſignati & ſubſcripti forent, tamen ualebunt ab eo facti poſtea codicilli:licet neq; ab eo poſtea ſignati,neq; manu eius fuerunt ſcripti.Nam ea quæ poſtea geruntur,prioribus derogant,ut ff.eod. l. diui. Sed & nemo poteſt in teſtamento ſuo cauere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant,ut ff.de legat.l.nemo,& ſi quis. Nam etiam ſi quis iurauerit ſe in uxorem aliquam accepturum, & poſtea duxerit aliam ultimum matrimonium ſtabit: licet iure diuino non poſſit negari,primum fuiſſe matrimonium. Item ſi quis negatiuè iurauerit,quòd non uxorem ducet, teſtamentum non condet, ſe monachum non faciet:ſi tamen fecerit, facta ſtabunt.

DE LEGATIS. TIT. XXXVII.

EXplicito tractatu uniuerſalium relictorum ſequitur ut enodemus articulos ſingulorum relictorum, ſed quia olim digniora fuerant legata quàm fideicommiſſa de his inſeremus. Videamus itaq; quid ſit legatum,quot fuerūt olim genera legandi, quibus uerbis legetur hodie,quæ conuenientia ſit & differentia inter legata & fideicommiſſa,quis leget,à quo legetur,cui,quæ res legetur, qualiter legetur,quibus actionibus legatum petatur,& qualiter. Legatum eſt donatio quædam defuncto relicta,ut ff.de legat.l.legatum, uel aliter: legatum eſt donatio hæreditatis,quam teſtator de eo quod uniuerſum hæredis foret, alicui quid alicui collatum uelit,ut ff.de legat.j.l.legatum. Olim erant quatuor genera legandi,per uindicationem, per præceptionē,per damnationem, & ſinendi modo. Erantq; iſtis quatuor generibus legatorum certa uerba præſcripta,& ſolennia adſignata: puta talia, HAERES MEVS ILLAM REM VINDICATO. DARE DAMNAS ESTO. PRAECIPITO ILLAM REM. ILLIVS ESTO. Porrò ſublatis ſolennibus hodie ſufficit legare uerbis quibuslibet ut Inſtit.eod. § iij. Ergo rectè legabitur ſi dicetur, DO LEGO, id eſt dandum lego,uel dari iubeo. IMPERO. MANDO. PRAECIPIO. EXIGO. POSCO. PETO. FLAGITO. ROGO. VOLO. DEPRECOR. EXORO. GLISCO. Sed & hoc modo, CVPIO VT DES. OPTO VT DES. Sed & ſi dixerit teſtator,credo te daturū, ualebit relictum, ut ff. de legat. j. l.etiam hoc. Exæquata ſunt hodie penè per omnia legata & fideicommiſſa, ut ff.eod. l.j.& C.communia de legat. Sanè olim erat pinguior natura legatorū,quia petebantur actionibus: quàm fideicommiſſorum,quia conſiſtebant tantum in rubore.Item latior erat natura fideicommiſſorum,quia relinquebantur etiam ab inteſtato:legata olim non niſi in teſtamento. Verum hodie ita ſtrictim cauetur, ut alterum penè nomen uideatur eſſe ſuperfluum:quoniam omne legatum eſt fideicommiſſum,& omne fideicōmiſſum eſt legatum.atqui nec hodie recto ſermone hæreditas,libertasúe dicitur legataria,ſed fideicommiſſaria. Item nunquam legatarius hæredem compellere poteſt ut hereditatem adeat,legatumq; ſibi præbeat:ſed fideicōmiſſarius cui hereditas reſtituenda eſt ex Trebelliano,hæreditatisúe portio, ritè cōpellit hære-

dem ut adeat, ſibiq; fideicõmiſſariam hæreditatem reſtituat, ut Inſtit. de fideicõ miſſ. hæred. § ſed etiam. Is poteſt legare qui teſtandi ius habet, ut ff. eod. l. ij. Ergo nõ filiusfam. ſeruusúe, etiam patre dominoúe iubente. Sanè ſi legauerint, & in ea uoluntate perſeuerante ſui iuris facti obierint, legatum ab initio inualidũ, etiam poſtea fit ualidũ, ut ff. de legat. iij. l. j. aliâs primo ualuit, ſed poſtea certis rationibus deficit ſicut ex ſequentibus apparebit. Legatũ ab hærede præſtatur, etiã à legatario (licet nõ olim) & à fideicõmiſſario, & à donatario cauſa mortis, et à quocũq; qui capit aliquid eiuſdẽ generis, uel ſimile, à defuncti iudicio, id eſt aliquid pecuniarum conſequitur ex teſtamento. Ergo qui ſolũ libertatem ex teſtamento accepit, legatum dare compelli non poterit. quippe ſicut libertas per pecuniã non æſtimatur, & qui libertatem ſolam lucratur de iure legatũ dependere nõ arctatur, ut ff. de legat. j. l. planè. § ult. Sed & ab hærede cohæredi legatur, quia legatur, prælegatur, poteritq; legatũ peti etiam ab eo qui ab hæreditate ſe abſtinuerit, ut ff. de legat. j. l. qui filiabus. Sed & ab eo qui nondum natus eſt rectè legatur, quia prælegatur: poteritq;, puta poſthumus natus cõueniri cũ factus fuerit hæres, ut ff. de iur. codicil. l. ab inteſtato. legari poteſt nato, & naſcituro: hocq; caſu natus totum non uindicabit, nõ nato poſthumo econtrario. Si poſthumi nati fuerint plures tantum ſinguli accipiant, quantũ & qui iam natus fuerat, ut ff. de legat. j. l. ſi duobus, & l. qui filiabus. Legari poteſt uniuerſitati, ut ciuitati, id eſt oppido, uico, & collegio licito: & priuatæ perſonæ, ut mulieri, ruſtico, militi quoq;: dum tamen eius domino legari poſſit, ut ff. de legat. j. l. ſi mihi. Hoc quoq; legatũ ſeruo delegatum dominus poterit repudiare, ut ff. de legat. j. l. vij. Legatur quoq; filijsfam. legatur quãdoq; uni, quandoq; pluribus. quo caſu ſi ambo perueniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum: niſi à primo legato per poſterius euidenter teſtator receſſerit, aut niſi teſtator in ſolidum uoluit unumquenq; obtinere legatum: ei tamẽ dabitur electio rei, uel pretij, qui præuenerit: hocq; caſu legatũ totum uel admittitur, uel repudiatur, uel à legatarijs, uel ab hæredibus legatariorum. Hoc quoq; uerum eſt ſiue fuerint cõiuncti per rem, & per copulã: ſiue fuerint diſiuncti, id eſt coniuncti tm̃ per rem, nõ per copulã, ut ff. de legat. l. ſi quis. & lege in quibus l. legatarius, & l. duobus, & l. ſi duobus. l. ſi pluribus. l. planè. l. ſi res, & ff. de legat. ij. l. ſi Titio. & l. iiij. & vij. & ff. de legat. iij. l. ſi res. Amplius ei legari poterit qui teſtamenti factionẽ habet, uel in paſſiua, licet non in actiua ſignificatione, ut pupillo, obſidi, captiuo: nõ tamen ſeruo ꝓprio. Sanè & pauperibus et omnino incertis perſonis legari poteſt, ut Inſtit. eo. Legari poteſt res corporea, ut ſeruitus perſonalis, realis, actio: legari quoq; poteſt liberatio. Item ut cui liceat in alieno cedere uel agere quid ſimile hocq; legatũ non tantũ tranſit ad hæredem niſi hæredis nomine fuerit adiectum ut ff. de lega. j. apud Iulianũ. Legari poteſt res corporea, mobilis ſeu ſe mouens: mobilis ut pecunia, quantitas, uel equus, codex, domus, ager, mancipium ruſticum & domeſticum, fundi inſtrumentum: ſed et dos legatur, & pœnus, peculium quoq;, ueſtiarium, alimentũ, uindemia, ornamentũ muliebre, ſuppellex, debitũ quoq; à creditore debitori, ſed nõ à debitore creditori. Rectè legatˀ purè id qđ debetˀ in diẽ, uel ſub cõditione. utile eſt em̃ legatũ propter repręſentationẽ nec fit inutile, imò ꝑſeuerat utile, q̃a ab initio fuit utile, licet dies uenerit, aut cõditio extiterit teſtatore uiuente. Sanè ſi purè à ſe debitũ debitor creditori legauit inutile eſt legatũ, ſi nihil plus eſt in legato, q̃ in debito. Ergo ſi plus eſt in legato ualebit puta prima actio erat p̃toria, hęc erit ciuilis. prima ꝑ exceptionẽ poterat elidi, hæc minimè, ut Inſt. eo. § ex cõtrario. & ff. de leg. j. l. ſin aũt. & l. ſi creditor Sed & res pignorata creditori à debitore poteſt legari, et tũc etiã debitũ nõ ideo

minus petet

petet: niſi teſtator etiam aliud iuſſerit, ut C. eod. l. ereditor. Legatur res propria etiam pignori tradita, & ſemper tale ualet legatum. Sed & in ſolutione diſtinguitur. Nam ſi teſtator ſciuit obligatam, tunc tantum compellitur luere hæres: ſi neſciuit, legatarius luet: multo fortius, ſi teſtator dixerit ut lueretur. ergo in uno caſu hæres luit, in duobus legatarius debet luere. Legatur quoq; res aliena utiliter: ſed ita demum, ſi non errauit, id eſt ſi putauerit eſſe ſuam eum ſit aliena, legatum non ualebit: niſi in perſona proxima. Quid ergo ſi de hoc referatur quæſtio? probare debet legatarius, & quia dicit, & quia de lucro captando contendit, teſtatorem ſciſſe: & non hæres probare debet, & quia damnum uitare ſatagit, teſtatorem ignoraſſe. Sanè ſi hæres dicat ademptum, quia eo tempore tacitè confitetur relictum, probare debet ademptum, ut ff. de legat. l. Lucius & de legat. j. l. ſi res & l. planè. Illud præterea eſt notiſſimum, quòd ſi quis rem quaſi alienam legauerit: ualet legatum. nam plus ualet, quod eſt in ueritate, ꝙ quod eſt in opinione. Quòd ſi rem ſuam legatam teſtator poſtea alienauit, uel obligauerit, non ideo tamen legatum irritum fit: imò hæres etiam redimere & luere debebit, niſi animo adimendi factum fuiſſe probauerit. Ergo ſi partem tantum poſtea alienauerit præciſè & indiſtinctè debebitur pars non tantum aliena, ſed etiam alienata ita debebitur, ſi non adimendi animo ſit alienata. Nam eum initio res aliena poſſit legari, multo fortius res propria legata, licet poſtea alienata, obligataúe, non deſinit deberi, ut Inſtit. eod § ſi rem. ſecus eſt in rebus donatis inter coniuges ut C. de donat. inter uir. & uxo. l. ſi maritus. Item ſeruorum optio aliarumue rerum rectè legatur. hocq; caſu optimum legatarius eligere poterit, ſed non niſi ſemel eligere poterit, ut ff. de legat. l. v. Quid ergo ſi homo mihi relictus eſt, quem Titius optauerit, & Titius infra annum non elegerit? ego optabo, ſed tamen in hoc caſu contra naturam optionis meliorem eligere non debeo. Quid ergo ſi pluribus legata fuerit optio, & in optando diſſenſerint? ſorte dirimatur contentio, & ille ſuper quem ſors ceciderit rem ſibi ſi uelit & retineat, & ſocio, uel ſocijs æſtimationem partium eum eoſúe contingentium, præbeat, ſicut taxatur & diſtinguitur, ut Co. com. de legat. l. ult. Item ei, qui apud hoſtes eſt, rectè legatur. ſeruus quoq; proprius manens in fuga uel aliâs in ſaltibus degens & hæres hunc requirere & ſumptum in hanc rem facere debet, ut ff. de legat j. l. cum ſeruus. Item (ſicut dictum eſt) ſeruus alienus etiam poteſt legari, fundusúe, ſi tamen fundus chaſmate perierit, uel ſeruus à domino manumiſſus, ante moram mortuus erit, nihil ex hoc legato debebitur ut ff. de legat. j. l. ſi alienum & l. cum res. § ult. Item quid erit ſi eadem res alicui ſæpius legetur in eodem teſtamento? certè amplius quàm ſemel peti non poterit, ſufficitq; uel rem conſequi, uel corporis æſtimationem. ſecus ſi quantitas fuerit relicta, tunc ſæpius petitur. hoc ita, niſi ſit legata tanquam ſpecies, puta certum corpus numorum in arca conſtitutorum. tunc enim fundo legato, tale legatum eſt comparandum. Porro ſi ex duorum teſtamentis ſpecies eadem fuerit mihi legata, ex altera conſequor ſpeciem, ex altera æſtimationem, ita tamen quod ſi prius rem poſtulabo, hoc eſt, ubi ex duorum teſtamentis agitur ut Inſtit. eo. § ſi grex & ff. de legat. j. l. planè & l. ſed & ſi. Item legari poſſunt etiam ea, quæ nondum ſunt in rerum natura, ut fructus, partus naſciturus etiam nondum conceptus, ut ff. de legat. j. l. v. Mirabile tamē eſt & notabile, quòd, ſicut ſi rem prorſus alienam teſtator legaſſet hæres compelleretur redimere, ſic uideatur quod ubi legauerit communem partem alienam debebit comparare. Legatum relinqui poteſt & purè, & in diem certum, & in diem incertum, & ſub conditione. Sub conditione etiam alieno arbitrio. hoc tamen ita, niſi conferatur in hæredis arbitrium expreſſim. hoc enim non ualet quia non eſt captatorium, ſed tacitū ualeret. Porrò

in uoluntatem legatarij etiam expreſſam conferri poteſt, ut ff. de legat. j. l. ſi ſenatus. Sed & forte nõ poteſt cõferri in arbitriũ expreſſum tertiæ perſonæ: licet uideatur contrarium inſinuare reſponſum primum. Si legatur in diem incertũ, uel ſub conditione: dies cedit nõ poſt mortem, non poſt aditionem, ſed demum poſt diei incertæ uel cõditionis euentum. Sanè legatorum relictorum purè, uel in diem certum, dies cedit ſtatim poſt mortem: quantum ad tranſmiſſionẽ: præterquam in quibuſdam caſibus, ſicut C. de caducis. Item aliâs legatur in diuiduum, ut Socrates, & hic & hic: aliâs ſpecies ſpecialiſſima, ut homo, equus aliâs ſpecies ſubalterna, uel genus ſubalternum, uel corpus: aliâs genus generaliſſimum, ut ſubſtantia, ens, res, unum, & aliquid. Et certè ſi indiuiduum legatum periret citra hæredis moram uel uicium, hæres liberatur propter eius interitum. Porrò ſi quid fuit legatum per ſpeciem ſpecialiſſimam, ſubalternamúe, uel per genus geraliſſimum: quia hæc nec pereunt, nec perire poſſunt, ob interitũ etiam omnium ſuorum animalium hæredi liberatio non contingit. ergo hæres habeat, uel non habeat hominem, equumúe à ſe legatum, uinumq́, etiam ualet legatum, & eſt præſtandum. Sanè ſi domus eius legetur ab eo ſimpliciter, qui domum non haberet: magis eſt deriſorium, quàm utile legatum, ut ff. de legat. j. l. ſi domus. Porrò licet pecunia legata non ſit in bonis legantis, hæres tamen pecuniam undecunq; quæſitũ præſtare debet, ut ff. de legat. ij. l. ſi pecunia. Sed nec qui pecuniam debet uolens præſtare ſpeciem, ſe liberabit inuito legatario. idem & ecõtrà. Excipitur, niſi ab aliquo legatus ſit pater, idemq́; ſeruus, filius, fraterúe. tunc enim æquiſſimum eſt ei concedere, ex hac cauſa æſtimationem officio iudicis præſtare, ut ff. de legat. j. ſi domus. § iij & iiij. Porrò illud notandum eſt, quòd licet legata demum cedunt poſt mortem: cedunt quoad tranſmiſſionem, tamen directa uia, tranſeunt ad legatariũ dominiá, ſed non poſt aditionem, ut ff. de furt. l. actio. Hoc tamen ita intelligo cum factione trina, ſi legata fuerint certa, & purè relicta, & ſi legatarius admiſerit ea. Illud tamen diligentius attendendum eſt, quòd ualet legatum hominis, puta ſi legetur homo indiuidualiter: ut hic, hic, ille. Idem ſi legetur homo per ſpeciem ſpecialiſſimam, ut ſi dixerit teſtator, do lego hominem. idem ſi dixerit do lego unum ex hominibus meis. idem quoq; etiam aliâs, ut ſi teſtator dixerit, do lego unũ ex fundis meis. Sed ſi dixerit do lego fundum, uel quid ſimile, in generalioribus uel generaliſſimis conſiſtens, ut animal, corpus, ſubſtantiam, rem, inutile eſt legatum, & deriſorium, habeat, uel non habeat, legans talia. Nam ſi legatum tale ualeret, dici poſſit quod hæres præſtando etiam uiliſſimum corpus, ſiue animal: ut picam, muſtelam, ſe liberaret. Quid ergo, ſi quis per ſpeciem ſpecialiſſimam legauerit, ut hominem, equumúe cuius erit electio hæredis an legatarij? ſed erit legatarij et certe legatarij eſſe debebit electio, ut legit̃ Inſtit. et ff. de legat. j. l. duos. Quid ergo dicemus? in poteſtate eſſe hæredis dare quem uelit, nõ tamen uiliſſimum, ſed ſi moram fecerit optio transfertur ad legatarium, ut ff. de legat. j. l. apud, & l. cum rem. & l. huiuſmodi. § ij. uel forte diſtinguendum eſt ita, ſi apparet, quòd de certo homine teſtator ſenſerit: nec tamen appareat, de quo certo cogitauerit, electio hæredis erit. Si uero nihil horum apparuerit electio erit legatarij. Item illud aduertendũ eſt, quòd ſi cui legatus fuerit fundus Cornelianus: licet uſufructus dicatur pars dominij, eius tamen fundi uſumfructum ſeorſum legatarius petere non poterit, ut ff. de legat. ij. l. Lucio. Nam aliâs ſi cui legatũ fuerit, eius partem poterit admittere, & aliã repudiare, licet illius unius legatarij hæredes hoc poſſunt agere, ut ff. de legat. j. l. legatarius. Sed & hoc forte debet intelligi, ubi plures ſunt hæredes. Si enim unus tantum legatario extitiſſet hæres, ſicut legatarius totum legatum admittere debet uel repudiare, ſic etiam hæres eius

unicus

unicus. Legatum relictum interdum peti poteſt actionibus tribus, interdum
duabus, interdum una tantum. Tribus tantum: puta ſi res legata legantis fue-
rit, poterit perſonali actione, id eſt ex teſtamento peti, ab hærede poterit uindi-
cari, à quocunqꝫ poſſidente poterit etiam per hypothecariam intentari. quippe
omnia bona hæredis ſi fuerunt legantis tacitè ſunt hypothecata pro legatis præ
ſtandis. Si res aliena fuerit legata, duæ tantum actiones competunt, perſonalis
ex teſtamento, & hypothecaria. Si liberatio fuerit legata una tantum competit
actio, id eſt perſonalis ex teſtamento, per quam hæres compellitur legatario ac
cepto facere, ut C. cõmunia de legat. l. j. & ij. Sed etiam præter actionem in hoc
caſu legatario doli mali data eſt exceptio. Deficit legatum ab initio & ex poſt-
facto. Ab initio, aliâs rationc legantis, ut ſi furioſus legauerit, uel is qui prius
debuerat, quàm habuerat: aliâs ratione legatarij, ut ſi legetur ſeruo hæredis uni
us proprio: aliâs ratione perſonæ, ut ſi legetur ab exhæredato uel eius ſubſtitu-
to, ut C. eod. l, antepenult. aliâs deficit ratione rei, ut ſi legetur quod nec eſt, nec
eſſe poteſt, ut chimera: uel id quod eſſe deſijt, ut homo mortuus: uel id quod eſt
in uotis dei hominum cenſura, ut res ſacra: uel id quod nõ eſt in patrimonio, ſed
in uſu populi, ut forum, theatrum, campus Martius. Excipitur niſi iuſſu prin-
cipis hoc fieret, nempe aliâs furioſi eſt talia legare, ut ff. eod. de legat. j. l. apud.
Item turpe legatum ab initio nullum eſt, ut ff. de legat. j. l. turpia. Item ab initio
nullum eſt legatum rei propriæ legatæ purè, ſecus ſi legetur ſub conditione, ſi-
cut dicitur in uindicatione. Aliquando tamen alicui utiliter legatur res propria,
puta quia is qui legat, in ea ius habet, ut in emphiteuta, fundi uectigalis condu-
ctor, ſuperficiarius, ut ff. de legat. j. l. ſi tibi. Superficiarius enim ſuperficiem re-
ctiſſimè legat. Sed & ſi nullum ius in rem tuam habeam, ſed illam tantum debi-
tam, ut exceptionem, rectiſſimè tibi lego. Sed etiam ſi ego creditor tibi legaue-
ro pignus tuum ualebit legatum. In his enim caſibus legare intelligor non rei
dominium, utpote quod non habeo ſed oneris laxitatem, debiti remiſſionem,
ut ff. de legat. j. l. ſi dominus. § ult. Ex poſtfacto deficit legatũ, aliâs ipſa re, aliâs
propter factum teſtatoris, aliâs propter factum legatarij. Re ipſa deficit legatũ,
ut ſi hæreditas non adeatur. Nam teſtamento facto, & hæreditate non adita ab
hærcde inſtituto uel ab inteſtato omiſſa cauſa teſtamenti illa legata à legitimo
non præſtabuntur: niſi ab eo fuerunt repetita, ut C. ſi omiſſ. cauſ. teſtamen. l. j.
& C. ad Trebel. l. nõ iuſtam. Item deficit re ipſa ſi de debito nihil ſit reſiduum.
Deficit propter factum teſtatoris ſi teſtator mutauerit legatum, ademerit. defi-
cit propter factum legatarij, ſi legatarius teſtamentum cælauerit, rem legatam
ſubtraxerit, ut C. eod. l. antepenult. & l. non eſt dubium. Sed & non ineptè di-
ci poteſt ex poſtfacto deficere legatum propter hæredis factum, puta ſi hæredi-
tatem non adierit, puta ſi hæres hominem à ſe legatum occiderit in facinore, ut
in adulterio uxoris ſuæ deprehenſum, ut ff. de uerb. obligat. l. quid: licet hæredi
tas legatario ad tempus relinqui poteſt, tamen poſtea remeabit ad hæredem,
ut C. eodem lege ultima. Item illud notandum eſt, quòd ille qui ab hoſtibus re
demptus eſt, legari ſibi poterit, proficietqꝫ tale legatum ad liberationem uincu-
li pignoris quod in eo habuerit redemit, ut ff. de legat. j. l. ſenatus. Item illud de
ficit, quia ſi Titio eſt legatum & duo eiuſdem nominis amici teſtatoris legatum
petant, ut ff. de legat. ij. l. contra. & l. ſiquis. Item illud notandũ eſt, quòd ſi ſub
conditione uel ex die certa nobis legatum ſit, ante conditionem uel diem: licet
de eo paciſci ualeamus, illud tamen repudiare non poſſumus, ut ff. de legat. ij.
l. ſi ita. Item illud notandum eſt, quòd nõ prius de conditione cuiuſquam quæri
oportet quàm ad eũ hæreditas, legatumúe pertineat, ut ff. de legat. ij. l. nõ opor
tet. Item & illud notandum eſt, quòd ſi cui res aliqua legata fuerit, eamqꝫ etiam

pro parte legatarius ſuam eſſe uoluerit, totam tamen adquirit, ut ff. de legat. ij. l. ſi cui. Item & illud notandum eſt, quòd ſi hæres rem legatam ignorans conſumpſerit, licet de rigore non teneatur, uel ex teſtamento, uel ad exhibendum actione: attamen per in factum actionem legatario conſuli debet, ut ff. de legat. iij. l. ſi hæres. Item illud quod nõ uarijs actionibus legatario permiſſum eſt uti: ſed ut latior ei ſit facultas agendi, & ex una quæ fuerat electa, legatum petere, ut ff. de legat. ij. l. cum filius. Item & illud notandum eſt, quòd ex imperfecto teſtamento nec Imperator legatum uindicabit. decet enim tantæ maieſtati ſeruare eas leges, quibus ipſe ſolutus eſſe uidetur, ut ff. de legat. iij. l. ex imperfecto. Item & illud notandum eſt, quòd ſi cui annuum fuerat relictum etiam ſine adiectione ſummæ, id legatarius percipiet, quod teſtator præſtare ſolitus fuerat: ſi minus ex dignitate perſonæ ſtatui oportebit, ut ff. de legat. iij. l. ſi cui. Item & illud notandum eſt, quòd ſi teſtator alij fundum Cornelianum legauerit, alij uſumfructum: licet eius propoſiti fuerit, ut alius uſumfructum haberet, & alius nudam proprietatem, tamen (quia ſicuti debuit non legauit) uſusfructus inter eos communicabitur: & ſic plus ualebit hic ſcriptura, quàm id quod actum eſt, ut ff. de uſufruct. legat. l. ſi alij. Item & illud notandum eſt, quòd ſi teſtator dixerit, Scorpium ſeruum meum Sempronio ſeruire uolo, nõ uidetur proprietas ſerui relicta, ſed uſufructus, ut ff. de uſufruct. legat. Item & illud notandum eſt (ut ait Papinianus) quòd ſi maximè teſtamenti factio cum ſeruis alienis ex perſona dominorum eſt, ea tñ quæ ſeruis relinquuntur ita ualent, ſi liberis illis factis relicta poſſent ualere: & ideo ad fundum domini uia ſeruo fruſtra legatur, ut ff. de ſeruit. legat. l. & ſi.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE. TIT. XXXVIII.

QVia in legatis relinquendis de quibus dictum eſt, & fideicommiſſis de quibus dicendum, ſæpe uerba ambigua ponũtur, adnectamus de ſignificationibus uerborum ſignificantium, & rerum ſignificatarum. Verba enim ſignificant, & res ſignificantur. Gerit hoc uerbale nomen: ſignificatio, utranq; ſignificationem actiuã & paſſiuam. Sed & res ſignificant. quippe archa diluuij eccleſiam ſignificauit, ſerpens æneus in deſerto à Moſe erectus, Chriſtum ſignificauit. quandoq; à uerborum ſignificatione non aliter recedi oportet, quàm cũ manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem, ut ff. de legat. iij. l. non enim aliter. Ergo qui duos mulos habebat, & legauit ita, duos mulos do lego debebuntur etiam mulæ. Nam & mulæ muli ſunt, ſed mulæ non ſunt muli. Semper enim ferè maſculinus ſexus continet fœmininum, & nõ econtrà. Illud enim peſſimum & abſurdum foret, ut ff. eod. l. ij. l. ſi ita. et ff. de legat. iij. l. qui duos. Quid ergo ſiquis legauerit ſeruos lecticarios, & idem ſit lecticarius & cocus accedit legato. Si alij legant uernæ, alij curſores ſi ijdem fuerint curſores & uernę curſoribus cedent. ſemper enim ſpecies generi derogat. ſi autem in ſpecie, aut genere utriq; ſint, plærunq; communicabuntur, ut ff. de legat. iij. l. ſeruis. Quid ergo ſi teſtator legauerit his uerbis. QVAE IN DOMO MEA MOBILIA SVNT DO LEGO. certe numi ibi repoſiti ut mutui darentur legati non erunt. at hi, qui præſidij cauſa repoſiti ſunt, ut quibuſdam bellis ciuilibus factitaſſet, legato continebuntur, ut ff. de legat. iij. l. ſi chorus. Si teſtator legauit fundum inſtructum uelut inſtructus eſt: dolia, uina, iumenta, & fundi inſtrumenta continebuntur: niſi ignorante teſtatore legatarius aliqua gratia ampliandi legati intulerit, ut ff. de legat. ij. l. cum ita. Excipiuntur ea, quæ in fundum translata ſunt, ut ibi ſint in tuto. uel

ut ibi

ut ibi non ſint ꝑpetuò,ut uina uenalia. Nam etiamſi fundus fuerit legatus cũ his quæ in eo erunt:quæ ad tempus ibi ſunt non uidentur legata, & ideo pecuniæ quæ fœnerandi cauſa ibi fuerunt non ſunt legatę,ut ff.de legat. iij.l. ſi fundus. ſecus (ſicut dictum eſt) ſi fuerint ibi cauſa præſidij repoſitæ. Si teſtator legauerit cautionem,nec adiecerit qualem,ſuffiecit interponere nudam promiſſionem,nõ iuratoriam,non pignoratitiam,non fideiuſſorem:niſi ſpecialiter etiam de his adieciſſet,ut C.eod.l.iij. Si non teſtator ſimpliciter legauerit cautionem,ſed idoneam cautionem,uel pignoribus cauendum eſt,quorum utilitas irrepſit, uel fideiuſſoribus, ut ff. mandati l. ſi mandato. Si teſtator familiæ legatum reliquerit,primo loco ueniunt deſcendentes & conſanguinei, ſecundò uocabuntur nurus & gener quondam matrimonio tamen diſſoluto morte filiæ uel filij:uel tertio loco uocabuntur liberti. quanquam nurus,gener,liberti,nõ propriè ſunt de familia,ut C.eo.l.ult. In ſumma illud ſciendum eſt,quod quandoq; contra ſermonis ſignificationem:aut,diſiunctiua coniunctio accipitur ſubdiſiunctiuè,uel copulatiuè. Ecce em̃ ſi teſtator dixerit, HIC AVT ILLE SIT TVTOR. HIC VEL ILLE LEGATVM ACCIPIAT. ambo tutores erunt, ambo legatum capient. Porrò ſi in reb.diſiunxerit, & dixerit, HANC REM VEL ILLAM ILLI DO LEGO: non res utraq; ſed altera hæredis arbitrio duntaxat præſtabitur,ut ff.de uerb. ſignificat. Sed quæ ſit uarietatis ratio forte non eſt multum in manifeſto. Item in ſumma illud notandum eſt, quòd ſi quis legatum reliquerit ciuitati, ut ex eius redditibus quotannis in ea ciuitate celebretur ſpectaculum, quod illi celebrare non erat licitum, iudex tamen iubebit alium ludum fieri, quem facere erat permiſſum:ut memoria defuncti alio & licito genere celebretur,ut ff.de uſufruct.l.legatum.

SI OMISSA SIT CAVSA TESTAMENTI. TITVLVS XXXIX.

QVoniam ſæpe omittitur cauſa teſtamenti quando legata pręſtari debeant, & quando non,omiſſa cauſa teſtamenti uideamus. Et certe teſtamentum in quo relinquitur,ualet aut deficit ratione fidei non pietatis, aut ratione pietatis non fidei,aut utroq; modo. Si teſtamentum ualet, & is qui inſtitutus eſt in eo, adierit: ex eo legata præſtabit, Sed & ſi non ex inſtitutione,ſed & ex ſubſtitutione adierit,legata præſtabit. Sed & qui omiſſa cauſa teſtamẽti adierit ab inteſtato,inſtitutus purè uel etiam ſub conditione,cum potuerit,noluerit conditioni parere, legata præſtabit:ſiue ab inteſtato iure ciuili adierit,ſiue per bonorum poſſeſſionem iure prætorio,ſiue hæreditatem dolo malo reliquerit, ſiue ut nec poſſidere inciperet, malicioſè effecerit,ut ff.eod.l.j. Etſi ab inteſtato nanciſcitur aliquis nõ hæreditatem totam partemúe,ex qua inſtitutus eſt,ſed uel minimam portiunculam,uel etiam unam aliquam rem, tenetur hoc edicto, ut ff. eod.l.& ſi. Sed & ſi inſtitutus,pecunia accepta hæreditatem ſubſtituto omiſerit pro legatis conueniri poterit:ſubſtitutus quoq; ſi fraudem eum inſtituto participauerit,utiliter ex teſtamento poterit conueniri:ſed & exacto altero alter nõ debebit exigi,ut C.eod.l.j.& ff.eod.l.licet. Sanè ſi inſtitutus gratia ſubſtituto hæreditatem dimiſerit ſolus ſubſtitutus utpote poſſeſſor conueniri debebit,ut ff. eod.l.ſi quis. Prædicta obtinent ubi omni ratione teſtamentum tenet. Sed & ubi teſtamentum deficit,tamen ratione pietatis relicta præſtantur, ut authen. ex cau. exhæredationis. Sed & ſi nece teſtatoris interfecti nõ uindicata fiſcus adierit,uel propter adminiſtratum fideicommiſſum tacitum legata præſtabit.porrò

ſi teſtamentum defecerit uel ratione omni uel ſaltim ratione fidei,legata nō præſtabantur:nec ab inſtituto,utpote inutiliter:nec à legitimo hærede,niſi ab eo fu erint repetita,expreſſim taciteúe,ut C.eod.l.ij.& C.ad Trebell.l. non iuſtam. Excipitur,niſi hæres ex uoluntate defuncti ratione fidei relicta dependet, uel p triennium ut C.de fideiuſſ.l.j.uel niſi legatarius , qui tamen prius iurauerit de calumnia,ad fidem hæredis cucurrerit.tunc hæres aut ſe nihil tale audiſſe à teſtatore iurabit,aut legata uel fideicommiſſa dabit,ut C. de fideicommiſſ. l. ult. Quidam dicunt tale iuſiurandum in fideicommiſſis,& non in legatis locum habere. Item excipitur,ſi teſtator quando teſtamentum non cōſummauerit,ut uel iure codicilli ualeat,adiecerit.In ſumma illud ſciendū eſt, quanquā de inſtitutis hæreditatem omittentibus in legatorū perniciem loquatur prætor,tamen & ad legatarios,& ad fideicōmiſſarios res iſta ſerpit.Inde eſt,ꝙ ſi legatarius à quo fideicōmiſſum relictū eſt(ſicut ſæpe fit)id egerit ut omittatur hæreditas,doloq; id fecerit conueniri poterit.Illud ſanè eſt notiſſimū ꝙ ſi hæres hæreditatem uendiderit,quia hæres eſſe non deſijt,utiq; poſſidere uidetur:nec dolo fecerit quominus poſſideat,& ideo directa actione ex teſtamento urgebitur,ut ff.eo.l.ſiquis.

DE INDICTA VIDVITATE, ET DE LEGE IVLIA Miſcella tollenda. Tit. xl.

RElinquebatur olim à coniuge cōiugi,ut uiduus,uiduaúe maneat,& per legem Miſcellam tale legatum nō capiebatur: niſi de non conuolando ad ſecundum matrimoniū iuraretur:ea propter,quia ſæpe committebatur periuriū, legis Miſcellæ caſſetur imperiū:ne p leges , quæ periuria puniunt, uia periurijs aperiatur. Ergo relictū à coniuge uel ante coniugem hodie cuicunq; , ut uiduus uiduaúe maneat,poſt annū peti poterit,nō religione nō cautione pręſtita de nō uolando,ſed cautione præbita ſi fuerit conuolatū de reſtituendo . Sed infra annum poterit peti,ſi ſpes nuptiarꝝ defecerit,ut ſi legatarius monachus,uel ſacerdos factus fuerit:alioquin infra annū minimè,ut C.eo.authen.cui.Illud in ſumma notandum eſt, quod illud legatum per legem Miſcellam non confirmabatur,& per ſanctionē Iuſtiniani reprobabatur quod relinquebatur per ſi,uel per quando,uel per cum:ut ſi uiduus fuerit,uel cū uidua fuerit,uel quando ad cœlibatum peruenerit,hodie ualebit omnino,ut C.eo.l. j.& ult. Caueri aūt debet pro re immobili ſi perſona ſit idonea eadē cautione:alioquin fideiuſſor dandus eſt ſi præſtari poteſt, contractis nuptijs res data etiam uindicari poteſt. Quod ſic admittitur,& ſic eſt,ac ſi ei relictum non eſſet.

DE HIS, QVAE POENAE NOMINE IN TESTAmento uel codicillis ſcribuntur uel relinquuntur. Tit. xlj.

SI quid pœnæ nomine relictis adijcitur etiam ualet , & obtemperari debet,in dando,in transferendo,in adimendo. Quippe admittitur quandoq; ſimpliciter,quandoq; & amittitur & transfertur, ut habeatur relictū ſi fuerit poſſibile & honeſtum. porrò ſiquidem interdictum iniungitur cui : Nempe ſi interdicta conditio iniungitur ei,à quo relinquitur,relictum eſt ualidum:ergo ſemper proficit talis conditio cui adponitur:at interdicta conditio contractum uiciat & reddit inutilem,ut ff.de obligat.l. non ſolum . Sed forte licet actio ex tali contractu non naſcatur,conditio tamen ſubſecuta dominium transfert.

DE FIDEICOMMISSIS. TIT. XLII.

AVdiamus de legatis, imò ſeorſum inſeramus aliqua de fideicommiſſis. Et fideicommiſſa(ut & feuda)nomen et ſubſtantiam acceperunt ſeorſum à legatis. Hæc erant olim ſpecialia in fideicommiſſis. fideicommiſſa olim etiam ab inteſtato debebantur, legata minimè. Item fideicommiſſa olim non petebantur actione, legata utiq;. Item fideicommiſſa olim petebantur ex inutili uoluntate, legata minimè. Item fideicommiſſum nutu relinquebatur, legatum minimè. Item fideicommiſſarius olim quidem poterat compellere hæredem, ut adiret hæreditatem, legatarius minimè. Amplius ſciendum eſt, fideicommiſſum aliud eſſe expreſſum, aliud tacitum. Expreſſum, puta, rogo, uolo, ut des. Sed & ſi uerbum uolo defuerit ſubaudiri debebit, & ualebit, ut C.eod.l.uerbũ. Sed & ſi teſtator dixerit: ſi exiſtimaueris, ſi putaueris, ſi arbitratus fueris, ſi dignum duxeris, expreſſum eſt & ualidum fideicommiſſum: licet enim uoluntas expreſſa poſſit conferri in legatarium, in hæredem minimè, ut ff.de legat.j. l.ſi hæres, & ff.de legat.iij. fideicommiſſa. Tacitum fideicommiſſum eſt, puta ſi teſtator dixerit, ſciant hæredes mei me donaſſe. licet enim non ſit donatum tamẽ tacitum interpretamur fideicommiſſum, ut ff.de donat.l.ex hac, & ff.de legat. iij.l.Lucius. Simile fideicommiſſum reperitur C.eod.l.quamuis, & C.ad Trebell.l. non. Item fideicommiſſum tacitum eſt, puta ſi inſtitutis hæredibus filio & filia pater adiecerit, mando tibi filia non teſtari: præſumitur enim rogaſſe filiam ut hæreditatem relinqueret fratri, ut ff.ad Trebell.l.qui filium. Sed & tacitum fideicommiſſum eſt, ſi donationis prædiorum epiſtolam uerbis fideicommiſſi non ſubnixam in ædem ſacram mater poſuit, & literas tales ad Titium miſit. Inſtrumentum uoluntatis meæ poſt mortem meam filio meo tradi uolo, ut ff.de legat.ij.l.cum pater. § donationis. Item tacitum fideicommiſſum eſt ſi maritus uxore & matre hæredibus inſtitutis, ita cauit: à te uxor chariſſima peto ne quid poſt mortem tuam fratribus tuis relinquas: habes enim filios ſororum tuarum, quibus relinquas, & ſcis unum fratrem tuũ filium noſtrum occidiſſe, dum ei furtum faceret: ſed & alia mihi mala fecit. certè ſi adhunc fratrem legitima hęreditas ſororis peruenerit, ſororũ aliarum filij fideicommiſſum tacitum ab auo petere poterunt, ut ff.de legat.ij.l. Lucius. § penult. Item hæc uerba tacitum fideicõmiſſum imminuunt, te fili rogo, ut prædia quæ ad te peruenerint diligenter colas, & curam eorum agas, ut poſſint ad filios tuos peruenire: & ſic non ſatis exprimitur fideicommiſſum, ſed magis cõſilium, quàm neceſſitas relinquendi continetur, tamen illa prædia poſt mortem patris ex uerbis fideicommiſſi taciti nepotibus ſunt reſtituenda, ut ff.de legat.iij. l. fideicommiſſa. § hæc uerba. Amplius ſciendum eſt omnia, quæ dicta ſunt de legatis poſſe repeti & in fideicommiſſis, de perſonis legantium & legatariorum, & eorum à quibus legatur, & de diſtinctionibus rerum corporalium, mobilium, ſe mouentium, & mobilium præſentium, futurarum, alienarum, propriarum, obligatarum, & duplicatione, & adoptione, & de ſcientia, & de ignorantia. In ſumma illud notandũ eſt uſu derelicto à iudice monitus, ſi non præſtiterit illum infra annum, priuandus eſt: ſed ineptæ uoluntates defunctorum ſeruandæ nõ ſunt, puta circa ſepulturam uelut ſuperflua ab hærede nõ diſtrahantur, uelut reliquiæ in mare iactentur, ut C.de indig.l.v.& C.eod.l.ult.ff.de condit.inſtitut.& ff.de legat.j. l.ſeruo. Dabitur aũt compendium hoc quod aufertur ei, qui iuſſus eſt relictum præſtare, in primis ſubſtituto ſi defuerit coniunctus, poſtea minoris emolumenti fideicõmiſſario, poſtea ſpeciali fideicõmiſſario, uel legatario, poſtea fiſco: ſed ſi fiſcus noluerit poſtea cuicunq; extraneo, tñ idoneo & cauere parato de reſtituen-

do ſolido, ut C. eo. authent. amplius. Iſtud tamen ultimũ quod dicitur de extraneo uidetur fatuiſſimũ. In ſumma illud notandum eſt, ꝙ ſi fideicõmiſſum fuerit relictum cuicunq;, cum ipſe habere non poſſit propter corporis ſui uicium, uel etiam propter relicti qualitatẽ, alius habere tamen poterit, quanti ſolet comparari, tantam æſtimationem accipiet. Item illud notandũ eſt quia ſi hæres à teſtatore rogetur, ut aliquem hæredem inſtituat: licet inutiliter rogetur, quantũ ad hoc ut compellatur inſtituere, perinde tamen habendũ eſt, atq; ſi rogatus ſit hæreditatem reſtituere. Item illud notandũ eſt, quòd ſi teſtator uetuit hæredẽ quid alienare, nec cauſam expreſſerit propter quam id fieri uelit, nec inuenire perſonam cuius reſpectu hoc à teſtatore diſpoſitum eſt, uerum erit nullius momenti eſſe eam ſcripturã, & nudum eſſe præceptum. Quia talem legem teſtatores in teſtamento dicere nõ poſſunt, ſicut etiã aliâs cauere (prout dictum eſt) ne leges habeant locum in ſuo teſtamento, uel ne liceat ſibi primam uoluntatem infringere ut ff. de legat. j. l. filiusfamiliâs. § ſiquid. § ut quis. § diui. Item illud notandũ eſt, quòd ubi fidei hæredis aliquid donatum nominatim cõmittitur, ita demũ fidei commiſſum ualebit, ſi ille hæres extiterit: niſi ab alio repeteretur, ut ff. de legat. ij. l. Celſus. Item illud notandum eſt, quòd interdũ alterius nomẽ ſcribitur in teſtamento, alteri tamen fideicõmiſſi competit exactio: puta fideicommiſſum eſt, ut detur Arnaldo, pro Ignatio non tamen Arnaldus, ſed Ignatius petit, ut ff. de legat. iij. l. fideicommiſſa. § interdum. Item notandum eſt, quòd ſi quis pluribus hæredibus inſtitutis, unius fidei commiſerit, ut cum moreretur cui uellet reſtitueret, utile eſſe fideicommiſſum. Nec enim in arbitrio eius, qui rogatus eſt poſitum eſt, an omnino uelit reſtituere, ſed cui potius reſtituat. plurimum enim intereſt, utrum in poteſtate eius, quem teſtator eius obligari cogitat faciat, ſi uelit dare, an impoſita neceſſitate dandi, ſolius deſtribuendæ liberum concedat arbitrium, ut ff. de reb. dub. l. utrum. § ij. Item illud notandũ eſt, quòd potentior eſt mens, quàm uox. Nam & uocis miniſterio utimur. Cęterum nemo æſtimandus eſt dixiſſe, quod non agitauerit mente. quippe in ambiguo ſermone utrũq; dicimus, ſed duntaxat quod uolumus. itaq; qui aliud dicit, quàm uult. neq; id dicit quod uox ſignificat, quia nõ uult: neq; id quod uult, quia id non loquitur, ut ff. de ſuppell. l. Labeo, & ff. de reb. dub. l. in ambiguo. Item illud notandum eſt, quòd ſi is qui ſola xxx. reliquerat: Titio legauerat xxx. Seio xx. Meuio x. Titius xv. Seius x. Meuius v. conſequitur, ut ff. de legat. j. l. ſi quis. Item illud notandum eſt, quòd ſi quis habens tres lances, maiorem, minorem, minimam legando dixerit, do lego minorẽ, nõ minima, ſed media debebit vj. ut ff. de aur. & argent. legat. l. qui lancem. Res enim quæ minor eſt, non utiq; minima eſt, ſed omnis minima, minor eſt.

COMMVNIA DE LEGATIS ET FIDEICOMMISſis, & de in rem miſſione tollenda. Tit. xliij.

EXpoſuimus legatorum & fideicommiſſorum ſpecialia, nunc breuiter tractemus cõmunia de legatis, & de in rem miſſione tollenda loquamur. Hæc ſunt communia eadem & legata & fideicommiſſum ab eodem relinquuntur, eiſdem uerbis etiam non ſolennibus, utraq; relinquuntur in teſtamento, & ab inteſtato, eiſdem actionibus petuntur, eadem diſtinctio etiam perſonarum, & rerum habeatur. Nihil ualet legatum, nec fideicommiſſum, niſi aliquid lucri adferat ei, à quo relinquitur, ut C. eod. l. j. Porrò hodie nulla ſunt communia, nulla ſpecialia, quia (ut ita dixerim) in unum corpus conuenerunt. Omne enim legatum

gatum fideicommiſſum eſt,& omne fideicommiſſum legatum, ut Cod. eod. l. ij. In rem miſſio relictorum cum ſcrupuloſis ambagibus perpetuo abolita eſt, ut Cod. eod. l. j. Quippe is cui relictum eſt qui ſibi purè, & in ſpecie: ſi fuerit legantis, ſuo iure ab adita hæreditate poterit uindicare: ſi fuerit alienum perſonaliter poterit petere. In ſumma illud notandum eſt, quòd res quæ ſubiacent reſtitutioni prohibentur obligari, uel alienari: niſi in ſubſidiũ propter dotem, uel donationem propter nuptias.

DE FALSA CAVSA ADIECTA LEGATÓ VEL fideicommiſſo. Tit. xliiij.

OStendimus quæ ſint relictorum ſubſtantialia, nunc audiamus quæ ſint accidentalia: & quia accidentalium quædã ex uolũtate defuncti deſcendũt, quædam extrinſecus ueniunt (ut relictorum fructus & uſuræ) prius loquamur de his accidentalibus, quæ à teſtatore relictis inſeruntur, id eſt de falſa cauſa adiecta legato uel fideicommiſſo, de falſa demonſtratione, demum de cõditione. Sed quia demonſtratio confertur in futurum, de falſa cauſa primum dicamus. Falſa demonſtratio non uiciat legatũ, puta ſi teſtator dixerit: STICHVM SERVVM MEVM TVTOREM DO LEGO, & erat piſtor. PAMPHILVM VERNAM DO LEGO, & erat emptitius, non minus utercꝫ debebitur. Item legato falſa cauſa adiecta non nocet: puta ſi teſtator dixerit, TITIO DECEM DO LEGO: uel STICHVM SERVVM MEVM, QVIA NEGOTIA MEA CVRAVIT, QVIA FILIVM MEVM A MORTE LIBERAVIT. Idem ſi dixerit: DECEM, QVAE TITIO DEBEO, EI DO LEGO: licet enim nihil prædictorum interceſſerit, nihilominus debebitur, ut ff. de condit. & demon. in cõditionibus & C. eod. l. ij. Quod autem dictum eſt, cum diſtinctione gemina uerum eſt: ſi teſtatòr inſeruerit certam ſpeciem, certamúe quantitatem, ſed & ſi neutro deſignato teſtator dotem legauerit, nihil erit legatum: niſi quod probatur in dotem fuiſſe datum, ut C. eod. l. iij. Illa quocꝫ diſtinctio loco ſecundo adnectenda eſt, niſi hæ res probauerit teſtatorem ideo ſic legaſſe, nec aliâs legaturũ fuiſſe: niſi quia putauerit ita forte puta ſolutum debitum eſſe, ut C. eod. l. j. & ff. eod. l. quibus. Ea autem eſt phyſica quare falſa cauſa non obſit legato, quia legati cauſa, id eſt, legandi ratio non cohæret legato, ut ff. de condit. l. cum tale. § ult. Ideo autem legati cauſa dicitur legandi ratio, quia per rationales coniunctiones: quia, quoniam, quidem, allegatur: atqui ſi conditionaliter enunciatur, alia ratio relictum reſtituit ut Inſtitut. de legatis. Licet autem ubi teſtator falſam cauſam falſamúe demonſtrationem (ſicut dictum eſt) in hunc modum inſeruit, etiam non minus relictũ ualet: puta ſi dixerit, DECEM QVAE TITIO DEBEO EI DO LEGO. non tamen ualebit ſi dixerit, DECEM QVAE TITIVS MIHI DEBET TIBI SEIO DO LEGO. In his enim ultimis caſibus duobus nihil ualet relictum, ſi nihil eſt debitum, ut ff. de legat. j. l. ſi ſic. Quæ ſit autem uarietatis ratio, ad præſens exponere non laboro. In his quocꝫ quæ inter uiuos dantur ob cauſam præteritam, falſa cauſa repetitionem non inducit, ita tamen ſi is qui dedit donare uoluit; ut ff. de condict. indeb. lege damus, & l. in ſumma. Sanè ſiquis ideo dederit, quia creditur cauſa præceſſiſſe, ut tranſactio, iudicatio, nihil tamen horum præceſſit, repetitio competit, ut ff. de condict. indeb. l. eleganter. In ſumma illud notandum eſt, quòd aliâs nomen cauſæ pro controuerſia ponitur, ut Cod. de iureiuran. lege prima, aliâs pro condict. ut Codicis de iure dot.

l.ſi mulier & ff. de donat. l. ij. Interdum tamen ob falſam cauſam præteritam quid datum à muliere, puta in dotem, quæ credebat ſe obligatam, non repetatur. ſublata em̃ falſa opinione ſpeciali cenſura relinquitur pietatis cauſa ex qua ſolutum repeti non poteſt, ut ff. de condict. indeb. l. cum is. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd in hoc titulo: nomen cauſæ, & pro cauſa ponitur, & pro demonſtratione.

DE HIS, QVAE SVB MODO LEGATA SEV FIDEICOMMISSA RELINQVVNTVR. TITVLVS XLV.

MOdus conuenit cum conditione, quia confertur in futurum, ueluti conditio. Item deficiente modo, ſicut deficit relictum deficiente conditione, nõ obtinetur relictum. Differt modus à conditione quia forte antequam pareatur modo, relictum capitur: ſed ſi modo non ſit paritum, reſtituitur. Sed relictum ſub conditione, niſi poſt conditionis euentum, nec etiam peti poteſt. Item differt quia conditio concipitur: per ſi, modus: per ut. Ergo ſi quis ita legauerit Titia ubi filio aut illi nupſerit. porrò ſi Titiæ uicio morboúe contigerit ut non nupſerit, nihil Titia capiet.

DE CONDITIONIBVS INSERTIS TAM IN LEGAtis, quàm fideicommiſſis, & libertatibus. Titulus xlvj.

REgula iuris eſt, relictum ſub conditione peti poſſe, ea deficiente deficere, ut C. eod. l. iij. & iiij. eueniſſe conditio intelligitur, puta, ſi per eum qui iuſſus erat dare non ſteterit, ſed per eum qui debeat accipere: ſed emancipationis conditio morte patris intelligitur extitiſſe, ut ff. ad Trebell. l. mulier. Diſtinguitur autem conditio, quippe aliâs conſiſtit in faciendo, aliâs in non faciendo. In facto exiſtentes conditiones tripertitam recipiunt diuiſionem, ut detur, fiat, ut quid obtingat: uel econtrà, ne detur, ne fiat, ne quid obtingat. Ex his dandi faciendiq; conditiones, in perſonas collocantur, aut ipſorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum. tertia ſpecies uiuentium ponetur, ut ff. eo. l. in facto. In conditionibus autem conceptis in non faciendo locũ habet Mutiana cautio. Ei autem Mutiana cautione cauere debet ad quem deficiente conditione legatum, uel hæreditas pertinere poteſt, ut ff. eod. l. Mutianæ & l. is cui. ita tamen Mutiana cautio locum non habet, ſi per aliam conditionem actio legati differri potuerit, ut ff. eod. l. auia. Item conditionalis reſpicit in præſens, aliâs in præteritum. hæ etiam propriè nõ ſunt conditiones, aliâs in futurũ. Item quæ iam facta ſunt, quandoq; conditionis loco ponuntur. Quo caſu ſi teſtator dixerit ea quæ fieri poſſunt, expectatur donec fiant: at ſi ſcierit ſtatim debentur. Item in futurũ conditio confertur aliâs quod eſt neceſſarium, aliâs quod ad utrumlibet ſe habet. Dies quoq; incertus conditionem in teſtamento facit, ut ff. eod. l. dies. Item ſub conditione relinquitur, aliâs poteſtatiua, aliâs caſuali, aliâs mixta. Vbi ſub poteſtatiua relinquitur, oportet ei eſſe paritum ab eo, ut ff. eod. l. ij. Secus in alijs: quippe ſi legatũ ſit, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, & ignorante teſtatore nauis uenerit cõditio cenſetur impleta, ut ff. eo. l. hæc. prędicta aũt obtinẽt ita, ſi conditio

conditio fuerit poſſibilis & honeſta. nempe impoſſibiles conditiones & turpes legatarijs iniunctæ & pro nullis habentur, & ſunt remittendæ, ut ff. eod. l. iij, & l. non. Quarum conditionum numero plerunque eſt iuſiurandi conditio. Quippe ſiquid cui fuerit relictum ſi iurauerit ſe monumentum facturum, compellitur id facere ſolummodo iureiurando remiſſo, ut ff. eo. l. hæc ſcriptura. Item conditionum, quæ conferuntur in futurum triplex eſt natura, quædam enim referuntur ad id tempus quo teſtator uiuit: niſi dixerit, TITIAE DO LEGO SI MIHI NVPSERIT. Quędã poſt mortem producuntur: ut ſi dixerit, SEIO DO LEGO, ſi ad obſequias mei funeris uenerit. Quædam ad alterum pertinent: ut ſi dixerit, SI FILIO MEO NVPSERIT. Prima & ultima infinitum tempus habent. quandocunque enim nupſerit implebitur conditio, media ad certum tempus adſcripta eſt, ut ff. eo. l. conditionum. In ſumma illud notandum eſt, quòd libertatis fauore ſiquis iuſſus eſt pecuniam dare, & liber eſſe: cumque eam ad hæredem ferret per incurſum hoſtium amiſerit, non minus poſt libertatem tantam pecuniam dare debebit, ut C. eod. l. ult. Item iuſſus hæredi dare etiam donando hæredi, hæredis conditionem implet, ſed & nulli dando, ſi nullus ſucceſſerit, ut ff. eo. l. cum ita. Item illud notandum eſt, quòd conditiones extrinſecus non ex teſtamento uenientes, id eſt, quæ tacitè ineſſe uidentur, non faciunt legata conditionalia, ut ff. eo. l. conditiones. Illud quoque notabile eſt: ſi teſtator dixerit, ille ex illa muliere natus, ſi filium meum ſe eſſe probauerit, HAERES ESTO, nulla eſt inſtitutio, nullumque teſtamentum, ut ff. eo. l. Lucius. Item illud ſciendum eſt, quòd ſi ſic relictum ſit, SI TITII ARBITRATV NVPSERIT: ſi tamen aliàs competenter nupſerit capiet, ut ff. eo. l. cum tale §. iij. Item ſi Titiæ relictum eſt, SI TITIO NON NVPSERIT, quæ alibi nuptias non facile inuenire poſſit, lex adſcripta reſcinditur. legem enim reipub. utilem cauſa ſcilicet procreandæ ſobolis latam adiuuandam interpretatione, ut ff. eo. l. hoc modo. Item ſi adſcriptum ſit actum in eius municipij foro erit faciendum, in loco in quo is teſtator habuerit domicilium, ut ff. eo. l. qui. Item illud notandum eſt, quòd ſiquis ita legauerit, DVM VXOR MEA CVM FILIO FVERIT, hæres meus ei tantum dato, non tamen eſt exigendum ut ſecum ſit per omne momentum, ut ff. eo. l. ſiquis. Item ſiquis uxori legauerit in tempus liberorum non de natis, ſed de naſcituris illud debet intelligi, ut ff. eo. l. ſolemus l. cum uir. Item illud notandum eſt, quòd ſiquis duobus hæredibus quinquaginta dare iuſſus eſt, & fundum ſibi habere: uerius eſt ut conditionem ſcindere non poſſit, ne etiam legatum ſcindatur. Igitur quamuis alteri triginta dederit, nullam partem fundi uindicabit, niſi alteri quoque adeunti hæreditatem reliqua triginta numerauerit, ut ff. eod. l. qui duobus. porrò ſi duobus fundus fuerit legatus ſi centum dederint, & alter ex his ſuam partem, id eſt, quinquaginta dederit, fundi partem dimidiam aſſequi poterit, ut ff. eod. l. ſiquis legata. Item illud notandum eſt, ſiquis ita legauerit, TITIVM ET PANPHILVM, SEIO DO LEGO, ſi mei erunt cum moriar, & unum ex his alienauerit, alter tamen poterit uindicari. Nam hunc ſermonem licet pluralis ſit pro eo oportet accipi, atque ſi ſeparatim dixiſſet, TITIVM SI MEVS ERIT CVM MORIAR, Panphilum ſi meus erit cum moriar, ut ff. eo. l. falſa. Item illud notandum eſt, quòd ſiquis eum, cui reliquerit, rogauerit: ut ſi ſine liberis inſtitutus diem obijſſet, iſque nepotem, quem ex filio ſiue filia ſuſceperat, hæredem inſtituerit, deficit fideicōmiſſi petitio: niſi alia defuncti uoluntas euidenter probetur, ut C. eod. l. j. Sed econtra ſine liberis dicitur deceſſiſſe qui liberos reliquit, puta ſi eos cum eſſet deportatus generauerit, intelliguntur quaſi ex familia nati, ut ff. ad Trebell. l. ex facto.

DE VSVRIS VEL FRVCTIBVS LEGATORVM SEV FIDEI-commiſſorum. TIT. XLVII.

DIximus de legatorum & fideicommiſſorum accidentibus ex uoluntate de
functi deſcententibus, nunc dicamus de extrinſecus uenientibus, ut de
uſuris relictorum,& fructibus. Relictorum uſuræ, & fructus, poſt litem conte-
ſtatam ueniunr. Sed & aliâs poſt moram forte. Sed & præter moram ex ſola re-
tardatione in perſonis minorum. Sed & poſt uictoriam fructus à uicto percepti
etiam tempore quadrimeſtri: ſi tamen uictus ante iudicium in mora fuerit, ſunt
præſtandi: alioquin minimè, quanquam mora non præcedenti non facile ad iu-
dicem poſſit peruenirl, ut ff. co. de uſur. l. in fideicommiſſi. In uſuris puto contra
dicet aliquis, ergo poſt mortem legatarij ancillarum præſtabitur partus, equa-
rum fœtus. Equicio autem legato etiam poſt moram, gregis incremento fœtus
accedunt: quæcunq; ſit uarietatis ratio, ut ff. de uſur. l. equis.

DE SENATVSCONSVLTO TREBELLIANO. TIT. XLVIII.

DIſſeruimus de augmentis relictorum, nunc audiamus de diminutionibus
ipſorum: & quia relicta uniuerſalia, quæ ſunt digniora, minuuntur per
Trebell. ſingularia defalcantur per legem falcidiam, primò de Trebelliano lo-
quamur & de incertis perſonis. Videamus itaq; quare Trebellianum ſit pro-
ditum, quid loquamur de hæreditate reſtituenda, quis de reſtituendo rogetur,
qualiter rogatio fiat, quæ & quot ſint remedia Trebelliani, ut ſi poſt reſtitutio-
nem conueniantur exceptione utãtur, & ut experiantur, ut ff. eo. l. j. §. ij. Roga-
ri poteſt hæres legitimus de reſtituenda hæreditate, parteúe ab inteſtato: ſucceſ-
ſor quoq; ex teſtamento etiam filijfam. qui potuit teſtari, bonorum quoq; poſſeſ
ſori fideicommiſſarius quoq; etiam adulto ſuo: & econtrà, tutor quoq; pupillo:
& econtrà, ſed pupillus tutore autore tutori non reſtituet: filius quoq; patri, &
econtrà, ut ff. eo. l. cogi. Rogatur quoq; & priuata perſona, & honorata, & cor-
pus, & collegium, fiſcus quoq;, ciuitas rogari poteſt, ergo & ciuitas Placentia,
Placentini patria. unde mihi origo eſt, nomenq; accepi. Rogatur autem aliâs de reſtituenda hære-
ditate, aliâs ſua, aliâs de eius parte, ut ff. eo. l. ita. §. Trebellianum. Sed ut Trebel
liano ſit locus, non ſufficit hæredem rogari: niſi & quaſi hæres rogetur, ut ff. eo.
l. mulier §. ult. non de re certa uel de quantitate, ſed tantum de uniuerſitate, ut
ff. eo. l. cogi. §. j. fit aũt rogatio etiam purè & ſub conditione, & ex die certo, &
in diem certum, & per ſcripturam & ſine ſcriptura. Nec refert ſiue dicatur, rogo
reſtituas bona mea, res meas, facultates, uel pecuniam meam, familiam, ſub-
ſtantiam, uel cenſum meum, patrimonium, ut ff. eo. l. nam. Quatuor ſunt reme-
dia Trebelliani ſenatuſcon, hæredis compulſio, actio competens fideicommiſ-
ſario, exceptio Trebelliani, & beneficium quartæ, quod datur hæredi. Compel
litur autem hæres per fideicommiſſarium adire rogatus hæreditatem ſibi reſtitu
ere: licet aliâs liberũ ſit adire hæredi inſtituto, præterquam ſeruo proprio. cogi-
tur autem etiam pater hæres à filio per prætorem, à ſeruo dominus cui rogatus
eſt etiam libertatem dependere, ut ff. eo. l. cogi. §. ſi pater. Sed & ſi prætor inſti-
tutus fuerit rogatus reſtituere, licet non poſſit compelli adire per alium præto-
rem, compelletur per Imperatorem. Prætor enim licet quandoq;, uix tamen offi-
cio duarum partium fungitur, triplici tamen fungi non poteſt, id eſt hæredita-
tem ſuſpectam dicentis, & cogentis, & coacti, ut ff. eod. l. ille. filius quoq; fami-
liâs præter patrem ſuum non dignitate præditum hæredem inſtitutum, & de re-
ſtituendo

ſtituendo rogatum, adire compellet. Nam quod ad ius publicum attinet, filius familiâs non ſequitur ius poteſtatis, ut ff. eo. l. nam. Adire autem hæreditatem cogitur, non tantum is hæres qui ſuſpectam dicit, ſed & qui eam repudiauit. Sed & ex aſſe inſtitutus quis hæres qui ſolidum capere non poterat, adire cogitur & reſtituere, ut ff. eo. l. cogi §. hi qui. Datur autem actio ex Trebell. fideicommiſſario, utilis fideicommiſſaria hæreditatis petitio, ut ff. de fideicom. hæredita. petit. l. j. & ff. eod. l. j. §. ij. Trebell. exceptio poſt factam ſibi reſtitutionem datur fideicommiſſario, id eſt, ut non conueniatur, niſi pro dodrante. Similiter datur exceptio hæredi, id eſt, ut non conueniatur: niſi pro retento quadrante. ergo ſi hæres totam hæreditatem reſtituit, uel quia ſponte, uel quia ſuſpectam dixerit, fideicommiſſarius in ſolidum conuenietur, & nulla exceptione utetur, ut ff. eo. l. ita §. qui ex. Sanè ante reſtitutionem hæres in ſolidum conuenitur, nec exceptione utitur: imò ſi creditoribus de proprio ſoluit, poſt reſtitutionem contra fideicommiſſarium nego. geſt. iudicio experitur, quia hæres eſſe non deſijt de rigore conuenitur in ſolidum, ſed exceptionis habetur remedium. Fit autem reſtitutio hæreditatis etiam fideicommiſſariæ abſenti procuratori prætorem adeunti ut ff. eo. l. apud. Ita tamen ſi de rato caueat. Verum hoc caſu, ſi hæres, qui ſuſpectam dicit de mandato dubitat, non eſt compellendus ad dationem propter fragilitatem cautionis, ut ff. eo. l. qui ita. Facta in fideicommiſſarium reſtitutione res fiunt eius cui reſtituta hæreditas eſt, ut hæredis etiamſi nondum nactus fuerit poſſeſſionem, ut ff. eod. l. facta, reſtituitur enim hæreditas traditionis facto, patientia quoque, ſed & uiuæ uocis uerbo, ſed & per epiſtolas, & per nuncium, ſed & alius reſtituit, te uolente, iubente, ratum habente, ut ff. eo. l. reſtituta. Beneficium quartæ retinendæ datur hæredi reſtituenti, niſi uel ſponte totam reſtituerit, uel hæreditatem ſuſpectam dixerit. hoc ultimo caſu nullum commodum ex teſtamento conſequitur, quod habiturus non eſſet, ſi hæres non fuiſſet, ut ff. eodem l. ita §. iij. Hæc autem quarta etiam aliâs aucta eſt pro numero liberorum, & triens uel ſemis facta eſt, non per Trebellianum, ſed per Iuſtinianum. aliâs nec in hanc quartam, imò tertiam uel dimidiam fructus imputantur: Licet teſtator id minus legitimè & ineptè mandauerit, ut C. eodem l. iubemus. Ergo ſicut legatur fructus in quarta, de ea, quæ per Trebellianum, ac per falcidiam introducta eſt intelligatur, uel non inter liberos locum uendicet. In tribus caſibus utiles actiones hæreditariæ in fideicommiſſarium ipſo iure tranſeunt: puta ſi hæres antequam reſtituat ſine ſucceſſore deceſſerit, ſi ſe cælauerit, ſi à fideicommiſſario in alium fideicommiſſarium translatio iuſſa eſt fieri, ut C. eodem l. penult. Ceſſat autem reſtitutio; aliâs propter liberos, aliâs quia hæres ſe monachauerit, ergo ſibi dominum hæredem fecerit, ut authen. de ſanc. epiſc. §. ſed &. Quid ergo ſiquis fuerit rogatus non hæreditatem reſtituere: ſed quod ex hæreditate perceperit cautionem exponet, quòd quartam inſtitutionis fideliter ſeruabit. Nec enim impune erit ei qui purè rogatus eſt reſtituere, ut ff. eodem l. j. §. vj. Item ſciendum eſt, quòd ea quæ ab hærede ſint alienata, in quartam imputantur hæredi Item in portione reſtituenda & perceptiones continentur, ut ff. eodem l. Marcellus §. res & quidam. Item illud notandum eſt, quòd legatus tempore legationis compellitur adire, licet non niſi reuerſus domum reſtituat, ut ff. eodem l. ſi legatus. Amplius illud notandum eſt, quòd cum ex Trebelliano reſtituitur hæreditas, ſeruitutes, quas mutuo prædia hæredis & teſtatoris habent nihilominus ualent, ut ff. eodem l. ſi hæres. Ad hoc notandum eſt de euictione rerum quæ reſtituuntur hæredi fideicommiſſario hæres cauere non debet cum reſtituit hæreditatem: quinimò in contrarium caueri hæredi oportet, ſiquid ex his euictum eſſet, quæ ab ipſo hærede ueniſſent, ut ff. eodem l. de euictione. Illud quoque

ſciendum eſt, quòd is qui rogatus eſt reſtituere, quod ex hæreditate ſuperſit, quartam inſtitutionis quam cogitur fideicommiſſario ſeruare, in quatuor caſibus poterit imminuere: cauſa dotis, donationis propter nuptias, pro redimendis captiuis, & ſi non habet unde expenſas faciat. Item ſciendum eſt, quòd pater inſtitutus hæres, rogatusq; hæreditatem reſtituere filijs ſuis pro fideicommiſſo reſtituendò, ſatiſdare non compellitur: niſi teſtator id dixerit, uel niſi parens ad ſecundas nuptias uenerit, ut C. eod. l. iubemus. Amplius notandum eſt, quòd ſi pater filios ſuos hæredes inſtituerit, & ſingulos rogauerit, ut qui ſine liberis decederet partem ſuam hæreditatis ſorôri fratriue reſtitueret, alter alteri aut matri ſi frater non ſupereſſet, & adiecerit: Voſq; liberi chariſſimi hoc fideicommiſſo inuicem teneri uolo, donec binos liberos educaueritis. Licet alter ſine filijs deceſſerit, ſi tamen antea procreauerit, fideicommiſſi onere liberatus erit, ut ff. eo. l. hæredibus. Item notandum eſt, quòd & incertis perſonis, ut pauperibus, captiuis, ſimilibusq; libertas, & hæreditas, & legatum poſſit relinqui, ut C. de epiſcopis, & in ff. de legat.

AD LEGEM FALCIDIAM. TIT. XLIX.

OStendimus ſuprà qualiter minuantur uniuerſalia relicta, nunc aduertamus qualiter lege falcidia defalcantur ſingularia. Videamus itaq; unde dicatur falcidia, & quot ſint, cui prodita ſit falcidia, in quantum, quando ratio falcidiæ ſit ineunda. Dicitur autem falcidia à falce, id eſt, diminutione, quam ſingularibus relict. imponit, uel à Falcidio autore. Tres ſunt falcidiæ. prima eſt ea, quæ defalcat ſingularia relicta, de qua ad præſens agendum eſt, & propriè uocatur falcidia. Ea quoq; quartæ retentio, quæ datur hæredi inſtituto hæreditatem reſtituere rogato, falcidia nuncupatur. Sed abuſiue ponitur Trebellianum pro falcidia, & falcidia pro Trebelliano, ut C. fam erciſcun. l. ſi cogitatione. Porrò quoq; lege naturæ filijs debita, quæ appellatur debitum bonorum ſubſidium, licet impropriè, dicitur falcidia, ut C. de iniuſt. teſta. authen. unde & ſi parens. Prodita eſt falcidia hæredis cauſa. nam & ei tanquam ſuo iure renunciari poteſt ut ff. eodem l. poteſt. Ergo competit hæredi & horum poſſeſſori, & fiſco qui peccatoribus ſuccedit. Sanè legatarius & fideicommiſſarius, licet reſtituatur ei hæreditas ex Trebell, non utitur l. falcidiæ beneficio, ut ff. eo. l. lex. Licet uideatur actori aduerſari & obloqui, ut ff. eo. l. pœnales. §. ſi Titio. Sed non incompeten ter dici poteſt etiam teſtatorum gratia, ne inteſtati moriantur, falcidiam fuiſſe excogitatam, ut Inſti. eo. §. j. Legis falcidiæ ponitur ratio deducto omni debito. ergo ſi nihil eſt reſiduum, uel plus debuit, quàm relinquitur, qui legauit: quia legata nō tenent, nec falcidia initur. Sed quidem reſiduum in quartam defalcabitur penes hæredes remanſuram, tres partes ferunt legatarij. Datur hæredi legis falcidiæ beneficium etiam retinendo, & repetendo. Nempe ſi hæreditatem tenet, regulariter de relictis ſingulis falcidiam, id eſt, quartam retinet. Sed & ſi per errorem facti integra legata ſoluerit, ut defalcare poſſit, repetit. Si per errorem iuris integra legata ſoluerit, uel de ſoluendo cauerit, non repetit, ut C. eod. l. error. & l. ult. multo fortius, ſi hæres maior ſciens etiam ſponte integra dependit non repetit. Habet autem locum lex falcidia in legatis, in fideicommiſſarijs, in donationibus cauſa mortis, in donationibus inter uirum & uxorem quando fideicommiſſi partibus funguntur, id eſt, quando mortis indiget confirmatione licet non inſinuatione, ut C. eodem l. in donationibus. Sunt enim quædam donationes inter coniuges, quæ ab initio ualent & non admittunt diminutionem: licet exigant inſinuationem. Ceſſat falcidia tribus modis, ratione perſonæ, rei, cauſæ,

cauſæ. Ratione perſonæ, ut in teſtamento militis propter priuilegium teſtantis. Ratione quoq; inſtitutæ perſonæ ceſſat, puta: ſi rem legatam ſubtraxerit de hæreditate, uel negauit eam rem hæreditariam eſſe contendendo rem eſſe ſuam propriam, & de mendacio conuincitur, ut ff. eod. l. hæreditatum. Ratione rei ceſſat, puta: ſi filio exhæredato quid uice legitimæ fuerit legatum. hoc enim legatum non eſt cenſendum legatum: imò uelut debitum bonorum ſubſidium non eſt defalcandum, ut C. de inof. teſt. l. ſancimus. Ridiculum enim foret falcidiam per falcidiam falcem amittere. Ratione cauſæ ceſſat multis modis. ceſſat, puta: ſi deducto debito nihil eſt reliquum, ſi relictum eſt impietatis officium, ſiquid relictum eſt ne alienetur, ſi hæres non fecit inuentarium, ſi teſtator expreſſim præceperit ut falcidia ceſſet. Hoc autem intelligo in non filio. Nam filius non ingratus, nedum in falcidia grauari non poteſt, ſed nec etiam patris imperio fructus ei computantur. Ceſſat quoq; falcidia propter cauſam, ſi hæres ſubſtantiæ menſuram ſubtiliter agnoſcens quædam legata in ſolidum præſtiterit. nempe nomine legatorum integriter præſtitorum ex alijs legatis nondum præſtitis, nihil retinebit, ut C. eodem l. ſi prædiorum. dos quoq; licet obloquatur, ut ff. eodem l. ſi ex pluribus. Sed & adhuc quoq; rei ratione ceſſat falcidia, ut in inſtrumentis prædiorum, ut C. eo l. ſi prædiorum. dote quoq; legata mulieri, falcidiam non amittit: quoniam mulier rem ſuam non recipit, ut ff. cod. l. ſi uſusfructus. Item ſi hæres id egerit ut fideicommiſſum intercidat falcidia non competit, ut ff. eod. l. beneficio. In ſumma notandum eſt, quòd id quod natum hæreditati debetur, licet non petitur quia tamen ſolutum repetitur, in hæreditate computatur, ut ff. eo. l. j. §. id quod. Id quoq; computatur quod hæreditati ſub conditione debetur, aut cautionibus res explicatur, aut ita ratio habetur tanquam purè debeatur, ut ff. codem l. in quantitate. §. ij. Item illud notandum eſt, quòd legata ſeruitus, quia diuidi non poteſt, non aliter in ſolidum reſtituetur, niſi partis æſtimatio offeratur, ut ff. eodem l. lege. Item illud notandum eſt, quòd ſi is qui in bonis tantum unum ſeruum habeat, illum Titio legauerit, eiuſq; fideicommiſerit, ut illum poſt triennium manumitteret, debet ex eo quod interim ex operis ſerui ad Titium peruenire poteſt, hæres falcidiam habere debet, ut ff. eodem l. cum quo Amplius ubi ratio legis falcidiæ ponitur, corpora quæ ſunt in bonis defuncti, ſecundum rei ueritatem æſtimanda ſunt, hoc eſt, ſecundum præſens pretium: nec quicquam eorum formali pretio æſtimandum eſt. Quippe pretia rerum non ex adfectu ſingulorum, ſed communiter æſtimari debent, & ſecundum tempus præſens. Eſt autem præpoſterum nos antè dici locupletiores quàm adquiſierimus, ut ff. eodem l. pretia. Item illud notandum eſt, quòd ſi legato petito legatarius in litem iurauerit, non id quod pœnæ cauſa acceperit, ſed quanti re uera id fuerit quod petitum eſt, in legem falcidiam uenit, ut ff. eodem l. cum pater. Item legis falcidiæ beneficium etiam longe poſt mortem teſtatoris hæres implorare non prohibetur, ut ff. eodem l. legis. Amplius illud non inargutè dictum exiſtimo non prætereundum, quòd ſi hæres inſtitutus hæreditatem quæ non eſt ſoluendo uendiderit, ueruntamen nihil legatarius habebit, quia magis ex ſtultitia emptoris habere uidetur inſtitutus et ex ſua induſtria, quàm ex bonis defuncti. Nam econtrario, ſi male uendiderit res hæreditatis, non erit legatariorum detrimentum. Itaq; ergo à contrarijs commodum debet eſſe hæredis, ſi bene rem adminiſtrauerit. Sed & ſi is qui ſoluendo non eſt legauerit, & hæres cum creditoribus deciderit ne ſolidum ſoluat, & ob eam deciſionem factum ſit, ut aliquid retineret, nihil tamen legatarijs debiturum. quia pecuniam eam non ex hæreditate, ſed ex deciſione habet, ut ff. eodem l. iij.

DE CADVCIS TOLLENDIS. TIT. L.

EXplicauimus de relictis, ut ita dixerim, ſtantibus, id eſt, ualentibus, nunc ponamus de relictis cadentibus, id eſt, deficientibus, & ſic dicamus de caducis non admittendis ſed tollendis. Videamus itaq; quæ ſit deſcriptio caduci, quid ſit, quod dicatur caducum, quot erant olim genera caducorum, quot hodie. Aliâs remanent, id eſt, non cadunt, caducaúe non fiunt. Caducum eſt deficiens relictum: ſiue ſit generale, ut hæreditas: ſiue ſit ſingulare, ut legatum, fideicommiſſum. Et quidem ſi hæreditas relicta fuerit amiſſa, caduca quacunq; ratione, id eſt, ab inſtituto non fuerit admiſſa, tranſibit ad ſubſtitutum coniunctũ, loco tertio ad hæredem legitimum, loco quarto ad coniugem, loco ultimo ad fiſcum, ut C. eodem. §. penult. Caducorum, id eſt, deficiencium relictorum legatorum & fideicommiſſariorum tria erant olim genera, quædam enim pro non ſcripto dicebantur, quædam in cauſam caduci uocabantur, perſonæ quæ iam ante teſtamentum obierant his materiam dabant, occaſionemq; præſtabant bello ciuili. hæc cadencia relicta olim capiebãtur à fiſco & ſic prorſus erant caduca. Sed hodie tranſibunt ad ſubſtitutum coniunctumúe, ſi quos habuerit: ſi non, remanebunt penes eos, eumúe, à quo uel à quibus præſtanda fuerunt. penes hæredem legatariosúe. penes hæredes pro parte uirili: niſi ab uno ſolo fuerit relictum, uel niſi contrariũ à teſtatore inueniatur expreſſum. Lucrum tamen ita capient hi apud quos remanet, quia onus relicto adnexum non ſentient: niſi in funere faciendo uel in ſimili pietatis officio ſit conſtitutum, ut C. eodem. §. iij. & ff. de fideicommiſs. libertat. l. cum uero. §. ſi pro non ſcripto. In cauſam caduci dicebantur ea caduca, id eſt, deficiencia relicta, quæ perſonis tempore teſtamenti confectionis uiuentibus relinquebantur, ſed poſteaquam teſtator decederet, moriebantur & fiebant caduca. Idem erat ſi conditio ante mortem teſtatoris deficiebat, ſub qua relinquebantur: & hæc olim fiſcus capiebat. Sed hodie in his idem erit, quod dictum eſt in pro nõ ſcripto. Excipitur quia hi apud quos remanebunt, ſicut lucrum, ita ètiam grauamen ſentire debent: non ſolum ſi fuerit in dando, ſed & ſi fuerit in faciendo: ſi tamen id factum tale ſit quod poſſit explicari per alium, ut C. eo. §. ne autem. huius diuerſitatis quæ ſit ratio, quia Iuſtinianus omittit & ego prætereo. Sed & quare talia deficiencia relicta tale nomen acceperint, id eſt, in cauſam caduci lector ſolicitus inquirat. Expreſſim caduca ea uocabantur deficiencia relicta, quæ relinquebantur perſonis quæ uiuebant, & eo tempore quo teſtatores teſtabantur & moriebantur: poſt mortem quoq;, ſi tamen contingebat quod antè deficerent, quàm legatum caperent. Et hæc olim fiſcus capiebat, ſed hodie ad hæredes legatariorum tranſibunt: ſi tamen purè relicta fuerint, uel in diem certum. talium enim relictorum, id eſt, purè uel in diem certum relictorum dies cedit à morte teſtatoris: quantum ad tranſmiſſionem, non quantum ad dominij adquiſitionem. Ab adita enim hæreditate demum recta uia tranſeunt relicta. Porrò olim per mediam iuris prudenciam dies etiam relictorum purorum non cedebat ante aditionem, id eſt, tabularum aperturam, ut C. eodem. §. j. Sed hodie etiam poſt aperturam hæreditas ſola uoluntate aditur: & adita hæreditas tranſmittitur, non adita minimè: præterquam inter parentes, & liberos, ut C. de his qui ante apertas tabulas. Interdum tamen legatorum præfatorum dies cedit non à morte, ſed ab aditione: puta, ſi libertas fuerit relicta, ſi legatum fuerit ſeruo in teſtamento manumiſſo, ſi legatum fuerit ſeruo alij legato, ſi uſufructus, qui perſonam exigit fuerit relictus, uel

aliud

aliud perſonale, uſus, habitatio, ut ff. quan. dies legat. ce. l. ſi habitatio: & in alijs tribus caſibus, ut C. eo. l. iij. Sed & (ſicut dictum eſt) dies hæreditatis relictæ non cedit ab aditione. relictorum ſub conditione, uel in diem incertum, dies non cedit quantum ad tranſmiſſionem: nec à teſtatoris morte, nec ab aditione, ſed demum poſt diei incertæ uel conditionis euentum. excipitur forte inter parentes & liberos, ut C. de his qui ante apert. tabul. Ex prædictis colligere licet, quòd tolluntur ita caduca ut non ſint caduca. Sed & tolluntur quia non ſicut defunctus uoluit, ſed alio tramite incedunt. Quippe ſicut dictum eſt uel à ſubſtituto coniunctoúe tranſeunt. aliàs penes eos, à quibus relicta ſunt, remanent. Diſtinguitur niſi plures ſint cohæredes, & omnes ſint coniuncti alij diſiuncti. Item in pluribus legatarijs, ſi omnes fuerint uel tantum coniuncti, uel tantum diſiuncti cohæredes, & unus defecerit, eius portio ad alium pertinebit capientem pro parte hæreditaria. Sed ſi alij hæredes fuerint coniuncti, & alij diſiuncti, & unus ex coniunctis defecerit, eius portio tantum ad coniunctos pertinebit. ſi uero ex diſiunctis aliquid defecerit, portio non tantum ad diſiunctos, imò ad coniunctos ſpectabit. Hoc ita tam uariè, quia coniuncti in unum ueniunt corpus, & ſemper quod ſuum eſt occupant, diſiuncti autem ex ipſo teſtatoris ſermone ſuum habent, alienum non appetunt, ut C. eodem. §. ij. &. §. ne autem. ubi plures fuerint legatarij coniuncti, & unus defecerit, deficientis portio ad alios pertinebit: ſed non niſi pro parte uirili. niſi aliud fuerit actum etiam non niſi uolentibus. Differunt ergo legatarij ab hæredibus (ſicut expoſitum eſt) in duobus. Hæc ita tam uariè (ut ego puto) quia hæreditas ſicut epiſcopatus legatum adfert. Porrò ubi plures legatarij fuerint diſiuncti in legato capiendo, & poſſunt & debent concurrere, nec alter rem ſolidam poterit petere; alter æſtimationem: niſi teſtator id quoq; mandauerit. Quid ergo ſi unus ex his defecerit? eius portio ad alium ſine onere pertinebit: niſi ad deficientis perſonam onus fuerit collatum. ſi uero in perſonam eius apud quem remanet legatum, onus fuerit adſcriptum, hoc adimplere debebit. Nempe ideo diſiunctim reliquiſſe uidetur, ut unuſquiſq; ſuum onus non alienum agnoſcat. Nam ſi contrarium uolebat, non erat difficile coniunctim ea diſponere, ut C. eo. §. ſin uero.

DE HIS QVI ANTE APERTAS TABVLAS HAEREDITATES tranſmittunt. TIT. LI.

Filij à parentibus ſolis inſtituti, per ſcripturam uel ſine ſcriptura, etiam iure ueteri, iure ſpeciali, hæreditatem ad ſuos liberos tranſmittunt etiam ignorantes: ſed iure ſpeciali hæreditatem non aditam tranſmittunt, priſco quoq; iure. hoc intelligo in hominibus deſcendentibus ab inteſtatò, ſuccedentibus ſuis parentibus. hoc idem intelligo forte purè: licet Theodoſius non dixerit parentibus liberis ex teſtamento uel ab inteſtatò ſuccedentibus. Præterea per Theodoſium illud erat ſpeciale, quia relictorum purè etiam in diem certum liberis à parentibus dies cedebat à morte, ſed hodie hoc porrectum eſt per Iuſtinianum (ſicut expoſitum eſt) ad omnia relicta purè & in diem certum. Porrò hodie forte illud etiam per Theodoſium eſt ſpeciale, quia conditionalia legata à parentibus relicta, uel à liberis parentibus ſimili cenſura parentes & liberi ad ſuos tranſmittunt liberos, ut C. de his qui ante apertas tabulas.

Porrò ſtipulatio etiam conditionalis generaliter omnis differenter à relictis con ditionalibus ad hæredem tranſmittiur, ut ff. de regul. iur. l. quæ legata.

QVANDO DIES LEGATI VEL FIDEICOMMISSI CEDIT. TIT. LII.

ACcidenter dictum eſt quando dies legati cedat, nunc principaliter exponamus. Relicti purè & in diem certum, dies cedit à morte. Nam & ſiquis hominem generaliter legauerit, & antequam uendicet deceſſerit, ad hæredem ſuum legatum tranſmittit, ut ff. eodem l. nec: multo fortius ſi certum hominem. hocꝗ uerum eſt, niſi cui fuerit legatum ut capiat cum ad certam ætatem peruenerit. Nam ſi etiam antea deceſſerit, ad hæredem ſuum tranſmittit, ut C. eodem l. iij. Magis enim mora, quàm conditio uidetur incerta, ut ff. eo. l. quod. Nempe hæredis in adeundo dilatio moram legati petitioni facit, ceſſioni diei non facit: ſed & ſi nondum ſit natus hæres, aut apud hoſtes ſit, ſimiliter legatario non nocebit, quod dies legati iam retro à morte teſtatoris ceſsit, ut ff. eodem l. hæredis. Interdum tamen aditio hæredis, moram facit legatis, puta ſi ſeruo in teſtamento manumiſso, uel ſeruo alij legato aliquid ſit legatum. Nam cum libertas competat non prius, quàm adita hæreditate, æquiſsimum uiſum eſt nec legati diem ante cedere: alioquin legatum inutile fieret, ſi dies eius ceſſiſset antequam libertas competeret, ut ff. eodem l. hæredis l. nam. Sanè relictorum etiam purorum dies à morte non cedit (ſicut dictum eſt) in quatuor caſibus, ſed in ſexto caſu: puta, ſiue non illud factum fuerit, ſiue non fuerit illud do lego. hoc enim ad hæredem non tranſit: niſi alteruter caſus uiuo legatario extiterit. quoniam cauſa ex qua debeatur, præcedere ſemper debet: nec quia certum eſt alterutrum futurum, omnimodo debebitur. Nam & tale legatum cum morietur hæres dato, certum eſt debitum iri: & tamen ad hæredem legatarij non tranſit, ſi uiuo hærede legatarius deceſsit, ut ff. eodem l. huiuſmodi. In diem incertum, poſtúe conditionem relictorum dies cedit demum poſt diem incertum, poſtúe conditionem. Excipitur niſi aditio habeatur pro non aditione, ut ſi fuerit impoſsibilis, inhoneſta. Idem ſi non per legatarium, ſed per hæredem, uel per alium ſteterit in cuius perſona implenda fuerat. talium enim conditionalium relictorum ueluti purorum dies à morte cedit, ut ff. eod. l. ſi poſt. In ſumma notandum eſt, quòd in codicillis legatorum perinde dies cedit, atꝗ in teſtamento relictorum, ut ff. eodem l. quod Sed & illud ſciendum eſt, quòd ſi pupillæ legatum fuerit quando nupſerit: ſi ea nondum uiripotens nupſerit, non antè ei legatum debebitur, quàm uiripotens eſſe cœperit. quia non poteſt uideri nupta, quæ uirum pati non poteſt, ut ff. eod. l. penult. Sed & illud notandum eſt, quòd dies relictorum etiam purorum licet à morte cedit, ab aditione uenit, id eſt, petitio perſonalis interdum realis, id eſt, uindicatoria competit ut ff. de uerbo. ſignificat. l. cedere.

VT IN POSSESSIONEM LEGATORVM VEL FIDEICOMmiſſorum ſeruandorum cauſa mittatur, & quando ſatiſdari debeat. TIT. LIII.

QVoniam pro legatis eſt cauendũ, audiamus quãdo ſit cauendũ, quãdo nõ, qualiter caueri debeat, quoties, à qbus: quia ſi nõ fuerit cautũ mittũt lega

tarij in

tarij in poſſeſſionem, audiamus in quarum rerum poſſeſſionem. Caueri debet legatarijs pro legatis, ubi Prætor id ſummatim cognouerit, ut C. co. l. j. Habetq; ſtipulatio locum in relictis purè, in diem certũ, ex die certa, in diem certũ, ſub cõditiõe: ſiue ſpecies relinquatur, ſiue aliquid in genere, ſiue hæreditas, ſiue ius aliquod relictum ſit etiam ab inteſtato etiam de præſenti legato, locum habet ſatiſdatio. quoniam nonnullas moras habet iudicij expectatio, ut ff. eodem l. etiam. Ceſſat ſatiſdatio, quoties euidens eſt nullo modo fideicõmiſſo locum eſſe poſſe, ut ff. eo. l. hæc l. ſi quando l. ſi & l. etiam. Interdum tamen ſufficit cauere cum hypotheca, puta in rebus publicis, etiamſi filio ſeruoúe fuerit legatũ ſub conditione, à patre dominoúe inſtituto hærede, ut ff. eodem l. ſiquando. l. ſi filio. Ex ordine ſemel cauendum eſt, neq; enim oportet per ſingula momenta onerari eum, à quo ſatis petitur: niſi noua cauſa interceſſerit, puta fideiuſſor ſine ſucceſſore deceſſerit, aut omnia ſua inopinato fortunæ impetu amiſerit, ut ff. ut in poſſeſſ. legat. l. iij. & iiij. Ab hærede cauendum, & ab hæredis hærede à bonæ quoq; fidei poſſeſſore, & à Trebelli. hærede, ut ff. eo. l. j. §. j. Sed & ab eo, qui prætermiſſa inſtitutiõe ab inteſtato poſsidet, ut ff. eo. l. ei. Caueri debet legatario, & eius hæredi, procuratori quoq; abſentis legatarij. Hæc tamen cautio illa tenebit, ſi is cuius nomine cauetur uiuit, ut ff. eodem l. j. Sanè fiſcus ſatiſdare non ſolet, ut ff. eodem l. j. §. ſi. quia fiſcus ſemper eſt idoneus & ſoluendo. Interdum tamen duobus ſatiſdandum eſt, puta: ſi duo eiuſdem nominis de legato contendant. nec enim fideiuſsores onerantur, cum futurum ſit ut uni poſtmodum teneantur. Sed & ſi filiofamiliâs legatum erit, & filio cauebitur & patri non præciſè ſed ſub conditione, ut ff. eodem l. j. §. ult. Quid ergo ſicui quid fuerit legatum, & rurſus id perdiderit, nunquid & ſæpius caueri, & ſæpius præſtari debebit? minimè: niſi ſemel ne in infinitũ hæres oneretur, ut ff. eo. l. j. §. ij. Tamen ſi caueatur, mittuntur legatarij in poſſeſsionem rerum hæreditariarum, & quaſi: ut uectigalium fundorum: non rerum locatarum, depoſitarumúe. Sed etiam in poſſeſsionem earum rerum, quæ dolo malo deſierunt eſſe hæreditariæ. Habet autem locum miſſio etiam pro re minima, ut ff. ut in poſſeſs. legat. l. quam ius. Sed & ſi nullæ ſunt res hæreditariæ corporeæ, etiam in actiones fit quaſi miſſio, ut ff. ut in poſſeſs. legat. l. etiam. In propria quoq; bona hæredum fit miſsio, ſi per ſex menſes caue re ceſſauerit, ut ff. eo. l. is. §. Imperator. & C. eo. l. certa. In ſumma notandum eſt, quòd cum uenter in poſſeſſione eſt, nullus legatorum cauſa in poſſeſſione eſſe poteſt. Item legatorum gratia in poſſeſſione conſtitutus, in cauſa ueſcendi diminuet, ut ff. ut in poſſeſs. legat. l. cum uenter l. quæ. Ad hæc illud ſciendum eſt, quòd ſi ex duobus alter ſatiſdare paratus ſit, alter non: in partem eius miſſio fiet impedientq; legatarij partialiter ſatiſdantem. quare ſuadendum erit hæredi, ut in aſſem ſatiſdet, ne adminiſtratio eius impediatur, ut ff. eod. l. is §. ſi ex duobus. Amplius notandum eſt, quòd cautio, quæ pro relictis præſtatur, iudicio teſtatoris remitti poteſt: quia uoluntatis ſuæ ultimæ ſeruandæ cauſa prodita eſt, ut C. eodem l. ij. Porrò cautio rei gratia prodita, ut de uſufruct. & quaſi uſufruct. à teſtatore remitti non poteſt, ut C. de uſufruct. l. j.

DE LEGITIMIS LIBERIS, ET EX FILIA NEPOTIBVS AB inteſtato uenientibus. TIT. LIIII.

TRansfretauimus per profundum pelagus teſtamentariarum ſucceſſionum nunc laxatis uelis, anchoriſq; proſtratis, flumẽ ſubeamus dulcium aquarũ & applicemus & ueniamus ad portum legitimarum hæreditatum. Videamus

itaq; quæ ſucceſſio legitima dicitur, qualiter diſtinguitur, quibus gradibus ſiue ordinibus diſponitur. Legitima ſucceſſio uocatur, quæ ab inteſtato defertur, puta ſi defunctus nullum fecerit teſtamentum: uel quia noluerit, uel non potuerit, uel morte præuentus, uel aliâs de facto: puta, quia teſtium copiam non habuerit uel de iure, ut ſi fuerit furioſus uel impubes. Idem ſi teſtamentum confectum ab initio ſit nullum, idem ſi ſit ruptum, idem ſi ſit irritum, idem ſi utiliter teſtati hominis ex teſtamento hæreditas non aditur. Tribus gradibus ſiue ordinibus iſta ſucceſſio diſponitur, gradu aſcendentium, ſiue ſuperiorum, & gradu uenientium ex tranſuerſo ſiue ex latere ſiue per truncum. Sed quia prima eſt cauſa deſcendencium, primò ponamus de ſuis & legitimis hæredibus, & de nepotibus ex filia ab inteſtato uenientibus, cum filijs & cum nepotibus ex filio. ſed de legitimis intelligi poteſt. Nempe & qualiter fratri ſuccedat cautum legitur, C. eodem l. j. Ita ab inteſtato ſuccedunt deſcendentes, ſiquis inteſtatus decedens, unum filium unamúe filiam reliquerit, ille ſolus & illa ſola ſuccedet, & præferentur defuncti patris, defunctæúe matris parentibus cognatis & agnatis. Idem ſi reliquerit filium filiamúe, & ex filio filiaúe præmortuis nepotes uel ultra. Sed & hi in ſtirpes uenient. Idem ſi reliquerit poſthumos poſthumasúe. Si ſuccedet autem genitori & genitrici ab inteſtato, & filij nati, & naſcituri, & nepotes etiam ex filia, & ulteriores, & mares, & fœminæ, & ſui ſuæ, emancipati emancipatæ & nec ſui, nec emancipati, & permixtim, & ſeorſum ſimiliter in adoptionem dati, naturali cauſa inſpecta ab inteſtato ſuccedunt patri, ut C. eodem authen. in ſucceſſione. Amplius etiam adoptiui filij ab inteſtato ſuccedentes adoptiuo parenti, forte & ſi ille adoptiuus ſuos naturales & legitimos filios reliquerit. Porrò baſtardi patribus ab inteſtato non ſuccedunt: niſi ubi eorum pater & ſine legitimis, & ſine uxore deceſſerit: tunc enim ab inteſtato duas uncias habebunt. Sanè matribus ſpurij ab inteſtato ſuccedunt, & cum legitimis filijs: niſi matres fuerint illuſtres, uel niſi ex ſuo præſertim conceperint, uel niſi aliâs ex inceſto, uel nefario, uel damnato coitu pepererint. Item hæretici filij parentibus catholicis non ſuccedunt, ut C. de hæretic. l. cognouimus. In ſumma illud notandum eſt, quòd hoc hodie obtinet, quicquid olim obtinuerit. Nam & nepotes ex filia olim cum diminutione tertiæ partis ueniebant, hodie æqualiter ueniunt cum auunculis & patruis.

AD SENATVSCONSVLTVM TERTVLLIANVM. TIT. LV.

PEr Tertullianum matres ſuccedunt liberis etiam impuberibus, & legitimis & ſpurijs: niſi peccauerint, ſicut introduximus & accepimus in non petendis tutoribus. Olim fratres & ſorores præſertim manumiſſores matribus præferebantur, ſed neq; matres ſuccedebant niſi ingenuæ quæ tres liberos peperiſſent Erant etiam olim quædam alia in iure ueteri, quæ narrare non expedit. Exponamus itaq; quomodo mater ſuccedat filio, & omnis aſcendens ſiue ſuperior, pater, auus, auia, proauus, proauia & ultra, paternus, paterna, maternus, materna. Equidem ſiquis deceſſerit ſine liberis relicto tantum patre, ille ſuccedet: relicto utroq;, uiriliter uenient. Ideo dixi: ſine liberis abſolutè, quia baſtardi defuncti non relinquentis liberos legitimos uel uxores, etiam cum parentibus in duas uncias ſuccedũt. Quid ergo ſiquis decedens ſine liberis reliquerit patrẽ & auum paternũ & ſuperiores uirilis ſexus? pater ſolus ueniet: multò fortius ſi reliquerit maternũ, uel extraneum ſolus auus & ſola auia ueniet. porrò ſi reliquerit

maternum

maternum auum,& auiam,& paternum,uel paternam,uel maternum, uel maternam: uel proauum uel proauiam, uel paternum uel paternam: quia in eodem gradu ſunt æqualiter uenient, id eſt, paternis quidem dabitur, licet diſpar ſit eorum numerus. Ergo ſiquis reliquerit tantum auum paternum, non auiam maternam: & reliquerit & auum maternum, & auiam maternam tantum, ſolus paternus auus accipit tantum, quantum duo materni aui: & econ tra. Hoc tamen ita obtinet ſi defunctus nullos fratres reliquerit, ſorores, uel natos ex his. Idem ſi reliquerit fratres tantum coniunctos ex altero. Sanè ſi reliquerit fratres coniunctos ex utroq;: Licet enim horum filios non tales fratres, & ex talibus fratribus filios, omnes hi ab inteſtato ueniunt, & cum aſcendentibus gradu proximis uiriliter ſuccedent excluſa proximi differencia ſexus & patriæ poteſtatis, ubi nulla ſecundarum nuptiarum fit mentio, ut cod. authen. defuncto. Sanè filij filiorum, fratrum etiam ex utraq; coniunctorum: multo minus ulteriores cum aſcendentibus non uenient. In talium enim fratrũ filijs authentica fixit pedem, multo minus in fratrum qui tantum per patrem uel matrem coniuncti ſunt, eorumúe filij uel ulteriores cum parentibus uel cum aſcendentibus defuncti non uenient. Quid ergo quòd dicitur in hac ſucceſſione ſecundarum nuptiarum nulla fit mentio, cum ſuprà de ſecundis nuptijs authentica ex teſtamento legatur quòd binubus in materna, mater binuba in paterna ſuccedit filio tantum in uſufructu? Et quidem ſecundarum nuptiarum non erit diſtinctio in ſuccedendi ſubſtancia: licet habeatur in modo ſuccedendi differencia. uel poſſumus dicere authenticam priorem corrigi per poſteriorem, ut ſit ſenſus: ubi nulla ſecundarũ fit mentio, id eſt, ubi parens ad ſecundas nuptias conuolauerit. In ſumma illud notandum eſt (quòd mirabile uidetur) quia ſiquis uel ſi qua ad ſecundas nuptias conuolauerit, liberis prioris matrimonij quorum ad fectionem non ſeruauit, in donationem propter nuptias non ſuccedit. Sicut nec in alia bona filij, id eſt, nec in ſolidum, ubi non reliquerit filius defunctus fratrẽ ex utroq; coniunctum, uel ex eo natum: nec uiriliter ubi ſcilicet reliquerit tales, ſed duntaxat in quantum adquiritur ex pacto non exiſtencium liberorum: & reſiduum mirabili quodam modo communicabitur quibuslibet defuncti filij hæredibus agnatis cognatisúe, ut C. de ſecund. nupt. authen. ſed ſiquis ex his præmoritur. Sed & ſi mulier mortuo marito liberis relictis ex eo, infra annum nupſerit, poſteaq; ut infamiam aboleret rerum ſuarum dimidiam liberis donauerit: ſi tamen ex illis quis deceſſerit, mater illa in nihilum ei ſuccedet ſi tamen alij filij ſint qui ſunt fratres defuncti, ut C. ad Tertullianum l. ſi qua.

AD SENATVSCONSVLTVM ORFICIANVM. TIT. LVI.

ORficiano ſenatuſconſulto ad ſucceſſionem matrum uocantur filij, filiæ, nati, natæ, poſthumi, poſthumæ: & cum legitimis, & ſine legitimis: exceptis caſibus quos ſuperius excepimus. Succedunt autem matribus & auijs filij & nepotes, ſiue fuerint excepti & nati, ſiue ſaltem concepti eo uiuo de cuius ſucceſſione agitur, ut ff. de legit. hæred. l. ult. Sanè conceptus quis auo mortuo auiaúe eis nõ ſuccedit, quia eis uiuentibus nondũ animal fuerat, ut ff. unde cog. l. j. Quippe patrẽ ſui patris nullo iure tetigit, & ſic ſecundũ ſtrictã diſputandi inſtanciam auum non habuerit, ut Inſtitu. de ſucceſſ. ab inteſtat. Nam & aliàs ſimiliter quis cõceptus apud hoſtes ex ciuibus Romanis ibi mortuis, propter fictionem legis Corneliæ nõ æſtimat̃ poſtea ꝓcreatus: ſicq; nec patrẽ habuiſſe, nec matrẽ. Sed ego puto q̃d etiã cõcepti mortuis naturali cauſa inſpecta ſuccedere debeat.

Amplius ſiquis reliquerit ancillæ ſuæ fideicommiſſariam libertatem, etiam hæredc moram faciente in præſtanda ea, interim ſi ex ea naſcuntur filij, naſcuntur ingenui, & matri manumiſſæ poſtea ipſi ſuccedent, & mater eis, ut C. eod. l. ult. hæc olim obtinebant & hodie obtinent.

DE LEGITIMIS HAEREDIBVS. TIT. LVII.

EXpoſuimus qualiter ſuccedant ab inteſtato & deſcendentes & aſcendentes nunc dicamus de alijs legitimis hæredibus, id eſt, ex latere, ex tranſuerſo, ab inteſtato ſuccedentibus. Et certe ſiquis inteſtatus deceſſerit, nec reliquerit deſcendentem, ſed tantum fratres ex utroq; coniunctos, illi ſuccedent. Idem ſi reliquerit fratres ex utroq; coniunctos, & filios aliorum fratrum ex utraq; parte coniunctorum. hi enim omnes in ſimul ueniunt. Et ſunt iſta uera, ſiue nullos alios reliquerit fratres, id eſt, ex altero tantum, uel eorum filios, uel alios agnatos cognatosúe: ſiue & hos omnes reliquerit. ſemper enim etiam prædicti ſuccedũt, & præferuntur (ſicut expoſitum eſt) id eſt, fratres ex utroq; coniuncti & eorum filij tantum. ergo ſi non reliquerit fratres ex utroq; coniunctos, nec eorum filios uenient fratres ex altero tantum coniuncti ſiquos ſolos reliquerit. Idem ſi reliquerit tantum filios præmortuorum fratrum ex altero coniunctorum. idem ſi reliquerit etiam fratres ex altero tantum coniunctos. Et uerum eſt etiam ſi cum his reliquerit filios filiorum præmortuorum fratrum ex utroq; coniunctorum: licet uideatur mirabile & abſurdum. Sicut enim filius fratris ex utroq; coniuncti licet tertio ſit gradu conſtitutus, ita & econtrario filius fratris ex altero tantum coniuncti, præfertur nepoti fratris ex utroq; coniuncti. ergo in his regula uiciatur quæ eſt: Qui prior eſt in gradu, fortior eſt in ſucceſſione. Nam & aliâs nepos qui eſt in tertio gradu, præfertur mortuæ perſonæ fratris qui eſt in ſecundo gradu. Vendicat autem locum hæc regula poſt fratres omnes, & fratris filios quales quales, ut C. eod. authen. poſt fratres. In his omnibus ſucceſſionibus ceſſat differencia agnationis, ut C. eo. authen. ceſſante. ſola nanq; cognatio in talibus ſpectatur, ut C. eo. authẽ. poſt fratres. Quid ergo dicemus, ſi frater defunctus reliquerit filios præmortuorum fratrũ etiam ex utroq; & diſpares, puta unum ſolum ex uno, ex altero duos pluresúe? ego puto quòd in ſtirpes ueniet. Item quid dicemus ſi reliquerit fratrem unum ex patre tantum, & fratres ex matre tantum? ego puto quòd pariter uenient. Item quid dicemus ſi deſcendens ſine deſcendentibus reliquerit fratres tantum, uel fratres ex patre tantum & fratres ex utroq; coniunctos? hi ſoli ultimi ſuccedunt, ut C. com. de ſucceſ. authen. itaq; mortuo. In ſumma ſciendum eſt, quòd Inſtitut. de ſucceſſione cognatorum legitur, agnatos debere ſuccedere uſq; ad gradum decimum, & cognatos uſq; ad gradum ſextum & ſeptimum à ſobrino ſobrinaúe natum. Sed ego non aduerto quare non in infinitum. Quæri poteſt an pater ſpurius ſuccedat ab inteſtato filio ſpurio ſine legitimis filijs defuncto? dicunt quidam quod talis pater tali filio in duas uncias, ſicut talis filius tali patri ſuccedit: ſed ego puto quòd in ſolidum ſuccedet, ubi ſpurius nec patrem nec matrem reliquerit: uel ſi tales reliquerit, nempe etiam fratres ſpurij inter ſe ſuccedunt, ut ff. unde cogna. l. ſi ſpurius & Inſtitut. de ſucceſſ. cogna. Amplius quæri poteſt an pater adoptiuus ſiue ſimpliciter ſine arrogatione filio adoptiuo ſuccedat ab inteſtato? forte utiq;, præſertim ſi non reliquerit uel genitorem uel genitricem. Ad hæc notandum eſt, quòd hæc omnia ſanciuntur tantum de ſucceſſionibus ingenuorum, nempe qualiter patronus ſuccedat liberto & aliâs legitur & inſtitut. de bonis libertorum.

Communia

COMMVNIA DE SVCCESSIONIBVS. TIT. LVIII.

HAec ſunt ſucceſſionum omniũ & legitimarum & teſtamentariarum communia. Sublata eſt differentia ſexus, & patriæ poteſtatis, & emancipationis, & agnationis, & cognationis, & modi ſucceſſionis. Item exulauit ſcrupuloſitas bonorum poſſeſſionis petendæ. Item exterminata eſt ſtructuoſitas inutilis. Amplius ſeruo nec ex teſtamento nec ab inteſtato ſucceditur. Item uitrico priuigni nomine nulla ſucceſſio debet: ſed nec pędagogo, ſed nec adfinitatis nomine ulla ſucceſſio permittitur. Excipitur quia cõiunx coniugi ab inteſtato ſuccedit, ubi omnis parentela deficit. Item uxor ſuperſtes ſine dote conſtituta præmorienti uiro locupleti in quartam ſuccedit, ſi liberos reliquerit tres uel pauciores, ſi plures in uirilem ut C. unde uir & uxor. authen. præterea. In ſumma notandum eſt, ꝙ ubi plures fuerint q̃ ſimul ſuccedere poſſunt ex teſtamento uel abinteſtato, & aliquis ex illis ſucceſſionem repudiauerit, illius repudiantis portio cæteris adcreſcit.

DE BONIS MATERNIS ET MATERNI GENERIS. TIT. LIX.

EXpediuimus de ſucceſſionibus patrumfam. nunc audiamus de bonis filiorumfam. Et quia filijfam. multorũ genus una habent bona ſcilicet materna & materni generis, nuptialia lucra propria opera quęſita, inuenta, donata eis re lictaue. Et materna materniq; generis bona ſunt excellentiora, de his primò dicamus. Nempe pro talibus patrum bona tacitè procul dubio ſunt hypothecata ut C. de bonis quæ libe. l. cũ oportet. § ult. Bona materna ſunt quæ à matre obueniunt. Materni generis ſunt quæ ab auo materno, & à cæteris ſuprà: hæc patri non adquiruntur quo ad dominiũ, ſed quo ad uſumfruct. ſicut penè filiorum cætera, quod in ſequentis tituli ſumma liberius explicabitur. hæc bona ad commodum filij interdũ non alienare ualebit, ut & in titulo ſequenti tractabitur. Ergo ſi pater ſuo nomine uendiderit, filius quandocunq; patriam poteſtatem euaſerit, & uendicare & euincere poterit: niſi poſtea uenditionẽ factã ratam expreſſim habuerit, uel niſi patri ſucceſſerit, uel niſi poſtea præſcriptio aduerſus eum cucurrerit, non datur uiginti annorũ, ſed duntaxat triennalis præſcriptio, qua poſſeſſor aliquando fit dominus, ut C. de bonis quæ liber.

DE BONIS, QVAE LIBERIS IN POTESTATE CONSTITVTIS, EX MATRIMONIO, UEL ALITER ADQUIRUNTUR, & EORUM ADMINISTRATIONE. TITULUS LX.

IN bonis filiorumfam. erant olim antiquæ iuriſdictionis retia, nodi difficiles, uincula inextricabilia, onera importabilia. hæc uolumus exulare & q̃ procul exterminare. Videamus itaq; qualiter, & quatenus olim ꝑ filiumfam. patribus acquirebatur, & qualiter hodie, & quid iuris & quatenus pater habeat in bonis filij filio uolente, uel nõ, quidq; iuris filiusfam. habeat in bonis ſuis. Olim pater per filium adquirebat ad omnẽ cauſam, id eſt proprietatis, & uſusfructus. Porrò hodie aliàs ei quærit ad omnem cauſam, uel ad uſumfructum ſolum: aliàs ad neutrũ ſiue ad nihilum. Ad omnem cauſam adquirit patri filiusfamiliàs, ſi quid ex re patris filiusfam. quærebat: olim ſemper pleniſſime patri quærebat præter-

quã in caſtrenſibus,& quaſi. Quid ergo ſi patre mortuo de eo quod eſt per unũ filium quæſitũ, unde proceſſerit inter fratres referatur quæſtio? profecto ex re patris ſucceſſiſſe pręſumitur: niſi aliunde ueniſſe monſtrabitur. Vſum fructus ſolus acquiritur patri aliâs regulariter. Excipitur (ſicut dictũ eſt) res caſtrenſis, res quaſi caſtrenſis: id quod relictũ eſt filio à quocũq; ea lege, ne pater habeat uſum fructum. idem ſi ei fuerat datum lege conſimili. Item excipitur hæreditas fratris ſororisue, ad quam una cũ patre admittitur frater defuncti, ut C. eod. authent. idem. Item excipitur hæreditas filiofamiliâs delata, quam patre recuſante filiuſfamiliâs ſolus adierit. Item excipitur uſusfructus ſerui filio relicti, quem ſeruum utpote filiusfamiliâs iuſſus eſt manumittere, ut C. de bon. q. libe. l. ult. Ergo ſex ſunt caſus in quibus per filiumfamiliâs adquiritur patri: eſt forte & octauus caſus, puta ut dotis per filiumfam. alienatæ, præſtitæ, pater uſumfructum non habeat, ſed auus habet, ut de bonis quę libe. l. iij. In cęteris uſusfructus adquiritur patri, puta in bonis materni generis, nuptialibus lucris opera filij uel proſpera fortuna quæſitis, ſiue lege prædicta donatis relictisue. Bonis filij quorum uſum fructum habet pater puellæ, pro ſuo poteſt uti. nam & ſi male rebus filij utatur, id eſt abutatur, filius non poterit uetare, nec patrem ſuum in ius trahere: imò ſi uetuit, in eum pater paratam poteſtatem exercebit. Si pater male geſſerit ſiue adminiſtrauerit, omnia bona ſua ex tempore prauæ geſtionis, præſertim pro maternis & nuptialibus lucris, erunt filio tacitè obligata. hypothecam tamen ex coniunctione à patre filiusfamiliâs non audet ſperare, ut C. de bonis quæ libe. l. cum oportet. Prædiorum filiorum quoq; uſumfructum habet, fructibus & pecuniarum uſuris pater, ſicut uolet, utetur: & diſtribuet in quos, ſiue in extraneos, ſiue alios filios etiam qualiter uolet: ſi tamen lex illis filijs quorũ res ſunt, earum rerum permiſerit fructus & uſuras, per diuturnam donationem hoc in caſu ab initio ualidam in illum filium pater contuliſſe uidebitur, ut C. de bon. q. li. l. cum oportet. Res filijfam. pater ſuo nomine alienare non poterit. Ergo de facto alienatas filius poſtea reuocare ualebit: niſi poſtea filius cõſenſerit, uel patri ſucceſſerit, uel longiſſima præſcriptione remoueri poſſit. Nomine filij pater alienabit res filij paſſim & ſine delectu, ſcilicet res deterioratas & ſuperuacuas, & quæ ſeruando depereunt, pecuniasq; redactas in utilitates filiorũ, erogare debebit: ſed earum uſuras abſumet prout uoluerit. Sanè res aliâs filiorum mobiles & immobiles, etiam nomine filij pater alienare uel obligare non poterit: niſi filius debitor extiterit. Et quidem ob debitum filij, quod augetur uſuris, res mobiles primum, & ſi illæ non ſuffecerint res immobiles etiam ſine decreto alienabit, ut ff. de prædijs: licet exigatur tutor, & obligare poterit & alienare, nec eſt abſurdum, ſi patria poteſtas plus poſſit, quæ eſt naturalis & primitiua, quàm tutoria, quæ ad mutationem patriæ poteſtatis eſt introducta. Sed & ſi filiusfamiliâs relicta debuerit, pater ut exoluat res filij etiam immobiles obligare poterit, & alienare. Ergo ſi filius non debuit pater res prædictas filij alienare poterit filio non permittente. Sanè ſi filius permiſerit, dum tamen maior fuerit, & filius debitor non ſit, pater alienare poterit. Ergo pater uoluntate maioris filij, & talis filius uoluntate patris, res proprias alienabit. Porrò de rebus patris filiusfamiliâs non poterit teſtari etiam iubente patre, licet cauſa mortis donare. Simpliciter tamen filiusfamiliâs non donat, niſi uel ex cauſa donauerit, uel niſi pater ſucceſſerit, uel niſi filius ſenatoris fuerit. Sed nec de rebus proprijs, in quibus pater uſumfructum habet, etiam patre iubente filiusfamiliâs teſtabitur. Amplius nec de rebus omnino ſuis proprijs, in quibus pater uſumfructum nõ habet, filiuſfamiliâs, quia filiusfamiliâs eſt, rectè teſtabitur: puta de rebus ſibi donatis, relictisue ea lege, ne pater habeat uſumfructũ. Sanè etiã iure ueteri filiusfamiliâs

de caſtren

de caſtrenſibus poterit teſtari,& iure communi,& iure ſingulari,& de quaſi caſtrenſibus,ſed tantum iure communi. In ſumma ſciendū eſt, quòd actiones ſibi competentes ſiue cōtra patrem,ut C.de dot.promiſſ.l.ult.ſiue cōtra aliū filium fam.nō poterit exercere patre non conſentiente:niſi forte iniuriarum, quod ui, aut clam,commodati,depoſiti, & de uiaticulo ſuo, ut ff. de iudic. l. ſi longius. Reperitur tamen caſus in quo pater filiofam. ſuo agere uolenti cogitur conſentire,ne in iudicio uideatur conſiſtere ſine patria poteſtate, puta ſi hæreditatem ſibi delatam filiusfam.recuſante patre adierit,ut C.de bonis quæ libe.l.ult.§.j. Illud non prætereundum exiſtimo, quòd filius emancipatus patri non quærit, nec in eius bonis,quia pater eſt,ſe immiſcere debebit:niſi fuerit uel eius tutor legitimus, ut pupilli emancipati, uel curator filij ſui adulti, furioſi, prodigi, uel mente capti. Pater tamē hodie cum emancipat,pro præmio emancipationis,dimidiam partem rerum filij non iure dominij,ſed ut tantum utatur, ſi uolet,obtinebit:ſed forte cauebit & ratiocinijs ſubijcietur,licet pro talibus rebus filijfamiliâs non arctetur. Sed in rebus huic filio emancipato à matre obuenientibus, ſi non uiua matre emancipatus fuerit,licet hoc ipſum uideatur mirabile,pater habebit uiriliter uſumfructum,ut C.de bon.ma.l. iij. Olim tamen per emancipationem tertiam dominij rerum pater retinebat,ſi ſibi placeat,ut Cod.de bonis quæ libe. l.cum oportet.

DE HAEREDITATIBVS DECVRIONVM, NAVICVlariorum, cohortalium, militum & fabricenſium. Tit. lxj.

SI quis curialis,cohortalis,fabricenſis uel in uexillatione uel in alia militia cōſtitutus,cum is ſine liberis deceſſerit,eius hæreditas ad aſcendentem ſuum, ſiquem habuerit,ad agnatum,cognatumúe iure communi ambulabit: ſi nec cōſanguineum habebit iure communi ſimiliter(ſicut ſuperius dictum eſt) transferetur ad coniugem. Si non reliquerit nec deſcendentem, nec ex latere uenientē, nec coniugem, eius hæreditatem non(ſicut alias iure communi proditum eſt) fiſcus capiet,ſed iure ſingulari,curia,cohors,uexillati corpus conſimile. Excipitur,niſi aliquid ab Imperatore duobus pluribusúe donatum fuerit. hoc enim caſu ſiquis deceſſerit ſine hærede legitimo,non ad coniugem, non ad fiſcū,non ad curiam, cohortemúe, ſed ad Imperialis liberalitatis tranſibit ſocium, ut C. de ſocio imperi.libera. In ſumma notandum eſt, quòd ſi quis ſine deſcendentibus, aſcendentibus, & ex latere uenientibus, & ſine coniuge deceſſerit,in ciuitate quacunq;, & apud Perſas, Numidasúe, hæreditatem eius non ciuitas illa capiet, ſed fiſcus Romanus, ut Cod. de bonis uacanti.l.prima.

CODICIS D. IVSTINI-
ANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAE- LECTIONE. LIBER SEPTIMVS.

DE VINDICTA ET APVD CONCILIVM MANV- MISSIONE. TITVLVS PRIMVS.

EXPLICITIS ſex libris, ptractatiſq; lib. ſepti-
mũ Iuſti. orditur, qui à libertatibus incipit:
nec hoc ineptè, nec pperã, imò prudenter mi
rabili quodã artificio (meo iudicio) actũ eſſe
dignoſcitur. Siquidem in hoc libro ſeptimo
de libertate, id eſt, de hominis cõditione tra-
ctatur, quem ex ſeptenario, id eſt triplici ani
mæ proprietate, deq; elementis quatuor cõ-
ſtat eſſe formatum, quemq; ex alijs ſeptem
partibus corporaliter conſtat eſſe compoſi-
tum, pedibus, tibijs, coxis, inguine, uentre
in medio conſtituto, collo, capite, quod eſt
imago unde cognoſcimur, quodq; ſeptem
cellulas habet nonnulli non leues autores
poſteris tradidere. Adhæc poſt tractatum de libertatibus non incompetenter
adnectitur de uſucapionibus, quæ & ipſæ ex ordine nullatenus poſſunt proce-
dere, niſi hæ ſeptem illis adſtiterint circũſtantiæ. Rei traditio, uel quaſi, ſides bo
na initio, titulus iuſtus, uel id quod habeatur pro titulo ut res non ſubiaceat ui-
cio, poſſeſſio pro ſuo, poſſeſſio nõ interrupta, id eſt continuata, tempus lege pręfixum.
Amplius de ſententijs quoq; in hoc libro ſeptimo tractatur, quas certũ
eſt nullius eſſe momenti, niſi & ipſæ rebus ſeptem, id eſt formis quibuſdam præ
cedentibus eas atq; conſequentibus inueniantur eſſe uallatæ, quæ ſunt hæ: ante
libelli oblationẽ cautionis expoſito, litis cõteſtatio, iuriſiurandi per calumniam
præſtatio, cauſæ iudiciariæ cũ crebris interrogationibus examinatio, ſententię
in ſcriptis pronunciatio, executio, niſi ſententia reſtitutionis præpediatur auxi-
lio, communiſúe remedij, id eſt appellationis ſuſpendatur articulo. Cumq; di-
ctum ſit in libro ſuperiori, id eſt in ſexto de relictis omnibus pecuniarijs, de ge-
neralibus, deq; ſpecialibus, conſequens eſt ut loquamur de relictis libertatibus.
Et quia libertatum relictarum aliæ ſunt directæ, aliæ ſunt fideicõmiſſariæ, con-
ſtatq; quia directæ ſunt digniores, de his primum audiamus. Verum à libertati-
bus relictis occaſione ſumpta de libertatibus illis, quæ inter uiuos dantur ali-
qua dicamus. Et quia inter uiuos libertas tribuitur uindicta, & ſine uindicta,
eſtq; excellentior ea quæ datur uindicta, audiamus de uindicta libertate. Et qa
libertas uindicta datur, & quia dignior eſt ea quæ datur apud concilium, audia
mus de uindicta libertate, & apud cõciliũ manumiſſione. Videamus itaq; quid
ſit cõcilium, & unde dicatur, quæ libertas dicatur uindicta, quis poſſit uindicta
manumit

manumittere,quis non, & quis ualeat manumitti, & quis non, & apud quem iudicem. Eſt autem concilium locus ille in quo iuriſdictio celebratur uoluntaria,ut adoptio,& emancipatio,manumiſſio. porrò in iudicio contentioſa expeditur iuriſdictio. Eſtq; dictum concilium quia uoluntas duorum conciliatur, id eſt concordant & conſonant. Dicitur autem libertas uindicta uel dari uindicta, quia datur apud iudicem,caput hominis qui manumittebatur uirga quadam leuiter percutiente. Quippe apud Boëtium in commentarijs legitur uindictam fuiſſe uirgam prætoriam,qua prætor ſerui caput tangebat,& dicebat:abi,aio te liberum more Quiritum. Vnde Perſius

Vindicta poſtquàm meus à prætore receſſi.

Vel ſicut in Pandectis legitur de origine iuris.libertas quæ apud iudicem datur dicitur uindicta à quodam Vitelliorum ſeruo uindice,qui uindicauit ciuitatem Romanam in libertatem,uel uindicauit illam à factionis iniuria:ideoq; à populo libertatem accepit, & inde poſtmodum obtentum eſt, ut omnis libertas illa dicatur uindicta,uel dari uindicta,quæ datur à populo uel à magiſtratu,qui gerit uicem populi. Manumittere poteſt quis uindicta maior uiginti annis uel etiã non minor. Collegium quoq;,cui permiſſum eſt, ſeruos ſuos poteſt manumittere,& dominus pro parte maior minorúe. Minor autem non creditur,qui uiceſimi anni diem ultimum agit,licet non impleuerit. hic equidem nec maior nec minor eſt,ſed eſt non minor:poterit ergo etiam ſine uindicta manumittere,ut ff.de manumiſſ.l. j. Non autem minor quia infans etiam cum tutore manumittet,ut ff.eod.l.pupillus. Is autem ſolus maior minorúe poterit etiam uindicta libertatem dare, qui non præpediatur iure.præpeditur autẽ manumiſſio aliâs propter perſonam. Manumittere nec uindicta poteſt qui capitaliter condemnatus eſt, condemnariúe poteſt. Manumitti non poteſt inter uiuos qui traditus aut in uoluntate relictus eſt,ea lege ne manumittatur: ſed nec ſeruus à iudice ob aliquod delictũ manumitti uetitus. Propter cauſam manumiſſio præpeditur modis pluribus. Quippe ſeruus non ritè manumittitur quem quæſtioni oportet ſubijci. Sed nec teſtatoris quondam ſeruum etiam ſub conditione legatum,tu hęres ualebis manumittere: ſic tamen inutiliter libertas data confirmabitur poſtea,ſi legati ſeruitúe aliâs refutatio,uel legatarij ſequatur repudiatio,ut ff.de manumiſſ. l.iij. Item ſeruum ſpecialiter pignori obligatum,ſine conſenſu creditoris tu maior uindicta,etiam ſi miles ſoluendo fueris,manumittere non ualebis. Enimuero & hæc inutilis manumiſſio cõfirmatur pecunia ſoluta poſtea,ut qui & à quibus pigno. Tacitè quoq; generaliter obligatur ſi fuerit præcluſus, id eſt pignoris nomine à locatore occupatus. Similiter manumitti non poteſt etiã à domino qui ſoluendo eſt, ſine cõſenſu locatoris ut ff.ex quib.cauſ.pigno.tacite cõtrah. Sanè aliâs generaliter obligatur debitor, qui ſoluens manumittit. Præpeditur quoq; manumiſſio etiam inter uiuos,ob fraudem,conſilio,& euentu,ſicut & libertas directò relicta: ſecus in fideicommiſſaria. Manumiſſus tamen in creditorum fraudem,ſi diu ſteterit,id eſt non minus decennio in libertate,non reuocabitur in ſeruitutem,ut ff. qui & à quib.l.ſecum. Sed & aliâs in fraudem creditorum manumittere licet in caſu, ſcilicet unico duntaxat inſtituendo & duntaxat unicum. per coactionem quoq; perq; acclamationem populi libertas extorta non ualet,ut ff.qui & à quib.l.ſi priuatus. Minor quoq; uiginti annis nõ permittitur manumittere,niſi uindicta ſed nec uindicta: niſi apud concilium probata cauſa honeſta,quæ etiam in futurum tempus cõfertur, ut ſi manumittitur minor gratia procuratoris habendi,cauſaúe matrimonij contrahendi. Et ex præterito, ut cum manumittit ſeruum, qui eum adiuuit in prælio. Ex præſenti, ut cum manumittit patrem,filium, naturales: his inquam cauſis cũ probantur con

tradici poteſt, ſed probatæ ſemel ueræ falſæúe fuerint non retractantur. Manumittere autem nemo poteſt nec minor, etiã uindicta: niſi per ſe, niſi per filium, ſuum, emancipatumúe: non uxor per maritum, non pupillus per tutorem, non adultus per procuratorem: quia in adminiſtratione matrimonij non continetur manumiſſio, ut ff. de manu. l. ſi ſeruus. Ergo minor manumittere poterit ꝑ procuratorem ſimplicem. quippe manumittendo ſibi gerit negotium, procurator conſtitutus in rem ſuam. ergo nec ſimpliciter nec propriè procurator poterit ritè manumittere, ut C. de dol. mal. l. iij. Ita demum tamen minor prohibetur manumittere uindicta, ſi ſeruum ſuum & nomine ſuo, manumittit. Nam ſi patris manumittentis nomine, imperioq́; patris ſeruum filius minor manumittit, rectè manumittit: nec tunc dicitur filius manumittere ſed pater, isq́; eſt libertus patris non filij præbens duntaxat miniſterium, ut ff. de manumiſſ. Quid ergo ſi minor hæres rogatus fuerit ſeruum liberare? is inquam poterit etiam ſine uindicta manumittere. In hoc autem legitimo actu, in ea manumiſſione, quæ inter uiuos celebratur, nec recolo me legiſſe conditionem apponi poſſe. Nam nec à iudice tutor datur ſub conditione. Datur autem libertas ubilibet, & apud iudicem qualem qualem, habentem tamen legis autoritatem. Ergo & filius apud patrem, & pater apud filium iudicem rectè poterit manumittere: ſed & apud ſeipſum quis conſtitutus præſes ſerui ſui manumiſſionem poteſt expedire, ut ff. eo. l. j. In ſumma ſciendum eſt, quòd tres conſtitutiones ipſo iure ſine aliquo manumittentis facto manumittunt, Conſtitutio Marci & Commodi. C. Seueri & Antonini, diui Adriani. Sed & alijs multis modis ipſo iure etiam inter uiuos quis in libertatem eripitur, puta ubi ſeruus æger reſtituitur, uel ubi domini catholici ſeruus nõ catholicus & catholicus & chriſtianus efficitur, uel ubi ſeruus præſertim domino ſciente clericus conſtituitur, ut Codicis de epiſc. l. ult. & ſupra ſi mancipium uenierit ne proſtituatur, ut ff. de manumiſſ. l. & hæres qui & infra qui militare non poſſunt l. ultima.

DE TESTAMENTARIA MANVMISSIONE. TITVLVS SECVNDVS.

INterſerto tractatu certa ratione libertatis quæ inter uiuos diſtribuitur, ſequitur, ut audiamus de libertate directa, quæ in ultima uoluntate relinquitur, id eſt uideamus de teſtamentaria manumiſſione. Nec enim manumittit, qui fideicommiſſariam libertatem relinquit, ſed ut libertas præſtetur preces porrigit. hæ enim preces neceſſitatem iniungunt actionemq́; pariunt. Videamus itaq; quæ manumiſſio dicatur teſtamentaria, quis directò poſſit manumittere, quis directò manumitti, queadmodũ directa libertas relinquit, qñ directa libertas cõpetit, qu non, quæ differentia ſit inter directã libertatẽ, & fideicõmiſſariã. Certè directa libertatis datio dicit̃ teſtamẽtaria manumiſſio, uocaturq́; teſtamẽtaria manumiſſio nõ tm̃ ea, quæ relinquitur in teſtamento, ſed & in codicillo teſtamento non confirmato, & prorſus ab inteſtato, ut ff. eod. l. libertates. Diciturq́; directò manumiſſus libertus orcinus, manumiſſus per fideicommiſſum poteſt dici manumittentis libertus. Directò poteſt manumittere omnis ille, qui libertatem inter uiuos poteſt tribuere: & econtrà. Item qui prohibetur inter uiuos manumittere (ſicut ſuperius expoſitum eſt) prohibetur & in ultima uoluntate relinquere. Excipitur hodie minor annis uiginti, qui quidem ex quo præbuit cum poſſit teſtamentum condere, poterit utranq́; libertatem relinquere. Manumitti poteſt directò ſeruus duntaxat teſtatoris, non hæredis alteriusúe, ut C. eod. Porrò & ita inutiliter manumiſſus ſe poterit (ut exiſtimo) exceptione defendere, ut Cod.

ut C.de libera.cau.l.ſi ab eo. Seruum autem teſtatoris eſſe oportet, etiã eo tempore quo teſtatur. Quid ergo ſi teſtator ſeruo ſuo, qui apud hoſtes eſt, directam libertatem reliquerit? is profectò rigore inſpecto neutro tempore teſtatoris eſt ſeruus, uerum ſi redierit rectiſſimè directò manumiſſus cenſebitur, cũ iure poſtlimiȷ̓ ſemper in ciuitate fuiſſe æſtimetur. Relinquitur autem libertas expreſſim & tacitè. Expreſſim aliâs directis uerbis, aliâs non directis. directis, puta, IS ESTO LIBER: non directis, ILLVM SERVVM MEVM ILLIVS LIBERTVM ESSE VOLO. hoc equidem caſu etiam ſeruus liber fit, & ille ut libertum habeat poterit flagitare, ut ff.eod. Item & uerbis talibus directam libertatem teſtator, ſed miles duntaxat, relinquit, ILLVM SERVVM MEVM LIBERVM ESSE IVSSI, ut ff.eod. Tacite relinquitur directa libertas, puta. ſi teſtator nõ errans ſeruum non aſcripta libertate tutorem reliquerit, hic inquam directam libertatem dare poterit ut miniſter. Sed ſi teſtator miles dixerit, FORTVNATO LIBERTO MEO DO LEGO. Fortunatus etiã legatum percipiet, & directã libertatem habebit, ut C.eo. Item relinquitur directa libertas & purè, & in diẽ, non ad diem. nec enim ad tempus conceditur libertas, ſicut nec hęreditas. ſublato temporis uicio, & hæres & liber permanebit. Perpetuo relinquitur ſub conditione, non tñ ita, CVM MORIERIS ESTO LIBER. ſed ſi difficilẽ teſtator appoſuit conditionem non ualebit quippiam: quia non uidetur dandæ libertatis animum teſtator habuiſſe, ut ff. de ſtatuliber. l.cum hæres. Relinquitur ſub modo, puta ſic. ESTO LIBER, ita tamen ut RATIONEM REDDAS. hic inquã etiam antequam reddat fiet liber. uerũ rationes, reddere compelli debet, ut ff. eod. l.libertas. & l. Titia. Quid ergo? ſi ex rationibus non debitor ſit repertus, quaſi libertatem puram conſequitur, ut C.cum teſtamento. Sed & ſi teſtator talia uerba dixerit, ut rationibus non redditis denuo ſeruiat. uerba talia ad reuocandum eum in ſeruitutem de libertate, quæ ſemel competiȷ̓t, ſunt inefficatia. Sed nec uerba talia conditionem faciunt, ut ff.eod. l. teſtamento. Et ſciendum eſt, quòd ſi teſtator ſeruo ſuo libertatem directam ſub conditione reliquerit, huius inquam utpote ſtatuliberi conditio, per hæredem alienantem uel per aliquẽ uſucapientem, non poterit imputari, nec deterior reddi. ſed nec ſeruus iſte, licet fuerit in metallum datus, ſi tamen fuerit poſtea reſtitutus, ut ff. de manumiſſis teſtamen. Competit autem directa libertas relicta ſub conditione, uel in diem, non illico poſt aditionem (hocq; uerum eſt) ſed aliquando longè poſtea poſt cõditionis uel diei euentum. Relicta purè & ſub modo ſtatim competit poſt aditionem: hocq; uerum eſt, ſi hæres qui adierit in integrum reſtitutus abſtinuit. Competit quoq; ſi hæres omiſſo teſtamento adierit teſtatò. Idem ſi colluſerit. idem ſi accepta pecunia inſtitutus hæreditatem ad ſubſtitutum tranſmiſerit, ut Cod. ſi omiſ. cau. l. j. Item libertates directæ purè relictæ competunt hæreditate nõ adita, ſed quaſi adita: puta ſi bonorum addictio ſit impetrata. Non competunt hæreditate non adita, nec quaſi adita. Sed & aliquando non competũt etiam uerè hæreditate adita: puta ſi memoria defuncti fuerit poſt mortem condemnata, ut C.eod. l.ex teſtamento. ita tamen unus ex pluribus Titiȷ̓s liber eſſe iuſſus, liber fiet, ſi quis ille fuerit apparuerit, ut ff.eod. l.cum ex. Bonorum autem addictio quæ ult. l. C. multipliciter diſtinguitur, ſub hoc titulo procedit hoc modo: puta quis reliquit libertatem, puta teſtamento condito, uel ab inteſtato, & eius hæreditas ſuſpecta eredita aditur à nemine. Certè ſi quis cauerit idoneè, liber homo fuerit, ſeruuſúe libertate donatus, poterit impetrare, ut addicantur ſibi bona libertatum conſeruendarum gratia. Seruus quoq; ille qui libertate donatus non eſt, poterit hoc poſtulare ut addicantur & ut per eum aliquid uenuſtum ueniat, & conſerui ſui per eum liberi fiant. ergo & ipſius liberti, & ipſe à ſemetipſo li-

bertatem accipiat,ut ff.de ſtatu lib.l.iij. Notandum quoq; eſt,quòd ex æquitate libertatum gratia fauor conſtitutionis diui Marci bonorum addictionem induxit. Ad illum quoq; caſum porrigitur,ſi quis inter uiuos in fraudem creditorum dederit ut miniſter. Nam & ſi teſtator qui ſoluendo non eſt,libertatem reliquerit uerbis talibus, ESTO LIBER CVM CREDITORIBVS SOLVTVM FVERIT, facta poſtea ſolutione liber erit. Nempe hoc caſu nihil fit in fraudem creditorum, nec contra legem Elia ſentiam,quæ libertates directas reſcindit ex euentu & conſilio:fideicommiſſarias ex euentu ſolo,ut ff.eod.l.ſi quis. Et ſciendum eſt,quòd is cui bona addicta ſunt,bonorum poſſeſſori aſſimulatur,ſed à creditoribus non directis actionibus hæreditarijs, ſed ſtipulatione tantum intercedente poterit conueniri,ut ff.de fideicom.libert.l.iij. § penult. Porrò etiam in eum actiones utiles tranſeunt plærunq; conſenſu omnium,ſi ipſorum nomine fuerit cautum,ut ff.de fideicom.liber.l.iij.& l.iiij.§ creditoribus. Hæ ſunt differentiæ inter directam libertatem,& fideicommiſſariam. Directa utiliter non datur,niſi ſeruo proprio:fideicommiſſaria etiam alieno. Et directa relicta purè, mox competit ab hæreditate adita:fideicommiſſaria non niſi à rogato ſit præſtita. Item directa non datur niſi teſtamento, uel codicillo teſtamento confirmato:fideicommiſſaria etiam ab inteſtato, & codicillo non confirmato. Item directa ob fraudem non reuocatur,niſi conſilio & euentu fraus probetur, fideicommiſſaria ex ſolo euentu. Item directa non petitur,ſed præter petitionem ipſo iure competit ab aditione,ut ff.de fideicommiſſ.libert.l.ſed ſi. Item directò manumiſſus, libertus appellatur Orcinus:per fideicommiſſum manumiſſus, eius fit libertus qui manumiſerit. At uero ſi quis ſeruo ſuo libertatem dederit uel reliquerit,& directò,& per fideicommiſſum:ſerui erit arbitrium,utrum uelit directò an ex fideicommiſſo ad libertatem peruenire,ut ff.eod.ſi quis ſeruo.

DE LEGE FVSIA CANINIA SVBLATA. TITVLVS III.

QVia lex fuſia Caninia directas libertates impediebat, de quibus dictum & fideicommiſſarias,de quibus tacendum, de lege fuſia Caninia inter utraſq; loquamur. Lege iſta cautum fuerat neminem in teſtamento totam familiam poſſe liberare,ſed hodie licet omnes ſeruos manumittere inter uiuos, & in ultima uoluntate.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBVS. TITVLVS QVARTVS.

EXpediuimus de libertatibus directis,nunc dicamus de fideicommiſſarijs. Videamus itaq; quæ libertas dicatur fideicommiſſaria, quis poſſit eam relinquere,à quo præſtanda relinquitur, qualiter,in qua uoluntate, quando ualeat peti, quemadmodum rogatus,& per quæ ſenatuſconſulta compellatur manumittere. Et certe libertas fideicommiſſaria appellatur,de qua præſtanda hæres,legatarius,donatarius cauſa mortis, à teſtatore rogatur. Generaliter is poteſt fideicommiſſariam libertatem adſcribere, qui fideicōmiſſum pecuniarium poteſt relinquere. Relinqui poteſt propriè ſeruo principis uel municipij, uel cuius alterius,cogiturq; rogatus redimere & manumittere: ſi dominus uelit iuſto tamen pretio uendere. Interdum tamen dominus nolle uendere non poterit,ſi ex relinquentis libertatem iudicio modicum acceperit. Quid ergo ſi nihil acceperit? non tamen libertas intercidet: quia fortaſſis tempore procedente ad redimendum

dimendū,grata ſuperueniet quæ non ſperabitur hora. Diſtinguitur tamen quis
rogatus ſit manumittere ſeruum proprium,ad quod urgebatur ſi perceperit uel
modicum:an rogatus ſit manumittere ſeruum alienum , ad quod ita demū erit
cogendus,ſi tanti poſſit redimere,quantum ex iudicio fuerit conſecutus. Idem
fiet ſi legatum ſibi relictum ceperit poſtea,ut ff.eod.l.generaliter. Quid ergo ſi
rogatus ſit uendere,& ſeruus uelit manumitti? dominus præferri debebit: ut ta
men actio de pretio ſibi detur contra illum,qui rogatus fuerit manumittere , ut
ff.eod.alieno.§ ult.Non tantū ipſe qui rogatus eſt manumittere , ad libertatem
poteſt perducere,ſed & ſucceſſor eius:ſiue emptione , ſiue aliquo modo in rem
ſucceſſerit. Sed & ſi fiſcus ultimo loco ſucceſſerit, libertatem præſtabit. Item is
qui rogatus eſt manumittere,etiam eo tempore quo prohibetur alienare,pote-
rit manumittere. Is tamen cui libertas fideicommiſſaria relicta eſt , inuitus alie-
no puta iuueni tradendus non eſt,ut ab eo manumittatur. Intereſt enim nōnun
quam à ſe potius manumitti , quàm à iuuene,ut ff.eod.is qui & l.inuitus. Item
is,cui per fideicommiſſum libertas relinquitur,quodammodo liberi loco eſt,&
ſtatuliberi locum obtinet.quippe expectat manumiſſionem,ſicut ſtatuliber cō-
ditionem:nec in alium transferendus eſt,ut aut libertas eius impediatur, aut iu
ra patronorum grauiora experiatur,ut ff.eod.l.non tamen.uerum non propriè
ſtatuliber eſt,niſi qui manumittitur:non inter uiuos,ſed in teſtamento: non per
fideicommiſſum,ſed directò:non purè,ſed in diem uel ex die:uel ſub conditio-
ne,non difficillima neq; penè impoſſibili,ut ff.de ſtatulibe.l.cum hæres & ff.de
noxa.l.ſi hæres. Item libertas fideicommiſſaria rectè relinquitur hoſtium ſeruo
hominiq; libero.nempe iſte factus poſtea ſeruus, libertatem poterit flagitare:li-
cet talem caſum non congruat expectare. Seruo quoq; domini nondum in re-
bus humanis conſtituti,libertas utroq; modo ritè relinquitur. Illi quoq; ſeruo q
portatur in utero,libertas relinquitur : adeo ut ſi plures fuerint ęditi,libertatem
aſſequantur,ut C.eod.l.cum inter. Item ex damnata in metallum concepto &
nato,libertas fideicommiſſaria relinqui poterit.In metallum quoq; damnato li-
bertas relinquitur:quippe indulgentia principis liberatus poſtea libertatem ſpe
rare,& ad eum poterit aſpirare,ut ff.eod.l.generaliter.Relinquitur autem liber
tas fideicommiſſaria,& purè & ſub conditione.tunc demum autem poterit pe-
ti,cum conditio extiterit,uel per eum qui iuſſus eſt dare,effectum ſit quo minus
extaret. Si Areſcuſæ libertas relicta fuerit,ſi tres pepererit,& per hæredem ſte-
terit quo minus conciperet & pareret.idem ſi hæres egerit,ut abortiret, ut ff.de
ſtatuli.l.iij.§ ult.purè quoq; relicta libertas fideicommiſſaria tacitam expectat
conditionem(ſicut etiam ſuperius dictum eſt) id eſt manumiſſionem. Quid er-
go ſi ſeruus alicui legatus,cui ſeruo per fideicommiſſum libertas adſcripta eſt,
pro non ſcripto ſit habitus? certe is apud quē remanebit, manumittere debebit:
quia libertas fideicommiſſaria nullum impedimentum pati debet,ut ff.eod.nul
lum.§ ſi non. Relinquitur quoq; libertas fideicommiſſaria , & expreſſim,& ta-
citè.Expreſſim multipliciter,puta teſtator dicit, ROGO VT MANVMITTAS.
idem ſi dixerit. SI PROBAVERIS, ET NON REPROBAVERIS, SI DI-
GNVM PVTAVERIS, SI TE PROMERVIT, SI TIBI VIDEBITVR, SI TI
BI PLACVERIT ILLI LIBERTATEM DARI VOLO. Hæc enim uerba ſi ti-
bi uidebitur,ſi tibi placuerit,ita accipi debent,ſi tibi uideri poterit , ſi tibi diſpli-
cere tanquā uiro bono nō debuit,ut ff.eo. Thais.§ ſorore,& ff.de ſtatulibe.Ta
citè relinquitur multis modis,ut ſi teſtator dixerit, ROGO NE STICHVS AL
TERIVS SERVITVTEM EXPERIATVR, ut ff.eod.l.rogo. Idem ſi dixerit,
ROGO NE EVM ALIENES. Idem ſi quis ſpecialiter pignorato, ergo inutili-
ter,reliquerit libertatem directam.trahetur em̄ ad fideicōmiſſariam,ut ff.eod.l.

generaliter. Idem ſi teſtator nō adſcripta libertate ſeruum alienum, putans alienum: ergo non errans, tutorem filijs ſuis ordinauerit, ut C. l. etſi. Relinquitur in uoluntate ultima tali quæ non ſit contraria iuri: hoc tamen ſi uoluntas iſta durauerit. nempe libertas relicta adimitur uoluntate contraria poſtea confecta, puta ſi teſtator dixerit: libertatem, quam reliqui non do, non relinquo. Adimitur quoque lege, ut ff. de accept. Peti poterit libertas fideicommiſſ. in teſtamento relicta, ſi ex teſtamento fuerit hæreditas adita. Idem ſi ab hærede ſcripto omiſſo teſtamento ab inteſtato. idem ſi inſtitutus per colludium à ſubſtituto pretium acceperit. Idem ſi à legitimo hærede fuerit repetita. Idem ſi hæreditas fuerit quaſi adita bonorum addictione impetrata ut C. eod. l. j. Ergo ſi hæreditas nec adita, nec quaſi adita fuerit, libertatis petitio ceſſare debebit. diſtinguitur tamen libertas fideicommiſſaria ancillæ relicta ab ea ſit petita, uel non: ſi fuerit petita ſiue in caſu manumiſſuri, ſiue in caſu petituri, qui interim naſcetur ſeruus naſcetur, ſed matri ut ab ea manumittatur, ſi uolet ipſa, tradetur. Quid ergo ſi mater noluit manumittere? non ab re eſt dicere ita natis ab hærede libertatem præſtari, ut ff. eod. l. ſi mater. Porrò ſi non data opera hæres tardius adeat, ſed dum deliberat de adeunda hæreditate, ancilla pariat: non mater, ſed hæres manumittet, ut eod. l. ſed & ſi. Enimuero ff. cod. l. ſi quis rogatus legitur, cautū uidetur, huic ſententiæ contrarium. nempe ibi legitur, ſtatim ex quo libertas deberi cœperit ingenuum naſci, tali ratione reddita: quia libertas non ſit res priuata, ſed publica, ut ultro is qui eam debet offerre debeat, ut ff. eod. l. cum uero legitur, manumitti debere partum ex quo libertas peti potuerit, quamuis petita nō fuerit. Rogatus autem manumittere, compellitur manumittere. Sed & diſtinguitur rogetur manumittere ſuum hæreditarium, propriumúe: ſi hæreditarium, & uocatus adeſſe contempſerit, perinde liber pronunciatur ex Rubriano ſenatuſconſulto, ac ſi manumiſſus fuiſſet directò. Secus ſi hæres uel furore uel ab hoſte detentus, non uenerit, tamen liber erit. Senatuſconſultū Daſumaianum patronatum conſeruat intemeratum, ut ff. eod. l. neque l. cum. § ſi hi. Vbi quis manumittere rogatus ſeruum proprium, & uocatus uenire contempſerit, ſeruus pronunciabitur liber, tanquam manumiſſus ex fideicommiſſo, ut ff. eod. l. ſi eum. Porrò ſi ex iuſta cauſa uocatus abfuit qui fideicōmiſſariam libertatem debet, & hoc pronunciatum fuerit: perinde libertas competet per Daſumaianum, atque ſi oportet ex fideicommiſſo manumiſſus eſſet, ut ff. eod. l. non tantum. Quid ergo ſi plures hæredes ſint inſtituti, & inter eos is qui fari non poteſt, ſed non ipſe ſit rogatus manumittere? hi inquam qui ſunt ex cauſa iudicati, infanti dabunt pretium per ſenatuſcon. Vitraſianum, ut ff. eod. l. cum quaſi. § iij. Obrepit ſenatuſconſultum Articuleianum, quo cauetur ut præſes prouinciæ cognoſcat, etiam in hominem non conſtitutum in ſua iuriſdictione, etiamſi gaudeat priuilegio, ſitúe conſtitutus in quocunque officio, ut ff. eod. l. neque l. non tantum. Ergo in libertatibus fideicommiſſarijs ſenatuſconſulta ſua habeant domicilia, ut Rubrianum, Iuncianum, Daſumaianum, Vitraſianum, Articuleianum.

DE DEDITIA LIBERTATE TOLLENDA. TIT. V.

QVia manumiſſionibus, de quibus explicauimus ſerui fiunt liberti, & libertorum olim fuerat conditio terna, deditia, ciuitaſque Romana: quæ hodie eſt ſola & unica. & ſublatæ ſunt duæ primæ cōditiones, deditia, latina, dicamus primum de conditione deditia non cōfirmanda, ſed tollenda. Deditij erant qui uiuebant tanquam ſerui ſed morte fiebant liberi, ut Inſtitut. de bonis libert. bonorum conditio utpote peſſima prorſus repellatur à repub.

DE LATINA LIBERTATE TOLLENDA, ET PER certos modos in ciuitatem Romanam tranſfuſa. Tit. vj.

Sequitur ut dicamus de latina libertate tollenda non penitus, ſed per certos modos in ciuitatem Romanam transfuſa. Latini hi erant qui uiuebant tanquam liberi, morientes fiebant ſerui. & nos latinos in regionem longinquam mittimus. Quis enim patiatur talem libertatem, ex qua in ipſo tempore mortis in eandem perſonam ſimul & libertas & ſeruitus concurrant? Modi autem duodecim qui olim faciebant latinos, hodie efficiunt latinos ciues Romanos. Ecce tres ſunt in uoluntate, totidem contra uoluntatem, ſex ex quaſi uoluntate. Ex uoluntate primus modus hic eſt, ſi quis per epiſtolam & inter uiuos cõfectam, ſeruũ ſuũ in libertatem perducere maluerit, liceat ei hoc facere: adhibitis quinqꝫ teſtibus poſt domini epiſtolares literas, ſiue in ſubſcriptione poſitas, ſiue per totum teſtamentum ſuas literas ſupponentibus. Quo caſu uelut ex codicillo libertas competit ſeruo, ita tamen ut ipſe uiuente patrono & libertatem & ciuitatem habeat Romanam. Item ſi quis inter amicos libertatem ſeruo ſuo dare maluerit, præfata ſolennitate ſeruata, ſeruus ille (ut olim) latinus ciuis efficiet Romanus. Item ſi in liberali iudicio dominus ſuperauerit ſeruum, poſteaqꝫ ab eo uel ab alio pro eo acceperit pretium, non ut antea latinum, ſed ciuem efficit Romanum. Expoſitis tribus modis ex uoluntate, exponamus tres alios modos contra uoluntatem. Primus hic eſt ſi quis ſeruum ſuum ægrotantem domo propulerit, nulloqꝫ modo eũ procurauerit. hic ſeruus licet olim latinus, hodie fiet ciuis Romanus. Similiqꝫ modo ſi dominus ancillam ſuam alienauerit, legemqꝫ dixerit ne proſtituatur, ab acceptore proſtituatur, uel ab alienatore: ſi fuerit ad eum reuerſa, manus forſitan iniectione ſeruata, nõ (ut quondam) fiet latina, imò ciuitate donabitur Romana. Et in his duobus caſibus nemini debebit patronatum, ſicut & in iudicio liberali à domino ſuperatus pro ſe liberando ſuum dependerit pretium, ut C. eod. § illud. Sequitur modus tertius contra uoluntatem, ſi quis ſiue teſtamento, ſiue inter uiuos ſeruum manumiſerit: licet dixerit quòd latinum eſſe uoluit, ciuis tamen Romanus fiet, non latinus. nec enim ineptiis uoluntatibus & ſtulticijs hominum conuenientiam commodamus. Ex quaſi uoluntate non latinus (ut olim) ſed ciuis erit Romanus. Qui domini funus, non tamen contra domini uoluntatem pileatus anteceſſerit. Idem ſi in ipſo lectulo ſeruus ſtans cadauer uentilauerit. Item ſi ſub conditione quidam libertatem ſeruo ſuo reliquerit, et adhuc pendente conditione extraneus hæres libertatem impoſuit, fiet Romanus. & ſiquidem conditio defecerit, ipſius hæredis qui libertatem impoſuit, maneat libertus. Si fuerit adimpleta cõditio, ne eripiatur liberis forſitan & cognatis ius patronatus, orcinus libertus uideatur, & ad eum iura patronatus perueniunt cui leges concedunt. Item ſi quis homini conſcio uel inſcio ancillam ſuam in matrimonio collocauerit, & dotem pro ea adſcripſerit, illa ancilla non ut olim latina, ſed ciuis efficietur Romana. Similiqꝫ modo ſi dominus ſeruum ſuum nominauerit filium apud acta, & quaſi in iudicij figura: hæc nominatio licet non proderit ei ad ius filij accipiendum, efficiet tamen eũ non ut olim latinum, ſed ciuem Romanum. Sequitur modus inter omnes duodecimus, & ſextus inter eos, qui ſunt ex quaſi uoluntate in hũc modum. ſiquidem dominus inſtrumenta, quibus ſeruus oſtendebatur, uel dederit ſeruo, uel corrupit coram quinqꝫ teſtibus: ſeruus olim latinus libertus, hodie fit ciuis Romanus. Cæteri modi olim penè innumerabiles, qui faciebant latinos perpetuò dormiant. Adhæc qui tradit ancillam ſuam in matrimonium, tanquam liberam credenti libe-

generaliter, Sed de ſeruis inuectis illatisúe: ergo generaliter taciteq́ obligatis nec unum conductor domus poſtquam fuerint à locatore præcluſi, pro penſione proúe damno in domo dato, etiamſi fuerit ſoluendo, poterit manumittere. Quippe ubi fuerint præcluſi, id eſt à locatore occupati, perinde habentur acſi fuerint ſpecialiter obligati. Porrò (ſicut dictum eſt) debitor qui eſt ſoluendo etiam non conſentiente creditore, ſeruum aliâs generaliter obligatum, poterit manumittere: ſicut & maritus locuples mancipium dotale, ut C. eod. l. j. Sanè (ſicut et ſuperius dictum eſt) ſeruo ſpecialiter pignorato libertas inutiliter inter uiuos data confirmatur pecunia ſoluta, ut ff. qui & à quib. l. pignori.

DE SERVIS REIPVBLICAE MANVMITTENDIS. TITVLVS IX.

DIximus de ſeruis priuatæ perſonæ manumittendis, nūc de ſeruis Reipub. Seruus publicus rectè poterit manumitti tribus intercedentibus, puta ſi ordo ciuitatis conſenſerit, ſi præſes conuenientiam accōmodauerit, ſi ſeruus alius uicarius in manumiſſi locum ad Reipub. ſeruitium ſubrogatus fuerit. Nec libertas ita data caſſabitur ſiue uicarius poſtea aufugerit, ſiue manumiſſus liberale officium quod eſt ſeruile poſtea exercuit, ut ff. eod. l. j. & ult. Nec enim quod ritè actum eſt ſuperueniente delicto debet immutari.

DE HIS, QVI A NON DOMINO MANVMISSI SVNT. TIT. X.

AVdiuimus de his qui manumittuntur à domino, nūc audiamus de his qui manumittuntur à nō domino. Sicut dictum eſt dominus poteſt manumittere, niſi præpediatur pignoris ſpecialis ratione, aut niſi inhibeatur ſuæ perſonę contemplatione (ut titulo proximo) uel niſi impediatur propter cōditionem ſerui quem uult manumittere, ut titulo alio. Non dominus non ritè manumittit, etiamſi fuerit curator furioſi, ſed nec procurator. Nemo enim per alium manumittere poteſt, niſi per filium, aut niſi quis manumittendo factus procurator in rem ſuam ſibi negocium agat, ut C. de dolo malo. l. iij. Ergo licet nō omnis dominus, ſolus tamen dominus ex ordine poterit manumittere: hocq́ uerum eſt, ſiue ita ſit dominus ſerui, ut eum nemini debeat: ſiue eum perſonaliter debeat, puta ſeruum ſuum quis uendidit, ſeruum iſtum uenditum nondū traditum uenditor adhuc dominus conſtitutus manumittere poteſt. Idem ſi amicus amico pecunias miniſtrauerit, & ut ex illa ſeruum emeret mandatum iniunxerit, & acceperit: hic inquam in tranſuerſo mandato ſi ſeruum ſibi emerit, & acceperit hunc poterit manumittere: ſed fide rupta, ſicut etiam uenditor poterit cōueniri. Quid ergo ſi dominus manumiſerit, & poſtea ſeruus uindicatus fuerit? libertas tamē non peribit, ut ff. qui & à quib. Quid ergo ſi non dominus de facto manumiſerit ſeruum alienum apud amicos uel apud prætorem? certe abibit impune, ſed ſi is apud principem manumiſerit, & principis conſcientiam fefellerit, quia nihil egit punietur egregiè. Quippe duo mancipia æque bona dabit domino, & tria fiſco. Libertas tamen talis etiam inutiliter data ſeruo alieno confirmatur aliquando, puta ſi dominus expreſſim ratum habuerit: tacitè ut ſi pretium ſibi dari à manumiſſore poſtulauerit, ut C. eod. l. ult. Idem puto ſi dominus manumiſſori, uel manumiſſor domino: licet uideatur contrarium, ff. qui & à quib. l. ſeruo. Item ſeruus inutiliter à non domino etiam apud principem manumiſſus, ſe

poterit in libertate defendere: ac inferentē ſibi quæſtionem ſtatus legitima obie cta temporis præſcriptione ualebit excludere. hocq́ caſu etiam pœnalis quinq́ mancipiorum præſtatio, & amiſſi ſerui propter tacentis odium ceſſabit reſtitutio ut C.eod.l.ultima.

QVI MANVMITTERE NON POSSVNT ET NE IN fraudem creditorum manumittantur. Titulus xj.

Diximus in ſuperioribus dominū manumittere uolentem, impediri manumittere pignoris ratione, nunc audiamus generaliter qui non poſſunt manumittere, ne in fraudem creditorum manumittant: poſtea dicemus in ſequenti titulo, qui non poſſunt manumitti. Prohibetur dominus manumittere ratione perſonæ ſuæ, rei, cauſæ, de his tribus ſub hoc titulo tractabitur. prohibetur per ſui cōditionem, id quod hic ſequens titulus intimabit. prohibetur dominus manumittere ratione perſonæ propriæ, ſi crimen maieſtatis cōtraxerit, ſi ſeruus pœnæ aliâs capitaliter condemnatus fuerit. Prohibebatur olim quoq́ dominus minor uiginti an. ſeruo proprio libertatem etiam in teſtamento relinquere, ſed hodie ex quo teſtari poteſt, etiam libertatem recte relinquit: hoc ita ſi teſtamentum facit, & in eo recte relinquit. Sed & ſi teſtamentum non condit, rectè tamen in alia ultima uolūtate relinquere poterit: nec enim dicitur ſi minor teſtatur, ſed & qui teſtari poteſt, poterit inquam relinquere, non ut credo dare. Ratione rei prohibetur dominus manumittere ſeruum ſpecialiter obnoxiatum quæſtioni, reſtitutioni ſubditum, ſeruum etiam ſub conditione legatum: ſi tamen defecerit conditio, legatiúe fiat repudiatio, confirmabitur manumiſſio. Propter cauſam præpeditur libertas data, quæ fuerit per acclamationem extorta. propter cauſam nulla eſt libertas in fraudem creditorū præſtita, & reuocabitur. data etiam directò cenſebitur & ex euentu & conſilio, fideicommiſſaria ex euentu ſolo. Ita tamen inutiliter libertas data etiam debitoris fiſci, qui non eſt ſoluendo, confirmabitur: ſi manumiſſus diu id eſt non minus decennio in libertate morabitur. Interdum quoq́ libertas in fraudem creditorų data etiam abinitio ualet lege Aelia Sentia permittente, puta ſi dominus qui non ſoluendo eſt, ſeruum ſuum duntaxat unum certum non ſpecialiter pignoratum, aliâsúe manumitti debitum inſtituerit: ſicq́ per conſequentiam libertatem contulerit, ut in Inſtitut. ex qui. cauſis. Et notandum eſt, quòd dominus qui ſoluendo eſt etiam extra pignoris cauſam, puta quis habens in patrimonio duos duntaxat ſeruos, ſi ſub alternatione debuit ambos, neutrum poterit manumittere, ut ff. qui & à quibus l. cum hæreditas.

QVI NON POSSVNT AD LIBERTATEM PERVENIRE. TIT. XII.

Sequitur ut dicamus de ſeruis qui non poſſunt ad libertatem peruenire. Liberari non poteſt ullo tempore ſeruus in ꝑpetua uincula damnatus, ſed ad tempus in uinculis eſſe iuſſus tranſacto tempore poterit manumitti. Item à teſtatore alienari uetitus, à contrahente quoq́ ſimiliter uetitus manumitti non poterit: multo fortius ſi expreſſim lex dicta fuerit ne manumittatur: tunc enim de iure non manumittitur, etiamſi factum manumiſſionis interponitur. pœna tamē promiſſa non tenet quare teſtator manumitti uetuerit, an propter fauorem filij, an propter dominum ſerui. Si propter odium ſerui, ſeruus perpetuò ſeruiet, ſi propter

pter commodum filij mortuo filio ſeruus recte poterit manumitti, ut C. eod. l. ult. quippe neceſſitate finita etiam diſpenſatio facta ſolet uacuari.

QVIBVS EX CAVSIS SERVI PRO PRAEMIO LIbertatem accipiunt. Tit. xiij.

DIximus quomodo ſerui fiant liberi per manumiſſionem, nunc audiamus qualiter ſine manumiſſione: imò etiam ceſſante domini uoluntate per iudicis ſententiam, ſerui libertatis præmium accipiunt. Et ſerui qui detulerunt iurgium, raptores, monetæ falſatores, ſententia præſidis libertate donandi ſunt: ut tamen iſtorum ſeruorum domini pretium à fiſco percipiant: ne inde iniuriarum naſcatur occaſio unde iura fluxerunt.

DE INGENVIS MANVMISSIS. TIT. XIIII.

DIximus de ſeruis manumiſſis, & quia ingenui hæres de facto quãdoq; manumittitur loquamur de ingenuis manumiſſis. Ingenuus manumiſſus ſtatum ſuum nec auget, nec minuit: quia libertas nõ prædicatur cum magis uel cũ minus, licet à libertate detortum nomen comparetur grammaticè liber liberior liberrimus. Sed & eandem libertatem quam manumiſſor habet ſecundum groſſam dialecticam quilibet manumiſſus dicitur obtinere, ut Inſtitut. de libert. Nec enim rei ueritas geſtorum errore uiciatur, neq; mera ingenuitas inutili manumiſſione: imò etiam infra quinquennium olim ingenuus manumiſſus poterat ſe in ingenuitatem repetere, poſtea minimè, ubi per principem aut apud principem erat manumiſſus, ut C. de cau. ſtat. ſed hodie perpetuò uſq; in finem ſeculi poterit proclamare. Et notandum, quòd ſicut manumiſſio impoſita de facto homini ingenuo illi non obeſt, ita nec ei cõferre debet, ne uel proſit uel obſit quod euenit. ergo donata aliaúe data legata ei tanquam liberto in domo manumiſſoris dimittere debebit, ſi ſibi libertatem ingenuam cum peritioribus tractatu habito per iudicis ſententiam obtinuerit, ut C. eod. l. prima.

COMMVNIA DE MANVMISSIONIBVS. TIT. XV.

EXpoſuimus in ſuperioribus de manumiſſis ſingularia, nunc audiamus cõmunia, hoc eſt commune. Omnis legitima manumiſſio eſt libertatis datio. Item per quemcunq; modum manumiſſio proceſſerit, eadem libertas obtingit. Item in ætate manumiſſi nulla eſt differentia. idem in manumiſſoris. Item pater quocunq; modo per filium filiam ſiue ſuum ſuam, emancipatum emancipatam poteſt manumittere. In eo quoq; conueniunt nulla manumiſſio etiam ullo modo ex ordine (ſicut ſuperius dictum eſt) imponitur à non domino, tutore, curatore, procuratore. In ſumma illud notandum eſt, quòd inuenitur quædam libertatis impoſitio ſiue de facto manumiſſio, puta illa quæ per fructuarium imponitur, quæ non tribuit libertatem, ſed oneris laxitatem & aliquã exonerationem. Diſtinguitur tamen fructuarius gratia proprietarij ſeruiúe libertatem impoſuerit, ſi quidem hoc modo ut cedat uſumfructum proprietario pleniſſimum ius habet amodo proprietarius in ſeruo. Si uero gratia ſerui, fructuarius illum ſeruum ab uſufructu liberarit, & libertati per manumiſſionem de facto tantum procedentem donauerit, manebit quidem ipſe etiam adhuc ſeruus poſtea: ſed tamen donec ſeruus fructuarius uixerit, uel aliàs uſusfructus conſtare potuerit, non

debebit proprietario ſeruire, nec eius miniſteria adimplere. Ergo manumiſſio iſta, quam fructuarius imponit, & de facto tantum eſt manumiſſio, & anomala eſt & irregularis.

DE LIBERALI CAVSA. TIT. XVI.

TRactauimus de libertatis datione, nūc dicamus de libertatis diſputatione. uel aliter docuimus quomodo libertas ſit danda, nunc diſſeramus quemadmodū per liberalem cauſam ſit tuenda. Videamus itaq; quæ cauſa ſit liberalis, quæ non, quomodo liberalis cauſa inſtituatur, quis ſit actor, quis reus in hoc iudicio, qualiter exerceatur, quæ cōmunia cum alijs cauſis habeat, & quæ ſingularia. Liberalis cauſa dicitur, in qua de libertate confligitur: hinc de ſeruitute, inde de libertate nimirū iam competente nō competitura ſiue danda. Quippe tūc non eſſe liberale iudiciū, ſiquidem minori indulgetur reſtitutio: ſi iudicis ſententia iubeatur, libertatē puta fideicōmiſſariam dependere. At uero petens aliquē ex libertate in ſeruitutē, ſi ſuccubuerit nō poterit niſi prouocare. Multum em̄ diſtinguitur iudex pronunciet liberū an liberandū: ſi liberū nec minori datur, niſi appellatio: quia aduerſus libertatē nulla eſt reſtitutio, niſi per principem: ſi liberandum, etiā reſtitutio competit, ut C. ſi aduerſus libertatem l. j. & ult. Inſtituitur liberalis cauſa actione in rem utili præiudiciali, daturq; nunc actio alteri contra alterū: daturq; in rem, quia uel ex uno latere agitur de dominio. Et uocatur utilis duplici ratione, & quia non eſt de dominio ex alio latere, & quia propriè nemo eſt dominus ſui. In hoc iudicio etiā is eſt actor qui ex ſeruitute in libertatē & in ingenuitatem petit. Si uero ex libertate quis in ſeruitutem petitur, is erit actor, qui ſeruum ſuū dicit: ille reus erit, contra quem fiet proclamatio. Ita tamen poſſeſſor libertatis beneficio fungetur poſſeſſoris, id eſt non artabitur ad ꝓbandum, ſi in poſſeſſione libertatis fuerit ſine dolo malo. Quippe etiam liber homo poteſt eſſe in poſſeſſione libertatis dolo malo, ſi cū poſſidetur ab aliquo bona fide tanquam ſeruus domini, ipſe ſtatus ſui præſertim ignarus, receſſerit, & clam in libertate morari cœperit. Poteſt etiam ſeruus ſine dolo malo in libertate morari, utputa ſi libertatem ab eo acceperit, quem dominum eſſe putauerit, cū non eſſet. Et generaliter dicendum eſt, quoties quis iuſtis rationibus ductus, uel nō iuſtis, ſine calliditate tamen, putauerit ſe liberum, & in libertate moratus eſt: dicendum eſt in ea cauſa eſſe, ut ſine dolo malo in libertate fuerit, atq; ideo poſſeſſoris commodo fruetur. Probatio autem ad id tempus refertur, cum ſine dolo malo in libertate fuerit, quo primum in ius aditum eſt. Is quoq; cui opera fabrilis debetur liberali iudicio experiri poteſt, ut ff. eod. l. igitur. Quid ergo ſi incertum eſt quis ſit libertatis poſſeſſor, ut poſſit iudiciū ordinem accipere? apud iudicem diſceptabitur: utrum ex libertate in ſeruitutem, an contra agatur. hocq; per ſerui torſionem interdum manifeſtabitur, ut ff. eod. l. liberis. C. eod. l. eam. Quid ergo ſi mater & filius de libertate litigant? aut cōiungenda ſunt utrorūq; iudicia, aut differenda eſt cauſa filij, donec de matre cōſtiterit, ut ff. eo. l. ſi uſumfructum. Ergo iudicium liberale differtur propter aliud liberale. Item ſuſtinetur nō liberale iudicium, ne libertati fiat præiudicium. Si in libertatem proclamans de furto aut damno arguatur ab aliquo, & ex euentu furti, damniq; iudiciū aut utile fiet aut nullū ſi cōtra libertatē fuerit pronunciatū, ut ff. eo. l. ordinata. Item qd fiet, ſi is q petierit quē ex libertate in ſeruitutē lite cōteſtata abfuerit, electio petitori deferēt: utrū malit cognitionē circūduci et differri, an audita cauſa ſentētiam ꝓferri. Sed ſi iudex cognouerit, ꝓnunciare debebit ſeruū petentis nō uideri.

Sed

Sed etſi ex ſeruitute in ingenuitatem quis ſe allegat,melius iudex fecerit,ſi cauſam diſtulerit:niſi euidentes probationes ſuggeſſerint pro libertate pronunciari,ut ff.eod.l.Diui.Hæc ſunt cōmunia ut alter ſit actor,alter reus.item ut is qui agit probet.Porrò poſſeſſor ingenuitatis cum neceſſitas probandi de ingenuitate ſua non incumbit,ultro ſi ipſe probare deſideret audiendus eſt, ut ff.eo.l.cui & ff.de probatio.l.circa.Item aliquando(ſicut ſuperius diſtinctum eſt)in hoc iudicio contracto eremoditio(ſicut in alijs iudicijs)ſententia datur.Item & appellatio porrigitur.hæc ſunt cōmunia. Singularia ſunt iſta.Iſbertus ſeruire uolens à patrono ingenuus, atq; à ſibi conſanguineo etiam inuitus in libertatem peti poterit,ut C.eod.l.principaliter,& ff.eod.l.j.& iiij.ab extraneo quoq; furioſus & impubes,ut ff.eod.l.vj.Item ordinata cauſa liberali, etiam is qui uere ſeruus fuerat habetur loco liberi. imò & ſi ſeruus quē poſſidebam, pro libero ſe gerit, & iudicium liberale paratus ſit pati,& deinde in libertate moratus ſit, deſinit à domino poſſideri. Enimuero ſi ex poſſeſſione ſeruitutis in libertatem proclamauerit,& liberale iudicium pati paratus ſit, pro libero habebitur uere tamen ſeruus,quod ex poſtfacto apparebit,adhuc poſſidetur à domino.quippe hic quod ei fuerat traditū promiſſumúe,domino æſtimabitur quæſijſſe,ut ff.eod. l.ſi cui. Item ſi liber homo ſeruum apud acta profitetur,ut C.eod.Item & ſi ſcripſerit ſe ſeruum,uel in ludo forte ſi incertus fuit ſpoponderit ſe perpetuò ſeruiturū.nempe commendatio priuata nec ſeruum quenquam, nec libertum alicuius facere poteſt.Item poſſeſſori ingenuitatis(ſicut eſt dictū) ſi uelit ſe probare ingenuum mos ei gerendus eſt.Item libertas nulla temporis præſcriptione perimitur.ſiquidem liber homo nunquam fit ſeruus tempore. Idem de duobus iudicibus unus ſi tulerit ſententiam pro ſeruitute,alter pro libertate,ſtabitur ſententię pro libertate pronunciatæ,ut ff.eod. l. duobus. In ſumma ſciendum eſt,quòd ſi fuerint obſcura iura in liberali cauſa, debebit iudex pro libertate potius quam contra libertatem decernere. ſeruitus enim comparatur mortalitati, ut ff. de regul. iur. Item libertas res inæſtimabilis eſt,& rebus omnibus fauorabilior, ut ff.de regul.iur.l.libertas.

DE ADSERTIONE TOLLENDA. TIT. XVII.

ET quia olim in liberali iudicio ſeruus indigebat adſertore, ſiue ageret, ſiue reſponderet, hoc quoq; caſſatum eſt, loquamur de adſertione tollenda. Et certe ſeruus ſi ex libertate in ſeruitutem petitur,& per ſe & per procuratorē poterit litigare.ſecus in iudicijs alijs,ut ff.de procurat.l.ſeruum.Ergo adſertio ſublata eſt quoad neceſſitatem,ſed durat quoad uoluntatem. ſiquidem ſeruus etiā hodie in cauſa liberali inſtituit procuratorem, ergo adſertorem. Nam & alia ſequeſtratio pecuniæ,quæ petitur in genere,prohibita eſt. ex pacto tamen tanta pecunia quanta petitur,poteſt ſequeſtrari. Sententiæ quoq; pro libertate uel contra libertatem datæ prima,ſecunda,tertia retractatio ſublata eſt. quia ſufficit prouocatio.Super rebus ſeruorum ita diſponitur, ſi ex poſſeſſione ſeruitutis aliquis proclamat in libertatem,res quas habet in tuto iudicis imperio ſunt collocandæ:niſi conſtet eas eſſe dominicas,tunc enim domino ſunt reſtituendæ.Si uero ex poſſeſſione libertatis petitur in ſeruitutem, fideiuſſorem dabit uel iurabit res ſibi commiſſas ſi uictus fuerit ſe reſtituturum.Porrò poſt huiuſmodi cautionem,litiſq; conteſtationem,ſi abfuerit etiam legitimè citatus, in abſentia ex uoluntate per unum annum durauerit,illico petentis dominio iudicis ſententia adſignabitur.Ergo in hoc caſu tria ſunt ſpecialia,ut de periurio plectatur, & ante finem triennij ſententia feratur,& pro ſequente cōtra abſentem forte melio-

rem litis partem. Item & petenti hominem in ſeruitutem imponitur pœna. quoniam ſi de iudicio uno ad aliud iudicium eum traxerit, etiam ſi dominus fuerit illius amittit dominium, ut C. cod. l. j. in fine.

QVIBVS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON licet, & de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur. Tit. xviij.

EXplicauimus de proclamantibus in libertatem, deq; proclamantibus in ſeruitutem, & quia ſunt quædam perſonæ, quibus ad libertatem proclamare non licet, audiamus quibus non licet, & quibus licet, & audiamus de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur. Deſcendentibus ex familia latronum ſiue ipſi ſint ſerui facti, principe eos capi & pro ſeruis detineri permittente: ſiue ſint ſerui facti principe eos capiente & donante, proclamatio ad libertatem denegatur. Item maiori annis uiginti, qui paſſus eſt ſe uenundari homini ſuam conditionem neſcienti cum participio pretij, libertatis denegatur defenſio. Similiter & ei, cui fideiuſſoria libertas debetur: quanquam enim hic liber non ſit, quia tamen ſi uult eſſe poteſt, idem eſt. Eſſet em̃ abſurdum melioris conditionis fore eum qui dubiæ libertatis eſt, quàm qui certæ, ut ff. eod. l. Licinius, ut ff. de liberal. cauſ. l. ordinata. Item denegatur ad libertatem proclamatio ſi quis infra annos uiginti partem acceperit pretij, ut ff. de liberal. cauſ. l. liberis. Idem ſi paſſus fuit ſe in dotem dari, permutari, pignorari cum aliquo participio emolumenti. idem ſi uſumfructum liberi hominis, illo paciente & partem pretij accipiente, alicui uendidero: ſi modo ſeruus nõ erit ſine domino, ut ff. de libera. cau. l. ſi uſumfructum. Item illi denegatur libertatis defenſio, qui quæ ſe ex mulieribus quæ ſe paſſæ ſunt uenire, nati natæue fuerint. Item ſi duo hominem liberum emerimus maiorem annis uiginti, unus ſciens eius conditionem, alter ignorans: non propter cum qui ſcit ad libertatem proclamare ei permittitur, ſed propter eum, qui ignorat ſeruus efficietur: non ſcientis emptoris, ſed duntaxat ignorantis, ut ff. l. ultima. Econtrario ad libertatem ei proclamare permittitur, qui dum proclamaret uenundatus eſt. ſed & minor annis uiginti etiamſi conſenſerit cũ uenderetur proclamare permittitur. Item minor annis uiginti paſſus ſe uenundari, in dotem dari, permutari, ſuæ conditionis ignoranti homini participata etiam parte alicuius emolumenti, poterit proclamare. Item maior annis uiginti paſſus ſe uenundari etiam ignaro ſuæ conditionis homini etiam ad participium pretij, proclamare poterit: ſi partem pretij ſui ipſius accipere poſtmodum recuſauit. Item proclamare poterit paſſus ſe uenundari, ſi pretiũ reddiderit. nempe ſi reddiderit etiam alter uel emptor acceperit. uel forte (ſicut quidã inquiunt) uerum illud eſt ſi non pretium reddidiſſet libertatis fauore: ſic intelligi debet, ſi reddere paratus fuiſſet. Item ab hoſtibus reuerſus etiam pretio redemptus ritè poterit proclamare. Item filius ſanguinolentus à parente propter famis neceſſitatem uenundatus, proclamare permittitur: ſi tamen is filius, uel pro eo alius, ſui pretium uel aliud quod tantundem ualeat, mancipium obtulerit. Item noxæ deditus ſi qua pecunia damnum à ſe datum poſtea reſarcierit, prætoris auxilio manumitti debebit: ſicq; ſpecialiſſima cenſura & ſingulariſſimo quodam iure ad libertatem proclamare poterit, ut Inſtitut. de noxa. Super rebus autem eorum, qui ex poſſeſſione ſeruitutis in libertatem proclamauerint, ita diſponitur. id quod apud ſe conſtitutum, eius eſſe qui dominum ſe dicit, is qui proclamat, profitebitur: quoniam de eo non eſt quæſtio, protinus reddendum eſt domino.

 omne

omne autem aliud quod petitur, ſi fuerit negatione dubium, per cautionem con
ſeruabitur & petitio differetur, etiamſi fuerit pro ſeruitute iudicatum, ſicq; pro
domino, ſequeſter omnia domino dabit: ſiue pro libertate iudicatum non fue-
rit, ſicq; contra dominum, ſeruus liber pronunciatus omnia uindicabit apud ſe-
queſtrum cõſtituta. exceptis his, quæ ut ſeruo dominij iure dominus quondam
creditus fuerit largitus. Excipiuntur quoq; ea, quæ ex rerum ſibi à domino do-
natarum aliasúe conceſſarum quæſtu ac fructibus congregata ſunt. Item exci-
piuntur & ea, quę aliâs furtiuis compendijs obſcurè fuerint percepta & habita,
ut C. eod. l. ult. Econtrario ſiquis de libertate in ſeruitutem petitur, omnia quæ
poſſidet retinere permittitur, ſi tamen fideiuſſorem dederit: uel iurauerit ſe reſti-
turum, ſi uictus fuerit. Hæc omnia locũ habent ante litem de libertate motam.
Quid ergo, ſi poſt litem conteſtatam dominus dicatur aliquid ſeruo abſtuliſſe?
diſtinguitur in hunc modum. ſi de ſeruitute in libertatem proclamat, & hoc ſe-
queſtrabitur, ſicut & cætera ſequeſtrantur. Sed & ſi pendenti iudicio de alijs un
decunq;, is qui uocat abſtulerit, uniuerſas ei qui ſeruus eſſe contenditur, reddi
conuenit: ſi modo ſaluas res futuras per idoneum fideiuſſorẽ promiſerit. Nam
ſi tales non potuerit dare, uel forte (ut in ſuperiori dictum eſt) noluerit iurare.
tunc oblata, ſicut & cætera ſequeſtrabuntur, quouſq; liberalis controuerſia ſo-
piatur. ita tamen, ut ex eiſdem rebus ſi aliunde facultas eſſe non poterit, litis im
pendia ad alimenta iudicis arbitrio taxata homini in ſeruitutem petito præſten-
tur. Enimuero ſi lite nondum de ſtatu mota res aliquis diripuerit, & ſententia in
terlocutoria de reſtituendis rebus lata, raptor ne ſententiæ huic ſatisfieret de ſta
tu controuerſiam moueret, neceſſitatem habebit, etiam ſine ſatiſdatione eaſdem
res reddere: & tũc cauſam liberalem ſecundum iuris ordinem poterit exercere,
ut C. de ordi. cog. l. ultima.

DE ORDINE COGNITIONVM. TIT. XIX.

EXpoſuimus in ſuperioribus qualiter liberalis cauſa tractetur, quando prin
cipaliter mouetur. & quia ſæpe incidit alij quæſtioni, & antè motæ con-
currit, tuncq; locus eſt ordini, audiamus de ordine cognitionum ſcilicet libera-
lium, & duntaxat liberalium. Porrò Codicis tertio titulus generalius inſcribi-
tur de ordine iudiciorum, pleniorq; doctrina traditur de ordine cauſaꝝ omnium
tam liberalium quàm non liberalium. Incidit liberalis quæſtio alij ciuili quęſtio
ni antea motæ tribus modis. ut ſi petis à me hæreditatem quidúe, & ego te meũ
ſeruum dico. item ſi me accuſas, & ego te ſeruum licet alienum adſero. Item ſi à
me petis hæreditatem alicuius defuncti, & ego illum defunctum ſeruum fuiſſe
adſtruo. Iſtæ autem quæſtiones dupliciter ſibi cõcurrunt, aut in utraq; perſona,
aut in altera. In utraq; duobus modis, aut enim duæ ſunt petitiones, aut una.
duæ ſunt, puta ſi quis aliquid à te petit, & tu petas eum ſeruum tuum eſſe. una
eſt petitio: cum ipſe à te petit, tu ab eo nihil, ſed dicis eum ſeruum alienum fore.
hoc caſu non eſt liberale iudicium, ſed tamen & hæc de ſtatu quæſtio præcedere
debet. Cum autem duæ ſunt petitiones aut ſunt mutuæ (ſicut dictum eſt) aut ex
uno latere tantum fit petitio gemina: hocq; fit bipertito, aut enim utraq; ciuilis,
aut altera ciuilis, & altera criminalis. Et generaliter ſciendum eſt (ſicut in alijs in
cidentibus quæſtionibus) de libertatis quæſtione primum eſſe quærendum, ſi
inciderit, ſi obiecta fuerit, ſi occurrerit. Ergo ſi quis quem accuſare uelit, & obij-
ciatur ei quod ſit ſeruus, primum de ipſius ſtatu quæri debebit quem accuſat.
idem ſi uindicet. idem ſi perſonaliter debitũ flagitet. idem ſi accuſetur is, quem
ingenuum eſſe dicis, cum ab aduerſa parte ſeruus eſſe aſſeueretur. Quippe ne-

ceſſe eſt antè ſciri ſi delictum fuerit probatum, utrum ut in liberam, an ut in ſeruilem perſonam oporteat uindicare, oporteat ſententiam dari, ut C. eodē. l. iij. Quod autem diximus de libertate prius eſſe quærendū, niſi agatur cauſa apud ordinarium iudicem, moueaturq́ controuerſia contra puberem. nempe interueniente perſona pedanei iudicis, hominisq́ impuberis præpeditur cognitio incidentis liberalis quæſtionis: & tunc quæſtio de hæreditate puta, & examinabitur, & expreſſa ſententia terminabitur: ſufficitq́ ei qui libertate utitur ad uictoriam de hæreditate ſecūdum eum pronunciatum eſſe. Quippe ſi pronunciatum fuerit eſſe hæredem, conſequenter pronunciatum erit etiam liberum eſſe: ſed nō conuertitur, ut Cod. eod. l. ij. Sanè aliquando etiam ubi impuberi ſtatus uertitur quæſtio, ſi expediat pupillo: puta ſi pupillus argumentū præſentialiter pro ſtatu ſuo habuerit, iudex ordinarius cauſam liberalem illicò terminare debebit. Excipitur quòd de libertate primum quæri non debeat, ſi libertas ex teſtamento petatur, & teſtamentum falſum eſſe dicatur. tunc enim primum de teſtamento, quàm de libertate quæretur, quòd petitor ſit ſeruus, teſtatorq́ deceſſerit. ſimiliter cauſa prius poſſeſſionis quàm libertatis tractabitur, ut C. de edict. diui Adria. Et ubi quis res abſtulit homini, qui ad ſeruitutem uocatur, etiamſi ſententia lata de rebus reſtituendis, raptor ut ſententiam deludat quæſtionem ſtatus moueat, nihilominus tamen ablatum ei reſtituere debet, ut eod. l. ultima.

DE COLLVSIONE DETEGENDA. TIT. XX.

QVia in iudicio liberali ſæpe fit colluſio, & detegere colluſionem laudabile eſt, de colluſione detegenda loquamur, & non de ea, quæ fit per procuratorem, puta in iudicijs alijs præiudicialibus, ſed de ea duntaxat quæ fit cum domino per ſeruum, per patronum cum liberto in liberali iudicio. Videamus itaq́ quid ſit colludere, quis poſſit colluſionē detegere, & infra quod tempus, & quod præmium detur detegenti. Colludit dominus dominaue cum ſeruo, cum in liberali iudicio patitur ſe ſuperari à ſeruo propter aliquod emolumentū, etiam non honeſtum: puta ut domina cum ſeruo ſuo pronunciato libero ſua peſſima commertia habeat, & libertus licentius perpetret ſtuprum. patronus quoque & patrona colludit cum liberto. Datur autem licentia detegendi etiam extraneis, dum tamen pro alio poſtulare poſſint, ut ff. eod. l. iij. Colluſionem detegere licet infra quinquennium continuum, & duntaxat infra quinquennium numerandum poſt ſententiā de ingenuitate dictam: niſi forte colluſoris ætas ſuaſerit, colluſionis ſiue retractationis iudiciū debet differri. Quinquennium autem iſtud non ad perficiendam retractationem, ſed ad inchoandam proditum eſt: niſi ubi quis ex libertate ſe in ingenuitatem petit. tunc enim & infra quinquenniū retractationis ſiue colluſionis cauſa debebit terminari, ut ff. eod. l. iij. Reuelato colludio ſenatuſconſulto talis detector renumeratur præmio. Si ſeruus fuerat qui colludente domino pronunciatus eſt ingenuus, detegentis ſeruus erit: ſed detegentis ſimiliter ſeruus libertus fiet. Quid ergo ſi plures detegere geſtiant? iudex comparatis omnium moribus & ætatibus, & conſiderato eo cuius interſit magis unum eorū eliget: ſi tamen ſit talis cui per edictum poſtulare licet, ut ff. eod. l. ultima.

NE DE STATV DEFVNCTORVM POST QVINQVENNIVM QVAERATVR. TIT. XXI.

Sufficien-

SVfficienter de cauſa ſtatus diſſeruimus, & quia ſtatum etiam perſonæ uiuentis & mortuę tuetur temporis præſcriptio, ponamus primum de ea præſcriptione, quæ tuetur ſtatum defuncti, poſtea dicemus de ea quæ tuetur ſtatum uiui. Et quidē de ſtatu defuncti nec priuati nomine, neq; fiſci, neq; principaliter, neq; incidenter, poſt quinquennium quærere licet, ut quæſtio inchoetur: ſed antea inchoata, etiam poſt quinquennium uentilabitur. Excipitur niſi pro ingenuitate alicuius adhuc ſuperſtitis fuerit ſententia data. tunc enim poſt quinquennium nec inchoata ante quinquennium, poſt luſtralem curſum tractabitur, ut ff. eod. l. j. ſed & dum uiuit tantum. Quod diximus poſt quinquennium nō poſſe quæri regulariter, id eſt incipere quæri, ſic debet intelligi ne in deteriorem cōditionem retractetur ſtatus defuncti, puta ut cum in diem mortis uixerit tanquā ingenuus, poſt quinquennium à morte computandum probetur ſeruus uel libertus. tūc enim recte quinquennalis temporis præſcriptio poterit obijci. Quid ergo ſi in meliorem conditionem ueluti pro ſeruo libertus dicatur, quare non admittatur? etiam poſt luſtrum notio impertietur, & audientia dabitur. Sed & de emancipatione poſt quinquennium quæri poterit. Nec enim emancipatio primitiuum & naturalem uel ſubſtantialē ſtatum immutat, ſed inducit accidentalem. Intra quinquennium autem licet non principaliter, incidenter tamen, id eſt occaſione quæſtionis bonorum de ſtatu defuncti quærere licet. excipitur ſi eius ſtatus retractetur, qui deceſſerit intra quinquennium: ſi modo per huiuſmodi quæſtionem præiudiciū futurum eſt alij homini mortuo ante quinquenniū, ſed nec de uiui ſtatu quærendum eſt, ſi quæſtio huius præiudicium faciat ei qui ante quinquennium obierat, ut ff. eod. Sunt autem tria quæ cauſam dant huic præſcriptioni, id eſt ut quis defunctus ſit, & non in fuga: & ut quinquennium à morte præterierit ante mortalitatem, & ut liber in diem mortis uixerit, & ſi non uarietas interueniat. Quod ſi uarietas interueniat, poſteriora tempora expectare conuenit, ut C. eod. l. ſi mater. Item ſpecialitate duplici uallatur iſta præſcriptio, ſiquidem ſola temporis ratio ſine poſſeſſione hanc præſcriptionem inducit. Sed cōtra hanc præſcriptionem, nedum alius minor, ſed nec etiam pupillus, nedum ipſo iure, ſed & per in integrum reſtitutionem etiam hodie, non adiuuatur, ut ff. eod. l. ij. & C. eod. l. ſi mater.

DE LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIONE, QVAE pro libertate, non aduerſus ad libertatem opponitur. Titulus xxij.

DIximus de ea præſcriptione quæ tuetur ſtatum defuncti, nūc audiamus de ea quæ tuetur ſtatum uiui. Differt hæc ab illa: illa eſt quinquennalis, hæc decennalis uel uicena. item illa ſine poſſeſſione procedit, hæc minimè. Ergo ſi ſeruus bona fide ſeipſum poſſederit, id eſt bona fide in poſſeſſione libertatis moratus fuerit, & ex iuſto initio, utputa ſi eum dominum ſui eſſe crediderit, qui ſi manumiſerit, poſt uiceniū inter præſentes longi temporis præſcriptione libertatem & libertatis compendium ſibi quęſiuerit. Nec enim ſoli uiginti anni pro libertate præſcriptionem generabunt, imò & decem: ne pro libertate ſtatuatur durius quàm in cæteris præſcriptionibus. Specialiter autem fides bona duntaxat ſine titulo hanc præſcriptionem inducit. Quid ergo ſi mala fide longo tempore, id eſt decennio, uel uiginti annis moratus fuerit in libertatis poſſeſſione, probationis moleſtiam euitabit. Enimuero etiamſi mala fide tempore longiſſimo uel annnorum xxx. ampliorive ſpacio in libertatis poſſeſſione fuerit, licet non ſuo iure, deſidis tamen

domini iniuria in libertate ſe defendet. Illud ſciendum eſt, quòd licet pro libertate etiam duntaxat longi temporis ſit præſcriptio prodita, aduerſus libertatem tamen competit nulla. Liber enim homo aut ab initio, aut ex poſtfacto fit ſeruus, ut per hoſtium capturam, ſuamúe auaritiam, nu:iquam autem tempore, ut C. eodem lege ultima.

DE PECVLIO EIVS, QVI LIBERTATEM MERVIT. TIT. XXIII.

HAbito tractatu de hominis manumiſſi ſtatu, de eius peculio loquamur. diſtinguitur manumittatur quis inter uiuos, uel in uoluntate ultima. Manumiſſus inter uiuos tacitè cōſequitur peculium: niſi ſpecialiter fuerit ademptum. Manumiſſus in uoluntate ultima non habebit, quia tacitè intelligitur ademptū: niſi ſpecialiter fuerit legatum. hæc ita tam uariè, quia cum is qui manumittit inter uiuos largam amplamq; licentiam habeat auferendi peculium, nec aufert, tacitè uidetur concedere: at uero teſtator qui libertatem relinquit poſt teſtamentum, codicillumúe compoſitum, eo non uidetur tacitè cōcedere: quia ſæpiſſimè contingit, ut poſtea nec uelle poſſit nec nolle.

DE SENATVSCONSVLTO CLAVDIANO TOLLENDO. TIT. XXIIII.

QVia Senatuſconſultum Claudianum loquebatur contra libertatem, dicamus de Senatuſconſulto Claudiano tollendo. Erat olim miſerabilis per uniuerſitatem adquiſitio, & miſerabilior libertatis amiſſio ex Senatuſconſulto Claudiano. mulier enim libertatem amittebat. Quod quia uiſum eſt indigniſſimum eſt ſublatū. nihil eſt enim uehementius furore amoris, quē retinere eſt philoſophiæ perfectæ, & habet ſua tela Cupido. & ſpicula figit amor. Item amor trahit ſuperos. & omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

DE NVDO IVRE QVIRITIVM TOLLENDO. TITVLVS XXV.

DIximus de ſeruis manumittendis, deq; manumiſſis, quorũ dominium olim fuerat aliâs plenum, aliâs nudum. quod cū ſit abolitum ideo audiamus de nudo, ſcilicet dominio ex iure quiritū tollendo. Et ecce ſicut olim fuerat in liberorum conditione diſtinctio trina, ſic erat & in ſeruorum dominio (ſicut dictum eſt) diſtinctio gemina. Sed hodie, quia in ſeruorum conditione nulla eſt differentia, & ſimiliter in ſeruis dominium nullus habeat nudum, ſed plenum. Excipitur, niſi quis in ſeruo ſuo conceſſerit alteri uſumfructum: tunc enim dominus, ut quicunq; habet dominium, ſed non ita nudum, ſicut apud uetuſtiſſimos fuerat obtentum.

DE VSVCAPIONE PRO EMPTORE, VEL PRO tranſactione. Tit. xxvj.

EXplicauimus in ſuperioribus de iure agendi, quod proditum eſt ad impugnandum, nunc audiamus de eo iure quod petitur ad defendendū. Et quia reus iudicio ſe defendit, per exceptionē ſiue longi temporis atq; longiſſimi præſcriptionem, perq; uſucapionem quæ & ipſa qualem qualem de facto parit exceptio

ceptionem,ut C.de iur.dot.l.in rebus. Conſtatq; quia uſucapio dignior eſt, q̃
præſcriptio,dicamus primum de uſucapione. Vel aliter diximus de præſcriptio
ne gemina quæ minuit ſtatum,nunc audiamus de præſcriptione quæ minuit pa
trimonium,& quia titulo pro empto frequentius uſucapitur, dicamus de uſuca
pione pro emptore. Et quia emptioni eſt ſimilis tranſactio:quippe ſicut in em-
ptione abeſt pretium,ita in tranſactione abeſt actio propter rem datam, promiſ
ſamúe,ideo adnectamus de uſucapione ꝓ tranſactione. Tractaturi itaq; de uſu-
capione exponamus quare uſucapio ſit introducta,et an ratione ꝑſonæ,rei,cau
ſæ ſit introducta:quæ oporteat interuenire ut uſucapio procedat,& quãto tem-
pore uſucapio terminetur.Bono publico eſt uſucapio introducta, ne rerum do-
minia aliquando ſint incerta, eſtq; uſucapio à iuris conditoribus admiſſa, licet
naturali æquitati ſit contraria. Nam & ſeruitus iure gentium prodita non tol-
litur,quanquam iuri naturali aduerſatur. Eſt autem uſucapio adquiſitio ſiue ad
iectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. Et poni-
tur in definitione nomen uſucapionis, tam pro uſucapione rerum mobilium,q̃
pro præſcriptione immobilium. Nempe olim rerum immobilium præſcriptio
dicebatur uſucapio ſicut & mobiliũ acquiſitio.uſucapere poteſt paterfamiliâs,
pubes, mentis compos,filius quoq; familiâs maximè miles, quod in caſtris ei
obuenerit.pupillus quoq; ſi tutore autore ſi tamen adfectum poſſidendi habue-
rit.Sanè furioſus nõ poteſt incipere poſſidere uerè,uſucapionem inceptam an-
te furorem poterit implere,ut ff.eod.l.nunquam & l.cœptam. Sed & tigna in-
cœpta antequam inſerantur ædificio licet deſinant poſſideri,nihilominus uſuca
pio conſummatur:ſi tamẽ decem dies,uel pauciores ad eius uſucapionẽ ſuper-
eſſent,ut ff.eod.l.rerum.uſucapitur propriè res mobilis ſeu ſe mouens:immobi
lis præſcribitur,ut C.in quib.cauſis ceſ.long.temp.præſcript.l.ij. Ergo uſuca-
pionem recipiunt maximè res corporales,licet non per ſe ſed cum ædificijs. Li-
bertas quoq; ſeruituris quæ eſt res incorporea quaſi uſucapitur,ut ff.eo.l.ſi alie
na,& l.ſequitur.§ ult.Præpeditur autem uſucapio ratione perſonæ,cauſæ.Ra-
tione perſonæ dupliciter,propter perſonã tradentis,& accipientis.Propter per-
ſonam tradentis,ſi à pupillo emeris ſine tutore quẽ impuberẽ minimè fore igno
raſti:ſed ſi à pupillo emeris quẽ puberem eſſe putaſti, procedit uſucapio, ut hic
plus operetur quia res eſt aliena,quã quia pupilli eſt credita, ut C. pro empto.
l.ij.§ ſi à pupillo. Item ſi ab eo emeris qui prodigus eſt; idq; tu ſcias,uſucapere
non potes,propter iuris errorem,& propter malã fidem,& quia Prætor uetuit
alienari,ergo uſucapi.nempe uſucapio eſt ſpecies alienationis.Propter perſonã
accipiẽtis præpeditur uſucapio,ſi mala fide poſſeſſor fueris:quod accidit tribus
modis,ſi credideris rem alienam eſſe,ſi putaueris per leges tibi non licere, ſi pre
tium numeraueris uenditori,quem ſciuiſti luxurioſum,prodigum,ſcortoúe da-
turum,ut ff.eod.l.ſi fur,& ff.pro empt.l.ſi quis.Idem ſi à procuratore falſo eme
ris,cumq; ut tibi minori uenderet pretio corruperis.Sed & ſi ſeruus Titio man-
dauerit,ut fundum emeret,isq; ſeruo manumiſſo in teſtamento fundũ emptum
tradiderit,manumiſſus illum non uſucapit:ſiue peculium ſibi conceſſum nõ eſſe
ſciuerit,ſiue ſcire potuerit,ut ff.pro empt.l.qui fundũ.§ ſeruus.& § procurator.
Ratione rei præpeditur uſucapio tribus modis,propter rei conditionẽ, propter
uicium.Propter rei conditionẽ ſi res fuerit ſacra,religioſa, uſibus populi expoſi
ta,perſona libera. Propter uiciũ ut ſi res fuerit impoſſeſſa, clandeſtina,furtiua:
niſi poſt purgatum uicium,id eſt,niſi res redierit in poteſtatem domini. redierit
inquam uel realiter,uel per interpretationem,ut ſi dominus à fure acceperit ęſti
mationem,ut ff.eo.l.ſi fur.Redierit,inquã,in poteſtatem ſcientis domini. nam
ſi neſciat rediſſe non eſt purgatum uicium. Quod dicitur ſi rem meam apud te

depoſitam uendideris, deinde ex pœnitentia redemeris, & eodem ſtatu habeas, uideri in poteſtatẽ meã rediſſe: etiamſi ignorante ſiue ſciente me ea ſunt geſta, debet intelligi de ſubtractatione redemptionis, non de reuerſione, ut ff. de furt. l. ſi ad dominum. In poteſtatem inquam domini redire debet, etiamſi fuerit ſubtracta non domino ut creditori. hoc ita ſi poſſit redire. Nam ſi dominus non cõparet ſufficit in poteſtatem creditoris reuerti, ut ff. pro ſoluto l. ultima. Quid ergo ſi pupilli res ſurrepta ſit à tutore? ſufficit ſi tutor ſciat rediſſe eam in domum pupilli. nam tutor in re pupilli domini loco habetur, cum tutelam adminiſtrat non cum pupillum ſpoliat, ut ff. pro empt. l. qui fundum. Quid ergo ſi ſeruus meus rem mihi ſurripuerit, ſed non tradiderit, deinde eandem ſuo loco poſuerit? poterit uſucapi, utiq; ſi neſciui furtum factum fuiſſe. nam ſi ſciui, exigitur ut ſciam eam reuerſam in poteſtatem meam. Item rem dominicam quam ſeruus ſurripuerit, peculiari nomine ſi tenere cœperit, in poteſtatem meam reuerſam non uideri Pomponius ait: niſi eum in peculium habere conceſſerim. Quid ergo ſi rem ſerui tantum peculiarem extraneus ſurripuerit, deinde eam etiam me ignaro ſeruus recuperauit? uideri in poteſtatem meam rediſſe commodius dicitur: niſi ubi ſciero eam rem in peculio eſſe, noluero, ut ff. eodem l. ſequitur. § Labeo. § item. Propter quaſi uicium impeditur uſucapio modis quatuor. Ecce ſi res fuerit donata præſidi contra legem Iuliam repetundarum à nemine uſucapietur, niſi primum in poteſtatem domini redierit à quo fuerat profecta, ut ff. eodem l. ad legem Iuliam repetundarum l. penult. Idem ſi res fuerit alienari uetita, ut C. eodem l. tertia, uel à lege Iulia uel Iuſtiniana, ut reſtitutioni ſubiecta, ut C. commu. de legat. l. ultima. Item res accommodata, depoſitaúe uſucapi non poterit. nam cum teneantur non poterunt ſe tueri triennio. Idem de hæredibus eorum intelligo: quoniã & ipſi ſimiliter tenentur iure hæreditario. licet quidam in contrarium ſentiunt occaſione legis poſitæ ſub titulo ff. pro hæred. l. plerisq;. Item ex quaſi uicio præpeditur uſucapio propter perſonæ priuilegium, ut ſi fuerit res pupilli uel fiſci. Sanè fiſco tantum debita & ſic nondum ſua facta, puta ſi ex rebus uacantibus nondum tamen fiſco nunciatis ab emptore quadriennio præſcribi poterit, ut ff. eodem l. quamuis. Sanè res ciuitatis cuiuſcunq; non Románæ, res eccleſiæ, minoris quoq;: ſi tamen pupillarem ætatem exceſſerit. Sed (ut puto) ciuitas tanquam pupilla reſtituitur. ergo & eccleſia, minor quoq;. nam cum reſtituitur ubi per culpam deliquerit, multo promptius debet reſtitui, ſi alter rem ſuam uſuceperit. Item hæres furis partum ancillæ furtiuæ apud ſe conceptum uſucapere poteſt. nempe tunc ſecundum legum cenſuram: licet forte ſecus ſit per phyſicam. partus enim eſt pars matris & ius certum. porrò apud dominum furemúe conceptus, ergo à matre furtiua quia tunc rei furtiuæ pars eſt, à nemine uſucapi poterit: niſi primum in poteſtatem domini redierit. Sed ubi iuris artificio non æſtimatur matris portio, ita demum uſucapitur: ſi toto uſucapionis tempore uſucaptor matrem eſſe furtiuam neſcierit, uel ſi ſcierit dominum certiorauerit, uel certiorare feſtinauerit, ut ff. pro ſuo l. penultima. Ratione cauſæ ceſſat uſucapio, ſi bona fides abſit, aut titulus iuſtus, uel id quod habetur pro titulo: multo fortius ſi utraq; deficiunt. Septem ſunt neceſſaria ut uſucapio procedat, bona fides olim uel ex parte accipientis, hodie exigitur utrumq;: niſi iuris dominus duo ignorauerit, ius ſuum, & alienationem factam. Sufficit autem tradentem habere bonam fidem, & uſucapientem uel in initio. Si ſeruus bona fide emerit, etiam dominus ex perſona ſerui uſucapit, ſed ſi tunc cum ſeruus emerit rem alienam eſſe ſciuerit, uſucapio non procedit, ut ff. pro empto. lege prima. Sufficit autem fides bo-

na uel

na uel in initio, ſi poſſeſſio cui ex ſuo contractu deceſſoriſue primò tradita ſit. ſecus ſi eam rem quam pro emptore uſucapiebas, ſcienti mihi alienam uendideris. tunc enim uſucapionem non complebo, ut ff. eodem l. hæres. & ff. pro empto. l. ſecunda. §. ſi eam. Atqui continuatio in uſucapione, & in præſcriptione indifferenter & promiſcue non impediatur hæredis ſcientia ſimplici. ſed nec ſi per litis conteſtationem ſciencia obtigerit. tunc enim uſucapio non interpellatur, ut ff. pro. empt. l. ij. §. ult. eo ſaluo quod ſuperius in partu ancillæ furtiuæ diſtinguitur, ut C. de acquiri. poſſeſ. l. nemo. dicet quis rem alienam cognitam uſucapione incerta quomodo poterit poſſeſſor uſucapere, cum uideatur iuſtum poſſeſſorem à furto excuſari? Et cũ executor rem contra domini uoluntatem uendit, furtiuam fieri negabo: nam & debitor rei propriæ furtum facit, furtiuam minimè efficit, ut ff. eodem. l. ſequitur. §. ſi rem. Amplius & ſi furtiuam fieri conceſſero, non tamen ritè inferatur, ut uſucapio non impleatur. nam & aliâs tigni uſucapio antea inchoata poſt ædificationem etiam impletur. Sed & de ſtatu defuncti quæſtio, licet poſt quinquennium, completur. Item nec dotalis prædij conſtante matrimonio uſucapio inchoatur, inchoata tamen ante etiam poſt contractum matrimonium conſummatur. Quod ergo uulgo dicitur rem furtiuam non poſſe uſucapi, ſic debet intelligi, ut non poſſit uſucapi inchoari, incœpta tamen antea etiam ſuperueniente furto poterit ad calcem perduci. Rei quoque exigitur traditio ut procedat uſucapio, uel quaſi traditio, ut ff. pro. legato l. ſi non. Item loco tertio titulum uerum oportet ſubeſſe in uſucapione. ſiquidem error falſæ cauſæ non parit uſucapionem. excipitur niſi probabiliſſime ſit erratum puta, ſi procurator meus rem quam mihi tradidit ſe emiſſe dixerit, cum tamen non emerit, nam tunc utiliter eam titulo pro emptore uſucapio uel titulo pro ſuo, ut ff. pro emptore l. quod. Quid ergo ſi putauerim ego hæres defunctum ex donatione poſſediſſe, qui tamen emerat? non ideo minus uſucapiam. error enim in cauſa una dummodo uerè ſubſit, in alia non obeſt, ut ff. eo. l. nunquam. §. ult. Loco quarto exigitur ut res non ſubiaceat uicio, uel quaſi. loco quinto exigitur ut id quod uſucapitur pro ſuo poſſideatur. nec enim is poſſidet qui alieno nomine poſſidet, id eſt, habet & tenet. Sed ſolus poſſidet cuius nomine etiam per alium poſſidetur, id eſt, tenetur, ut ff. de acquir. poſſeſ. l. quod meo. Loco ſexto exigitur, ut poſſeſſio ſit continua, id eſt, non interrupta, ſiue à ſe, ſiue ab actore poſſeſſio cœperit. Nam etiamſi quis uſucapere cœperit, poſſeſsione amiſſa poſtea ſciens rem alienam eſſe iterum poſſeſsionem nactus fuerit, non uſucapiet. quia initium ſecundæ poſſeſsionis uicioſum eſt, ut ff. eodem l. ſi is. Sed & poſſeſsio teſtatoris ita hæredi procedit ſi medio tempore à nullo res poſſeſſa eſt, ut ff. eo. l. poſſeſ. Loco ſeptimo in uſucapionibus exigitur triennium continuum, non tamen à momento ad momentum, ut ff. eo. l. in uſucapionibus. Idem in manumiſſione quam minor ann. xx. celebrat inter uiuos, & in teſtamento. Secus in xxx. annorum præſcriptionibus, & reſtitutionibus. tunc enim poſtremum totum tempus computamus, ut ff. de minor. l. iij. §. minorem. Tempus autem continuum intelligo, ſiue toto uſucapionis tempore poſſederit, ſiue alius à quo cauſam habet, nitens initio illius poſſeſsionem continet. nempe inter teſtatorem & hæredem, & inter teſtatorem & legatarium, inter uenditorem & emptorem, tempora continuantur. Porrò tempus uenditoris prodeſt emptori, quod antequam uenderet poſſedit. Illud quoque tempus uenditoris prodeſt emptori, quo antequam uenderet, poſſedit. Nam ſi poſtea nactus eſt poſſeſsionem uenditor, hæc poſſeſsio emptori non proficiet, ut ff. eodem l. id tempus.

DE VSVCAPIONE PRO EMPTORE, VEL PRO TRANSACTIONE. TIT. XXVI.

DIſſeruimus de uſucapione generaliter, nunc dicamus de uſucapione pro emptore, uel tranſactione. Oportet purè emiſſe non ſub conditione, ut ſtatim poſſit uſucapere, ut ff. eo. l. ij. §. ſi ſub. Itē ut quis uſucapiat pro emptore, expetit eū iure emiſſe, ut C. de long. temp. præ. l. vj. Item oportet eū rè uera emiſſe nec enim ſufficit opinari emptū, niſi fuerit emptū. Item oportet & traditum eſſe, quod eſt emptum titulo pro empto, non aliud pro alio. tunc enim illud non uſucapietur titulo pro empto, ut ff. eo. l. ij. §. cum Stichum, ſed forte titulo pro ſuo, ut ff. pro ſuo l. penult. §. ult. Pro emptore tamen aliquando uſucapit, qui neq; per ſe, neq; alium emit (ſicut dictum eſt) de eo qui à falſo procuratore accepit, cum ſe emiſſe mentitus fuerit. Sed & qui uerè non emit interdum pro emptore uſucapit, puta ſi litis æſtimationem obtulerit, ut ff. eo. l. j. & l. litis. Tria autem ſpecialia ſunt in emptione, ecce enim in alijs cauſis ſiue articulis facta traditio per dominum transfert dominium, in emptioue non ita: niſi uel pretium fuerit numeratum, aliasúe ſatisfactum, fidesúe ſit habita. Poſt fidem tamen habitam excipitur res immobilis propter ſuffragium tradita, illa enim in aduocati dominium uon tranſit, niſi & præter donationem ſcriptura tam publica, quàm priuata proceſſerit, ut C. de ſuffragio. Excipitur quoq; ſi ſeruus uſufructuarius, uel ſeruus alienus à te bona fide poſſeſsus, aliquid emerit, ſibiq; habita fide acceperit, nondum tamen pretium ſoluerit, numeratio pretij poſtmodum declarabit, cuius etiam retro fuerit dominium, ut ff. de acquir. re. domi. l. ſi ſeruus. Item ut quis uſucapiat pro emptore exigitur ut bonam fidem habeat, & cum emit, & cum rem quæ ſibi traditur accipit: in alijs articulis ſecus, ut ff. pro ſolut. l. iij. & ff. eo. l. ij. §. j. In dominio tamen pro emptore quærendo, ſi rem alienam ſcienti mihi uendideris, tradis autē eo tempore quo dominus ratam habet traditionis tempus inſpiciendū cōſtat, remq; meam fieri, ut ff. de uſucap. l. iuſto. Illud quoq; tertiū depræhenditur ſpeciale in titulo pro emptore ſi uſucapiebas, & ſciēti mihi alienam eſſe uendideris, uſu nō capio, id eſt poſſeſsionē non continuo licet aliâs cōtinuatio non impediauur ex hæredis, legatarij, donatarij ſine lite ſciencia. In ſumma ſciendū eſt, quòd ſi filiusfam. emerit illo tamen tempore accepit cum patremfam. ſe factum ignorauerit ueritate non præualente uſucapere poterit, ut ff. de uſucap. l. iuſto. §. filius. Idem in eo qui à non domino emerit, quem non dominum credidit, ut ff. de iur. & fact. igno. Et ſi teſtamentum condit, licet paterfam. ſit, eius teſtamentum præualente opinione non ualebit, ut ff. eo. l. de teſtibus. Titulo pro tranſacto uſucapitur id quod à non domino putante ſe dominum, traditur. nec enim iſto titulo uſucapitur id ſuper quo tranſigitur, ſed id propter quod tranſigitur titulo pro tranſacto uſucapitur, ut C. eo. l. cū ex cauſa.

DE VSVCAPIONE PRO DONATO. TIT. XXVII.

PRo donato uſucapit ille cui donationis cauſa à non domino res tradita ſit. nec enim ſufficit opinari donatum, ſed oportet eſſe donatum. Sed & ſiquid uerè ſit donatum, licet ſimulatè uenditum, non pro emptore uſucapietur, ſed pro donato. Coniugibus quoq; ſibi res alienas donantibus, donationemq; ualere credentibus uſucapio procedit, ſi tamen is qui donat pauperior non fiat, ut ff. eodem l. iij.

DE VSVCAPIONE PRO DOTE. TIT. XXVIII.

Et quia

ET quia dos donatio eſt,de titulo pro dote dicamus. Titulo pro dote uſucapitur quod à non domino in dotem,uel dotis nomine traditur,ſed conſtante demum matrimonio locum uindicat pro dote uſucapio. ſed hoc ita, ſi teneat matrimonium contractum,ſi ceſſet matrimonium nulla dos eſt,nec pro dote titulus.nam & poſt biennium cum de non numerata pecunia non excipiatur,nec de dolo ualebit exceptio, ne legis ſententia circumueniatur. Porrò ſiquid ante nuptias dotis nomine à non domino traditur, pro ſuo non pro dote uſucapitur, ut.ff.eo.l.j. Hoc ita ſi fuerit inæſtimatum,ſed & ſi res æſtimata ante nuptias ſit tradita, quia ineſt conditio tacita,nec pro emptore, nec pro dote, nec pro ſuo ante nuptias uſucapietur,ut ff. eodem l.ij.

DE VSVCAPIONE PRO HAEREDE. TIT XXIX.

PRo hærede uſucapit qui uerè hæres eſt, & rem illam duntaxat quam ex hæreditate eſſe credit.hoc ita,niſi fuerit res illa uel quaſi uicioſa,ut defuncto commodata,aliàsue ab eo ergo & ab eius hærede perſonaliter debita.pro hærede autem uſucapit hæres duntaxat extraneus, ſed ſuus uſucapere non incipit: quia dominus patre uiuente creditur,nec titulo pro hærede, nec titulo pro ſuo, ne ſi id dicatur(ſicut dictum eſt)lex circumueniatur. Sanè filius ſuccedens patri, qui quouis titulo etiam pro hærede cœperat uſucapere, uſucapionem illam poterit conſummare.

PRO DERELICTO TIT. XXX.

PRo derelicto habitum dum tamē non fuerit derelinquentis uſucapio, etiam ſi à quo derelictum ſit ignoro,ut ff.eo.l.ſi id. Nec enim quod eſt à mari expulſum,uel in mare iactatum, debet dici derelictum:ſed tantum cauſa ſalutis di miſſum.hoc ita demum, ſi in totum fuerit derelictum. nec enim etiam totius rei dominus efficere poteſt,ut partem teneat, partem pro derelicto habeat. Sed & is cui hæreditas delata eſt,aut totam hæreditatem admittet,aut totam dimittet. Sed & dominus à procuratore negocia reuocare cupiens, aut omnia transferet, aut uniuerſa relinquet. Item pupillus non à tutore contracta,aut omnia probabit,aut omnia reprobabit,ut ff.de adminiſtrat.tuto.l.cum quæritur.

PRO LEGATO. TIT. XXXI.

PRo legato is uſucapit cui habenti tranſactionem teſtamenti defunctus legauerit, quod ſuum non fuerit. Procedit autem pro legato uſucapio legante mortuo, etiamſi is uiuit, cuius rem legatarius uſucapit,ut ff.eo.l.ea. hocq; tunc maximè uerum eſt, cū legatum recte relictum eſt. ſed & ſi non iure relinquatur legatum,& uel iure legatum proponatur ademptū, pro legato uſucapi id poſſe obtinuit,ut ff.eo.l.ult. Hoc uerum eſt & ſi legatarius ſua autoritate ſine uicio tamen ut paciente hærede poſſeſſionem apprehendit rei legatæ, ut ff. eo.l. ſi non. Quid ergo ſiquid tanquam legatum ab hærede ſit traditum?& illud uſucapitur non pro legato,ſed pro ſuo,ut ff.pro ſuo l.penult.§.ult.Nam & aliàs,ſi per errorem de alienis fundis quaſi de communibus,iudicio communi diuidundo accepto,ex adiudicatione fundum poſſidere cœpero, longo titulo pro ſuo uſucapio, id eſt præſcribo,ut ff.de uſucap.l.ſi per errorem.

PRO SVO. TIT. XXXII.

SEquitur ut de titulo pro ſuo,loco ultimo loquamur. Qui competit,et ubi alij competunt,& ubi alij deficiunt. Ecce enim ancillæ furtiuæ partum conceſſis

caſibus (ſicut ſuperius expoſitũ eſt) titulo dũtaxat pro ſuo, aliás generali hoc ſubſidiario & ſpeciali uſucapionum alio deficiente titulo. Item ſi alienam ſtatuam à non domino bona fide quis emerit, poſteaq; contigerit ut eius partes quocunq; caſu inueniantur exciſæ, partes illas ſeorſum habitas & poſſeſſas titulo pro ſuo uſucapiet, non pro emptore: neq; enim is qui pro ſtatua emit, ſed nec is qui totas ædes mercatus eſt, eius partes ſingulas poſſidet, ut ff. de uſucap. l. eum.

COMMVNIA DE VSVCAPIONIBVS. TIT. XXXIII.

HAEc ſunt uſucapionum communia, ut quis uſucapiat: exigitur ut pro ſuo poſſideat, opus eſt quoq; bona fide utrobiq;, uel in initio, titulo iuſto, uel errore probaliſſimo, maxime in alterius facto. in alieni enim facti ignorancia tolerabilis eſt error, ut ff. pro ſuo l. ult. Item utrobiq; exigitur poſſeſſio continua, non interrupta: ſiue à ſe cœperit, ſiue ab alio uſucapio uel præſcriptio. Item exigitur utrobiq; ut compleatur legitima temporis dimenſio. Item exigitur utrobique ne præpediatur uſucapio ratione perſonæ tradentis, uel accipientis, uel eius cuius res fuerit, ut ſi fuerit pupilli uel fiſci. Item præpeditur tam præſcriptio quã uſucapio, ratione rei, ratione cauſæ, & propter uicium & quaſi uicium, ſicut eſt expoſitum.

DE VSVCAPIONE TRANSFORMANDA, ET DE SVBLATA differencia rerum mancipi & nec mancipi. TIT. XXXIIII.

QVia uſucapio nouam formam accepit & transformata eſt, de uſucapione transformanda loquamur. & quia olim res Italicæ erant mancipi, id eſt, uſucapibiles. Prouinciales immobiles erant non mancipi, etiam ſublata eſt talis differencia, audiamus de uſucapione transformanda, & de ſublata differencia mancipi & non mancipi. Et certe in uſucapione erant olim tria uicia. Ecce enim res mobilis olim anno duntaxat italica præſcribebatur. Amplius res immobilis præſcribebatur (ſicut dictum eſt) Italica duntaxat biennio continuo. Sed hodie ſtatutum eſt ut res mobilis uſucapiatur nõ anno, ſed triennio: & immobilis tam prouincialis, quàm Italica præſcribatur non biennio, ſed x. uel xx. annorum ſpacio ne ſcilicet domini maturius rerum ſuarum priuarentur dominio. Hoc tamen ita, ſi & alienator fuerit bonæ fidei poſſeſſor. ſiquidem malæ fidei poſſeſſore alienante ceſſat longi temporis præſcriptio, & uſucapio. Sed ita, ſi uerus dominus ignorat ius ſuum, & alienationem factam: ergo per contrarium ſi ſciat, uſucapio procedit, præſcriptio currit: alioquin xxx. annorum expectabitur defenſio. Ex his, quæ dicta ſunt, euidenter apparet, quòd uſucapione transformata, quodq; rerum mancipi & non mancipi ſublata eſt differencia.

DE ADQVIRENDA ET RETINENDA POSSESSIONE. TIT. XXXV.

POſt tractatum de uſucapionibus, conſequens eſt ut audiamus de præſcriptionibus, ſed quia poſſeſſoris cauſa, eiusq; noticia pertinet ad uſucapiones, de quibus dictum: & ad præſcriptiones, de quibus dicendum: non incompetenter in medio tractatus inſeritur de adquirenda & retinenda poſſeſſione. Porrò uerſa uice in ff. titulus inſcribitur de adquirenda & amittenda poſſeſſione, uerum in Codice conueniencius inſcribitur de retinenda poſſeſſione: quia uſucapiones, de quibus agitur poſſeſſionis retentio inducit, amiſſio ſecludit. Videamus itaq; unde poſſeſſio dicatur, per quos quæratur, quibus modis, & quarum rerum, quibus rebus opus eſt ut quæratur, & quibus modis, et ex quibus cauſis & qualiter quæſita teneatur, & quemadmodum amittatur, & qualiter poſſeſſio

diſtinguatur,

diſtinguatur,& quis ſit poſſeſſionis effectus. Poſſeſſio appellata eſt quaſi pedum
poſitio,uel à ſedibus quaſi poſitio. ergo propriè & uerè, & ſecundum idioma ſer
monis duntaxat naturalis poſſeſſio apellatur poſſeſsio : uerum iuris artificio &
figmento contra naturalem cauſam reiq; ueritatem meram , is dicitur poſſidere
qui non poſſidet,hocq; fit duobus modis. Ecce fundos procul poſitos à nemine
poſſeſſos,id eſt,à nemine naturaliter detentos dicitur quis poſſidere,ut ſaltus hy
bernos,æſtiuosq;. Item & alieno nomine alius poſſidet . ergo colonus poſſidet
duntaxat naturaliter per naturalem poſitionem pedum & ſedium: & poſſidet ci
uiliter ,id eſt,per legum artificiũ. Eſtq; hæc poſſeſsio artificialis uel ficticia , quæ
uocatur ciuilis formoſior & præſtantior,quàm coloni naturalis detentio . nanq;
poſſeſsio ficticia poſſeſsio fructuoſa eſt & fœcunda, & parit filiã, id eſt, uſucapi
onem:ſed coloni poſſeſsio uidelicet naturalis eſt , & natura ſterilis eſt , & infru-
ctuoſam germinat prolem. Quærit quis ſibi poſſeſsionem & per ſe,& per aliũm
per ſe ſi fuerit ſobrius. Nam furioſus quæſita per furorem non amittit,nec etiam
poſſeſsionem quærit,niſi in dilucidis interuallis fuerit. tunc enim cum poſſit con
trahere,teſtamentum condere,poterit & poſſeſsionem quærere. Quærit aũt poſ
ſeſsionẽ compos mentis,præſertim ſi fuerit pubes:pupillus quoq; ſi apprehende
rit tutore autore . Sed & ſine tutore, ſi tamen adfectũ habeat poſſidendi. Per aliũ
quis quærit poſſeſsionẽ tribus modis,conditione perſonæ,autoritate publica,&
priuata. Conditione perſonæ ut per uerè filiũ . Nam per eũ quem quis etiã iuſto
errore ductus eſſe credit,poſſeſsionẽ non quærit,ut ff. de uſu.l.iuſto. Item cõditi
one perſonæ,per hominẽ bona fide poſſeſsũ,perq; ſeruum alienũ. nam ſeruus ali
enus mala fide poſſeſsus , nec domino quærit poſſeſsionem , quia nõ poſſidetur
ab eo,nec malæ fidei poſſeſsori:quia mala fide eum poſsidet. Per ſeruum propri
um. item per ſeruum cõmunem. hoc ita,ſi ſeruus agit, ut uni ex dominis quærat
uel ſi in contractu agit ubi unus ex dominis iuſserit. Sed & præter iuſsionem, ſi
traditor id egerit. Amplius etiamſi alienetur cõmunis ſeruus, ex re iubentis non
alij ſed iubenti quærit. Item per ſeruũ uſufructuarium ex re & opera fructuarius
quærit poſſeſsionem . Per uſumfructuarium quoq; fugitiuum dominus quærit
poſſeſsionem,ſi nec poſsideatur ab aliquo,nec ſe gerat pro libero,ut ff.eo.l. per
eum. Sanè nec per ſeruum pignoratum adquiritur poſſeſsio,nec per hæreditari-
um. Indignantur enim iura hæreditaria cum de pari contendunt per ſeruum ſibi
comparem ſui poſſeſsionem adquiri. publica autoritate adquirit quis poſſeſsio-
nem per tutorem,curatoremq;,ſi tamen id agatur,ut ff.eo.l.j.priuata autoritate
puta per negotiorum geſtorem:ſed poſtquam ſciero,ratumq; habuero , ut ff. de
nego.geſt.l.ſi ego. Per procuratorẽ quoq;,ſi id agit uterq; qui tradit,et procura-
tor qui accipit uel alteruter,ut ff.eo.l.j.§.per procuratorem.& l. communis ſer-
uus. Si uero procurator id non agit,licet mandati pro fide rupta conuenitur,ſibi
tamen quærit. Nam & raptor qui eſt peſsimæ fidei poſſeſsor, uxor quoq; ſciens
donationem non ualere, rei ſibi à marito donatæ poſſeſsionem adquirit. Nam
cum poſſeſsio plurimum habeat facti, resq; facti non poſsit infirmari iure ciuili,
quid adtinet dicere nõ poſsidere mulierem,cum maritus ubi poſsidere noluerit,
protinus poſſeſsionem amiſerit , ſicq; uxor poſſeſsionem : licet non dominium
quæſit,ut ff.eo.ij.§. ſi uir. Acquirit autem procurator uel quiuis alius ſibi poſ-
ſeſsionem,ſi uelit ſibi quærere : ſed ita,ſi poſsidet demum id de iure ciuili. Nam
ſiquis poſſeſsionem illius intrauerit qui ad nundinas ierit,cum ille non amiſerit,
nec iſte quæſiuit. duo enim in ſolidum poſsidere non poſsunt. ergo econtrario ſi
reuertens non admittatur,& qui intrare, uel ſe repelli poſse ſuſpicatur quis, tũc
demum poſſeſsionem amittit , & qui intrauit poſsidere incipit : ſed interdicto
unde ui utili ſe obnoxium facit,ut ff.eo.l.clam.§.ult. Per procuratorem autem
quæritur poſſeſsio dominio , tam ignare quàm conſcio:dominium quoq; nou

per procuratorem, utpote non niſi poſſeſsionem regulariter quærere ualentem, ut C. per quas perſo. l. j. ſed per poſſeſsorem, ut ff. de acquir. rerum dominio l. traditio. per procuratorem quoq; adquiritur poſſeſsio, domino uſucapiendi con ditio, ſed duntaxat conſcio, ut C. eo. l. j. Sanè per filium, ſeruumúe peculiariter appræhendentes, patri & domino tam ignaro quàm conſcio adquiritur, & poſſeſsio, & dominium, & uſucapiendi conditio. Filij enim fam. & ſerui habere & tenere poſsunt, ſed poſsidere non poſsunt, ut. ff. eo. l. poſſeſsio. Adquiritur autem poſſeſsio uera etiam per municipes, uerum re probata ſentencia eorum dun taxat quæ ſunt corporalia. Sanè incorporalia quaſi poſsidentur, ut prædiorum iura, ut ff. cod. l. iij, & ff. commo. præd. l. ij. ut quæratur poſſeſsio, opus eſt duabus rebus, & adfectu quærentis, ſiue ſibi quærat, ſiue alij: & actu regulariter ali quo corporaliter, ut appræhenſione. ergo neq; per ſe corpore ſine animo, neq; animo ſine corpore. Excipitur niſi quis rei ſuæ quam uendidit, permutauitq;, uſumfructum ſibi exceperit: uel niſi dominus non errans, id eſt, à non do mino rem ſuam conduxerit, uel niſi colonus locatoris hæredi de penſionibus reſpondere cœperit. in his enim tribus modo caſibus, licet corporalis actus non in teruenìat poſſeſsio quæretur, ut C. de donat. l. quiſquis, & ff. de rei uindicat. l. quædam. Duobus modis interuentibus poſſeſsio adquiritur, traditione, & quaſi traditione. Traditione, ut ſi rem quam mihi uendideris, tradis, uel ex cauſa ſimili. Quaſi traditione, ut pacientia: puta ſi rem commodatam apud me conſtitu tam, tu dominus mihi uendideris, poſtq; me illam habere pateris. idem ſi te paci ente rei tuæ poſſeſsionem occupauerim: multo fortius ſi te uidente, ut ff. eo. l. j. Item quaſi traditione multis alijs modis, puta ſi iuſseris me rem procuratori tradere, uel debitori tuo futuro numerare. Sed & iuſseris me in area tua reponere, uel ſuper ſubſellium preſertim tuum, rem deponere. Item quaſi traditione adqui ritur poſſeſsio duntaxat oculis, & adfectu. In his puta quæ præ magnitudine ponderis baiulari non poſsunt. Idem ſi uenditor mihi mercatum fundum de tur re ſua meaúe, & maxime mea mihi monſtrauerit illum. nec enim tunc minus poſ ſidere cœpi, quaſi pedem finibus intuliſsem, ut ff. eo. l. quod meo. Item & aliàs multiplicìter quæritur poſſeſsio, ut ſi beſtias uiuarijs incluſero, piſces in piſcina collegi Philomelas in caueis, columbas in ædificijs. Item re altera tradita rei alte rius quaſi ipſa tradetur poſſeſsio, quæ quæritur: ut puta ſi ſibi inſtrumenta pignoraui, uel uendidi, & poſtea tradidi poſſeſsionem prædiorum hæredi per inſtrumentorum traditionem, ut C. de donat. l. j. Item ſi poma, quæ ſunt in hypotheca, tibi uendidero, illorum poſſeſſionem adquiro: ita tamen ſi fuerint ceſſa. nam ſi ſtarent, id eſt, ſi fundo adhuc cohærerent, uenditor arborum qui eſt domi nus fundi illorum eſt poſſeſſor, & dominus, ut ff. de act. empt. l. Quintus. Sanè uina uendita ſgnata non debent dici quaſi tradita. nec enim fit in minimis ſignatio, ut intelligatur facta quaſi traditio, ut ff. de. & como. Item quaſi traditione poſſeſſionem quæro, ſi aceruum lignorum, uel lapidum, uel uinum ad ſpeciem emero & cum uenditor tollere me iuſſerit, cuſtodem poſuero. in his enim caſibus cum quodam genere etiã corporis poſſeſſio quæſita cenſebitur, ut ff. l. quarundam. Item ſi fundum uenditum conſentiente uenditore, uel ex una parte in greſſus fuero, ſi tamen totum fundum uſq; ad terminum poſſidere uoluero, & corpore & animo poſſideo, nec enim neceſſe eſt omnes glebas circumambulare ut ff. eo. l. iij. §. ij. hoc tamen, ſi fundus eſt unicus licet ampliſſimus; hoc tamen ita ſiquis ex cauſa iuſta ingreditur. nam ſiquis per uim intrauerit, eam tantummodo partem quam intrauerit poſſidebit, ut ff. eo. l. quod meo. §. ult. poſſeſſio autem quæ quæritur à te qui quæris incipit, puta ſi inueneris quid uenando, aucupando, piſcando: tunc ſi inueneris quod antea nullius fuerat, ut in littore gem

mam uel alterius fuerat, ut theſaurum, id eſt, pecuniam cuius memoria non
extat à uetuſtioribus dominis abſconditam. Ab alio incipit poſſeſſio quæ tua ſit
translatione, & iuſtè & iniuſtè. Iuſtè pluribus modis, ut ſi tradit tibi dominus,
ut bonæ fidei poſſeſſor, creditor, tutor, actor, procurator, Imperator, prætor, ex-
ecutor, fluuius uelut cenſitor. Iniuſtè transfertur in te poſſeſſio, ſi expuliſti, ſi ſur-
ripuiſti, ſi per metum extorſiſti. Sed & per eum qui in noſtra poteſtate eſt, & per
ſeruum tradentem perinde intelligimus deſinere poſſidere rem quæ nobis ſur-
repta eſt, atq; cum res ui nobis ſurrepta eſt. Sed ſi is qui in noſtra poteſtate eſt
res noſtras ſurripuerit, quam diu ſunt apud ipſum, earum poſſeſſionem nō amit
timus. Nam rerum quæ ſunt aliorum ex iuſta tamen cauſa, id eſt, ex non manu-
bio poſſeſſio nobis quæritur: multo magis propriarum etiam contrectando ta-
men ad alium transferendo nobis poſſeſſio non adimitur. Nam nec ſeruus fu-
giens: ergo ſui furtum faciens ſui poſſeſſione nos priuat, ut ff. eo. l. Pomponius
l. rem l. quod ſeruus. Acceſſione quæritur poſſeſſio, ut fructuum, partuum, ex
poſſeſſionibus, pecoribus, ex mulieribus prodeuntium. poſſeſſionis quærendæ
plures ſunt cauſæ, quippe nos plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſ
ſumus. Amplius genera & ſpecies poſſeſsionis quærendæ tot ſunt, quot & cau-
ſæ quærendi dominij: ut ex empto, pro tranſacto, pro donato, pro hærede, pro
dote, pro legato, pro derelicto, pro permutato, pro in ſolutum dato, pro noxæ
dedito, pro ſuo: ſicut in his quæ terra mariq;, uel ex hoſtibus capimus, uel quæ
ipſi in rerum natura eſſe fecimus. In ſumma tamen eſt unum genus poſſidendi,
licet ſpecies poſſeſsionis ſint multæ, id eſt, poſſeſsio iſta ipſa una eſt & ſimplex,
licet in indiuiduis ſuis fiat multiplex. nec enim poſſidet magis, minusue, fortius
debiliusúe, qui poſſidet tantum ciuiliter, quàm qui poſſidet naturaliter & ciuili-
ter: & econtrà. Ceſſat autem poſſeſsio aliâs propter perſonam, aliâs propter cau-
ſam. Propter perſonam, ut ecce filijfam. & ſerui non poſſident, ſed habent & te-
nent. Propter cauſam, ita hæredes ex eo quod fiunt hæredes poſſeſsionem non
quærunt, licet enim dominium fiat noſtrum aditione, non tamen poſſeſsio: niſi
naturaliter ſit apprehenſa. Item non ab hoſtibus reuerſus poſtliminio neq; po-
teſt captiuus dici aliquid poſsidere cum ipſe poſsideatur ab hoſte, ut ff. de reſtit.
maio. l. Ait prætor. et ff. eo. l. cum hæredes. Item ceſſat poſſeſsio propter cauſam
ſiquis ex primo decreto miſſus ſit in poſſeſsionem: quia aduerſarius damni infe-
cti non cauet, quia aliâs actione conuentus non reſpondet. Quippe aliud eſt poſ
ſidere, aliud in poſſeſsione eſſe, ut ff. eo. l. ſiquis. Item qui clam poſſidet, non poſ
ſidet. eſt enim oppoſitio in adiecto. In ſumma nō procedit poſſeſsio in omnibus
qui poſsident nomine alieno, ut in tutore, curatore, actore, procuratore, condu-
ctore, & precario poſsidente. Colonus quoq; nullo modo poſsidet, quia nec ui-
uo nec mortuo domino ullam poſſeſsionem habet, ut ff. de uſucap. l. non ſolum.
Sed nec creditor dicatur poſsidere. nec enim poſsidet uel poſſeſsor cenſeri debet
qui pro ſuo non poſsidet, ut ff. qui ſatiſda. cogun. Retinet autem poſſeſsionem
quis, ſi illi incūbit: ſed etiā animo ſolo. poſſeſsio enim ſolo animo retinetur. Re-
tinet quoq; poſſeſsionem quis per alium incumbentem, ut per amicum, hoſpi-
tem, colonum, inquilinum, commodarium, depoſitarium, fructuarium, per poſ-
ſeſsionem creditoris, ut C. de præſcript. xxx. annorum l. cum notiſsimi. Amittit
autem quis poſſeſsionem uoluntate propria, ut cum poſſeſsionem tradit homi-
ni, ut ſi in ſacrum dedicet: ſed & contra uoluntatem ut ſi deijciatur. Qui aūt poſ-
det animo ſolo, uel animo ſuo, et corpore alieno poſsidet, amittit poſſeſsionē dū
taxat cōſcius, id eſt, ſi repellat̃, uel ſi repelli poſſe ſuſpicat̃, ut ff. eo. l. ſi id. Qui aūt
poſſidet animo ſuo, & corpore alieno, amittit poſſeſsionē ſuā. etiā ignarus, ut ff.
eo. l. iij. §. qđ ſi. Nec obſtat quod dicit̃, C. eo. l. ex libris. qđ per colonū poſſeſsio-

nem dominus amittat: quia licet poſſeſsionem amittat, illam tamen per conditionem ex lege illa recuperat: ſed olim præiudicium domino generabatur, quia licet poſſeſſorium, non tamen competebat petitorium ſiue uindicatoriũ, uel quod melius, non dicit Imperator quòd dominus non amittat poſſeſſionem, ſi colonus tradiderit: ſed dicit quod non amittit poſſeſsionem, ſi colonus prodiderit. Amplius etiamſi in fundo quis manens, & poſſidere ſe nolle conſtituerit, omnẽ poſſeſsionem amittit? quomodo enim poſſidebit qui poſſidere nolit. ut ff. eo. l. iij. In amittendo differencia eſt. differencia enim inter dominium & poſſeſsiõem hæc eſt, quòd dominiũ nihilominus eius manet, qui dominus eſſe nõ uult: niſi aliquem interpoſuerit, ut ſi tradiderit, uel dereliquerit, aut recedit, ubi quis conſtituerit ſe non poſſidere, ut ff. eo. l. ſiquis. l. iij. Ergo uolentes poſſeſsionem amittimus, cum tradimus: nolentes per priuatum, per magiſtratum, per fluminis impetum: ignorãtes ſi is qui noſtro nomine poſſidet, tradit. Ergo furioſus, qui nec uelle poteſt deſinere animo poſſidere, id eſt, ſuo facto non poteſt poſſeſſionem amittere: licet alterius facto non poteſt, id eſt alieno deficiente poſſit amittere, ut ff. eo. l. ſi is. Poſſeſsio diſtinguitur ita, alia ciuilis tantum, alia ciuilis & naturalis, ut ff. pro hærede l. ij. alia propriè & plenè, ut ea quæ proficit ad uſucapionẽ: alia impropriè & ſemiplene. Ecce enim ſi colonus non deſerendæ poſſeſsionis cauſa exierit de fundo, poſſeſsiõem quam habebat quodammodo animo retinet, ſicq; ciuilem quandam habet poſſeſsionem, ut ff. eo. l. ſi colonus. Vulgo autem tantũ naturaliter poſſidet fructuarius, ut ff. eod. l. naturaliter, & ſeruus: licet iure ciuili non poſſideat, ut ff. de uerb. ob. l. ſtipulatio iſta. Hæc quoq; profecto naturalis poſſeſsio in iure noſtro non recte dicitur abſolute poſſeſsio, ſed eſt oppoſitio in adiecto. poſſeſsio enim in iure noſtro licet plurimum facti habeat, quia à facto incipit, id eſt, ab apprehenſione: tamen iuris eſt, & plurimum mutuatur à iure, puta ut ciuilis dicatur, & iuſta: & ut poſſeſsio aliena ut coloni, & creditoris cenſeatur, & mea, ut ff. eo. l. poſſeſſionem. Fieri enim poteſt, ut quis poſſideat & ciuiliter & naturaliter, & ciuiliter ſolummodo. Vt autem quis poſſideat tantũ naturaliter, legibus ſubtiliter inſpectis, & ad uiuum conſideratis (ut reor) eſſe non poteſt. Ecce enim ſiquis anulum ſuum habet in digito, & ciuiliter poſſidet, id eſt animo, & naturaliter. Sed & ad uillam proficiſcens ſi domi reliquerit, puta anulum in arca, numum in burſa, gladium in uagina, uinum in lagena, ciuiliter poſſidet naturaliter quoq;. Quare enim naturalem poſſeſſionem transtulerit, cum nemo illam occupauerit, nullus modus amittendi interuenerit? Sed & qui ſic detinet, uel domi habet, uſucapionis ratiõe, & ciuiliter & naturaliter poſſidet. Nam & fur, & prædo, & inuaſor, & naturaliter poſſidet & ciuiliter: licet quadam alia ſignificatione, tunc enim inciuiliter dicantur poſſidere, ut ff. de acquir. poſſeſs. l. cum hæredes. Nam & colono interuerſori datur interdictum unde ui, quod profecto ei non competeret: niſi uerè & propriè poſſideret, ut ff. unde ui. l. cum colonus, & l. cũ fundum. Ciuiliter ſolummodo quis poſſidet, puta ſaltus quos nullus alius detinet. Seruum quoq; fugitiuum, qui furatur domino ſeipſum. Sed & ſi dominus rem ſuam quam poſſidet in alium tranſtulerit, non eo minus & ciuiliter & naturaliter poſſidebit: puta ſi tranſtulerit in emphyteutam, in colonum rogantem precario, niſi is qui rogauerit expreſſim rogauerit poſſeſsionem ciuilem, ut ff. eo. l. Pomponius, & ff. de uſucap. l. non ſolum. §. ult. Idem erit ſi transtulerit in emphyteutam, ſuperficiarium, fructuarium, commodatariũ, depoſitariũ. his equidẽ caſibus, qui prædicto modo res in alios transferũt cũ domino poſſident: nõ naturalẽ, quia p̃dictis modis conceſſere ne penes reddentes remaneret nec apud eos. Sed nec ſic accipiẽtes uel naturaliter poſſidebũt. quippe millo modo poſſidẽt. nec ergo naturaliter. Hi enim poſſident, quorũ nomine poſſidetur ſi quidẽ lõge aliud eſt poſſidere, uel alieno nomine in poſſeſsiõe eſſe: ſicq; q ſic habent non

bent non poſſident .ergo tenere uel habere dicuntur,non aliquomodo poſſidere
ut ff.de adquir.poſſeſ.l.poſſeſſio. Quippe poſſeſſio nõ niſi una eſt,licet diuerſis
modis habeatur,bonæ fidei,malæ fidei,iuſtè,iniuſtè,naturaliter,ciuiliter. Quid
ergo dicemus , ſi debitor creditori rem ſuam dederit pignori , nunquid creditor
poſſidebit,ut ex his legibus uidetur ſignari?ut ff.de adquir. rerum domi. l. per
ſeruum ,& ff.eo.l.ſeruum & l.ſi de. Vel ſolus debitor nec ciuiliter poſſidet , nec
naturaliter : quia nullo modo poſſidet, & cum pro alieno poſſideat , & non pro
ſuo:ſed ſolus debitor poſſidet ciuiliter, & naturaliter : ubi pignus habet ciuiliter
& tamen ubi penes creditorem eſt,intelligitur debitor etiam in hoc caſu poſſide
re , ut ff. eodem l. qui pignoris , licet penes creditorem pignoratus ſit corpore.
Sicubi ergo inueniatur , creditor poſſidet , ita intelligatur : id eſt , tenet &
habet , cum pro alieno poſſideat , ut colonus , commodatarius : quos conſtat
ex ſuperioribus nullo modo poſſidere?, ſicq́ nec creditor ſit poſſeſſor , ut ff.
qui ſatiſda.hocq́ ideo eſt, quia ipſe qualis qualis creditor poſſeſsionis , id eſt,
crediti eſt uerè poſſeſſor, ut C. de præſcrip . xxx. anno.l.cum notiſſimi. Nec ob-
loquitur quod dicitur creditorem ad omnem cauſam poſſidere,prætetquam uſu
capionis cauſam:ſiquidem creditor omnibus cauſis , id eſt,controuerſijs contra
ſe inſtituendis reſpondere compellitur:ſiue res uindicetur, ſiue exhibenda peta-
tur. Præterea omnes alias cauſas,id eſt.onera & grauamina ſubire & agnoſcere
creditor habet neceſſe,ut angaria & perangaria tributa,uectigalia uiarũ & pon-
tium. Sanè uſucapionẽ,& eius cauſam , nec contra ſe ſubit creditor, quia pigno-
ris conuentionem uſucapio non extinguit:nec pro ſe, quia cum pro ſuo non de-
tineat,non uſucapit. Sed quod dicitur naturaliter uidetur poſſidere is, qui uſum
fructũ habet,non obloquitur : id enim dicitur propter fructus omnes quos per-
cipit tanquam dominus. Quippe uſuſfructus in his pars dominij eſt,& dominio
quadam ſocietate coniungitur. ergo licet propter hoc uideatur poſſidere, nõ ta-
men uerè & propriè poſſidet : quia pro ſuo non poſſidet, idem in colono,emphi
teuta,ſimilibusq́ dicitur,ut C.de iur.emphi.l.ult. Sed nec obſtat quod per colo
num non propriè poſſidentem,poſſeſſiõem amittimus. Quippe interdum quis
poſſeſsionem non habet,& alij tradit,ut ff.eo.l.interdum. Et conditionem uſu-
capionis bonæ fidei poſſeſsor ſine titulo,licet ipſe uſucapere non ualeat, alij , id
eſt,aſcendenti accommodat. Sed nec obloquitur quod dicitur,debitorẽ præca-
rio rogare à creditore poſſeſsionem,ac ſi creditor poſsideret:nempe ut uerbo al-
ludamus,creditor non poſsidet,id eſt, pro ſuo pignori non inſidet. Rogat ergo
debitor ut ſibi liceat poſsidere.id eſt, habere & tenere,ſicq́ coniugatis rogat poſ
ſeſsionem,id eſt, habitionem & detentionem. Poſſeſsionis effectus triplex eſt,
ſi fuit res tradentis,dominium tribuit:ſi non fuit,conditionem uſucapiendi con-
cedit. Amplius poſſeſsionis merito,is qui conuenitur,moleſtiã probationis non
ſubit.

DE PRAESCRIPTIONE LONGI TEMPORIS DECEM VEL uiginti annorum. TIT. XXXVI.

REſtat ut de præſctiptionibus agamus,ſed quia præſcriptio eſt & longi tem
poris, & longiſsimi:& dignior eſt ea,quæ eſt longi , quàm ea quæ eſt lon-
giſsimi,dicamus prius de longi temporis præſcriptiõe . Videamus itaq́ quid eſt
præſcriptio generaliter , & quo iure ſit prodita longi temporis præſcriptio quæ
res præſcribatur,quæ non,quæ oporteat interuenire ut præſcriptio currat,quan
to tempore opus eſt , & ante interruptionem , & poſtea , qualis uenditio detur
omni præſcriptori. Præſcriptio eſt exceptio ex tempore cauſam trahens.
Eſt autem prodita longi temporis præſcriptio utpote iuſta fauore poſſeſsoris.
Præſcribitur res immobilis,non mobilis: excepto ſeruo ruſtico,qui cum ſit gle-

bæ portio, cum gleba præſcribitur. Præſcribitur quoq; res incorporea, quæ neq; mobilis eſt, nec nihil mobilis, ut ſeruitus, libertas, actio. His opus eſt, ut præſcriptio longi tẽporis procedat: ut bona fides ex parte accipientis adſit, uel in initio, ſed & ex parte dantis. ſiquidem malæ fidei poſſeſſore alienante ceſſat longi temporis priſcrptio, ſicut expoſitũ eſt. Sed & titulus exigitur ut habeatur pro titulo ut res non ſubiaceat uicio, uel quaſi: & ut tempore ſtatuto res ſit poſſeſſa, nec naturalis ſed ciuilis ſit interruptio facta. Nempe ante interruptiõem inter abſentes in eadem prouincia non habitantes, opus eſt continuo uicennio, inter præſentes decennio. porrò poſt interruptionem ciuilem opus eſt nouorum annorũ quadraginta: ſi tamen ex decem annis dominus fuit abſens, ſuper decenniũ tot anni debent adijci, quot ex decennio abſens fuerit. Item naturalis interruptio etiam illis prodeſt, qui non interruperunt, ciuilis minimè, ut ff. de uſucap. l. naturaliter. Vtilis uindicatio præſcriptori cõpetit, id eſt, ei qui præſcripſerit, ſi à poſſeſſione ceciderit etiam contra dominum. Sed (ut æſtimo) ſi præſcriptor intendere noluerit uetuſtior dominus directò uindicabit. ergo uterq; dominus eſt, ut & aliâs, puta in dote reperitur præſcriptor ciuiliter, dominus uetuſtior naturaliter. Præſcriptori datur utilis uindicatio, ne uideatur abſurdũ ex eo dominio, quod eſt tantũ naturale actiõem competere. Licet enim ex naturali duntaxat dominio non oriatur actio, orta tamen antea, id eſt, eo tempore quo dominium non fuerat naturale & ciuile, præſcriptiõe interueniente, non eſt perempta. Nam cum actio cœperit nulluſq; modus, ex modis illis, quibus actiones tolluntur interuenerit (nec enim tempus modus eſt tollendæ obligationis uel actionis) relinquitur, ut & durauerit ſi præſcriptor illam temporis præſcriptionem ſine exceptiõe elidit. Nam & aliâs licet præſcriptio nõ incipiat à dotali prædio, inchoata tamẽ antea, id eſt, antequam prædium fuerit in dotem traditum: poſtea, id eſt, poſt contractum impletur matrimonium. Datur autem utilis uindicatio præſcriptori etiã contra dominum etiam illi qui bona fide præſcripſerit ſine titulo, id eſt, xx. annorũ ſpatio Quid ergo ſiquis xxx. annis ſed mala fide præſcripſit? ei nulla uindicatio nec utilis regulariter dabitur. diſtinguitur tamen quis iſte ſit, ad quẽ poſſeſſio peruenerit: ſi enim fuerit dominus, creditorúe irreuocabiliter poſſidebit: ſi non, ab eo dominus per uindicatiõem directam, per hypothecariam creditor reuocabit. Hoc ita, niſi iniuſtus ille ſecundus poſſeſſor, uel ille primus, qui mala fide præſcripſerat, & à poſſeſſione ceciderat, nouis xxx. annis ex eo tempore computandis, ex quo à poſſeſſiõe ceciderat ſe defendere ualeat. Regulariter ideo dixerim, quia in duobus caſibus mala fide præſcriptori utilis uindicatio competit. Quid enim ſi ei res per periurium ablata fuerit? certe non tamen cõtra inuaſorem poterit hic perſonaliter agere, ſed à quocunq; poterit utiliter uindicare. Item ſi is qui xxx. annis mala fide præſcripſit uocatus ad iudiciũ uenire contempſit, agere nolens, contra eum in rem præſcriptam mittetur: non ut eius poſſeſſor infra annum efficiatur, ſed tantum in poſſeſſione conſtituatur, ut tædio præſcriptor adfectus ueniat cauturus, reſponſurus, cognitionalia certamina ſuſcepturus. Et hoc inquã in caſu ſi infra annum præſcriptor redierit, & ab eo qui miſſus eſt in poſſeſſionẽ, etiam à quocũq; poſſeſſore utiliter uindicare poterit, ut C. de præ. xxx. an. l. pe.

IN QVIBVS CAVSIS CESSAT LONGI TEMPORIS præſcriptio. TIT. XXXVII.

CEſſat ab initio longi temporis præſcriptio, non currit, aliâs propter perſonam, aliâs propter rem. Propter perſonam dantis & accipientis (ut ſuperius expoſitum eſt) propter quoq; eius, cuius res fuit ut ſi fuerit fiſci uel pupillaris Amplius nec aliâs minoris res longo tempore præſcribitur, imò illæſus ipſo iure ſerua-

re ſeruatur,ut C.eo.l.unus. Porrò & hodie contra minorem longiſsimi tẽporis præſcriptio currit,ſiue à ſe, ſiue à poſſeſsore cœperit: uerũ contra hanc reſtituetur puta ſi à deceſsore incipiens,in minore ætate ſit completa. Sed & aliquando infra decennium præſcriptio (ut quinquennalis de defuncti ſtatu) contra pupillum etiam currit,& non reſtituitur,ut C.de ſtatu defuncti l.ſi mater. Et aliquàndo ita currit quod & reſtituitur, ut authen. de temp. reſtitut. ſi minor, & C.de dote cauta authen.quod locum habet. Nam & fiſcus quadriennio ſubmouetur (ut infra dicetur) ſed & anno continuo hæretici ſucceſsionis repelluntur compendio,ſi hæreticus ille fuerit laicus, aut ceſsante eccleſia fuerit clericus, ut authen.cum de appellat.cognoſcitur.propter rem ceſsat præſcriptio,aliâs propter rei ſubſtantiam,ut ſi res fuerit ſacra: aliàs propter rei qualitatem, ut ſi res fuerit uicioſa, puta impoſſeſsa quaſi uicioſa: ut præſidi contra legem Iuliam uel data uel præſcribere uolenti deceſsori commodata. Nam & rem immobilem,ut domini,commodari poſse deſijt dubitari,ut ff.commoda.l.j.Item ceſſat præſcriptio propter cauſam,ſiquis non poſsideat, uel ſi poſsideat mala fide poſsidet:uel bona fide ſed ſine titulo poſſidet.non præſcribit inuaſoris hæres,ſicut nec hæres furis uſucapit.Ceſſat quoq; longi tẽporis præſcriptio, ſi res, de cuius poſſeſsione contenditur, ea actione,quæ tamen perſonalis eſt: ut commodati, depoſiti, poteſt repeti: non ſi mixta actione, ut petitione hæreditatis, uel actione in rem utili,ut hypothecaria, quæ longi temporis præſcriptione non eliditur: ſed contra malæ fidei poſſeſsorem,uel bonæ fidei titulo carentem, uel cõtra debitorem debitorisúe hæredem intenditur.

QVIBVS NON OBIICITVR LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIO. TIT. XXXVIII.

DIximus qualiter præſcriptio longi temporis ceſſat, nunc audiamus quemadmodum quæ currit cum effectu non noceat. Et quidem res militis,uel legati reipublicæ cauſa abſentis longo tempore præſcribitur mero iure etiam in abſentia, ſed reſtitutionis auxilio tempus quod in abſentia fluxerit:ſi tamen læſionem attulerit, ſubducitur, hoc eſt, ſi præſcriptio in abſentia completa fuerit, poſtúe reditum infra tempus modicum. Vxoribus quoq; militum præſcriptiõe excluſis,licet non principaliter cauſa reipublicæ abſint,reſtitutio datur,ut C.de uxoribus militum.Medicis quoq; ſuccurritur,licet non principaliter reipub.cauſa abſint,ſed propter milites quibus medendi curam impertiunt, ut C. eod.l.ij. Ab hoſtibus quoq; captis,ſi præſcriptio longi temporis noceat, reſtitutio indulgetur.Reuerſi enim & reſtituti res ſuas etiã eas quas receperint uſucaptas, præſcriptasúe,actiõe utili in rem reſciſſoria uindicabunt & recuperabunt. Amplius etiam illi longi temporis præſcriptiõis reſtitutionis remediũ accipient, qui aliâs ex neceſſitate,caſuúe fortuito,ut nihil eis ualeat imputari,detecti fuerint abfuiſſe,ut ff.eo.l.ſi poſſeſs.Reſtituuntur quoq; abſentes, qui per filios relictos domi uſuceperint,ne uel proſit uel obſit quod euenit,ut ff. ex qui. cau.maio. reſti.l.j.

SI ADVERSVS CREDITOREM PRAESCRIPTIO OPPONATVR. TIT. XXXIX.

EXpoſuimus de ea longi temporis præſcriptione, qua directa rei uindicatio eliditur,nunc audiamus de ea,quæ in rem utilis creditori competens,id eſt hypothecaria ſubmouetur. Et certe diſtinguitur hypothecaria creditor experiatur contra debitorem,uel contra extraneũ poſſeſsorem. contra debitorẽ ſi hypothecaria egerit,quadraginta annorũ duntaxat ſpacio repellit̃. Si extraneũ hypothecaria cõuenit,diſtinguit̃,inter bonæ fidei poſſeſſorẽ, & malæ fidei poſſeſſorẽ

Item diſtinguitur, quantum ad hypothecariã ſubmouendam bona fide quis poſſideat & titulo, an bona fide ſine titulo. Si bona fide & titulo quis poſſidet, ipſe ſe contra debitorem tuebitur diuturno ſilencio, id eſt, x. uel uel xx. annorum ſpacio. In cæteris autem caſibus, id eſt, ſiue quis bona fide poſſideat ſed ſine titulo, ſiue mala fide cum titulo, uel ſine titulo contra debibitorem hypothecariam intendentem xxx. annorum duntaxat munitus erit præſidio, ut C. de præſcript. xxx. annorum l. cum notiſſimi.

DE QVADRIENNII PRAESCRIPTIONE. TIT. XL.

DIximus de præſcriptione longi temporis, nunc dicamus de præſcriptione temporis nõ longi, id eſt, quadriennij. In legibus triplicẽ inueniſſe memini Ecce quadriennio ſubmouetur fiſcus, ſi pergat petere aliqua bona uacãcia à poſſeſſore cũ titulo uel ſine titulo detenta bona fide. Item quadriennio ſe tuetur fiſcus ſi conueniatur à domino cuius rẽ fiſcus tanquã ſuam alienauerit. Imperator quoq; & Imperatrix ſi ſimiliter alienauerint, eiuſdem præſcriptionis muniuntur auxilio. Sufficit enim ſi uel infra quadriennium fiſcus, Cæſar, Cæſaris uxor, domini cuius res fuerit ſuſcipiant ictum, expectentq; regreſſum. Nempe emptor, uel qui aliàs accipit in prædictis caſibus & ſecurus eſt & ſtatim effectus eſt dominus. Porrò olim non niſi quinquennio ſe tuebatur, & res minoris excipiebatur: ſed hodie etiam res minoris ſic alienata illico accipientis fit propria, ut C. eod. l. j. & ij. Eſt & tertia quadriennij præſcriptio, puta lapſus minor in ætate minori, reſtitutionem non tantum infra minorem ætatem, ſed etiam infra quadriennium poſt maiorem ætatem impetrabit. Maior quoq; in his caſibus, in quibus reſtituitur, id eſt, duntaxat in uſucapionibus contra abſentem reipublicæ cauſa currentibus reſtitutionis poſtulat remedium, infra continuum quadriennium numerandum, poſt reditum ſubducto tempore modico quo ſarcinulas componit, conducit hoſpicium, quærit aduocatum, ut ff. de reſtitut. maior. l. ait prætor & C. de temp. reſt. l. ult.

NE REI DOMINICAE VEL TEMPLORVM VINDICATIO temporis exceptione ſubmoueatur. TIT. XLI.

EXpoſuimus quando præſcriptio longi tẽporis uel nõ longi temporis currit nũc audiamus ubi nõ procedit. Res templi immobilis, nec dominica, id eſt, fiſci, uel Cæſaris præſcribitur, ut C. titulo ne rei dom. uel templorum. Actio tem plo cõpetens, uel Cæſari ad rem illam uindicandam, nulla temporis præſcriptione eliditur, uel ſubmouetur. Hoc uerbum quidam ita interpretantur nulla inquã temporis longi præſcriptione, ſed præſcriptione tẽporis longiſsimi poterit ſubmoueri. Ego autem puto nec præſcriptione temporis longiſſimi, id eſt, xxx. uel xl. annorum, etiam per legem Iuſtinianam in Codice poſitam, uel eccleſiam Romanam, uel quacunq; ciuitatem, rem ſuam uindicantem poſſe repelli: imò nec tempore longo, nec longiſſimo olim ſubmouebatur eccleſia, uel ciuitas alia ſed duntaxat tẽpore longæuo, id eſt, centum annorũ ſpacio, ut C. de ſacroſanct. eccle. l. ult. Porrò hodie nouiſſimo iure actiones, quas aliàs decennalis, uicennalis, triecennalis præſcriptio ſecludit, ſi loco religioſo cõpetunt, ergo & ciuitati: ſiue ab eo, ſiue ab alio cœperint, quadraginta annis claudunt. Sanè & hodie res eccleſiaſtica mobilis uſucapitur, & ipſa eccleſia cuius res à fiſco fuerit uendita, quadriennij præſcriptione repellitur, ut C. de eccleſijs authen. quas actiões. Sed forte & hodie eccleſia tanquã minor, imò tanquã pupilla (ſicut etiam res quæcunq; publica)

publica)excepta Romana quæ non labitur,contra prædictas præſcriptiones iu uabitur. Nam & minor(dum tamen non ſit pupillus) cuius res mobilis uſucapi tur,contra uſucapionem reſtituitur,ut C.ſi aduerſ.uſucap.

DE PRAESCRIPTIONE TRIGINTA VEL QVADRAginta annorum. Tit. xlij.

PErtractatis præſcriptionibus longi temporis,id eſt decem uel uiginti annorum,expedit ut diſſeramus de præſcriptione longi temporis, id eſt triginta & quadraginta annorum. Exponamus itaq; quare præſcriptiones omnes proditæ ſunt, quæ differentia inter longiſſimas præſcriptiones, & longas,quanta ſit multiplicitas & uarietas præſcriptionum,& quæ oporteat interuenire ut longi temporis præſcriptio procedat. In primis tamen illud ſciendum eſt,ꝙ etiam temporalis exceptio, ut fori, abuſiuè uocatur præſcriptio, ut C. de teſtibus l. nullum,& C. de except. l. ult. differentia inter longam & longiſſimam præſcriptionem ea eſt:longa, exigit tempus & bonā fidem:longiſſima, minimè. Item per longam præſcriptionē præſcriptor uel utiliter fit dominus,ꝑ longiſſimā,nequaquā:niſi forte bona fide præſcripſerit,ut authen. de nupt. § ſed quod. Inueni tur præſcriptio temporis breuiſſimi,breuis,longi,longiſſimi,longæui,breuiſſimi:ut eā quæ obijcitur appellare uolenti uiua uoce, diſſoluta figura iudicij. ſic enim illico potuit,non poſtea ſine libello,ut de appellat. l. litigatoribus. Item iudex eo duntaxat die quo ſententiā tulit,ſi quid defuit,appellare potuit, ut ff. de re iudicata l. Paulus. Item olim in cauſa propria appellare uolenti obſtabat præſcriptio bidui,in cauſa aliena tridui. Item tridui præſcriptio competit ut legitur C. de erro. aduoca. l. ult. Sed & ſi quis iudicem datū uelit excuſare, intra triduū alium debet eligere,ut C. de iudicijs l. ult. Item fortaſſis quinq; dierum illi obſtabit præſcriptio,qui hominē quē promiſerat certa die iudicio ſiſtere, poſt quinq; dies uelit hominem exhibere,ut ff. de caut. l. etſi. Item inuenitur breuiſſimi temporis præſcriptio, nouem ſcilicet dierum ecce enim hæres ante nouem dies ab obitu defuncti numerandos,conueniri nō debebit: ſicq; excipere poterit,ut C. de ſepulchro uiola. authen. ſed neq;. Breuis temporis præſcriptio eſt, puta decem dierum. nam ſi uictus poſt decem dies appellet de iure non poteſt, & ideo uictor recte excipiet,ut C. de appellat. Item contra ſententiam arbitri infra decem dies reclamare permitteris,ut C. de arbit. l. penult. Sed & conſtitutor pecuniæ ſi infra decem dies conueniatur,ſi uolet,excipiet,ut ff. de conſtitut. pecu. l. promiſſor. Teſtis quoq; ne detineatur inuitus ultra quindecim dies, ut Cod. de teſti. l. ſi quando. Iudici quondam poſt honorem depoſitum in prouincia quam rexerat,præſcriptio datur uiginti dierum. hoc ita ſi ciuilis cauſa fuerit aduerſus eum inſtituta, C. ut iudices per quinquaginta dies. Item tranſactis uiginti diebus ab oblatione libelli actori, ſi uelit ex illa oblatione litigare, uiginti dierum præſcriptio competit: puta ſi quis poſt appellationem apoſtolos flagitet,non niſi intra triginta dies iudex dari præcipiet;ut C. de appellat. Sed & damnū paſſus petens quanti retro plurimi fuerit, ex tertio capite legis Aquiliæ tranſactis triginta diebus poterit ſubmoueri Item ſi creditor ſcripſerit ſibi ſolutū eſſe, creditorq; poſtea pergat petere,et debitor excipiat:quia creditor ſcripſit ſe recepiſſe,creditor repetens infra dies tantum triginta,& non poſtea de nō ſoluto ſibi, poterit replicare. ergo excipere,ut Cod. de nō numera. pecu. l. in contractibus. Item pœna commiſſi pupillo remittitur, ſi intra triceſimum diem fiſco ſoluerit, ut ff. de uectigali. l. Imperator. Præſcriptio quoq; quinquaginta dierum prodita inuenit̄ cōtra tutorē,curatoremúe, ſe excuſare uolentes,ut Inſtitut. de excuſat.

Sed & iudices cum ab honore abierint, in prouincia quam rexerint ultra quin-
quaginta dies inuiti detineri non debent. Sexaginta dierum præſcriptio ei da-
tur, qui Aedilitio edicto conuenitur, ut iumenta ornata mancipiaúe nomine or-
namentorum non præſtitorum ſuſcipiat poſt dies ſexaginta, ut ff. de Aedilit.
edict. l. Aediles. Sed & qui fideiuſſit de repræſentatione perſonæ ſine ſcriptis, ſi
poſt duos menſes conuenietur excipere poterit, ut C. de fideiuſſo. l. ſancimus.
Item ſexaginta dierum numerandorum actor repellitur præſcriptione, qui in-
fra ſexaginta dies numerandos à cautionis die ante libelli oblationem expoſi-
tæ, litem noluerit conteſtari. Item iudex iudicaturus contra clericum de ciuili
crimine, ne lis duos egrediatur menſes, debet operam dare. Item nonaginta die
rum præſcriptione repellitur, quia replicatio datur creditori, ſi conuenit hære-
dem in ſolidum de rebus in prouincia quam inhabitat conſtitutus, nõ infra dies
nonaginta, ſed poſt forte inuentarium. Si enim hæres ne conueniatur inſolidũ
tentauerit excipere, quia fecit inuentarium, creditor replicabit, quòd non fecit
tempore lege taxato, ut Cod. de iur. deliberan. l. ultima. Item nonaginta dierũ
repellitur præſcriptione, qui accepta dilatione teſtes non produxerit, uel inſtru
menta, quæ iudices ſenſerint fuiſſe in illa quam habitabat prouincia, ut Cod. de
dilat. l. j. Centũ dierum præſcriptio obijcitur ab agnato cognatoúe petenti bo-
norum poſſeſſionem ab alio cognato, qui obtinet locum ulteriorem, ut Inſtitut.
bonorum poſſeſſione. Hoc ita, niſi conſanguineus excluſus à bonorum poſſeſſ.
unde legitimi. Quatuor menſium præſcriptione tutor, curatorq; excluditur, qui
excuſationis cauſam infra quinquaginta dies cœptam: ſicut reſtitutionis cau-
ſam, infra quadrienniũ, infra quatuor menſes non peregerit, ut ff. de excuſat. l.
quinquaginta. Item presbyteri ad legitimã tutelam nominati. Ad extraneorum
tutelas nominati ita poterunt ſe excuſare, ſi infra quatuor menſes reſcriptis ma
nifeſtauerint, legitimam tutelam ſuſcepiſſe propria uoluntate. Item à tempore
ſententiæ, ſi non tranſactis quatuor menſibus, uictus compellitur ſoluere: niſi
iudex ex cauſa tempus prorogauerit ſolutionis celebrandæ. Sex menſium uti-
lium præſcriptione ſubmouetur is, qui adulteram uelit accuſare. Itẽ is qui man-
cipium uicioſum uelit redhibere, ut ff. de Aedilit. edict. l. ſciendum. Item dilatio
ne accepta in productione teſtium in finitimis prouincijs cõſtitutorum, ſi litiga
tor (niſi & adhuc dilatio daretur) ſex menſibus tranſactis uelit etiam adhuc te-
ſtes producere, dicti temporis repellitur exceptione, ut C. de dilat. l. j. Item pro
his quæ relicta ſunt ſub conditione, ſi hæres noluerit legatario cauere, ut legata
rius mittatur etiam in res hæredis proprias tranſactis ſex menſibus, poterit po-
ſtulare, ut C. ut in poſſeſſ. legat. l. certa. Nouem menſium repellitur præſcriptio
ne, qui à præſide deliberationem tentauerit petere, ut Cod. de iur. deliberan. l.
ult. Item accepta dilatione in tranſmarinam regionem, ſi litigator non curauerit
teſtes producere: niſi ſecunda ex cauſa daretur dilatio, nouem menſium repelli-
tur exceptione, ut Cod. de dilat. l. j. Anni continui præſcriptio filijs emancipa-
tis iure ueteri obijcitur, pro amplectenda paterna ſucceſſione petentibus poſſeſ-
ſionem unde liberi, ut Inſtitut. de bonorum poſſeſſione. Extraneis quoq; hæ-
redibus, utputa in hæreditate adeunda, eadem obſtabit exceptio, ut Codicis de
iur. deliberan. l. cum antiqui. Sed iniuriarum actio prætoria, non anno utili, ſed
continuo, ſopitur meo iudicio. Is quoq; qui appellationem factam exequitur,
anno continuo ſubmouetur: ſed ex cauſa etiam annus indulgetur, ut authen. ut
cũ de appellat. Item non facto inuentario non excipit poſt annum ſi conuenia-
tur in ſolidum, ſed à creditoribus anni poſtea tranſacti præſcriptione repellitur,
q poſtulat ſibi bona addici ut C. de iur. deli. l. ult.. Itẽ ex libertate in ſeruitutẽ pe
titus, ſi poſtea abfuerit, & p annũ nõ uenerit ſeruituti obijcit̃, ut C. de aſſert. tol.

Item ſi abſens de crimine impetitur & requiſitus infra annum nõ uenerit, reuer-
ſens poſtea, & bona recuperare uolens anni præſcriptione ſubmouebitur. Item
ſi ſeruus ignorante domino factus ſit clericus: niſi dominus poſtea illum intra
annum repetierit, ſubmouebitur, ut authent. de epiſ. Item ſi quid cui relictum ſit
ne ſecundò nubat, infra annum non petit: niſi ſpes nuptiarum deficiat. Item ſu-
ſceptores & penè omnes officiales anno ſubmouentur, ſi poſtea officium regu-
lariter repetere auſi fuerint, ut C. de ſacroſanct. eccleſiæ l. ult. & C. de ſuſcepto-
ribus l. neminem. Item ſi mulier infra annum nupſerit anni præſcriptione repel-
litur, ne quid lucretur, ut C. de ſecund. nupt. l. prima. Item de abſentia publica
reuerſus anno ſe tuebitur, ſi ad nouã tutelam uocetur, ut Inſtitut. de tutel. Item
hæretico defuncto nullo relicto cognato catholico., eccleſia ab eius ſucceſſione
anni præſcriptione repellitur, ut authen. cum de appellat. Item ſi minor de dote
non numerata non queritur non reſtituitur, eoq; mortuo, ſi hæres eius infra an-
num reſtitutionem non petierit: ſi tamen maior fuerit, annua ſubmouebitur præ-
ſcriptione. Item ſi maritus ſcripſerit ſe dotem accepiſſe cũ non acceperit, eo mor
tuo ſi intra biennium ſoluatur matrimonium: niſi infra annum poſt diſſolutionẽ
exceperit, ſoluere compelletur. Item naufragijs res amiſſas ſi repetierit, anno re
pelli poterit, ut Cod. de naufragijs l. ij. Item fortiſſimi milites ſi infra annum an-
nonam repetierint, repelli poterũt ut C. de milita. anno. l. fortiſſimi. Item ſi quis
ſine commeatũ de caſtris deceſſerit, & annum alibi peregerit, repelli poterit an-
nua præſcriptione, ſi ad priorem locum noluerit remeare, ut C. de aduocat. di-
uerſo. iud. l. ult. & C. de commeatu. De dolo actionem ſi quis uelit intendere à
doloſo remoueri poterit biennij continui præſcriptione iure ſingulariſſimo. Sa-
nè contra doloſi hæredem ſi quid peruenerit ad eundem in factũ actione de do-
lo poterit agi perpetuò, ut ff. de dolo l. itaq;. Sed & ſubmouebitur poſt biennium
quiſquis petierit propter tributum deſertum à ſe prædium, ut C. de agro deſert.
l. qui agros. Sed & conductor prædij ſi continuo biennio nõ paruerit penſioni,
poteſt ſine metu pœnæ expelli: fortius ſi petierit poſſeſſionem prædij biennali
præſcriptione poterit ſubmoueri, ut ff. locat. l. quæro. Sed & exceptio non nu-
meratæ pecuniæ, quaſi quadam replicatione, biennij continui exceptione repel
litur: niſi infra biennium conteſtata fuerit, ut C. de nõ numeran. pecu. Item mu-
lier cum primo ex interceſſione cauerit, & poſtea tranſacto biennio ſecundo ca-
uerit, uolens ſe defendere, bienni remouebitur exceptione, ut C. ad Senatuſcõ.
Velleia. l. ſi mulier. idem in donatione propter nuptias. Item ſubmerſis nauibus
cogniturі, poſt biennium non iudicabunt & punientur, ut C. de naufrag. l. pe-
nultima. item primicerius fabricæ ne fabricam ſubeat biennio ſe tuebitur, ut
C. de fabricenſi l. ij. Item aduocatus fiſci tranſacto biennio ei aduocare non co-
gitur: ſed nec defenſor ciuitatis: niſi ſolo biennio, ut C. de aduocat. l. ſancimus,
& authent. de epiſcop. Item trans nare legatione functus biennio ſe tuebitur,
ne munera ciuilia ſubire compellatur, ut C. de legat. l. iij. Item ſi emphyteuta ec
cleſiaſticus poſt biennium penſionem non ſoluerit, repelli poterit. Item ſi ex cre
ditoribus quidam debitoris bonorum poſſeſſionem petierunt, etiã alij qui dor-
mierunt eodem beneficio potiri poterunt: ſi tamen in eadem prouincia conſtitu
ti beneficium ſibi communicari infra biennium non poſtulauerunt, biennij præ
ſcriptione poterunt ſubmoueri, ut C. de reb. autorita. iudi. poſſ. l. ult. Item ſi de-
bitor pignus uenditum poſt biennium à iudiciali mandato numerandum uelit
petere, biennij ſubmouebitur exceptione, ut C. de iur. domi. impetra. l. ultima.
Triennalis præſcriptio poſt litem cõteſtatam tranſacto triennio cuicunq;, id eſt
actori & reo obſtabit: ſi ut ſententia detur inſtiterit. lis enim ciuilis triennio pe-
rit, ut Cod. de iudicijs l. properandum. Criminalis expirat biennio. C. ut infra

cert. temp. Sed & emphyteuta ſi continuo triennio penſionem nõ ſoluerit, cum poſſit expelli, deuolatam ad dominum poſſeſſionẽ ſi pergat petere, promptius ipſe à domino poterit ſubmoueri, ut C. de iure emphy. l. ij. Item ſi ſuus hæres paternam hæreditatem recuſauerit, poſt trigeſimũ annũ infra continuum triennium hæreditatem paternam repudiatam omnibus adhuc manentibus integris ualens aduocare, debebit audiri: poſtea minimè, ut C. de repudi. hæred. l. ult. Item ſententiam contra ſe latam fiſcum uolentem poſt triennium retractare, uictor poterit continui triennij præſcriptione repellere, ut C. de ſenten. retractan. Quadriennij præſcriptio obijcitur fiſco petenti uacantia bona. Item obijcitur à fiſco, ſi conueniatur ab aliquo, cuius bona alienauerit tanquã propria. Item minor reſtitutionem poſtulans poſt quadrienniũ cõtinuum, quod effluxerit poſt annum xxv. & maior Reipublicæ cauſa abſens, cuius res in abſentia fuerit uſu capta, præſcriptaúe, ſimiliter poſt cõtinuum quadriennium numerandum poſt reditum non impetrabit remedium. Item ſi ex pluribus creditoribus defuncti illius bonorum poſſeſſionem alij petierint, etiam eadem commoditate poterunt potiri: uerum in alia prouincia conſtituti, ſi non poſtulauerint beneficium ſibi communicari, quadriennij præſcriptione poterunt ſubmoueri. Præſcriptio quinquennij poſt hæreditatem aditam numerandi obijcitur de inofficioſo agenti, ut C. de inoff. teſta. l. ult. Item fiſcus rem uectigalem conueſam petens quinquennio ſubmouetur, ut C. de uectiga. l. ij. Item defuncti ſtatum poſt quinquenniũ retractare uolens non auditur. Item creditor hæreditarius contra proprios hæredis cultores, poſt quinquennium ab hæreditate numerandum ſeparationem petens, repellitur, ut ff. de ſeparationibus l. j. Item colliſionem detegere uolens præſcriptione quinquennij poſt ſententiam de ingenuitate dictam ex ordine repellitur, ut ff. de colluſio. l. ij. Item adulterij accuſatio contra maſculũ quinquennio continuo ſopitur, ut ff. de adulte. l. quinquennium. Hoc ita ſi adulterium ſit duplex, non uiolentum, uel inceſtuoſum. tũc enim ſicut de criminibus alijs uſq; ad uiginti annos accuſatio inſtitui poſſet. Sanè mulier adultera infra ſex menſes eſt accuſanda, ut ff. ad Turpil. l. j. Item hæres minor defuncti, qui ſcripſit ſe accepiſſe dotem cum non acceperit, præſcriptione quinquennalis temporis etiam in minori ætate currentis poterit ſubmoueri: licet ſit mirabile quòd contra minorem præſcriptio currat: uel quia ſaltem nõ reſtituetur. Item ſi quis maior factus prædium à ſe uenditum, uel à defenſore ſuo, nomine minoris uoluerit petere, caueat ne quinquennij repellatur præſcriptione ut C. ſi quis maior fact. l. ultima. Item ſi urbano magiſtratui quis quid donauerit poſt depoſitam adminiſtrationem illud repetere poterit: niſi poſtea ratum habuerit, uel quinquennium eo tacente præterierit, ut C. de contract. iudi. Item redemptus ab hoſtibus redemptori per quinquennium cogitur deſeruire: niſi maluerit redemptionem reſtituere, ut C. de capti. l. ult. Item tabellarius, uel ogographus, uel ad aliud officium tranſitum faciens, ne retrahatur, quinquennio ſe tuebitur, ut C. de tabula. l. j. Septem annorũ præſcriptio naſcitur infanti, id eſt minori ſeptem annis ſi hæreditas ſit delata. tunc enim diſpenſatio tenebit, & pater infantis qui hæreditatem filio delatam etiam neglexerit petere: infante tamẽ infra annum decedente, illam hæreditatem quaſi infanti iam quæſitam, iure patrio poterit capere & detinere. Ergo etſi à patre per quemcunq; uindicaretur, pater detinens poterit excipere, ut C. de iur. deliber. l. ſi infanti. Enumeratæ ſunt in ſuperioribus præſcriptiones temporis breuis, & breuiſſimi, nunc adnectamus de præſcriptionibus temporis longi, longiſſimi, & longæui. Illud tamen notandum eſſe primũ puto, q expoſitæ præſcriptiones ſola temporis ratione aliqua in poſſeſſione procedunt. Excipitur quadriennij ea præſcriptio, qua uacantium bonorum poſſeſſor fiſcum uin

dicantem

dicantem excludit. Longi temporis præſcriptio quædam eſt decem annorum, qua (ſicut dictũ eſt) poſſeſſor bonæ fidei res immobiles, ſeruitutesq́, naturalem, continuam, perpetuamq́ cauſam habentes præſcribit. Item longi temporis præſcriptione quadã poterit ſe defendere qui hæreditatem ex teſtamento illius mulieris, quæ pridie quàm compleuerit duodecimum annum, uel ea die fecerit teſtamentum: multo fortius, ſi poſtquam compleuerit inueniatur poſſidere. Item ſi minor de dote non numerata non queritur profectò reſtituitur, ſed præſcriptione xij. annorum ab ætate nubili tranſactorũ repellitur, ut authen. de temp. non ſolut. dot. Tredecim quoq; annorum præſcriptio illis decurionibus & ſilenciarijs datur; ut priuilegijs fulciantur, qui per continuos xiij. annos inculpatas excubias egerunt, ut C. de ſilenciarijs l. iij. Quatuordecim annorũ præſcriptio ſimiliter ei competit, qui inſtitutus eſt hæres in teſtamento maſculi qui fecerit, licet nondum pleniſſime pubuerit, ut ff. de teſtam. l. qua ætate. Cui operum publicorum fuerit cura mandata, pecunia ad extructionem uallorum credita, xv. annorum præſcriptione numerandorum à perfecto opere poterit ſe defendere, ut C. de operib. public. l. omnes. Ex decem & ſeptem annis completis, ſi poſtulaueris, & quia ſi non idoneus poſtulator propter ætatem remouearis, excipere poteris, ut ff. de poſtulan. l. j. Idem ſi à minore uindicta manumittaris cum tantę ætatis fueris ut eius procurator fieres. Decem & octo annorum præſcriptio munit eum qui ueniam ætatis impetrauerit, ut tit. C. eod. l. ij. Item minor decem & octo annis beneficio iuuatur, ne parentis ſucceſſionem amittat: licet illum captiuum redimere neglexerit, ut authen. de appellat. Viginti annorũ ſe præſcriptione tuentur, qui cum illis contraxerunt ex eorum perſona ſcilicet qui ueniam ętatis impetrauerunt. Item ſine uindicta manumiſſus à maiore uiginti annis: licet minori xxv. ex illius perſona uiginti annorum præſcriptione munitur (ſicut ſuperius dictum eſt) ſi de eius ſeruitute contenditur. Item miles à militia dimiſſus qui uicena ſtipendia meruit ad munera uocatus, ne arctetur, uiginti annorꝫ præſcriptione ſe tuebitur, ut C. de his qui implet. ſtipendijs l. ult. Sed & de crimine criminaliter agere uolens, uiginti annorꝫ præſcriptione ſubmouetur. Omnia enim penè crimina uiginti annis ſopiuntur, ut C. de falſis l. querela. Excipiuntur quædam crimina quæ ſunt annua, quinquennalia: & crimen maieſtatis excipitur, quod nec morte moritur. Viginti annorum præſcriptione ex perſona ſecum cõtrahentis munitur, qui contraxerit cum aliquo in prima die ſui xxvj. anni: licet enim forte uideri poſſet, quod & adhuc quaſi minor deberet iuuari, ritè tamen poterit ſubmoueri. Nam & uiginti annos duntaxat habens, & ſex liberorum numero gaudens, ad eoſdem honores poterit adſpirare, ad quos & maior ætate: ſicq́ quaſi xxv. annorum præſcriptione ſe poterit tueri, ut ff. de minor. Item filiaſam. ſi poſt xxv. annum patre differente eã marito copulare, in ſuum corpus peccauit: uel ſi ſine conſenſu patris libero homini matrimonij adfectione ſe copulauerit, xxv. annorum præſidio uallatur: nec ideo à parente exhæredatur, ut authen. ut cum de appellatione. Nouem & uiginti annorum præſcriptione munitur is, contra quem per minorem quondam reſtitutio petitur. Triginta annorum præſcriptione regulariter omnis actio ſubmouetur, ut C. eod. l. tertia. Excipitur hypothecaria, quæ eſt quadragenaria contra debitorem debitoris hæredem, & ſecundum creditorem, ut C. eod. l. cum notiſſimi. § ij. Excipitur & omnis actio in iudicium per conteſtationem deducta. Fit enim quadragenaria, in rem, perſonalis, directa, utilis, prætoria, ciuilis. Excipitur actio de dolo, & reſciſſoria. Excipitur & actio competens locis uenerabilibus, & ciuitatibus: præſcribitur enim hodie duntaxat xl. annorum ſpacio, ſed tamen olim (ſicut dictum eſt) præſcribebatur decennio, uicennio. Sed et ſiquis Agonetica prę

dia ad fertilitatem deduxerit, ſuoq; agone, plurimoq; ſudore poſt quadraginta demum annos, etiam contra rempublicam poterit ſecurus exiſtere, ut C de fundis patrimonali. l. Iubemus. Maiores quinquaginta & quinq; annis, item maiores annis ſeptuaginta temporis tanti præſcriptione & grandæuę ætatis contemplatione ſe tuentur. itaq; ſi nolunt non magiſtratum gerent, nec minorum regimen ſuſcipient, nec teſtimonium dicent, ut Cod. qui ætate, & ff. de teſti. l. inuiti. Centum annorum præſcriptione & non minori, eccleſia Romana repellitur. Hoc ego non intelligo de omni Romana eccleſia, ſed duntaxat de maiori Romana eccleſia, hanc alij dicunt eſſe eccleſiam Lateranenſis ſancti Ioannis Apoſtoli. Item non niſi centum annorum præſcriptione ciuitas repellitur, quæ uſumfructum ſibi relictum, aliâsúe inter uiuos conceſſum non petierit, ut ff. de uſufruct. l. à municipibus. Triginta annorum præſcriptione dominus à uindicatione repellitur, & poſſeſſor tutus fit & munitur: ita tamen ſi tanto tempore poſſederit, id eſt pro ſuo poſſederit & habuerit & tenuerit: & quidam continue nulla ſcilicet intercedente interruptione. Excipitur, niſi ſi qua inueniatur actio, ut certi cõdictio, quæ ſine poſſeſſione procedit, & ſolo temporis nititur curriculo. In iſta præſcriptione diſtinguitur, poſſideatur bona, malaúe fide, titulo, uel ſine titulo. Item diſtinguitur, poſſideatr res militis, priuatiúe, abſentis, præſentisúe, maris, mulierisúe, maioris minorisúe. Pupillaris duntaxat excipitur: ſi eñ præſcriptio triginta annorum cœperit, & ea nondum impleta pupillus ſucceſſerit, præſcriptio quidem interim ceſſabit, & ubi pubuerit denuo inſurget, & uigilabit & excitabitur, & priori quæſtioni deceſſoris cõtinuata complebitur, ut C. ſi quis maior fact. l. ult. Ergo per pupillarem ætatem contingens interruptio multum differt ab interruptionibus alijs. Nempe ubi aliâs contigerit interruptio, nihil amplius conferet prior poſſeſſor: uerum pupillari ætate interueniente præſcriptio quidem interrumpitur, ſed pupillo poſtea facto pubere conſummatur. Ergo pupillaris interruptio (ut alludam uocabulo) propriè uocatur interruptio: quia non ſicut alia interruptio prorſus rumpit, ſed interrumpit, id eſt interim rumpit. Quæri poteſt quomodo res abſentis uiginti annis præſcribitur, numerandis ex quo abſuerit, cum illico poſſeſſionem & nondum abſens amiſerit? Aiunt quidam, licet abſens adhuc poſſidet, is tamen, qui pro ſuo corporaliter tenet, præſcripſit: ego in contrarium ſentio. Nam cùm abſens non ſtatim poſſeſſionẽ amiſerit, nec præſens ſtatim quæſijt, nec præſens ſtatim præſcribere cœpit. Ergo ex inde dicamus tempus computari debere in triginta annorum præſcriptione, ex quo abſens dominus poſſeſſionem amiſerit, id eſt ex quo ſuſpicatus eſt ſe poſſe repelli, uel ueniens nõ eſt admiſſus, uel ingrediens eſt repulſus: uel ſi abſens longo tempore abfuerit, & præſens poſt longum tempus poſſeſſionem occupauerit, ut ff. de uſucap. l. furtum. Quæri ſolet ſi quid fuerit relictum ſub conditione, uel promiſſum, utrum ne tringinta annorũ præſcriptio illico ſumat exordium? ego minimè ſentio. Licet enim actio ſit concepta, nondum tamen eſt nata & natæ duntaxat actioni exceptio obſtat. Idem in purè relicto ſeu promiſſo: quia ineſt tacita conditio, puta ſi partui promiſſum eſt, qui in uentre uehitur: tunc demum incipiet actio, ergo & pręſcriptio cum partus naſcetur, ut ff. de uerb. ob. l. interdum. Idem in promiſſionibus & relictis annuis, ſimilibusúe. Ab initio eñ cuiusq; temporis actio incipiet, licet ante concipiatur, ut C. eo. l. cum notiſſimi. Idem erit ſi conditio tacita intelligatur in cedendo, ut in dote cõſtante matrimonio, & in uſufructu quandiu durauerit matrimonium. Nam cum uxor conſtante matrimonio regulariter dotem non poſſit repetere, dominus uſumfructum non ualeat repoſcere, præſcriptio non curret. Quis enim incuſare eos poterit, ſi non repetierint, cum etiamſi uellent minimè lege obuiante ualerent, ut C. de annali ex-

nali except.l.j.in fi.ut C.de cenſito.l.qui grauatos. Quid de furto dicemus, q
ex ſingulis contractationibus admiſſis ſingulis diebus actio oritur, & ſic ſæpiſſi
me recreata nunquam xxx.annorum ſpacio elidetur? imò quia unum eſt furtũ:
licet fiat aſſidue,quia ab initio una furti actio naſcitur non ex aſſidua contracta-
tione,utpote ſemel nata iteratis fabulis recreatur,ſicq; ex initio præſcriptio nu-
meratur,& actio ſubmouetur,ut ff.de furt.l.quamuis,& l.inficiando, & Cod.
de annal.except.Item quæritur condictio certi cõpetens creditori tunc demum
triginta annorũ præſcriptione elideretur,ſi debitor ſemper animũ retinendi ha-
buerit,ſi pecunia ab eo repoſceretur? ego tunc equidem maximè:ſi tamen ma-
lignum iam reſtituendi animum habuerit,ab initio contra creditoris condictio-
nem ſola temporis ratio ſine poſſeſſione(ſicut ſuperius dictum eſt)triginta anno
rum præſcriptionem inducit.Amplius fortiter quæritur,ſi duo pluresúe cohæ-
redes triginta annis in communione manſerint , utrum ne poſtea familiæ erci-
ſcundæ iudicium dictare poſſint? ego utiq;.nam licet actio in initio nata fuerit,
& competierit,etiam intendi poterit. Quid enim alter cohæres alteri imputare
poteſt,cum ambo in ſimul utantur,fructuſq; accipiant? Idem in actione cõmu-
ni diuidundo,& actione pro ſocio. Nec enim aſſentior eorum fatuitati qui tres
actiones præfatas,non ab initio, ſed ex uoluntate muſſitant oriri. nam ſi ab ini-
tio contractus actio nõ naſcitur, nec poſtea oritur,ut ff.de furt. l. ſerui. Fortius
quæritur pignoratitia an ab initio pignoris dati tempore cõputando poſt xxx.
annos ualeat intentari? quidam dicunt minimè , & allegant quia ius omne tan-
to tempore præſcribitur & inferunt,ergo ius offerendi. Ego dupliciter reſpon-
deo ius offerendi non legitur,niſi in ſeruo creditore. Præterea quod dicitur ius
omne triennio tollitur,non de iure excipiendi, offerendi,ſed tantũ de iure agen
di debet intelligi:alioquin ius eundi ad ſanctum Iacobum , ſi adhuc retro annis
xxx.nõ fuerit deambulatum. Nec obſtat quod debitor potuit ſoluere.nam nec
filio in poteſtate imputari poteſt,cur non ſtuduerit ut emanciparetur:licet forte
ſi curaſſet,ſi patrem rogaſſet,id impetraſſet. Accedit in argumentum quod cre-
ditor forte perceperit fructum,& reputauit in debitum , ſicq; perinde fiat inter-
ruptio per exceptionem creditoris,ſicut fieret per ſolutionem debitoris. Adhæc
fortiſſime quæritur de actione commodati , an poſſit poſt xxx. annos intendi?
inquiunt ſophiſtæ quidam & garrulitatis amatores nequaquam , & inducunt
omnia quæ actiones elidunt , id eſt, commodati actio ab initio nata fuit , & cũ
competierit intendi potuit . ergo commodati actio non competit , quum intra
triginta annos non intenderit cum intendere potuerit . ego minimè . Quemad-
modum enim commodatarius præſcripſit qui præſcribere non uoluerit , qui
commodanti poſſeſſionem non abſtulit , qui poſſeſſionem interuertere non de-
ſtinauit. Ergo ex eo primum tempore præſcribere cœpiſſe dicatur,cum cauſam
poſſeſſionis mutauerit,poſſeſſionẽ interuerterit,pro ſuo poſſidere cœperit:ſicq;
perſonalem actionem commodati præſcripſit , & actionem in rem nomine rei
commodatæ competentem & rem ipſam commodatam. Ridiculum enim foret
dicere actionẽ perſonalem præſcriptam eſſe & rei uindicationem durare. Idem
dicatur in quatuor præfatis actionibus pro ſocio,familiæ erciſcundæ ,cõmuni
diuidundo,pignoraticia. Idem & in quinta actione ſcilicet locati dicatur . Nec
obſtat quod C. eod. l.male agitur expreſſim cauetur prædiorum dominos per
colonos poſſidentis etiam quadraginta annis minimè repelli , inquietariúe non
poſſe. Illud enim non intelligitur cum coloni dominorum poſſeſſionem nõ in-
teruerterent,ſed ſemper(ſicut debuerũt)ſtatutis temporibus dominis poſſeſſio-
nes præſtiterunt. Longæuo tempore , id eſt eo quod memoriam omnem exce-
dit ſeruitus quæritur longæui temporis,id eſt eius cuius memoria nõ extet præ

ſcriptione agentis domini actio,ſcilicet negatoria repellitur, ut ff. de aqua plu. ar. l. j. in fine. Curialium tributorũ reuocatio nullo tempore ſopitur,& aliarum publicarum functionum exactio nulla temporis præſcriptione repellitur. nec enim præſcriptio temporis iuri publico debet obſiſtere, ut C. eod. l. comperit, & C. de oper. public.

DE ANNALI EXCEPTIONE ITALICI CONTRACTVS tollenda,& de diuerſis temporibus, & exceptionibus, & præſcriptionibus,& interruptionibus. Titulus xliij.

QVia annalis exceptio Italici cõtractus olim fuit, ſed hodie non eſt, de ipſa tollenda dicamus. De diuerſis exceptionibus & præſcriptionibus ad præſens omittamus, ſiquidem eas in ſuperiori titulo compilauimus. Et quoniam præſcriptiones ſæpiſſimè interrumpũtur, de interruptionibus inſeramus. In Italicis rebus non mobilibus quondam annalis exceptio uiguit, hanc alij extendebant uſq; ad decennium, alij uſq; ad quinquennium ſtandum eſſe putauerunt. Hæc exceptio in ambagibus conſiſtebat, ideo merito de repub. abijt, fuit olim etiã alia anni, ſcilicet continui præſcriptio, qua præſcribebatur res mobilis, tam Italica quàm ꝓuincialis, & hæc receſſit. Interrumpitur præſcriptio duobus modis naturaliter & ciuiliter. Naturaliter puta ſi poſſidenti res ui eripitur, res furtim ſubtrahitur. Idem ſi poſſeſſor rem poſſeſſam dereliquerit. idem ſi flumen inundauerit. idem ſi is cui debetur rem ſibi ſuppoſitã ſine uiolentia tenuerit. idem ſi pupillaris ætas interuenerit, ut C. de triginta annorum præſcript. l. cum notiſſimi. Ciuiliter præſcriptio interrumpitur per litis conteſtationem, per cõuentionem factam per executorem, per ſecundam cautionem, per fœnoris partis ſiue ſolutionem, per querimoniam ſimplicem apud iudicem expoſitam. Item per querimoniam ibi publicè propoſitam, ubi domicilium habet poſſeſſor. nunc, etiam ſine iudice uel cum trium teſtium ſubſcriptione, ut Cod. eod. l. ij. & C. de præſcript. triginta annorum l. cum notiſſimi C. ſi quis maior fact. l. ult. Illud tamen notandum eſt, quòd in quatuor duntaxat caſibus præſcriptio interrumpitur ſine iudice, puta ſi is qui poſſidet abſit, ſi ſit infans, furioſus, & in dignitate poſitus. Item quaſi cõteſtatione interrumpitur præſcriptio, puta ſi quis abſentis nomine quolibet modo poſſidens rem immobilem in rem actione conuentus in iudicio abſentem nominauerit, tunc enim ut ueniat ſcilicet ſponſurus à iudice uocabitur. Si uero poſt indultum ſibi tempus non uenerit nec procuratorem miſerit, tanquam lite aduerſus eum conteſtata: licet non ſit, longi temporis præſcriptio, ſi qua ei forte competere poterat, puta ſi abſens ille dominus non fuerit, interrupta cenſebitur, ut C. ubi in rem act. l. ij. Item, ſine omni cõteſtatione, uel eo quod habeatur pro conteſtatione, & ſine omni querimonia, uel propoſita apud iudicem, uel facta ſine iudice. In quatuor expoſitis caſibus, ubi domicilium poſſeſſor habet, uel per trium teſtium ſubſcriptionem actiones fient perpetuæ precum principi porrectarum oblatione, & ad eas præſcriptione. Hoc tamen ita ſi actiones illæ fuerint annuæ, & prætoriæ, ut C. quan. libel. princip. dat. l. j. Quatuordecim ergo ſunt modi interrumpendi (ſicut ſuperius expoſuimus) ſex naturales, & octo ciuiles.

DE ALLVVIONIBVS, ET PALVDIBVS, ET paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis. Tit. xliiij.

Diximus qualiter res alterius alteri applicentur per præſcriptiones, nunc ui deamus qualiter adijciantur per alluuiones. uel aliter audiuimus quemad modum res quærantur ciuiliter, nunc quemadmodum naturaliter. Et quidem per alluuionem quæ eſt accretio uel deceſſio latens. Flumina enim, quod eſt noſtrum, faciunt alienum: & quod alienum eſt, noſtrum. Item flumina quod ſuum eſt, nobis tribuunt: & quod noſtrum eſt, ſuum faciunt. Quid ergo, nunquid ſi quid per alluuionem acceſſerit, illud ſeparatum cenſebitur, uel eius nomine ſeorſum publica functio exigetur? nec ſeparatim cenſebuntur, uel functiones exigentur: ne uel alluuionum uitia ignorare uel rem noxiam poſſeſſoribus uideamur inducere. Ergo non inſpecta bonitate incrementi, ſed ſecundum quantitatem totius integri poſſeſſor debet angariari, & tributa publica debeat flagitari. idem in paludibus & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis, id eſt ad frugum fertilitatem deductis oportet intelligi, ut C. eod. l. ult.

DE SENTENTIIS PRAEFECTORVM PRAETORIO. TITVLVS XLV.

Expoſuimus qualiter res quærantur ciuiliter per præſcriptiones, nunc quemadmodum alio modo ciuiliter, id eſt per iudicum ſententias. Vel aliter diximus in primo libro de legibus quaſi de ſententijs Imperatorum, nunc dicamus de ſententijs aliorum magiſtratuum. Vel aliter diximus de officio actoris intendentis, & rei non ſcribentis, nūc dicamus de officio iudicis: & quia præcipuum iudicis officium conſiſtit in pronunciandis ſententijs, loquamur de ſententijs. & quia præfecti prætorio maiores ſunt cæteris magiſtratibus, & iudicibus, de ſententijs præfectorum prætorij confabulemur. Præfectorum prætorio ſententiæ priuilegio gaudent, & terna ſpecialitate lętantur. Ecce enim ab eorū ſententijs intra decem quidem dies ſupplicare permittitur, ſed appellare non licet. Credidit enim princeps eos qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe fuerat iudicaturus. Subnixi ſunt etiam alio priuilegio præfecti prætorio, à ſententijs enim eorū minores ætate non ab alijs magiſtratibus, ſed ab ipſis præfectis prætorio reſtitui poſſunt. Item licet appellatione facta omnia debeant pendere, nihilq; ſolet innouari, porrecta tamen ſupplicatione ut ſententia mandetur executioni, uictor poterit poſtulare: ſi tamen de reſtituendo uictus fideiuſſorem uoluerit dare, authen. ut ſponſ. larg.

QVOMODO ET QVANDO IVDEX SENTENTIAM proferre debeat præſentibus partibus, uel una parte abſente. Tit. xlvj.

Nunc de ſententijs generaliter tractaturi explicemus quot modis diſtinguatur, qualiter definiatur, qualiter ſententia dari debeat, & quando, & quod remedium detur condemnato. Et certe cuiuſcunq; orationis ſignificatio ſententia dicitur. Item quidquid cuiq; de quacunq; re placet, ſententia uocatur, de generibus, de ſpeciebus, uel de ſponſione bonorum ut C. qui teſt. face. non poſſ. l. hoc. Item abſolutè dicitur ſententia deportatio, ut C. de ſentent. paſ. l. ult. excā-

municatio quoq; inde increbuit ut dicatur iſte ſub ſententia eſt, id eſt excõmunicatus eſt. Item ſententia uocatur quodcunq; iudicantis præceptum, nõ naturæ, non iuri, non bono mori, cõtrarium. Secundum hanc ſignificationem ultimam ſententia diſtinguitur trifariã, eſt enim ſententia alia definitiua, ut C. de ſenten. l. ij. alia conuentionalis, ut amicabilis compoſitio; uel ea per quam reus admonetur ut ad iudicem ueniat, ut C. de epiſcop. alia interlocutoria ſiue præparatoria, ut ff. de arbit. l. qualem. Et ſciendum eſt, q in lege citata tribus modis reperitur inſcriptum ſententiæ uerbum, pro magiſtri ſententia, pro iudicis interlocutione, pro iudicis definitione. definiri poteſt definitiua ſententia. Definitiua ſententia eſt quæ controuerſiæ finem imponit. Sententiam iudex proferre poteſt præſentibus partibus, ſi de cauſa ſibi liquebit, etiã prima die iudicij: ſed & una parte abſente, id eſt contracto eremodicio, poterit iudex non arbiter: niſi id conuenerit, definire: aliâs pro præſente contra abſentem, in ciuilibus tamen cauſis: aliâs pro abſente per contumatiam, etiam contra abſentem. ſiquidem abſentis contumatia dei repletur præſentia. Sanè in criminalibus cauſis abſentis rei & ſæpius citandi ſunt, & ſæuioribus pœnis ſeruandi non ſunt, ſed accuſatores abſentes etiam duriſſimè poſſunt condemnari, ut ff. de pœnis l. abſentem. Contracto tamen eremoditio ita iudex debebit pronunciare, ſi abſentem citauerit tribus edictis ſine peremptorio, aliquando tamen & poſt tria edicta, & poſt unum peremptorium, iudex debebit citare, ut ff. de iudicijs. nonnunquam etiam hoc edictum ultimum uocatur citatorium, ut C. de princip. agent. in rebus l. ij. Ita tamen contracto eremoditio iudex poterit pronunciare, ſi finis inſtet, immineat formido effluentis triennij, id eſt ſi ſemeſtre tantũ tempus ſupererat, arctiusúe, ut C. de iudicijs l. properandum. hocq; uerum eſt ſi de cauſa liqueat. Quid ergo iudex ante finem triennij facere poterit? profecto poterit à iudicio relaxare interloquendo, in expenſas condemnare. Ea quæ dicta ſunt poſt litem conteſtatam locum habent. Enimuero ſi lite nondum conteſtata quis uelit abſentem conuenire, diſtinguitur: utrum perſonaliter, an in rem debeat agere. Si in rem, citabitur etiam ſolenniter abſens (ſicut expoſitum eſt) & habebunt ſingula edicta, præſertim ante litem conteſtatam, triginta dierum interualla. Citatus ſi nõ uenerit procuratoremúe miſerit res ſuo Marte tractabitur. Si uero in rem agitur actor in rem & in rei poſſeſſionem mittetur: non ut ſtatim fiat poſſeſſor, ſed tamen in poſſeſſione manebit. Quid ergo ſi abſens redierit? ſiquidem infra annum rem ſuam recuperabit: ſi tamen de ſuſcipiendo iudicio cauerit, ſi tamen expenſas antea reſtituerit: ſed poſt annum abſens quondam poſſeſſor, ſi litigare uelit erit petitor, id eſt anno præterito: ſi uelit ex decreto ſecũdo incipit eſſe poſſeſſor, ut C. de præſcrip. xxx. annorum l. penultima. Vbi perſonaliter quis uoluerit abſentem conuenire, & hic ſolenniter citabitur: ſi poſt ſolennem cautionẽ abſens reus non redierit, in rerum ſuarum poſſeſſionem pro menſura debiti præſens reus: ſiue infra annum redierit, ſiue poſtea intra triginta tantum annorum curricula, rerum ſuarum poſſeſſionem recuperabit: ſi tamen de ſuſcipiendo iudicio cauerit. Is qui condemnatus eſt abſens aliâs iudicij reſtitutionem impetrat, aliâs duntaxat appellat, aliâs omni remedio caret. Diſtinguitur enim abſuerit ex neceſſitate, uel ex uoluntate. Item ſi ex neceſſitate diſtinguitur legitimè ſit defenſus, an non. Legitimè defenſus tantum appellabit: nullo modo defenſus, uel minus legitimè, puta per uxorem eremodicij reſtitutionem poſtulabit, ut C. de procura. l. quia. Si ex uoluntate, diſtinguitur an ex cauſa probabili, uel nõ. Item ſi ex cauſa probabili, diſtinguitur ſit defenſus, an non. Defenſus nec reſtituitur, nec appellabit, ſed defenſorem aggredietur, ſi malit. nõ defenſus, ſi uolet, appellabit. Si uero ex cauſa non probabili, id eſt per contumatiam condemnatus abfuerit,

reuer-

reuerſus non appellabit: niſi forte probare poſſet ſe per iuſtam cauſam, & non per contumaciam abfuiſſe, ut ff. de minor. l. ait Prætor § ult. ff. de iudicijs.

DE SENTENTIIS EX BREVICVLO RECITANDIS. TITVLVS XLVII.

Expoſuimus ea quæ ſententias p̄cedunt, nunc ea dicamus quæ ſententijs inſunt. Ergo explicemus qualiter ſint recitandæ ex breuiculo, id eſt ſi ſecus fuerit obſeruatū, nullæ ſunt, periclitantur, delabuntur in Charibdim, ſubeunt periculum. Et certe iudex non ſubitam ſed deliberatione habita poſt negocij diſcuſſionem ſententiam debet in corde ſuo formare, formatam ſcripturæ mandare, ſcriptam (ſi quid iudicij contineat) emendare, emendatam partibus cominus conſtitutis ore proprio legere, & recitare. Recitatā non licebit poſtea iudici corrigere. hæc omnia regulariter locum habent. Excipitur, quia epiſcopus ex non ſcripto poteſt decidere, ut authen. ut clerici apud proprios epiſcopos. Et breues lites, & maxime uilium cauſarum ſimiliter ex non ſcripto decidere poteſt, ut authent. de mandat. princip. & C. de priuileg. ſchola. & C. de dignit. l. ult. & C. de proximis ſacro ſacrin l. in ſacris. Item omnis illuſtris iudex etiam per ſuos officiales poteſt ſententiam recitare, ut C. eod. l. ij. Quanquam ſupplere iudex ſententiam ualet uel eodem die, non tamen audet corrigere. Excipitur Imperator, & præfectus prætorio: multo fortius ſenatus. Hi enim tres per reſtitutionē proprias ſententias poterunt reformare. Item ratione cauſæ iudices omnes ſuas ſententias poterunt immutare. Quando enim iudex multauerit, & paupertas condemnati minorem multam irrogare ſuaſerit, poterit iudex talem ſententiā corrigere, ut ff. de offic. præſid. Sed & ſi iudex abſentem ſolenniter citatū condemnauerit, & abſens ille, adhuc perſeuerante figura iudicij, remeauerit, & ad Prætorium uenerit, ex diſpenſatione iuſtiſſima, & æquitate benigniſſima debebit audiri, ut ff. de in inte. reſti. l. diuus.

Placentinus hic (ut ueteres penè oēs) legit periculo: ob id interpretatio lectioni reſpondet.

DE SENTENTIIS ET INTERLOCVTIONIBVS omnium iudicum. Tit. xlviij.

Diximus de modis referendarum ſententiarum, nunc dicamus de omnibus qualitatibus earum legum. Exponamus quæ ſententiæ non ualeant, et ſic per conſequentiam poterimus intelligere, quæ debeant ualere. Deprehenditur ſententia inutilis ratione perſonæ, tam iudicantis quàm litigantis. Iudicantis, puta ſi iudex infamis fuerit: licet arbiter eſſe poſſit. Si alius pro alio per errorem aditus fuerit. item ſi is tanquam iudex aditus eſt, qui nulli iuriſdictioni præeſt. Sententia quoq; ſerui nulla eſt: niſi cum ſententiam daret in libertatis poſſeſſione ſine dolo maneret: tūc enim etiam ſententia ab eo data, & libertas ab eodem præſtita perſeuerabit, ff. de offic. præto. l. Barbarius. C. eod. l. ij. & ff. de libera. cau. l. competit. Ratione litigantiū ſententiæ fiunt nullæ, ſi pupilli, adultiue ſine defenſoribus ſuis iudicium ſubierint, condemnatiq; fuerint: ſed pro eis data ualebit, ut C. de procurat. l. non eo. Ratione rei nulla eſt ſententia, ſi Pedaneus iudicauerit de libertate, ſi arbiter de criminali quoq;, ſi procurator Cæſaris de ingenuitate, ſi Epiſcopus de ciuili crimine. Ratione cauſæ nulla eſt ſententia de re iudicata lata. Idem ſi non eſt abſolutoria, uel condemnatoria: puta ſi partibus ſuaſerit, ut paciſcantur: uel ſi iuſiurandum præſtari mandauerit, nec quid eo recuſato uel præſtito, fieri debeat, addiderit ut C. cod. l. cum ſententiam, & l. cum

Pamphilũ promiſerat, alterũ quem uelit ipſe promiſſor cõdemnatus dependat.

DE SENTENTIIS, QVAE PRO EO, QVOD INtereſt, proferuntur. Tit. I.

SIquando intereſſe petitur, & petitor inſtat ut ſententia pro intereſſe feratur, iudex debebit diſpicere, utrum ne agatur ex delicto, uel ex negocio. Item ſi ex negocio utrum cõtracto certo, incertoúe. Si ex incerto, damnũ quantumcunq; fuerit æſtimabitur, & de eo ſententia certa in pecuniam quoq; certam pronunciabitur: quia in hoc maxime caſu, quatenus cuius interſit, in facto, non in iure conſiſtit, ut ff. de regu. iur. l. quatenus. Verum licet intereſſe dicatur eius qui damnum paſſurus eſt regulariter, nõ eius qui lucrum facturus eſt: attamen interdum & lucri ratio habetur, in actione bonæ fidei, tutelæ, puta & locati, ut C. arbitrium tutelæ l. quicquid & ff. locat. l. ſed addes l. ſi fundũ l. ſi in. In actione quoq; arbitraria etiam lucri ratio habetur, ut ff. de act. l. iij. item in actione iuris ſtrictiſſimi, ut in actione ex ſtipulatu habetur ratio aliquando lucri, ut ff. rem rat. haberi l. ſi commiſſa eſt. Vbi uero agitur ex contractu certo, id eſt continente certam ſpeciem, quam Imperator uocat certam quantitatem, intereſſe ultra duplum non æſtimabitur, nec ſententia in amplius dabitur: excipitur, niſi is puta qui uendidit, uel locauit dolo laborauerit. hoc autem fit aliâs ab initio, aliâs contingit ex poſtfacto. Ab initio, ſi conſcius quis uendidit animal morboſum, tignumúe uicioſum. Quippe ſi grex etiam mille capitum perierit, domusúe mille marcharum corruit, in tantum uenditor conſcius condemnabitur: Sed ſi neſciſſet, actione quanto minoris duntaxat conueniretur. Porrò qui uendidit ſeruum furem, ſi fuerit conſcius, omnino tenebitur: ignarus, licet ſecus ſit in fugitiuo, in nihilum urgebitur: niſi aſſeuerauerit furem nõ eſſe furem, ſed fidum eſſe & bonæ fugi, ut ff. de act. empt. l. Iulianus. Interdum tamen etiam ignorans, nihilq; aſſeuerans urgetur, puta ſi quis uendidit uel locauit uas uicioſum: uterq; enim cõdemnabitur in id, quod effluxerit, etiam ſi fuerit balſamum. Item de dolo cõtingente ex poſtfacto. Venditor condemnabitur ultra duplum ſi nolit tradere id, quod à ſe eſt uenditum: uerbi gratia, ſi ſingulare intereſſe, id eſt ſingulare rei pretium ultra duplum communis pretij coniunctiuè proceſſiſſe deprehenditur, eo tempore quo iudicium agitur. Tria ſunt eñ rerũ pretia: Conuentum, Cõmune, Singulare, ut ff. de act. empt. l. j. & ff. ad l. falcidiam l. pretia. Vbi agitur ex delicto, aliquando longe in amplius quàm ſit duplum, fit condemnatio. & ſententia datur: ſiquidem per legem Aquiliam ratio retro plurimi in annum ex capite primo, in menſem ex tertio depreciationisq; habetur: & cauſarum cohærentium, puta hæreditatis depreciatæ ſeruo inſtituto utpote occiſo, ut ff. ad l. Aquiliam l. inde. Idem in condemnatione furti, ut ff. de furt. l. inficiando. Ex his colligitur, licet diſtingui poteſt, utrum ne per ſententiam infligi debeat pœna certa, legeq; taxata, uel non. Si pœna certa debet infligi, puta ſi agitur actione ui bono. raptorum, uel furti: pœnam lege cõſtitutam in duplum, in triplum, in quadruplum, iudici non licebit tranſgredi. Enimuero ubi pœna inuenitur lege taxata, puta ſi agitur pro intereſſe contractu incerto ſine taxatione, quantũq; fuerit damnum (ſicut dictum eſt) æſtimabitur, & ſententia feretur. Si uero ex cõtractu certo, ultra duplum minimè cõdemnatio procedet. Hoc inquam ubi agitur, quia non fit quod conuenit: puta res uendita non traditur, locata non præſtatur. Enimuero ſi in tradendo delinquit, puta pecus traditur, ſed morboſum: tignum tribuitur, ſed uicioſum: uas uenditur, locaturúe etiam ab ignorante, ſed

rimoſum: etiam in infinitum (ſicut expoſitum eſt) etiam uſq; ad centuplum con demnatio formabitur. Sanè ex conuentione pœna promitti poterit, non admiſ ſa quorundam ſententia, etiam ultra duplum uſq; ad quadruplum: forte etiam ultra ſi paciſcentibus placuerit, ut C. de ſpõſal. l. ultima, & ff. de cuict. l. ſi dictũ. Nec obſtat quod dicitur, in pœnali ſtipulatione non inſpicitur quid interſit, ſed quæ ſit qualitas: non dicitur quanta, ſed quæ. Ergo quantitas promiſſa, quanta cunq; fuerit exigi poterit. Quippe hæc nomina: quis, & quæ, nõ quantitatis uel qualitatis, ſed ſubſtantiæ ſunt deſignatiua.

SI A NON COMPETENTE IVDICE IVDICATVM eſſe dicatur. Tit. lj.

SI à iudice non competente fuerit iudicatum, nullum eſt iudicium: hocq; fit quatuor modis. Ecce enim ſi quis tanquam iudex iudicet, qui tamen nulli iu riſdictioni præerat, eius ſententia non ualebit: nec tanquam arbitri, quia uelut arbiter aditus non eſt: nec tanquam iudicis, quia nec aliàs iudex fuerat. Item ſi alius iudex pro alio per errorem aditus eſt, ſententia errantes minime tenebit. Item ſi extraneus iudex quem compulerit ſine principis reſcripto ſuo ſtare iudicio eius ſententia non aſtringet, nec oberit, ut Cod. de epiſcopa. audien. l. ſi qui. Item ſi iudex de alia re iudicauit, quàm de qua iudicare debuit: ut ſi de boue iudicare debuit, & iudicauit de codice, etiam nulla erit ſententia. Hoc ita, ſi res ſit alia, neq; contingat eam de qua principaliter iudex fuit aditus, & de qua debuit iudicare. Quid enim ſi aditus ſuper proprietate, iudicauit de poſſeſſione, uel de alia incidente quæſtione? profectò talis ſententia omnino ualebit, & momentum habebit, ut Cod. eod. l. ultima.

DE POENA IVDICIS, QVI MALE IVDICAVIT, uel eius, qui iudicem uel aduerſarium corrumpere curauit. Tit. lij.

SI iudex male iudicauerit ſiquidem dolo, in ueram litis æſtimationem condemnabitur. præterea danti pecuniam condictio dabitur. Hoc tamen ita, ſi quis dederit iudici pecuniam, ne male iudicet. hoc in caſu, quia iudex turpiter fecit, quia accepit, datum condici poterit. Idem ſi dederit pecuniam, ut bene iudicet. Enimuero ſi quis iudici pecuniam dederit, ut non iudicet, uel ut male iudicet, is qui dedit non repetit: quia ipſe (ſicut et qui accipit) turpiter agit, & in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis. uerum licet is qui dedit non poſſit repetere: quia eadem laborat turpitudine, forte fiſcus ex generali regula ab indigno poterit auocare. Item auarus & perfidus litigator, non in eo tantum punitur: quia id quod dedit non condicit, imò cũ diffidentia iuſtæ cauſę in corruptelã pe cuniæ, ſpem repoſuerit, à cauſa cadit, litem amittit, contrariam ſententiam reportabit. Idem ſi quis aduerſarium ſuum puta curatorem alicuius ſecum litigan tem pecunia corruperit, ut ſe paciatur in iudicio ſuperari, ut C. eod. l. j. fortaſſis ratio fiet, licet legibus non caueatur, ſi teſtes corruperit aduocatosúe. Illud ſanè ſciendum eſt, quòd ſi iudex perperam iudicauerit per imperitiam, in factum actione conuentus condemnabitur in quantum iudicanti æquum uidebitur, ut Inſtitut. de obligat. ex qua male.

SENTEN-

SENTENTIAM RESCINDI NON POSSE. TIT. LIII.

IVdicis alterius ſententiã ſiue ſuperſtitis ſiue defuncti(excepto principe) alius iudex reſcindere non poterit:niſi ei fuerit appellatio porrecta, uel niſi ab eo reſtitutio fuerit petita. Sed nec ſuam ſententiam definitiuam quis poterit immutare, excepto principe, præfectoq́ prætorio, cui equidem id licet per ſupplicationem & reſtitutionẽ. Quid ergo ſi omiſſa fuerit peremptoria exceptio, nunquid retractabitur ſententia eo prætextu? minimè. Sanè aliquãdo & in certis caſibus peremptoriæ exceptioni locus eſt poſt ſententiam ante ſolutionem: ſed & interdum poſt ſolutionem (ut ego pleniſſimè diſtinxi) in interpretatione cuiuſdam iuris regulæ, ff. de regu. iur. l. res iudicata. Sed & (ſicut in ſuperioribus dictum eſt) condemnatum adhuc conſtante iudicio properantem ad iudicium æquitas adhuc ſuadet admitti.

DE FRVCTIBVS ET LITIVM EXPENSIS. TITVLVS LIIII.

CVm iudex definiuit ultimum calculum, uictum uictori in expenſas condemnare debet, hocq́ debet facere terminato nondũ negocio, partibusq́ cominus conſtitutis, & nõ poſtea: niſi forte uel eodem die, ut ff. de re iudica. l. Paulus. Ita tamen condemnabit in expenſas, ſi immoderatæ non fuerint: ſed & in decimam quantitatis libello comprehenſę uictum uictori cõdemnabit, ſi uictor id poſtulauerit, & ſi decima expenſas ſupauerit ut libro primo Codicis authen. generaliter. Aliquando tamen & uictor uicto condemnatur in expenſis. Quid enim ſi ſententia pro abſente contumaciter fuerit lata? certe de condemnatione expenſæ quam uictus fecerit excipietur, ut C. de iudicijs l. properandum. Item poſſeſſorem etiam bonæ fidei rei uindicatione conuentum & conuictum iudex cõdemnabit in reſtitutionem fructuum: licet eas ſua induſtria perceperit, ſuosq́ fecerit. Ergo iudicis officio à bonæ fidei poſſeſſore extantes fructus extorquebuntur: non actionis iure, naturales enim uindicabuntur. Sanè de fructibus cõſumptis bonæ fidei poſſeſſor non tenebitur: niſi pecuniæ à ſe ſolutæ uſuram repetit, expenſam ue, ut ff. de rei uindicat. l. emptor: multo minus ergo bonæ fidei poſſeſſor de fructibus percipiendis poterit conueniri. Malæ fidei poſſeſſor titulo carens, pro extantibus uindicatione: pro conſumptis condictione, pro percipiendis, quos potuit percipere conuenietur, & uictus in omnium condictionem condemnabitur. Verũ id quod impendit etiã malæ fidei poſſeſſor pro fructibus quærendis, & cogendis ex ipſis fructibus ducere poterit. Sanè inuaſor etiã in fructus alios, quos uetus poſſeſſor percepiſſet, ſi poſſediſſet, condamnabitur, ut C. unde ui l. ij. Porrò malæ fidei poſſeſſor titulo gaudens de percipiendis nõ tenetur: niſi à fraudatore merceatur. Sanè bonæ fidei poſſeſſor petitione hæreditatis conuentus, conuictus in reſtitutionem fructuum etiam conſumptorum grauabitur: ſi modo tempore iudicij locupletior inuenitur. Hęc omnia locũ habent ante litem conteſtatam: ſanè poſtea, qualis qualis poſſeſſor ſiue titulo gaudeat, uel careat, bonæ fidei ſit, uel malæ, rei uindicatione conueniatur, uel petitione hæreditatis: in omnes fructus extantes, conſumptos, percipiendos, peræq́ grauabitur, ut C. eod. l. ij. Item et cum iudex iudicat. de uſuris, uel tanquam iudicis officio, ex mora applicantur, & ueniunt, pronunciare debebit. Quippe iudicio finito, ergo & ſublato officio, tales uſuræ peti non poſſunt, ut Cod. de uſur. l. in bonæ fidei. Enimuero uſuræ in ſtipulatum deductæ, quia earum nomine competit actio, etiã poſt iudiciũ datum poterunt flagitari ut C. depoſiti l. tertia.

DE RE IVDICATA. TIT. LV.

RES iudicata tūc dicitur, cum nullius iuris remedio, id eſt nec appellationis, nec ſupplicationis poteſt attentari, ut ff. de condict. indebi. l. eleganter. Et hoc uerum eſt poſt decem dies, ſed antea ſimpliciter appellatur ſententia. Rei iudicatæ autoritas maxima eſt, condemnatus ſoluere debet, & rei iudicatæ ſtare, ut C. eod. l. j. Nempe res iudicata pro ueritate accipitur, & ueritati præiudicat: neq; quod iudicatum eſt, facile erit retractandum: imò quod iudicatum eſt, ſolui debet, & ſolutum regulariter repeti nō poteſt, ut ff. de regul. iur. l. res & ff. de ſtat. homi. l. antepenult. & ff. ad Tertull. l. j. & ff. manda. l. fideiuſſor. Excipitur niſi iudex cum iudicauerit, expreſſim in calculo errauit. tunc enim adeò ſententia nulla eſt, quod nec prouocare neceſſe eſt, ut ff. quando appell. ſit l. j. Item excipitur ſi commodatarius commodatori cōdemnatus eſt, quia uidebatur rem cōmodatam perdidiſſe. Certè ſi commodator rem cōmodatam poſt ſententiam inuenerit, & habuerit, & tū condemnationem peteret, doli mali ſubmouebitur exceptione, ut C. eod. l. j. Item & aliâs multis in caſibus condemnato ſuccurritur poſt ſententiam, uel ante ſolutionem, uel poſtea, ut & ſuperius ego notaui, me diſtinxiſſe interpretationem cuiuſdam regulæ, ff. de regu. iur. l. res iudicata.

DE EXECVTIONE REI IVDICATAE. TIT. LV.

ET quia res iudicata emolumentum nō affert, niſi mandetur executioni, de executione rei iudicatæ dicamus. Regulariter & ex ordine cōdemnatus debet ſoluere quadrimeſtri intermiſſo tempore. gaudet enim reus cōdemnatus eo tempore ſi ſibi fuerit indultum à iudice. Sed & ſi non fuerit datum à iudice, tacitè tributum intelligitur à lege. Poteſt enim iudex, licet perraro, tempus arctare: ſed raro prorogare. hocq; poteſt pro cauſæ qualitate, condemnationis magnitudine, uel paruitate, proq; contumacia, uel obſequio perſonæ, quæ cōdemnatur, cuiusúe commodo condemnatio formatur. Hoc ordine res iudicata executioni mandatur, primo capiuntur mobilia, & ſe mouentia, & per executores uenduntur, ut uictori ſatisfiat: militum tamen ſtipendia capi non debent, neq; coronæ militum, ſi alio modo per res immobiles ſententia poſſit executioni mandari, ut C. eod. l. ſtipendia, & ff. de re iudicata. l. cōmodis. Si nulla inueniantur mobilia uel ſe mouentia, uel non ſufficiunt: ſecundo loco capiuntur immobilia, ſi & hęc defecerint: loco tertio capiuntur incorporalia, ut nomina, & uenduntur. Vel qđ debetur exigetur, uel per executorem, uel creditorem miſſum in minoris quaſi poſſeſſionem. Hoc tamen ita, ſi purè debet, & nō negetur, excipiuntur niſi malitioſiſſimè negaretur, ut ff. de re iudica. l. à diuo. Illud notandū æſtimo, q; ſi quis debitor eſt fiſci ex cauſa primipili, nec habeat unde ſoluat: ſed habeat debitorē in diem, poterit impetrare propter priuilegium fiſci, ut ſuū debitorem in diem, etiam ante tempus ualeat exigere, ut C. de condit. ex l. j. Illud quoq; notandum eſt, q; ſi nulla præcedente ſententia pignora capta erunt, recuperari poterunt, ut ff. de re iudica.

DE VSVRIS REI IVDICATAE. TIT. LVI.

INfra tempus quadrimeſtre poſt ſententiam datam uſuræ non currunt, etiam ſi ante ſententiam cucurrerit: uerum poſt quadrimeſtre tempus, quæ interim dormierant & nullæ fuerant, excitantur & ualidiores inſurgunt. Centeſimę enī uſuræ, id eſt ſorti pares, poſtea currunt; ſed duntaxat ſortiū, nō uſurarū. Nempe

uſuræ uſuras nõ generant, nec ante ſententiam, poſteaúe. Sanè unis (ut ita dixerim) uſuris centeſimis, non duobus: neq; nõ dimidiæ centeſimæ hodie locus eſt: ut C. eod. l. ij. Illa quoq; iniquitas exulauit, quod hodie non duorum tantũ menſium datur condemnatis laxamentum: imò ex ordine (ſicut dictum eſt) quatuor menſium: hocq; beneficio, licet non olim, hodie fruuntur fideiuſſores (ſicut dictum eſt) & principales debitores. Si enim illico fideiuſſor exigeretur, per conſequentiam etiam debitor grauaretur: quia per medium fideiuſſorem ſtatim pecunias ſoluere compelletur, & ad inuitam ſolutionem protinus cõdemnatus arctaretur, ut C. eod. l. ultima.

SI PLVRES VNA SENTENTIA CONDEMNATI ſunt. Tit. lvij.

Vidimus de re iudicata, nunc de perſonis iudicatis. Et quidem ſi plures una ſententia cõdemnati fuerint, uiriliter exigentur: ſiue id ſententia expreſſim fuerit, ſiue non: nondum tamen contrarium dictum fuerit. Et hoc eſt uerũ ſi ante ſententiã non poterunt conueniri, niſi uiriliter: ſiue etiam in ſolidum poterant inquietari. Ergo hoc in caſu ſententia uictori præiudicat, quantum ad conuentionem inſolidum: licet emolumentum afferat, quia negocium ſit expeditum, ut ff. mandat. l. mandatum.

QVIBVS RES IVDICATA NON NOCET. TITVLVS LVIII.

Regulariter proditũ eſt rem inter alios iudicatam, alijs, qui iudicio interfuerunt, neq; pdeſſe, neq; nocere. Inde eſt quod ſi unus ex fratribus tuis, alijs úe cohæredibus iudicio expertus obtinuerit, uel ſuccubuerit, tibi ignaro uel cõſcio, nec proderit, nec oberit: niſi quod geſtum eſt mandaueris, uel ratum habueris: & ideo non prohiberis cauſam tuam agere, ſine præiudicio rei iudicatæ: multo minus in cauſa criminis præpedieris, licet eiuſdem criminis, eiuſdem negocij factus fueris reus, ut C. eod. l. j. ij. iij. & iiij. Aliquando tamen & alij non ignoranti ſententia nocebit, puta ſi is, cui principaliter datur actio, uel defenſio, aliũ cui ſecundariò datur, paciatur cauſam agere uel defendere: ut debitor, creditorem: Emphyteuta, proprietariũ: fendatarius, dominũ, ut ff. de re. iudica. l. penult. pati aũt dicitur is, qui cum ſciat aliquid agi, non prohibet cum prohibere poſſit, ut ff. de noxa. l. iij. Interdum alij tam ignoranti, quàm ſcienti ſententia proderit. Quid enim ſi unus ex his quibus ſeruitus debeatur, egerit, & obtinuerit: etiam ſocio uictoriæ commodum proderit, ut ff. ſi ſeruit. uindice l. locſ. Item ſi ex duobus tutoribus condemnatis, qui geſſerunt, alter appellans uicerit: etiam alteri uictoriã cõmunicabit, ut ff. ſi unus ex plurib. appella. Item ſi is qui de adulterio accuſatus eſt, abſolutus fuerit: & mulier, quæ ſecum adulterium commiſiſſe dicebatur, per conſequentiam abſoluta cenſebitur: ſed nõ conuertitur. Quod ſi uir condemnatus fuerit mulier uelut condemnata debet haberi, ut ff. de adulte. l. denunciaſſe. Item aliquãdo ſententia lata ei nõ proderit pro quo fuerit lata, ſed alij. Ecce enim ſi quis cui querela non competebat. de facto egerit: & quia cum nemo repulit, obtinuit: non ſibi, ſed legitimo hæredi profecit, ut ff. de inoff. teſta. l. poſthumus.

COMMINATIONES, EPISTOLAS, PROGRAMMATA, ſubſcriptiones autoritatem rei iudicatæ non habere. Titulus lix.

CRederet forte quis comminationes præſentium puta iudiciũ, epiſtolas abſentium,& programmata,& ſubſcriptiones iudicum, autoritatem rei iudicatæ habere. Et quidem ſiue comminando, ſiue ſubſcribendo, ſiue programmate, id eſt ſcriptura procedente aliquid fieri iudex mandauerit, ſoluitur uim rei iudicatæ nequaquam obtinebit. Nec enim omnis uox iudicis ſententia eſt. Sed et quod magno conflictu ſententia decerni ſolet, id paucis literis temere adſcriptis definiri fas non eſt, ut C.eod.l.ultima.

SI EX FALSIS INSTRVMENTIS VEL TESTIMOnijs iudicatum ſit. Tit. lx.

DIximus in ſuperioribus rem iudicatam, regulariter alijs nec prodeſſe, nec nocere:& diximus interdum alijs nocere,& interdum alijs prodeſſe, & diximus duntaxat alijs aliquando prodeſſe. Nunc audiamus quomodo ſententia illi contra quem fuerit lata præiudicium non irrogabit. Profectò ſi ex falſis inſtrumentis fuerit iudicatum, nullum erit iudicium: & ideo exceptio dabitur,& ſoluti repetitio indulgebitur & in criminibus ex integro de cauſa audientia accommodabitur, ut C.eod.l.ij.& l.ult. Hoc tamen ita, niſi ante ſententiam falſi quæſtio fuerit mota, ut C.eod.l.j. Sed & ſi tutor falſis allegationibus p iudicem excuſationem reportauerit, ne ei iudicis religionem circumueniſſe proſit, iniuncti muneris periculo minimè liberabitur, ut C. ſi falſis allegat.l.ult. Item ex falſis teſtimonijs, id eſt ex falſis atteſtationibus ſententia lata, erit nulla. Quid ergo, ſi per falſos teſtes fuerit iudicatum? erit equidem iudicium,& ſi illi teſtes falſi fuerint, etiã pecunia corrupti. Nam & ſi fuerint duntaxat corrupti: multo magis ſi fuerit & falſi,& corrupti:& non falſi, ſed corrupti, uel duntaxat falſi, ut ff. de re iudicat.l.diuus Adrianus.

DE CONFESSIS. TIT. LXI.

EXplicauimus de condemnatis, nunc apponamus de cõfeſſis: qui habentur pro iudicatis quia quodammodo ſua ſententia damnantur, ut ff.eo.l.j ergò diſtinguitur. Confeſſio facta terreno iudici uel eiuſdem uicario, id eſt ſacerdoti adducit abſolutionem ſecundum illud pſalmographi: dixi confitebor & tu remiſiſti. Confeſſio facta terreno iudici, adducit condemnationem. Nempe pro iudicato condemnatus habetur, & in confitentem nullæ ſunt partes iudicis, ut ff. ad l. Aquil.l.proinde. Hoc tamen uerbum, ſcilicet in confitentem nullæ ſunt partes iudicis, oportet intelligi cum diſtinctione gemina hoc eſt ſi facta confeſſio non iuuaretur aliquo iuris adminiculo, ut ſi fuerit per metum extorta, uel ſi fuerit naturæ uel iuri contraria, uel niſi fuerit erratum in facto: nec enim confitetur qui errat in facto, ſed ſecus ſi in iure, ut ff. eod.l. ita tamen confeſſio per errore facta nõ nocebit ſi ante ſententiã fuerit correcta, ut C.de iur.et fact.ignoran. l.error. Siquidem ex cauſa licet pœnitere reſponſi, ipſumq; corrigere, ut ff. de interrogat.l.de ætate. Item præfatum uerbum & adhuc talem admittit diſtinctionem in confitentem nullæ ſunt partes iudicis, ut poſtea debeat inueſtigare, uel examinare: uerum in duobus alijs confitentem ſunt partes iudicis. Quid enim ſi is cui confeſſio facta eſt, rem, de qua confeſſio facta eſt, moderatè æſtimet? iudex

dex debebit id æſtimare, ut ff. ad l. Aquiliā l. puta. Sed & poſt confeſſionem iudex debebit ſententiam dare, & condemnare, ut ff. eod. l. ult. Quod aūt dictum eſt confeſſos in iure pro iudicatis haberi placet, multipliciter diſtinguitur. Quippe ſi in iure, oberit: ſi extra, regulariter minimè. Regulariter ideo dixi, quia ſolennis confeſſio etiam extra ius facta, ut ſi quis in ſcriptis cauſa expreſſa cōfitea tur ſe quippiam debere, præiudicat, ut C. de non numerat. pecu. l. generaliter. Idem ſi mulier ſecundò cauerit, ut C. ad Velleia. l. ſi mulier. Idem ſi quis etiam non in iure confiteatur ſe hominem occidiſſe, qui occiſus ſit. Item quod dicitur confeſſos in iure pro iudicatis haberi, debet intelligi: niſi fuerint pupilli, aliasúe minores ſine defenſoribus ſuis confitentes, ut ff. eod. l. certum. uel niſi fuerint furentes, uel fatui, uel prodigi. Item confitentes habentur pro iudicato. Si confeſſus fuerit ſe debere quid certum pro iudicato erit, ſi incertum, non ſibi præiudicat, ut ff. eod. l. certum. Item confeſſus ita ſibi præiudicat, ſi confiteatur cōtra ſe, ſed ſi pro ſe emolumentum ſibi non comparat. Item confeſſus in iure, ita habetur pro iudicato, ſi confiteatur libera uoluntate, et non per metum: præſertim in criminibus, quia non ualet ad pœnam confeſſio ſola reorum, ut ff. de quæſtio. l. j. § diuus. & § ſi quis. Item confeſſus in iure ita habetur pro iudicato, ſi non confiteatur quid iuri contrarium, uel naturæ: ut ſi quis confiteatur liberū hominem fore ſuum ſeruum, non tenebitur, ut ff. de interrogat. l. cōfeſſionibus. Item ſi impubes, uel genitalibus carens confeſſus fuerit ſe adulterium commiſiſſe non tru citabitur. Item ſi quis confeſſus fuerit ſe occidiſſe hominem uiuum, uel naturaliter defunctum: nec Aquilia conuenietur, nec Cornelia tenebitur. Ergo ſi quis errauerit in facto, ſiue ſuo, ſiue alieno: & præſertim ſi in alieno, non tenebitur. Quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt. Excipitur niſi quis cōfeſſus fuerit (ſicut diximus) ſiue in iure, ſiue extra ius, ſeruum alienū ſe occidiſſe, quem tamen uel alius occiderit, et iniuria occiderit: hocq; uerū æſtimo, etiamſi is qui confeſſus eſt, & uelit, & poſſit probare ſe non occidiſſe, ſed alium. Item hoc æſtimo, quantum ad hoc ut teneatur Aquilia, non Cornelia, quæ ceſſante dolo nō non competit. Item confeſſus in iure habetur pro iudicato, etiamſi non interrogatus confeſſus fuerit, ut ff. de interrogator. act. l. ſi ſine: multo magis ſi ab aduerſario interrogatus reſpōderit, uel à iudice, ut ff. de interrogat. l. ſi ſine. Poteſt enim & debet iudex interrogare, & de iure, & de facto, ubicunq; eum æquitas mouerit, ſibiq; uiſum fuerit, ut ff. de interrogat. l. ubicunq;. Ergo ſi quis interrogatus, uel non in iure, dixerit ſe hæredem fore, alligabitur: niſi ſe probabiliter erraſſe iurauerit, ut ff. de interrogat. act. l. de ætate. Item tenebitur qui negabit, ſi poſtea conuictus fuerit. item tenebitur qui obſcurè ſiue perfunctorie reſponderit. Item tenebitur qui interrogatus tacuerit, quia taciturnitas imitatur confeſſionem: licet qui taceat, non utiq; fateatur, ſed tamen uerum eſt eum nō negare, ut ff. de regul. iur. l. qui tacet. Nec de aduerſarij intentione utiq; confitetur, qui exceptionem obijcit, ut ff. de except. l. non utiq;. Aliquando tamen is qui tacet, cō fitentis loco non habetur. Nam ſi filius qui ab hæreditate paterna abſtinuit interrogatus tacuerit ſuccurrendum eſt ei, quia hūc qui abſtinuit prætor hæredis loco non habet, ut ff. de interrogat. l. ſi filius. Item filius cū patre agens, præſertim caſtrenſe peculium non habens, interrogatus non ſibi præiudicat tacens, ut ff. de interrogat. act. l. ſi filius cum patre. In ſumma illud notandum eſt, ꝙ quandoq; interrogatus in iure an hæres ſit, nō eſt cogendus reſpondere: utputa ſi hæreditatis controuerſiam ab alio patitur, ne aut negando ſe hæredem, ſibi præiudicet: aut dicendo ſe hæredem, illigetur etiam ablata ſibi hæreditate, ut ff. de interrogat. l. & quia. Ex his intelligere licet, ꝙ ſuperius uerba poſita confeſſos in iure ꝓ iudicatis haberi ſingula notanda ſunt, et ſunt grauida, & plena miſterijs.

& ſubiacent inſidijs(ſicut enī expoſuimus)multipliciter diſtinguuntur, & multiplices diſtinctiones,& uarias & penè innumerabiles,admittunt.

RES INTER ALIOS ACTA, VEL IVDICATA, alijs ne noceat. Tit. lxij.

SIcut inter alios iudicata alijs non nocent, ſimiliter & quomodolibet acta nō nocebunt. Ergo & inter alios permutata,iurata,tranſacta,diuiſa,uendita,locata,donata,ſoluta alijs non oberunt. Inde eſt quod ſi frater tuus ſuam partem donauerit,uel cum nihil deberet,tanquam deberet ſolueret, tu tamē ſoluere nō compelleris:multo minus tibi præiudicauit,ſi rem tuam te non conſentiente dederit uel diuiſerit,ut C.familiæ erciſcundæ l.cohæredibus. Item ſiquis utens inſtrumento utpote eo probato falſo uictus fuerit,alij uti uolenti ſententia illa nō oberit,ut C.de fide.inſtrumen.l.ij.Item ſi debitor qui mihi pignus obligauerat à poſſeſſore uindicans,uel hæreditatem petens iudicio ſuperabitur, mihi debitori ignaro,uel conſcio,ſed cōtradicenti,illa ſententia nō nocebit, ut ff.de pigno. l.ſi ſuperatus.Interdum tamen & quod inter alios agitur etiam prȩter iudicationē,alijs & nocebit & proderit:nocebit,ut ſi fiſcus, Imperator, Imperatrix,meū tanquam ſuum alienauerit. Quippe mox,ſtatim,confeſtim,cōtinuo,illico, e ueſtigio,protinus,dominium amitto.Item ſi quid fiſcus mecum commune habuerit,ex ſuo priuilegio ſoliditatē uendere poterit,ut ff.de alienat.com:re.l.ij.præter iudicationem inter alios acta nihil proderunt. Ecce enim ſi frater de cōmuni cauſa reſcriptum accepit, & fratri conſuluit,ut C.de reſcript.l.j.Item ſi reus dilationem impetrauerit,etiam actori proderit,ut C.de tempor.reſtitut.l.penult. Item ſi maior ſeruitutem cum pupillo habeat,licet neuter utatur:ratione tamen conſortij,nec maior damnificatur,ut ff.quemad.ſeruit.amit.l.ſi communem.

DE RELATIONIBVS. TIT. LXIII.

QVoniam ſententiæ quȩ ſunt pertractatæ ſæpiſſimè appellationibus ſuſpenduntur,de appellationibus inferamus. uerum quia de relationibus pauca dicturi ſumus,de relationibus primo uideamus. Et quidem relatio admiſſa eſt, & relatio reprobata. Quid enim ſi iudicaturus putauerit iudicem ſuum eſſe conſulendum,uel Cæſarem,qualiter in cauſa ſit procedendū,uel iudicandum? profectò talis relatio ualebit.uerum cōſultationis exemplū partibus erit ȩdendum etiam in cauſis criminum. Quippe tunc demum relationibus plena ueritas eſt, cum uel allegationibus repelluntur,uel probantur aſſenſu, ut C.eod. l.ij. Sanè illa relatio per quam iudex negocium ſibi delegatum uult deferere, non definire,ſed ad delegantem remittere,referre,demandare: licet talis relatio olim fuerat omiſſa,hodie tamen eſt caſſata. Siquidem nouo iure cauſa perfectè examinata ſententia terminetur, & niſi ab ea fuerit appellatum executioni legitimè demandetur ut authen.ut iudic. non expect.

DE APPELLATIONIBVS, ET CONSVLtationibus. Tit. lxiiij.

NVnc de appellationibus loquamur. Videamus itaq; quare appellatio ſit introducta,quid ſit appellare, quis appellet, quis non, à qua ſententia ſit appellandum,& à cuius iudicis ſententia, ad quem iudicem ſit appellandum,& qualiter debeat appellari,et infra quod tempus:&

pus:& ſi iudex appellationem ſuſcipiendam non ſuſceperit, uel apoſtolos non dederit, poſſit argui, & quæ ſit pœna temere appellantis, & iudicis recuſantis, & executoris non pertinaciter reſiſtentis. Eſt autem appellatio introducta ut iudicantum iniquitas corrigatur, & imperitia: licet nonnunquã bene latas ſententias reformet in peius, ut ff. eod. l. j. Appellare eſt iudicis ſententiam aduerſus ſe latam, iniquã oſtendere, & de ea iniuria proponere: uerbis puta talibus, iniqua ſunt iudicia tua proconſul. ſiquidem appellatio iniquitatis ſententiæ querelam, ſupplicatio ueniam: in integrum reſtitutio, erroris proprij indulgentiæ petitionem, uel aduerſarij circumuentionis allegationem cõtinet, ut ff. de minor. l. præfecti. Is appellat qui condemnatus eſt, ſed non omnis, quia uere nõ contumax, nec ſolus. Quippe procuratore condemnato, etiam dominus appellabit, & emptore condemnato, uenditor, & econtrà. Item debitore cõdemnato, & creditor præſens appellabit. Item & condemnato cohærede, alter cohæres, licet neceſſe non habeat, prouocabit, ſi uolet. Item debitore condemnato, etiã fideiuſſor prouocabit. Item hærede de inofficioſo condemnato & legatarius appellabit. Item pupillo uel adulto condemnato, tutor & curator appellabit. Item pro eo etiam nolente qui condemnatus ad patibulum ducitur, quiſquis alius appellans audītur, ut ff. eod. l. ab executore l. à ſententia & l. non tantũ. Aliâs alius pro alio, nec filius, nec etiam ſeruus condemnatus appellabit, ut ff. eod. l. creditor. Sed nec ſeruus criminaliter condemnatus appellabit, ſi tamẽ dominus uel alius pro uocare uoluerit, ſed in ſubſidium ipſi ſeruo, qui ſententiam triſtem paſſus eſt, triſte appellationis auxilium non denegatur, ut ff. eod. l. ſerui. Porrò filio condemnato puta cũ ex libertinitate proclamauerit, pater poterit appellare, ut ff. quando appell. l. ij. Item omẽs hi quorum intereſt, uel quibus mandatum eſt, uel qui aliorum negocia gerunt poſſunt appellare. Sed & mater filio condemnato ex pietate ad appellationem admittitur, licet ab initio cauſam defendere nõ poſſit, ut ff. de appellat. recipien. l. j. A ſententia illa appellari debet, quæ contra æquitatem litigatoris fuerit lata, ſecus ſi expreſſim fuerit contra iuris rigorem iudicatum, tunc enim prouocare neceſſe non eſt, licet de ſuperuacuo & ſolet, & poſſit appellari. Huius rei argumentum præbet titulus C. quan. prouo. non eſt neceſſe, & lex quæ legitur ff. de re iudica. l. præſens. Sed ſi expreſſim, non calculo iudex errauerit, cum iudicauit, ipſo iure ſententia nulla eſt, & poteſt appellatione reſcindi, puta ſi iudex ita pronunciauerit, cum conſtet Titium Seio ex illa ſpecie uigintiquinq;, item ex illa ſpecie quinquaginta debere, & ideo Titium Seio condemno in centum. Talis ſententia ipſo iure prorſus nulla eſt, & citra prouocationem corrigitur. Si uero iudex ideo in centum condemnauit, quòd xxv. & quinquaginta facere centum in corde ſuo putauerit, nec tamen hoc expreſſerit ſententia iure tenebit, & appellare neceſſe eſt, ut ff. eod. l. ſi expreſſim, & ff. quæ ſenten l. j. Appellatur autem à ſententia ſi ſit definitiua, & non ab interlocutoria: niſi iudex quæſtionem in ciuili negocio habendam interlocutus ſit, uel in criminali ſi contra leges hoc faciat, ut ff. de appell. recipien. l. ſecũda. Item appellatur à ſententia, quæ neq; eſt definitiua, neq; eſt interlocutoria: ſed nominatoria ad munera duntaxat publica, ut Decurionatum, ſcribatum. Enimuero uocatus ad munera priuata, ut tutelam, curam, non appellabit: ſed ſe excuſare ualebit. Excipitur niſi excuſatio per ſententiam fuerit reprobata, tunc enim appellatio etiam neceſſaria erit, & poterit admitti, & interponi, ut C. de excuſat. l. iij. Appellaturq; à ſententia ut ab iniqua interpretatione, ut ff. eo. l. ab executore. Item à facto prouocatur, ut ſi iudex appellanti iniuriam fecerit, ut C. eod. l. ſi quis. Sicut enim is, qui prouocat nõ debet conuiciari ei à quo appellatur: ita econtra iudex appellanti iniuriam inferre non debet, ut ff. eod. l. illud, ut C. eod. l. iij. Nec

enim iudex debet æſtimare ſibi iniuriam fieri, ſi appelletur, ſi ante ſententiam tranſigatur, ut C. de tempor. appellat. l. ult. uerum noſtri temporis iudices indignantur, ſi tranſigatur, nec paciuntur tranſigi propter lucrum, quod auaritiæ rapacitate geſtiunt extorquere. Item appellatur ab alio facto ut ab executore ſententiæ: puta ſi executor deceſſerit in exequendo. & in hunc caſum caſus incidit. Nunc cum aliàs facta appellatione nil oporteat innouari, & omnia debeant in ſuo ſtatu manere, hoc in caſu aliquid innouabitur. Siquidem res mobilis poſſeſſori auferetur, & apud ſequeſtrum collocabitur, immobilis minimè, eius tamen fructus ſequeſtrabuntur, ut Cod. quor. appellat. l. ab executione. Sed & de iure communi oportet fructus cum popularentur ab aduerſario apud ſequeſtrum deponi, ut eod. l. Imperatores. Item quid ſi ex pluribus facinoribus condemnatus propter quædam appellauerit, propter quædam non? ſiquidē grauiora ſunt crimina, ob quæ appellauit, & leuiora ſunt ea propter quæ nō appellauit, ofiula pendebunt, & differetur pœna. Si uero grauiorem ſententiam meruit, ex ea ſpecie ex qua non eſt appellatum, omnimodo pœna eſt imponenda, ut ff. nil nouari. A ſententia tui iudicis ordinarij poteris appellare. Item à ſententia non tui, quem uel uolens feceris tuum, cuius uolens examen ſubijſti per principis reſcriptum. Item à ſententia delegati etiam à principe, uel à ſummo Pontifice: niſi forte ita delegauerit, ut ab eis appellari nō poſſit, ut C. eo. l. eos, & ff. qui. appella. non licet. Et hoc uerū eſt, etiamſi delegatus pronunciauerit per principis reſcriptum, ſiue conſilium, ut C. eod. l. iij. & ff. eod. l. j. A ſententia arbitri non eſt appellandum: hocq́ proditum eſt non propter autoritatem, ſed propter utilitatem ſi tamen arbiter, qui manifeſtè inimicus apparuerit teſtatò cōuentus, ne ſententiam ferat, pronunciauerit: aduerſus agentem ex tali ſententia, quaſi per quandam appellationis ſpeciem, doli mali exceptio obijcietur, ut talis ſententia retractetur, ut ff. de arbitris l. non diſtinguemus. Item à ſententia principis nō appellabitur. Similiter nec à ſententia præfecti prætorio. item nec à ſenatu etiam Imperator appellabit, ut ff. à quib. appella. non licet. Ad iudicem ſuperiorem appellandum eſt, non tamen ad omnem ſuperiorem iudicem. A ſententia delegati duntaxat ad delegantem appellandū eſt, ut ff. quis & à quo appell. l. iij. & ij. Quid ergo ſi quis alium pro alio per errorem appellauerit? ſiquidem parem uel maiorem iudicem, error ei non nocebit: ſi minorem, nocebit, ut ff. eod. l. j. Conſtante figura iudicij uiua uoce poterit appellari, poſtmodū præſertim tranſacto die iudicij, libelli appellatorij ita debent cōcipi. Ego Titius à ſententia tua Conſtanti ad Magalonenſem Epiſcopum appello. Appellanti tamē nil oberit quod in libello, à qua parte ſententiæ, & contra quam, appellet, non aſſignauerit: ſed neq́ etiā appellatio eius improbatur, qui uel unam cauſam appellandi probabilem habuerit, ut ff. eod. l. j. ij. & iij. Libelli tamen appellatorij iudici à quo appellatur, dari debent. Quid ergo ſi appellator iudici, à quo appellauerit, propter uiolentiam libellos non dederit? ſufficit ei, ſi publicè propoſuerit, cauſamq́ appellationis poterit agitare, ut ff. eo. l. cum quidam, & C. de relat. Id enim pro facto accipitur, in quo alius alium perhorreſcit, quominus fiat, ut ff. de reg. iur. l. in omnibus. Debet tamē appellator, ſi non eſt recepta appellatio intra conſtituta appellatoria tempora, competentem iudicem uel principem adire: & econtrà iudex, qui appellationem non recipit, cauſam propter quam non recepit in ſcriptis appellatorijs ędere debet, ff. de appellat. recipien. l. ſi cuius & l. ſciendū eſt. Intra decē dies appellari debet numerandos à tempore ſententiæ: imò ſcientiæ. Quid enim ſi quis abſens etiam non per contumaciam, fuit condemnatus? ꝑfecto decem dierū temporis ſcientia ei non cedet: niſi poſt ſententiā, ut C. quo. & quan. & ff. quan. appellan. Quid eñ ſi abſens cōdemnatus eſt? ex quo ſciuit

tempus

tempus eſt computandum,non ex quo fuit pronunciatū. hoc ita ubi per procu
ratorem fuerit defenſus.Nam ſi ille non prouocauerit , diſſicile eſt ut hic audia-
tur,ut ff.quan.appell.l.j.§ ult. Factam appellationem ex ordine debet iudex ſu
ſcipere,& apoſtolos,et literas dimiſſorias appellatori debet tribuere.Ex ordine
dixi,quia ſi iudex ſententiauerit,ut teſtamenrum aperiatur,frumentū militibus
detur,ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur, cloaca purgetur , nauigio fœlix
embola tranſmittatur,talis appellatiò impune recipi non poteſt,ut ff. de appel.
recipien.l.ult. Aliâs factam appellationem ſi iudex non ſuſceperit,in xxx.pon-
do auri multabitur.Officialis quoq; in totidem:niſi ei pertinaciter reſtiterit,atq;
actis contradixerit,& quid iure ſit conſtitutū oſtenderit,ut C.eod.l. quoniam.
Item(ſicut dictum eſt)apoſtolos appellatori dabit,et acta cū libellis refutatorijs
infra triginta dies,ut C.eod.l.iudicibus. Tria ſunt genera libellorum,appella-
torij,apoſtoli,refutatorij.Sunt aūt refutatorij,quibus refutatᷓ ſententia,uel acti
tatorum ſcriptura.Cum inſtantia aūt petendi ſunt apoſtoli,& petenti ſæpius &
inſtanter ſunt tribuendi.Ergo ſi per iudicē à quo appellatur ſteterit , quominus
dentur appellatori,nil oberit.Ita autem concipiuntur apoſtoli : Domine iudex
appellaſſe puta Lucium Titium à ſententia mea,contra ſe pro Seio pronuncia-
ta,ut ff.de libel.dimiſſorijs.In cauſa autem appellationis licebit & allegationes
ueteres repetere,et nouas rationes inducere.Nihil amplius æquitas exigit,q̄ ut
cauſarum merita pleniſſimè pandantur,& ſecūdum iuſticiam ſententia feratur,
ut ff.eod.l.iij.& C.eod.l.eos,& l.in offerendis.Ita tamen nouationes licebit in
ducere,ſi non fuerint prorſus nouæ,ſed ex capitulis quæ antea agitata fuerint,
uideantur oriri,ut C.de tempo.appell.l.per hanc. Nam cum cauſam appellan-
di inſertam potuit deſerere,& aliam cauſam inſerere:& ſimiliter & alias rationes
quibuſcunq; modis potuit appellator permitti,debet allegare.Si iudex nō ſuſce
perit appellationem,& fuerit illuſtris intra annum poterit conueniri,& in xxx.
auri pondo puniri.Spectabilis uel Clariſſimus infra ſex menſes,delegatus infra
quatuor debet argui,ut C.l.ſi quis.Temerè appellans per calumniam ita puni-
tur lite perdita notatus abſcedit,et præterea in quinquaginta libras argenti mul
tabitur,ut C.quo.appellat.non recipiuntur l.ab executione.In ſumma illud no
tandum eſt,ꝙ libellos appellatorios oblatos appellator humanitatis gratia ple-
nitudine ductus,poterit recuperare, ut C.eo.l.ſi quis. Et hoc êſt uerum etiamſi
à principe fuerit appellatum,ut ff.eod.l.apud principem.

DE TEMPORIBVS, ET REPARATIONIBVS APPELLA-tionum,ſeu conſultationum. Tit. lxv.

Diſtincta ſunt tēpora prodita ad faciendam appellationē,& prodita ad apo
ſtolorum dationem,ad iudicum perperam nō ſuſcipientiū prouocationes
argutionem:nūc adnectamus de temporibus illis,quæ competunt ad prouoca
tionum factarū & ſuſceptarum examinationem,& terminationem.Et quia die-
bus fatalibus appellatio celebratur,exponamus quare dicanᷓ fatales dies,quot
olim fuerant fatales,& quot hodie ſint.Fatales dicuntur quibus fatū, id eſt ter-
minus imponitur cauſæ,ut C.eod.l.nemo,uel quibus fatum,id eſt mors cauſæ
accidit,ut C.de iudicijs l.properandū . huiuſmodi enim dicūtur fata cauſarum,
ut C.de aduoca.l.aduocati.Primus dies fatalis erat ſex menſium ſi iudicabatur
in Aegypto,in Libia,in partibus Orientis:ſin in alijs partibus urbis,erat trium
menſium.Si à delegato iudicabatur,primus fatalis erat tantū duoꝝ menſium:
ſecūdus fatalis erat unius menſis.tertius fatalis erat ſimiliter unius menſis.quar
tus fatalis itentidem erat unius menſis : ſi omnes hi fatales exciderant reparatio

aliquando impetrabatur,ſed duntaxat à principe:& hic quaſi quintus fatalis reparatorius erat trium menſium. Et ſi omnes hi elapſi fuerant, dabantur etiã poſtea quinq; dies quaſi quintus fatalis dies : imò ſi quis inſtet omniũ prædictorũ dies ultimus fatalis ex ordine duntaxat unus,id eſt annus unicus eſt, infra quẽ appellator exequi debet appellationem. Porrò ex cauſa & alius annus ſecũdus fatalis indulgetur. Si prouocationem appellator executus fuerit, ſententia rata manebit:ſiue per ſe ſteterit,ſiue per iudicem:non tamen per principem,tunc em̃ appellatio abſq; damno manebit intacta , donec princeps eã introduci iuſſerit. Quid ergo ſi unus tantũ menſis fuerit de biennio? tunc liceat uictori ad iudicem intrare,& implorare ut reus quæratur:quo ſiue inuento ſiue non ,ſuas afferat allegationes,& uel confirmetur,uel reſcindatur ſententia. Neutro uero occurrente poſt ſecundum fatalem permanet ſententia rata , ut authen.ei C. eod. tit. Ex his inferri poteſt quia hodie duo tantum ſunt fatales.

QVANDO PROVOCARE NON EST NECESSE. TITVLVS LXVI.

EXpoſuimus(ut ita dixerim)quando prouocare ſit neceſſe , nunc audiamus quando prouocare nõ ſit neceſſe abſenti à lata cõtra eũ ſententia,quæ tranſit in nomẽ rei iudicatæ , à qua non eſt neceſſe prouocare,ut C.eo.l.j.Item ſi iudex expreſſim contra iura iudicauerit,puta ſi dixerit pronuncio impuberem potuiſſe teſtari. Idem ſi cũ ſententiam diceret,expreſſim in calculo errauit:tunc em̃ ſententia rata manebit,niſi per appellationem reſciſſa fuerit,ut ff. de re iudicata l.inter pares. Item ſi iudex ultra modum legibus taxatũ multando pronunciauerit:cũ ſententia ſit nulla,prouocare neceſſe non eſt,ut C.eo. l. certa. Idem ſi alio loco iudicauerit. idem ſi tempore uetito legibus,ut C.eod.l.iij. Item ſi à ſententia lata p̱ iudices uenales,corruptosúe teſtes de ſuperfluo prouocatur,ut C. eo. l.uenales. Item ueterani ad munera prouocati de ſuperfluo appellãt. Idem ſi fuerint inabiles,ut ualetudinarij,ut C.eod.l.antepenult. Item à ſententia lata contra minorem ſine legitimo defenſore:niſi ueniam ætatis impetraſſet , prouocare non eſt neceſſe. item ſi iudex in uſuras uſurarum condemnauerit, appellare non expedit,ut ff.de re iud.l.præſes. Item ſi mortuum condemnauit pater in criminibus maximis , in quibus mortui accuſantur & uincuntur & condemnantur. Item ſi quis abſentem minus legitimè citatum condemnauerit , prouocare non expedit. Idem ſi mortuum cõdemnauerit:præterquam in criminibus maximis, in quibus mortui accuſantur,cõuincuntur,& condemnantur. Idem ſi iudex impoſſibilem ſententiam tulerit , prouocare non expedit . Idem ſi mortuum condemnauerit,ut ff.quæ ſenten.l. j.ij.& iij. Item ſi is qui iudicauerit,nullam prorſus iudicandi poteſtatem nec inter aliquos habuit,inter eos , inter quos iudicauerit,prouocare neceſſe non eſt. Item ſi iudex impoſſibilem ſententiam protulerit,prouocare non expedit. In ſumma ab ea ſententia quæ de mero iure nõ teneat,de iuris rigore ſit nulla,prouocare non expedit,ut ſi non fuerit ſcripta.

QVORVM APPELLATIONES NON RECIPIVNTVR. TITVLVS LXVII.

AVdiuimus quando appellatio ſit neceſſaria,& admittenda, & quando nõ ſit neceſſaria. Nunc uideamus quando ſcilicet nõ ſit neceſſaria,& reijcienda. Vel aliter expoſuimus qualiter iudex puniať, qui appellationẽ reſpuit, nũc uideamus qualiter debeat condemnari,qui appellationem nõ recipit. Et quidẽ

appella

appellatio impune non recipitur, aliâs propter perſonã, aliâs propter cauſam. Propter perſonam, ut ecce uerè contumax non appellabit. Item officialis à proprij iudicis ſententia non appellabit, lata in criminali cauſa contra litigatorem quem inſtruit: ſed in ciuili poterit appellare, ut C. eod. Sanè à ſententia contra ſe datam in quocunq; iudicio prouocabit. Ratione cauſæ hi non appellabunt, ut inſignes latrones, ſeditionum concitatores, facinorum duces, ut ff. de appell. l. conſtitutiones. Item uenefici, malefici: ſi tamen fuerint conuicti, & uoce propria confeſſi, & condemnati. Nec enim ſufficit ut appellare non poſſint, ſi fuerint confeſſi, & non condemnati: uel condemnati, & non confeſſi uolũtate ſpontanea, ut C. eod. l. ij. Item manifeſtæ uiolentiæ reus non appellabit, ut C. ad l. Iuliam de ui l. ſi quis, nec uirginum raptor, ut C. de raptu. uirgi. Sed nec monetæ falſarius appellabit, ut C. de fal. mone. l. j. Sed nec à fiſco couictus, & eidem condemnatus: & præſertim de functionibus publicis audietur appellans, ut C. eod. l. iiij. Item ab executore non appellatur: niſi ut ſupra excepimus. item ab interlocutione, id eſt ante ſententiam non appellatur: niſi, ſicut ſuperius diſtinximus. Item (ſicut ſuperius dictum eſt) nõ appellatur, ne annona militibus, ne cloaca purgetur, ne pignus diſtrahatur, uel ne quid ſimile fiat, ut Cod. eod. l. ante penultima, ut ff. eo. l. ultima.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERuenerit. Tit. lxviij.

AVdiuimus ſuprà quando non recipiatur appellatio, nũc quando porrecta & ſuſcepta extinguitur ex poſtfacto. Pendente appellatione appellatoris morte interueniente, appellatio aliquando moritur. Quippe diſtinguitur ſit cauſa ciuilis uel criminalis. Itẽ diſtinguitur an cauſa ſit ciuilis uel criminalis, uel ſit ciuilis & pecuniaria & quaſi pecuniaria: an ſit ciuilis tantum. Si fuerit ciuilis & pecuniaria, ut de ſeruo, de libero defuncto, à populo facta etiã appellatoris morte interueniente durabit: & ab hæredibus appellatoris mortui agitabitur, & uel reddere cauſam prouocationis, uel ſtatutis acquieſcere compelluntur, ut C. eo. l. j. Idem ſi ancilla deceſſerit, de qua fuit iudicatum & appellatum. tractabitur enim cauſa appellationis propter peculium, ut C. eod. l. quamuis. Item ſi cauſa ſit etiam quaſi pecuniaria, appellatio facta durabit: puta nominatus quis ad tutelam, cum ſe excuſaret reprobatis ſuis excuſationibus iudicis ſententia repulſus eſt: à tali, inquam, ſententia appellabit cum appellare potuerit, ut C. de excuſat. l. quanquã. Item eius appellatio durabit, qui requiſitus & annotatus appellauit, & poſtmodum pendente appellatione in fata conceſſit, ut C. eod. l. ij. Si uero cauſa fuerit ciuilis tantum, id eſt neq; pecuniaria, neq; quaſi pecuniaria, ut honoris: puta ad Decurionatus uel alterius muneris publici officium deuocatus appellauerit, & appellatione in numero cognitionum pendente appellator obierit, etiam appellatio expirabit, ut C. eod. l. ſi pater. Vbi cauſa fuerit criminalis, diſtinguitur an bona ſententia ſpecialiter fuerint adempta, uel non. Si ſpecialis ademptio proceſſit, etiam appellari poterit: & poſt mortem appellatoris appellatio perſeuerabit. Enimuero ſi ſola capitis pœna per ſententiam irrogata fuerit, licet talis ſententia, uel tacitè adimat bona: tamen mortuo appellatore, ergo & extincto crimine, etiam omnium bonorum quæſtio regulariter erit extincta, ut Cod. eod. l. tertia.

DE HIS, QVI PROPTER METVM IVDICIS NON appellauerunt. Tit. lxix.

AVdiuimus ſuprà quando appellatio uelut facta non examinabitur, nunc uideamus quando appellatio non facta, uelut facta tractabitur. Et certe ſi quis propter iudicis uiolentiam nō appellauerit, tamen (ut ſuperius dictum eſt) tanquā appellaſſet debebit audiri. Ita tamen (ſicut & dictum eſt) adeundo principem etiam intra tempora appellationis cōteſtatione publicè poſita cauſas appellationis euidenti affirmatione diſtinguat, ut ff. de appellat. l. cum quidam, & ff. de regu. iur. l. in omnibus, & C. de relat. l. j. & C. eo. l. ij. Si uero meticuloſus uanoq; iudicis timore ductus nō appellaueris in ſacro conſiſtorio uel comitatu noſtro, ubi nil timere debueris iudicatis uelis nolis conuenientiam commodabis, patientiam exhibebis, ut Cod. eod. l. prima.

SI VNVS EX PLVRIBVS APPELLAVERIT. TITVLVS LXX.

DOcuimus ſuprà quomodo appellatio appellanti non proſit, nunc exponamus quomodo per appellantem etiam alij nō appellanti appellatio facta proficiat. Et quidem ſi plurium fuerit cauſa, quia tutores fuerant: & eadē, quia omnes geſſerant: ſi unus ex pluribus condemnatis appellauerit, & obtinuerit, etiam alijs, id eſt ſocijs nō appellantibus emolumentum uictoriæ comparabit. Si uero cauſa fuerit una, & non eadem: puta tutores duo fuerant, & alter geſſerat, alter uero non geſſerat, appellantis appellatio non appellanti non proderit. ergo ſi cauſa nō fuerat nec una nec eadem, ſed diuerſa, alterius appellatio alteri ſine dubio non proficiet, ut C. eod. l. j. & ij. & ff. de appellat. l. ſi qui.

SI DE MOMENTARIA POSSESSIONE FVERIT appellatum. Tit. lxxj.

DIximus quomodo appellatio reijciatur propter ſententiæ autoritatē, nunc uideamus quomodo propter ſententiæ autoritatem. Super poſſeſſione lata ſententia de iure minimè appellatione ſuſpenditur: & ideo licet appellatio de facto interponatur, tamen dicta ſententia interlocutoria etiam executioni mandetur, atq; ſortiatur effectum, ut C. eodem.

NE LICEAT IN VNA EADEMQVE CAVSA TERTIO prouocare, uel poſt duas ſententias iudicū, quas definitio præfectorum roboraucrit, eas retractare. Titulus lxxij.

SEmel licet prouocare, ſecundò quoq;: tertiò minimè. abſurdum enim foret & perquam durum quartam expectare ſententiam. Quid ergo ſi duas præcedentes ſententias præfecti prætorio ſententia confirmauit, nunquid ab hac præfecti prætorio ſententia prouocare, ſupplicare licebit? profectò minimè. Nam cum hoc in caſu à tertia ſententia minoris iudicis non liceat appellare: multo minus à ſententia tanti magiſtratus, id eſt præfecti prætorio in eodem caſu non licebit ſupplicare. Ergo quod legitur aliàs à ſententia præfecti prætorio ſemel licere prouocare, debet intelligi: niſi primò, & principaliter cognouerit, uel ſuper una duntaxat ſententia præfecti prætorio diſputauerit, quam ſua ſententia confirmaue-

firmauerit. Si non duas ſententias præcedentes (ſicut dictum eſt) ſua ſententia corroborauerit, nec ſemel ſupplicare licebit.

QVI BONIS CEDERE POSSVNT. TIT. LXXIII.

IN ſuperioribus ſuccurritur reo per iudicationem, & quia ſuccurritur per bonorum ceſſionem, audiamus qui bonis cedere poſſunt. Videamus itaq; quis bonis poſſit cedere, cui ceſſio fiat, quid ſit cedere, ubi ceſſio fiat, quando poſſit fieri, quale remedium detur cedenti. Eſt autem cedere bona dimittere & deſerere creditorum improbitati, & inſtantiæ. Ergo creditoribus fit ceſſio, non his qui uocant alios honores, ut C. eod. l. propter & de epiſcop. l. ſi quis curialis. Cedere poteſt paterfamilias, filius quoq; familias: licet nil habeat, quia poterit habere. Nam & actio de peculio tenet licet nihil ſit in peculio. Sed & Petrus dicitur omnia reliquiſſe, licet non reliquerit, niſi nauiculam & rete. Vbi libet ceſſio fieri poteſt in iure, & extra ius, inter præſentes, & abſentes, per epiſtolam, per nuncium, in prouincijs, & in Italia, ut C. eod. l. iiij. ut ff. eod. l. inter. Cedere quis poteſt ante condemnationem, confeſſionemúe, non poſtea. Creditores autem uenditionis remedio conſulant indemnitati ſuæ, quatenus patitur ſubſtantia: excuſſo debitore uſq; ad ultimum quadrantem, etiam uſq; ad ſubligar, ut C. eod. l. j. Nec enim parcitur condemnato: niſi donatori, ſocio, ſacro, marito, & eorũ procuratoribus: non fideiuſſoribus, & extraneis hæredibus: ita tamẽ prædictis parcitur, ut non compellantur egere: ſi ſine dolo malo deſierint poſſe ſoluere, uel ſi uelint cautionem exponere. Duplex remediũ datur cedenti, ſi enim poſtea conuenitur exceptio ei ſeruatur, quia nudus exulat, exutus ambulat, in nudis & puris intellectibus cõſtitutus. Cantabit uacuus coram latrone uiator. nec enim bonis cedens ipſo iure liberatur, ut C. eo. l. j. Item poſſeſſionem ante uenditionem pœnitendo poteris recuperare, ſi paratus te defendere fueris, ut ff. eod. l. is, & l. quem. Quid ergo ſi quid poſtea quæſierit is, qui ceſſit? diſtinguitur ſi quid modicum et minima cauſa ſibi relictum ſit cõceſſumúe: puta diurnum, menſtruum, annuum, illud etiam non auferetur ab eo. Si uero aliquid pinguius ei acceſſerit, iteratò poſtea poterit efficaciter conueniri, taleq; quæſitum non qualitate, ſed quantitate æſtimandum eſt à creditoribus, ut ff. eod. l. qui bonis.

DE BONIS AVTORITATE IVDICIS POSSIDENDIS, ſeu uenundandis, & de ſeparationibus bonorum. Tit. lxxiiij.

SVbuenitur (ſicut diſtinctum eſt) per iudicationem, ſubuenitur etiam per miſſionem in bonorum debitoris poſſeſſionem, & per eorum uenditionẽ, & per ſeparationẽ: & ideo dicamus de bonis autoritate iudicis poſſidendis, & uenundandis, & de ſeparationibus. Videamus itaq; quæ ſint cauſæ generales et ſpeciales, ex quibus eatur in poſſeſſionem, quando bona debitoris ſint à creditoribus poſſidenda, & uendenda: quo ordine creditores debeant dimitti, uel experiri, de pecunia ex uenditione redacta, & quibus detur bonorum ſeparatio: & econtrà, in quos, & quando. Tres ſunt generales cauſæ, ex quibus itur in poſſeſſionem, nomine uentris, nomine legatorum, & rei ſeruandæ cauſa. Porrò hæc ultima cauſa hodie ſpecialis eſt facta. Quippe pro menſura & qualitate declarati debiti mittitur creditor in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, ut C. eod. l. cũ. Item creditor miſſus non diminuit ueſcendi cauſa. hoc tamen fallit in filia, ut ff. ut in poſſeſſ. legat. ſeruan. cau. l. quæ legatorum. Et niſi qui hæreditatem petet à poſ-

ſidente pro hærede uel pro poſſeſſore, in rerũ hæreditariarũ miſſus ſit poſſeſſionem. tunc enim fructus facit ſuos, ut ff. eo. l. fulcinius. §. ult. Mittũtur autem in poſſeſſionem etiam creditores conditionales, ut ff. eo. l. in poſſeſſione, & l. ſi filio. hi tamen ante conditionem non uendent, ut ff. ex quib. cauſ. l. ſiquis. Debẽt autem dicti miſſi in poſſeſſionem obſeruare poſſeſſionem: non tenebuntur tamẽ niſi de dolo et lata culpa, ut ff. de bo. auto. iud. poſ. l. prætor. Sed et unius creditoris impetratio, et alijs creditoribus etiam ignorantibus proderit: ita tamen, ſi poſtulator fuerit, & creditor: alioquin poſtulatio nihil egiſſet, ut ff. de bonis auto. iud. poſſ. l. cũ unus. Bona latitantis, id eſt turpiter ſe occultantis, & defenſore carentis, & poſſidebuntur, & illico diſtrahentur. Bona abſentis, & præſertim cauſa Reipub. poſſidebuntur, ſed non ſtatim uenduntur. Pupilli quoq; ſimiliter, niſi negocium à deceſſore cœpiſſet: tũc enim etiam uenditio fiet, ut ff. quib. ex cauſis l. apud. Speciales cauſæ duæ ſunt ex cauſa damni infecti: quo caſu miſſus, poſſeſſor nõ fiet, ſed in poſſeſſione cõſtituitur: ut dominus tædio adfectus, cauturus accelleret. hoc inquam ex primo decreto: ſed ex ſecundo poſſeſſor fit, ff. de dam. infect. l. ſi finita. Item ſi quis in rem conuenitur, & nolit reſpondere, petitor in eius rei poſſeſſionem mittetur, eritq; poſſeſſor ex iuſta cauſa ſpeciali: non ſtatim tamen efficietur poſſeſſor, ſed ſi abſens non uenerit, nec miſerit: uel reuerſus creditoris occurſum euitet. Sed non niſi anno præterito, quaſi ex ſecundo decreto facta uenditione tempore legitimo tali ordine dimittendi ſunt creditores. Primo dimittuntur pignoraticij, & præferuntur omnibus etiam fiſco & mulieri. Excipitur, niſi quis etiam poſtea crediderit in pignoris refectionem. Sanè inter pignoraticios potior eſt iure, qui prior eſt tempore: niſi creditor, pignoriſq; poſſeſſor hypothecaria conuentus ab alio creditore, negauerit rem eius eſſe à quo pignus uterq; cõtraxerat. Eo enim caſu cõuictus propter mendacium, etiãſi fuerat prior, fit poſterior & inferior, ut C. qui pot. in pigno. authen. item. Sed ſi pecunia tua pignus antea alijs ſuppoſitum refeceris & pepigeris, ut tibi ſit pignori: licet ſis poſterior, eris potior. Sed & ſi de pecunia quam crediditi debitor quid emerit, & tibi ſecum conuenerit, ut id quod emerit, tibi ſit pignori: præponeris etiam illi creditori, qui eiuſdem ſuſceperat obligationem generaliter, ut C. qui potiores l. licet. Poſt pignoraticios creditores ueniunt alias priuilegiati: nec alijs præferuntur temporis ratione. Excipitur fiſcus, qui omnibus talibus præfertur. Excipitur & is qui depoſuit pecunias apud menſam menſulariorum fidem publicam ſecutus: ſi tamen poſtea in creditum nõ ierit. tunc enim priuilegium non allegabit, quia priuilegio renunciauit, ut ff. de priui. credi. l. ſi uentri. Priuilegio enim non examinantur ex tempore, quo ad hoc: ut prior tempore, prius debeat exigere. Si tamen præuenerit, & uigilando acceperit, retinebit, quia uigilantibus iura ſunt prodita. & hoc eſt, quod dicitur: melior eſt occupantis conditio, ut ff. de re iudica. l. inter eos & in tit. loca. l. in naui Saupheij. Excipitur, niſi duæ dotes ab eadem ſubſtantia debeantur: tunc enim prior prius exigitur, niſi forte res dotis ultimæ appareant etiam æſtimatæ. tunc enim etiam uindicari poterunt ſimiliter, ut C. cod. l. qui potiores. authen. ſi quid. Sanè æſtimantur ex cauſa priuilegia. Sicut enim dictũ eſt, etiam is qui credidit in domum reficiendam, præfertur ei, qui antea eam expreſſim habuerat obligatam. ſiquidem ſua pecunia effecit ut pignus ſaluum eſſet. Idem ſi conuenerit creditor, ut res ſua pecunia comparata ſibi pignori eſſet. Sed & ſiquid in funus defuncti credidit, & creditoribus defuncti, & libertatibus & falcidijs præponitur, ut ff. de priuileg. credito. l ij. Miſſi autem creditores in bona debitoris non debent ea inter ſe diuidere: ſed ex uindicatione redactas pecunias æqualiter pro rato debiti debent inter ſe diſtribuere, ut Cod. eo. l. in poſſeſſionem, & l. pro debito. Faciendā

enda eſt autem uenditio etiam tempore tranſacto legitimo. Hoc tempus alij dicunt eſſe duorum menſium, uel quatuor ad inſtar iudicialis pignoris, ut ff. de re iud. l. duo. Alij dicunt eſſe biennale ſpacium, ad inſtar conuentionalis pignoris ut C. de iure domi. impetran. Alij dicũt tempus eſſe definitum græca lege. Alij dicunt definiendum eſſe à iudice. hoc ego ſentio. Illud nos non preterijt, quòd poſt creditores pignoraticios, hypothecarios, priuilegiatos, ueniunt alij creditores, & chirographarij, & prorſus ſimplices, & pariter: etiam ſi alter altero ſit prior tempore, etiamſi forte alter ignorans bonorum poſſeſſionem non admiſerit, nec uenditionem celebrauerit. In eadem enim prouincia conſtitutus, infra biennium: in alia degens, infra quadriennium beneficium ſibi poſtulabit communicari rectiſſime: ſi tamen expenſas pro rata poſt reſtituerit, ut C. eod. l. ult. Separatio datur regulariter duntaxat hæreditarijs creditoribus cõtra proprios hæredis creditores, procꝗ hoc commodo illo afficientur incommodo: quia hæreditarij creditores nihil conſequentur ex bonis hæredis antea ab ea poſſeſſis, etiam ſi quid ſuperfuerit. Sanè ex quæſitis poſtea conſequentur creditores conditionales ut uel poſſideant, ut ff. eod. l. penult. Sed & conſequentur, ſi iuſtiſſimam allegauerint erroris cauſam, ut ff. eo. l. penult. Proprijs hæredis creditoribus regulariter contra hæreditarios creditores ſeparatio non datur; procꝗ hoc incommodo uerſa uice illud ſentiunt commodum, quia conſequentur ex bonis teſtatoris ſi quid fuerit reſiduum, ut ff. eod. l. j. § penult. Sed & neceſſario hæredi aliquando extra ordinem ſeparatio datur: ſi enim ſeruus cum libertate hæres inſtitutus neceſſarius hæreditatem adierit, poterit impetrare: ut ſi nondum bona paterni attigerit, ſeparationis beneficium ſibi tribuatur, & quod ab eo poſt aditionem quæſitum inuenietur, ſeparetur. ſed & quod ei à teſtatore debebitur, ut ff. eod. l. j. § ult. Item patrono datur ſeparatio, ſi liberti libertæcꝗ adeundo hæreditatem, teſtatoris creditoribus ſe alligauit. Datur autem ita patrono ſeparatio, ut bona libertæ ſuæ ſibi ſeparatim tribuantur: nec de his bonis hæreditarijs creditoribus teſtatoris, cui libertus ſucceſſerat, patronus reſpondere compellitur, ut ff. eod. l. penult. Datur ſeparatio infra quinquennium ab adita hæreditate. Ita demum autem datur, ſi bona non inueniantur ita cõiuncta & commixta, ut ſeparatim non ualeant. Sed & ita demum, ſi creditores non ſint ſecuti fidem hæredum: & hoc fit in moris, uel uſurarum acceptarum dulcedine, uel ſtipulatoria nouatione intercedente, uel fideiuſſoribus interuenientibus, præſtitisúe pignoribus, ut ff. eod. l. j. In ſumma illud notandum eſt, quòd licet creditores hæredi iudicium dictauerint, non ideo minus ſeparationem impetrabunt, ut ff. eodem lege ultima.

DE PRIVILEGIO FISCI. TIT. LXXV.

QVoniam inter creditores fiſcus priuilegio gaudet de priuilegio loquamur fiſci, imò de priuilegijs. Ecce ex priuilegio omnia bona contrahentis cum fiſco, uel delinquentis in fiſcum, tacite fiſco redduntur obnoxia, ut C. ex quib. cauſis pigno. tacite l. j. Item apud fiſcum cohæredem utpote digniorem inſtrumenta communia deponi debent, ut C. de eden. l. procurator. Item rem ſibi cõmunem cum alio etiam inſolidum fiſcus uendere poteſt: uerum reſtituet partis pretium ut C. de communiũ rerum aliena. l. ij. Item ſi bona mariti debentis ex primipilo non ſufficiunt, dotalia ex priuilegio capiuntur, ut C. ex quibus cauſis pigno. uel hypothe. taci. l. ij. Item debitor ex primipilo non habens aliud unde ſoluat fiſco, debitorem ſuum in diem, ut fiſco ualeat exoluere, ante diem poteſt

exigere, ut de condict. ex l. Iul. Item debitoris filius ex primipilo patre mortuo, & ſi ſibi non ſucceſſerit, cõuenietur, ut C. de primipilo. Item donatio facta à primipilario in uxorem etiam facta fraudis conſilio reuocatur, ut de donat. inter uir. & uxo. Item ſi fiſcus uendiderit quid alienum tanquam ſuum, transfert dominium. Item licet fiſcus uendiderit animal morboſum, redhibitoria non urgebitur, ut ff. de redhibitor. l. j. Item ex priuilegio pecuniæ fiſcalis ſubtractio, licet fiſcus ſit in alijs ciuitatibus, etiam crimen peculatus inducit, ut ff. de furt. l. ob pecuniam. Item fiſcus ab omnium uectigalium præſtationibus immunis eſt, ut ff. de publica l. locatio. § fiſcus. Item ſi quis in aliqua ciuitate ſine omni ſucceſſore deceſſerit, non ciuitas, ſed fiſcus eius bona occupabit, ut C. de bon. uacant. l. prima. Item commiſſorum illicitè tranſportatorum perſecutio etiam hæredes afficit: quia uindicatio ut eſt aduerſus quemlibet poſſeſſorem, ſic aduerſus hæredem competit, ut ff. de publica. l. commiſſa. Item uectigalium conductores tempore exacto inuiti retinentur, ſi poſtea locari uectigalia non poſſunt, ut ff. de publica. l. cotem. Item qui in loco fiſci theſaurum inuenerit & ſuppreſſerit, etiam ſuam partem amittit, & totum cum altero tanto fiſco dependit, ut ff. de iure. fiſci l. non intelligitur. § ultimo. Item in cauſis fiſcalibus pactus cum delatoribus, pro confeſſo habetur: ſi modo pretium uel modicum dederit. Item ſi procurator Cæſaris rem uendiderit, ſimplum tantũ pro euictione præſtabit, licet longe amplius promiſerit. Item ſi quid à fiſco emeris etiamſi fidem tibi habuerit, uel aliàs pro pretio ſatisfeceris, non tamen niſi ſoluto pretio dominus efficeris. Item ſi fiſcus ſucceſſerit ei, cui nullæ debentur uſuræ uel minores, exinde debebũtur uſuræ maiores. Item ſententia lata contra fiſcũ ſine patrono ſuo ualebit in nihilum. Item qui accepit pecuniã ſibi debitam ab aliquo, qui fiſco debebat ampliorem, fiſco directam uendicationem intendenti etiam ignarus in ſimplũ reſtituit, conſcius in duplum, ſed ſine uſura: quia res non perſona conuenitur. ſed reuocata pecunia in fideiuſſorem liberatum (forte cũ debitor nõ eſt ſoluendo) utilis actio dabitur. Item ſi ille qui mihi obligauerat quæ habebat, quæq; habiturus eſſet, cum fiſco poſtea contraxit, in bonis poſtea quæſitis fiſcus potior erit. Item pro fideicõmiſſo tacito fiſco datur directa uindicatio. Item qui ſciens aliquid in fraudem fiſci acceperit & illud tantundem reſtituet. Item fiſcus ſemper habet ius pignoris. Item qui fiſco uult compenſare, intra duos menſes debitũ ſibi debet docere. Item ſi pretium debetur fiſco, non fiet compenſatio. Ita demum compenſabitur fiſco, ſi eadem ſtatio debeat quid debeat quę petit. Item ſi multi fiſco fraudem fecerunt, pro non idoneis idonei cõueniuntur, ut ff. de iur. fiſci l. ſi procurator l. fiſcus l. deferri l. deniq; l. Titius l. ſi is l. præſidis l. Imperator l. auferetur. Non tamen fiſcus prorſus aſpernatur iura communia. Ecce enim ex teſtamento inutili ſuccedere non ſatagit. Item rem quam uendidit non euincit ut C. ne fiſc. rem quam uendi. euincat l. j. & ij. Item rem alij primo pignoratam fiſcus non diſtrahit. Item litis uel calumniæ donationem non admittit, ut ff. de iure fiſci l. res. Item ſolutum ſibi indebitum fiſcus reſtituit, ut ff. de publi. l. ult. §. ult.

DE PRIVILEGIO DOTIS, TIT. LXXVI.

MVltis priuilegijs dos gaudet, & ea quæ petitur, & ea quæ repetitur. Petitur inquã ab initio cum à marito ut ſibi detur repetitur: poſtmodum ab uxore, ut ſibi reſtituatur. Petitur autem & repetitur, hodie per actionem ex ſtipulatu, licet olim actione præſcriptis uerbis, uel certi condictione, & rei uxoriæ actione repeteretur. Quibus autem priuilegijs gaudeat dos, quæ petitur ex titulo ſuprà in quinto C. de dotis promiſſione pleniſſimè licebit aduertere. Et quib.

priuile-

priuilegijs gaudeat in repetendo, titulo de rei uxoriæ actione: uerum quia hic agitur de priuilegio dotis non petendo ſed repetendo uel modicum uideamus. Et certe quorundam ſecundum ſententiam mulier cum dotem repetit, præferri debet creditoribus, non pignora habentibus, ſed omnibus alijs expreſſas hypothecas habentibus, tacitasq;. Hanc ego non probo. Secundum aliorum ſententiam præfertur omnibus creditoribus, ſiue pignora habentibus, ſiue hypothecas expreſſas tacitasue. Licet pro hac ſententia uideatur facere, quòd cum mulier præferatur ei, qui credidit in domus reſtitutionem: & is qui ſic credidit, præferatur ei cui domus antea fuerat obligata: uidetur, quòd per cõſequentiam mulier debeat præferri etiam pignoratitio creditori: ſed hanc ſententiam ego prorſus reprobo. Nam cũ priuatus qui ſpecialiter pignus accepit, præferatur fiſco, non eſt abſurdum ſi præferatur etiam fœminæ, ut ff. qui pot. in pig. l. ſi pignus. Tertiam ſententiam admitto, quæ eſt ut præferatur mulier omnibus creditoribus, ſcilicet talibus, qualis eſt ipſa, id eſt utentibus hypothecis tacitis. Hoc arguitur ex eo quod ſecundum legum diſtinctionem præferri debet. ergo non indiſtinctè, ut C. de iur. dot. l. ubi, et C. de donat. propter nupt. l. penult. Amplius & Inſt. de act. legitur, in hypothecis præferendam eſſe. Hoc autem priuilegium non datur patri, neq; extraneo hæredi: ſed ſoli mulieri, & illius matrimonij ſoboli. Siue fiat repetitio, ubi poteſt fieri, conſtante matrimonio, ſiue diſſoluto: ſiue fiat repetitio per actionem ex ſtipulatu, ubi matrimonium uere fuerat, ſiue per condictionem ob cauſam, uel ſine cauſa ſi de iure matrimonium nõ proceſſerat. hoc enim in caſu condicit tanquam matrimonium contractum eſſet: quia ſimili uallatur priuilegio, ut ff. de priuileg. l. ij. Aliquando tamen etiam mulier ultima & eius ſoboles præfertur primæ mulieri, & eius ſoboli: puta ſi res adhuc extent æſtimatæ, quas mulier ultima dedit in dotem. Tunc enim ipſa mulier ultima, & ſua proles ex illo matrimonio procreata, res illas hypothecarias poterit petere, & utiliter uindicare, ut C. qui potio. authent. ſi quid. Sanè donatio propter nuptias hæc priuilegia nõ admittit: licet tacitã hypothecariam annexã habeat.

DE REVOCANDIS IIS, QVAE IN FRAVDEM CREditorum alienata ſunt. Tit. lxxvij.

ET quia creditoribus miſſis in poſſeſſionem bonorũ debitoris alienatorum in fraudẽ reuocatio datur, de eis reuocandis agamus. Videamus itaq; quæ ſint actiones reuocatoriæ, quibus dentur, in quid, in quantum, & quales ſint, & quanto tempore durent. Tres ſunt actiones reuocatoriæ, quę creditoribus competunt: Fauia uel Fauiana, Pauliana. In factum. Fauiana tantũ datur patronis ſicut & Caluiſiana, ubi liberti in fraudem patronorum aliquid alienauerint. Datur autem Fauia creditori ad reuocanda corpora & iura. Pauliana duntaxat ad corpora. In factum propriè duntaxat ad iura. uerum Pauliana aliquando ponitur pro in factum, & in factum pro Pauliana. Dantur autẽ hæ tres creditoribus & hæredibus eorum, & curatori bonis dato, ut ff. eod. l. j. Dantur autem ſi creditores re ipſa fraudati fuerint & fraudis inſcij. Dantur autẽ cõtra eos, qui à fraudatore, id eſt à debitore acceperant. Sanè contra fraudatorem regulariter fraudatoria non intenditur, & quia ſextipedibus operitur, & nudus exulat, oſtiatim mendicat: ſi tamẽ ita diſperdiderit res ut alienatæ inueniri nõ ualeant, actione in factum conuenietur, & in carcerem detrudetur, & quicquid habuerit, ab eo auferetur uſq; ad baculũ & peram. Nec enim prætor in hoc caſu emolumentum intuetur ſed pœnam, ut ff. eod. l. ultima. Tenebitur autem lucratiuus acceptor etiam ignarus, ut C. eod. l. ignoti: etiamſi acceperit dotem, quia dos in frau

dem creditorꝝ nõ danda eſt,ut ff.eo.l.ait Prętor.ſed et libertus pariter,ſi in fraudem patroni dotem conſtituit,ut ff.ſi quid in fraudẽ patroni.l.j. Acceptor item non gratuitus , ut emptor:nec inſcius conuenietur,ſed duntaxat conſcius fraudis particeps,ut ff.eod.l.ait Prætor. Sed & recuperator debiti, non ante bona poſſeſſa , ſed poſtea:quia non debuit percipere , timebit edictum,ut ff. eod.l.j. idem ſi debitorem fugientem ſpoliauit,ut ff.eo.l.ait Prætor. § ſi debitorem. Reuocantur autem res in fraudem creditorum alienatæ,ut uenditæ & permutatæ. reuocantur autem res in fraudem ante diem traditæ.Nam pretor fraudem intelligit etiam in tempore ut ff.eod.l.omnes. Reuocantur etiam pignora remiſſa, omiſſaúe,ut ff.eod.l.ſi pignus. Reuocantur etiam acceptilationes. reuocantur etiam libertates tam relictæ quàm datæ , & ex conſilio & euentu,ut ff.eodẽ.l.ſi quis.Sed & ſi quis data opera ad iudicium non uenerit,uel litem mori paciatur, uel à debitore non petit ut tempore liberetur:aut uſumfructum, uel aliam ſeruitutem amittit,uel aliquid fecit,ut deſinat habere quod habet: puta ſi rem ſuam, pignusúe ſuum,pro derelicto habuerit,iusúe ſuum uel obligationem ſuam alienauerit.Sed ſi non lucretur,licet poſſit,non conuenietur,ut ff.eod.l. j.ij. iij.iiij. v.vj.Reuocatur autem quidquid alienatũ eſt,ſicut per querelam inofficioſi teſtamenti:non modicum,ſicut per querelam donationis,dotisúe inofficioſæ:uel alienatum eſt in fraudem patronorum,uel creditorum , ſicut per Caluiſianam. Dantur autem hæ actiones poſt bonorum poſſeſſionem,& uenditionem ubi apparet,ex bonis debitoris creditores non poſſe admitti. In ſumma illud notandũ eſt , quòd emptori conſcio , cum ab eo fit reuocatio , non reſtituetur pretium:niſi forte & idipſum adhuc extet in bonis debitoris, ut ff.eod. l.ex his. Sunt autem actiones iſtæ prætoriæ,perſonales , ut ff. eod.l.j.& vj.Et per eas fingitur ex æquitate , & dicitur non eſſe traditum,quod eſt traditum: ſicut per publicianam non eſſe uſucaptum, quod eſt uſucaptum:& per reſciſſoriam econtrà , ut Inſtitutionũ de actionibus.

CODICIS

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE. LIBER OCTAVVS.

DE INTERDICTIS. TITVLVS PRIMVS.

IŇ SVPERIORIBVS LIBRIS EXPLICAuimus qualiter de iure ciuili agatur, nunc doceamus quemadmodũ iure p̄torio contendatur. Vel aliter diſſeruimus qualiter de proprietate diſputetur, nunc inſeramus qualiter de poſſeſſione certetur, & quia de poſſeſſione, uel quaſi poſſeſſione præcipuè per interdicta confligitur, de interdictis dicamus. Præcipuè ideo dixerim quia iure ciuili, puta condictione indebiti poſſeſſio aduocatur, & petitur, ut ff. de cōdicti. indeb. l.xv. Sed & condict. ex l. ut Cod. loca. l. ſi quis, & ff. de rei uindicat. l. ult. Videamus itaq; unde dicantur interdicta, quæ olim erant interdicta, quæ actio intendatur in locum interdictorum, quàm multiplex ſit interdictorum diuiſio, & quæ, & quot ſint interdicta. Interdicere eſt prohibere, ſicq; interdicta prohibitoria propriè uocantur interdicta. Sed quia etiam cætera interdicta dicuntur interdicta, prodita eſt & alia alluſio, ſiue Ethymologia, & dicuntur interdicta, quaſi inter duos dicta, ut Inſtit. eod. Erant autem olim interdicta, formata & concepta & ſolennia uerba, quibus prætor interdicebat aliquid non fieri, uel iubebat aliquid fieri: uerum quia ſolennia receſſerunt ad inſtar interdictorum, res agitur per actionem in factum ſurrogatam in locum interdictorum omnium, ut C. de act. empt. l. ultima, & C. quorum bonorum l. ij. & unde ui l. ſi de, & Inſtit. eod. §. ult. In cauſa quæ per interdicta tractatur de uno ſimili ad aliud ſimile procedendum eſt. Ecce enim ſi arbores uicini tui ſuccreſcunt, & tuæ domus fundamenta uiciant, ut excidantur utiliter poteris agere: licet prætor nihil in hoc caſu interdixerit. Ad inſtar ſicut agitur ubi arbor aliena agro uel domui tuæ impendeat, ne noceatur, ut C. eod. l. j. Interdictorum diuiſio multiplex eſt, ecce enim interdicta alia redduntur de rebus humanis. Item horum alia redduntur de rebus, quæ ſunt nullius dominij: ratione uel pecuniarij, ſiue priuati uſus, ut de liberis hominibus exhibendis. Aliâs de his quæ ſunt hominum, ſaltem ratione uſuum, ut ne quid fiat in locis publicis, uijsq;, fluminibus publicis, & ſi factum fuerit deſtruatur. Alia interdicta proponũtur de his quæ ſunt ſingulorum, ratione dominiorum, aliâs dominij, & uſuum horum. Alia pertinent ad uniuerſitatem, ut quorũ bonorum. Alia ad ſingularitatem, ut quorum legatorum. Item interdictorum omnium alia ſunt prodita cauſa tuendi officij, id eſt quod homo debet ex humanitate homini, ut de liberis hominibus exhibendis, & deducendis. Alia ſunt

prodita gratia rei familiaris. Horum alia ſunt adipiſcendę poſſeſſionis, quorum legatorum, ut Saluianũ. Alia ſunt retinendę poſſeſſionis, ut uti poſſidetis & utrubi. Alia ſunt recuperandæ poſſeſſionis, ut interdictum unde ui, & de precario. Item interdictorum alia ſunt prohibitoria, ut uti poſſidetis. Alia exhibitoria, ut de liberis exhibendis. Alia reſtitutoria, ut unde ui. Item interdictorum alia ſunt duplicia, ut ſunt illa in quibus uterq; reus eſt, ut uti poſſidetis, & utrubi. Alia ſunt ſimplicia, ut illa in quibus alter reus, alter actor eſt. Item interdictorum alia concipiuntur in præſens, ut uti poſſidetis. Alia in præteritum, ut unde ui. Interdictorum alia ſunt annalia, ut unde ui, contra deſectorem, qui poſſeſſio nem non occupauit. Alia ſunt perpetua, ut de libero homine exhibendo. Item interdictorum quædam rei perſecutionem, & uelut proprietatis cauſam continent, ut interdicta de ſacris & locis publicis, & de liberis hominibus exhibendis. Alia poſſeſſionis cauſam continent, ut priuata interdicta, poſſeſſoria, ademptoria, retentoria, recuperatoria, ut ff. eodẽ. l. ij. Nunc uideamus quæ, & quot ſint interdicta, tam publica, id eſt cuiq; de populo competentia, quàm priuata. Et certe ſeptem ſunt interdicta publica. Interdictum de libero homine exhibendo, de hoc ſolo tractatur in Codice. Interdictum ne quid fiat in ſacro. Interdictum ne quid fiat in loco religioſo. Interdictum ne quid fiat in loco publico, ut in theatro, uel in campo Martio, uel in uia publica, & de ea reficienda. Interdictum ne quid fiat in flumine, uel in ripa fluminis, ut aliter aqua fluat quàm in priore æſtate fluxerit, id eſt aqua fiat altior, depreſſior, uel rapidior cum incommodo accolentium, non legitur incommodo uiolantium. Interdictum ut in flumine publico, lacu publico, foſſa publica, ſtagno publico, etiã nauigare liceat. Forte octauum publicum interdictum eſt, ut liceat reficere cloacas publicas: liceat earum refectio ad cauſam magiſtratuum principaliter pertineat, ut ff. de cloacis l. prima. § ultimo. Viginti & octo ſunt interdicta priuata, de quibus tractatur & habetur in Codice. Interdictum quorũ bonorum, quorum legatorũ, unde ui, uti poſſidetis, de tabulis exhibendis, de liberis deducendis, Saluianum interdictum, & interdictum de precario. Viginti & nouẽ ſunt & alia priuata interdicta, de quibus quoq; agitur duntaxat in digeſto nouo. Ecce interdictũ ne uis ei fiat, qui in poſſeſſionem miſſus eſt. Interdictum de loco publico fruendo, quod datur ei qui locum publicũ conduxit, ſolum ut ibi habeat ſuperficiem ultra luſtrũ, ut ff. de ſupficie. l. j. Interdictũ de itinere, actuq; priuato, qđ datur ei qui uſus eſt eo hoc anno, uel per triginta dies retro non ui, non clam, non precario: licet poſtea uicioſè utatur, ut ff. de itinere l. j. & l. penultima. Nec enim corrumpi aut permutari poteſt, quia rectè tranſactum eſt ſuperueniente delicto, ut ff. de itinere l. ſecũda. Item & interdictum de aqua quotidiana, uel æſtiua, quod datur ei, qui per alterius fundum duxit aquam non fontanam, hoc anno, nõ ui, non clam, non precario. Item de riuis reficiendis interdictum datur, ut non quæratur an aquam ducere actori liceret. magis enim intereſt hominum riuos refici quàm itinera. Quippe ſi nõ liceret reficere, uſus aquæ auferetur, & homines ſiti necarentur. at non refecto itinere difficultas tantũ eundi agendiq; fieret, quæ temporibus æſtiuis leuior fieret, ut ff. de riuis l. ultima. Interdictũ de fonte quod ei datur, qui aquam duxit hoc anno, nec ui, nec clam, nec precario, de alterius fonte, lacu, puteo, piſcina, foſſa, ſtagno: non de ciſterna, ut ff. de fonte. Interdictum de cloaca quod datur ei, qui prohibetur purgare, reficere cloacam ſuam. Quippe & cœlum peſtilens & ruinas hominum minantur immunditiæ cloacarum. Purgatio, & refectio ad curam publicam ſpectat principaliter. Item interdictũ quod ui datur ei, in cuius ſolo ſe prohibente quomodolibet alter opus fecerit. Item interdictum quod clam datur ei, in cuius ſolo ſe cælato opus

factum

factum eſt, ab eo qui æſtimare debuit ſibi controuerſiam futuram. Idem ſi aliter fecit, quàm denunciauit: ne melioris conditionis ſint ſtulti quam periti, ut ff. eodem l. iiij. & v. Item interdictum de arboribus cędendis, quod datur ei in cuius agrum, domumúe, arbor aliena impendeat, uel uento ſit inclinata: arbor nō ſtirpitus ſuccidatur, ſed à quindecim pedibus ſupra à terra altius coërceatur. ubi uero domui impendeat, prorſus ſuccidi debet. Item interdictū de glande legenda quod datur ei cuius glans uel fructus alius in fundum alterius ceciderit, ut primo, ſecundo, tertio die, legere, exportare liceat. Item interdictum de migrando quod datur inquilino, ut ipſe liberè, & cum rebus ſuis, de habitatione poſſit migrare: ſi tamen locatori ſatisfecerit, & de penſione, & de damno, ſi quid in domo conducta dederit. Sed & gratuito inquilino datur. Colono autem non datur, ſed aliàs ei extra ordinem iudicis officio ſubuenitur, ſi uelit, non dico migrare, ſed colonariam poſſeſſionem poſt conſtitutum tempus exactum uelit derelinquere, ut ff. de migran. l. j. Item interdictū utrubi, quod datur his, qui de poſſeſſione mobilium rerum contendunt. Item interdictum de noui operis nunciatione, quod datur ei, qui prohibetur ædificare poſtquam ſatisdederit, & in eum ne ædificet, ſi non ſatiſdet, ut ff. de noui oper. nunciat. l. ait Prætor. Interdictum fraudatorium, quo tutoris creditor pupillo tenetur, ſi eum cōſilium fraudis participaſſe conſtiterit, ut ff. de ſolut. l. pupilli. Sed & is fraudatorio interdicto tenetur, qui fraudem participando à creditore emerit, qui non ſit ſoluendo, ut Cod. ſi uendito pignore l. ultima. Huius interdicti ultimi, ſcilicet fraudatorij ſpecialis tractatus nuſquam habetur, nuſquam titulus inuenitur, nuſquam Rubrica legitur. In ſumma illud ſciendū eſt, quòd in interdictis non ex retro fructus ueniunt præterquam in unde ui, in quo uenient fructus, etiam quos uetus poſſeſſor percipere potuit, ut ff. eod. l. in interdicto & C. unde ui l. ſi de. Item interdicta communia noxaliter aliquando intenduntur, ut ff. eod. l. ultima. Item ſi quæſtio proprietatis quoq; mouetur, cum cauſa poſſeſſionis per interdicta diſcutitur, poſſeſſionis cauſa prius eſt terminanda, ut eo cognito quis debeat poſſeſſor eſſe, ab eo qui de poſſeſſione uictus eſt, probationes exigantur, ut C. eod. l. in certi. Illud notandum eſt, qòd dictum eſt, ſeptem & octo fore interdicta publica: decem & nouem priuata, de directis interdictis debet intelligi. Sæpe enim ſub directis interdictis plura utilia interdum duo, interdum tria diſpoſita inueniuntur, ut ff. de noui oper. nunciat: & ff. ne quid fiat in loco publico, & ff. ne quid fiat in flumine pub. & ff. de aqua quott. & æſti.

QVORVM BONORVM. TIT. II.

HAbito tractatu de interdictis generaliter, nunc audiamus per quaſdā ſpecies: & quia interdictum quod de uniuerſitate proponitur (ut quorum bonorum) & ipſum ſolum dignius eſt, quàm ea quæ de ſingulis intenduntur, interdictum quorum bonorum expediamus. Videamus itaq;, quia competit directum bonorum, cui detur utile, in quem, quid, quanto tempore, & quando, uel quomodo differat ab hæreditatis petitione. Directum quorum bonorū poſſeſſori competit, id eſt pro hæredi qui non eſt hæres propriè, ſed locū hæredis obtinet. utile uero datur hæredi, id eſt uerè & propriè hæredi, iure ciuili, ex teſtamento, uel ab inteſtato. Dirigitur utrumq; duntaxat in poſſidentem ſine titulo,

id eſt pro hærede uel poſſeſſore. Veniunt in hoc interdictum & petuntur interdicto tam directo, quàm utili, ſola principalia corpora, & fructus corpororum ex die interdicti editi, & omnia corpora, quæ defuncti cum moreretur, fuerũt: ſiue iure dominij, & poſſeſſionis, à iure poſſeſſionis ſaltem. Hæc tamen ita, niſi corpora quæ petuntur uſucapta, præſcriptaúe inueniuntur: puta ab eo uendita, qui poſſideat pro hærede. ergo bona fide reddet non uſucapta corpora. ita intelligo poſſe peti, ſi conſtet defuncti cum moreretur fuiſſe, uel præſumatur probabiliter. Quid ergo ſi is qui poſſidet, & dum interdicto quorum bonorũ conuenitur, obijcit ſe dominum fore, & ſe titulo iuſto, & bona fide poſſidere, nunquid reſtituet, ſi uelit? ego utiq;. niſi forte ſine dilatione et mora id non poſſe oſtenderet. Annuum eſt hoc interdictũ & nomen accepit à primis uerbis quę ſunt, quorum bonorum. Idem intelligatur in nominibus interdictorũ ſimilium. Conuenit hoc interdictum cum petitione hæreditatis: quia utrumq; ius contra eaſdem perſonas intenditur. Differt in tribus. ecce petitio hæreditatis directa, datur hæredi: utilis pro hæredi. Econtrariò directum quorum bonorum, datur pro hæredi, id eſt bonorum poſſeſſori: utile non datur hæredi. Item petitione hæreditatis petuntur & corpora, & iura: ſed hoc interdicto duntaxat corpora. Item petitione hæreditatis tam directa, quàm utili petitur etiam uniuerſitas: ſed hoc interdicto non petuntur, niſi res ſingulæ, & non conueniuntur hæreditarij debitores: niſi ſint corporum poſſeſſores, ut ff. eod. l. j. & ij.

QVORVM LEGATORVM. TIT. III.

QVoniam interdicto quorum legatorum, ſicut & quorum bonorum, hæreditas non petitur, non incompetenter adnectitur. Audiamus itaq; quibus detur quorum legatorum, & in quos, & quando, & in quantum, & qualiter differat à ſuperiori. Eiſdem datur, quibus & ſuperius, ſed & in alios, & duntaxat contra titulo poſſidentes, id eſt contra legatarios & fideicommiſſarios, cauſa mortis donatarios: & contra eos qui ex ſecundo decreto legatum, uel fideicommiſſum poſſident. Datur autem hoc interdictum hæredi, & pro hæredi: ſi ſatiſdederit, & ita, ſi ſatiſdatum perſeueret, ut ff. eod. l. j. Sed & datur ei, qui ſatiſdare paratus eſt, non tantum ut ſe ingerat, ſed ut moram petenti ſatis nõ faciat, ut ff. eod l. ultima. Porrò emphyteuta etiam non interpellatus ultro debet offerre. Sed & datur interdictum hæredi, qui neq; ſatiſdedit, neq; paratus ſit: puta ſi legatarius, uel omnino cautionem reſpuit, uel ſi iuramento, pignore, uel nuda promiſſione, ſibi caueri contentus fuerit, ut ff. eod. l. ultima. In hoc interdicto conueniunt, & iura, & uſufructus, quem legatarius occupauerit authoritate propria, & habet, uel de dolo deſijt habere. Ceſſat ergo hoc interdictum, ſi legatarius hæredum uoluntate occupauerit, habeatúe: tamen ita, ſi hæres uoluntatem accommodauit, cum iam hæres fuerat, id eſt poſt aditam hæreditatem, uel bonorum poſſeſſionem agnitam, non ſi antea accommodaſſet: niſi forte poſt aditionem illam uoluntatem ratam habuiſſet. Accõmodauerat inquam legatario, ſiue eis qui in rem uel in ius ſucceſſerint legatario, ut ff. eodem. l. prima. § illud. Differunt ita, ſuperius interdictum datur contra poſſidentes ſine titulo: hoc minimè, ſed contra poſſidentes titulo. Item ſuperiore petuntur tantum corpora: hoc etiam iura. Item ſuperius, pro uniuerſitate proponitur: hoc pro ſingulis intentatur.

VNDE

VNDE VI. TIT. IIII.

EXpoſuimus de duobus interdictis adeptorijs, quibus poſſeſſio acquiritur: & quia ſæpe poſſeſſio etiam obtenta amittitur, & amiſſa quandoq; per interdictum unde ui recuperatur, de interdicto loquamur. Ideo dixi quandoq;, quia ſiquis uoluntate propria poſſeſſionem tradiderit, uel prorſus dereliquerit, interdictum unde ui non habebit. Sed & ſuſpicatus ſe poſſe repelli alio ingreſſo, eqũ: dem poſſeſsionem amittit: ſed non ex eo interdicit quod amiſerit, etiamſi alter ipſam poſſeſsionẽ appræhenderit, ſed tũc primum interdictum unde ui habebit, cũ ſe dominum reuertentẽ, & quondam poſſidentẽ, ille qui occupauit non admiſerit: licet longam poſſeſsionem dominus amiſerit. Ille enim qui poſſeſsionem occupauit clam: ergo nec antea poſſidet, tunc primum intelligatur poſſidere ui, & ſic interdicto ſubiacebit cum dominum reuertentem non admiſerit. Nam & ſi colonus ignorante etiam domino poſſeſsionem tradiderit, poſſeſsionem dominus amittit, ſed non ex eo interdicit: imò conditione ex lege ex libris Sabini petit. Videamus itaq; cui detur directum interdictum unde ui, & utile, cui non, in quem, in quantum, quanto tempore, & qualiter unde ui ſuppleatur. Interdictũ unde ui datur domino deiecto poſſidenti quondam. Vnde ui datur non domino ut bonæ fidei poſſeſsori, ſed inuaſori: non tamen datur commodatario, colono: ſed inquã quamdiu manſerit colonus. nam ſi deſierit colonus eſſe interuertendo etiam contra dominũ deijcientẽ iuuabitur utili interdicto. Item utile datur etiam iuris poſſeſsori licet quoq; & quaſi poſſeſsori, detur, ut fructuario, ut ff. eo. l. ij. multo fortius rei corporeæ, immobilis, uel utiliter dominis, ut emphyteutæ, ſuperficiario, feudatario. Hoc tamen ita, ſi poſſidebant cũ deijcerentur: poſſidebãtur inquam pro ſuo naturaliter, & ciuiliter tantum, ut ſaltus: uel animo ſuo tantum, uel alieno, ut per colonos. Nam ſi iſti deijciuntur, non experiuntur ſed eorum domini, quia nec ipſi poſsident, ſed eorum domini, ut ff. eo. l. j. §. qd' ſeruus. Hoc tamẽ ita niſi interuerterũt ſicut ſuperius dictũ eſt. Ideo dixi unde ui dari quondã poſſidenti, ſi deijcitur: quia ſecus eſt, ſi ex nouo poſſeſsionẽ adipiſci nititur. tunc enim nota interdicta quorum bonorum, quorum legatorum competunt. Datur interdictum unde ui tam directum, quàm utile (ſicut dictum eſt) deiecto multis modis: ſiue deiectus ſit manualiter, ſiue reuerſus ab occupatore non ſit admiſſus ſiue aliquo triſti in uia ſibi nunciato nuncians proceſſerit poſſeſsionem occupauerit. uel ut alter occuparet effecerit, ut ff. eo. l. j. §. interdictum, Item is ſi expellitur, qui nomine tuo poſsidet: quia nec poſſidet, nec illi ſed tibi (ſicut dictum eſt) unde ui competit. Item ſi emptor quem mittis in poſſeſſionem, ingrediatur, à colono non admittitur: non emptor, quia nuſquam poſſedit, ſed tu quaſi deiectus, unde ui agis, ut ff. eo. colonus. Datur inquam deiecto poſſeſſio rei immobilis, ut de poſſeſſione agri, areæ, domus. Porrò deiectus de arbore, de fructibus, uel de naui, uel uehiculo, uel de equo non interdicet, ut ff. eo. l. j. ſed iniuriarum ſi uolet aget, ut ff. de iniurijs l. iniuriarum. §. ſiquis. Tam directum quàm utile unde ui datur in eum, qui deiecit & ui hæredem, etiamſi quid ad eum peruenerit: ſed tamen pro eo in factum actione conuenietur, ut ff. eo. l. j. §. ult. Ergo multo minus in extraneum deiectorem: præſertim bona fide & titulo poſſidentem. Dicitur autem deieciſſe quis multis modis, ſi manibus ſuis deiecit, ſi mandauit deijci, ſi iuſſit, ſi deiectionem factam ſuo nomine habuerit ratam. Siquis autem dolo malo effecerit, ut quis armis deijceretur, hoc edicto tenetur, ut ff. eodem l. iij. §. hoc interdictum. Si in medio itinere quis quem detinuerit interim poſſeſsionem occupari effecerit & ipſe poſſederit, ui deiectus uidetur. Item datur hoc interdictum in eum, licet nõ in eius hæredem, qui poſſeſſorem ſua manu uinxerit, & datur

eius hæredibus & prætorijs ſucceſſoribus, ut ff. eo. l. j. ſ. penult. ſ. interdictum. Item datur in homines armatos, quorum metu quis perterritus de poſſeſſione fugerit, ſiue ille poſſeſſionem occupauerit, ſiue alij, ſiue nulli. Hæc inquam ita ſiue re armati ueniebant, aut ſi ueniebant, non ut deijcerent, ueniebant interdicto unde ui non tenebuntur: niſi poſſeſſionem occupauerint, ut ff. eodem l. j. ſ. idem labeo, & l. iij. ſ. qui armati. Nec enim ui dicuntur deiecti, qui deijci non expectauerunt, ſed ad hoc profugerunt, ut habeant interdictum quod metus cauſa, ut ff. quod met. cau. l. metum. Et tamen dicuntur armati deieciſſe, licet nec ipſi fundum ingreſſi fuerunt, quia ipſi poſſeſſionis amittendæ occaſio fuerunt, ut ff. de uſucap. l. non ſolum. ſ. ſi dominus. Sanè ſi poſſeſſionem uel coactus tradidero, licet quod metus cauſa edicto, non tamen interdicto unde ui ago, ut ff. eod. l. ſi rerum. Item qui à me poſſidet, ſiue à me, ſiue ab alio deijciatur, hoc interdicto utitur, ut infrà de interdict. Hoc támen ita, ſi ex interuallo ego dominus eum qui me deiecerit, deieci. Nam ſi incontinenti, licet mera ratione deiecerim, non ſum dicendus deieciſſe: nec poſſeſſionem amiſiſſe, licet amiſerim, ſed poſſeſſionem mihi ſemper retinuiſſe, ut ff. eo. l. qui poſſeſſionem. Nam & econtrariò non uidetur quis quid nactus, quod de iure detinere non ualet, reſtituere neceſſe habet. Vim ei repellere (ſicut dictum eſt) incontinenti licet. Nam ex interuallo poſſidenti licet, ſed cum moderatione inculpatæ tutelæ. Vt ſi ſine armis poſſit expellere, arma non debeat adhibere, non debeat uulnerare. In continenti ſic intelligo, flagrante maleficio, ut in ſtipulatione dicitur. Non aſſumpto alio negotio, id eſt, non reſeruet nec differat poſt dies, ſed inſtet: amicos, uicinos, conſanguineos, rogitet, anxie deſudet; ut congregato cœtu eum, qui ſe expulit expellat, & ſic repuliſſe uidebitur, ut ff. eo. de adulterijs l. quod ait. Permiſſum enim eſt unicuique iniuriam repellere, non uindicare. Reperitur quòd aliquando hoc interdictum non datur deiecto, ut liberto contra patronum: emancipato, contra parentem. Licet nullum interdictum ſit famoſum, ſed datur actio in factum perpetuò uerbis temperatis intendenda, ut ff. eod. l. j. ſ. interdictum hoc. Sed ſiquis me ui deiecerit, meos autem non deiecerit: quia per eos poſſeſsionem retineo, hoc interdicto non ago, ut ff. eodem l. j. ſ. ſiquis. Venit in hoc interdictum principaliter, poſſeſſionis reſtitutio: ſecundariò ueniunt etiam cætera, quæ fuerant in poſſeſſione. Is enim qui ui deiectus eſt, quidquid damni ſenſerit ob hoc, quod deiectus eſt, recuperare debet. Siquidem priſtina cauſa reſtitui ei debet, quam habiturus erat, ſi ui deiectus non fuiſſet. Nam nec res uidetur reſtituta, quæ non eſt reſtituta cum ſua cauſa. & tota reſtitutio iuris eſt interpretatio, ut ff. de uerb. ſignific. l. ult. Ergo omnia mobilia, & ſe mouencia, quæ in fundo fuerant, etiam poſt fundum redditum, uel utiliter peti poterunt per hoc interdictum: licet etiam alijs actionibus poſſit agere, ut ad exhibendum. Debebit ergo uiolentus omnia reſtituere, ſi extent: ſed & ſi naturaliter interierint, ad eorum æſtimationem urgebitur. quia ab initio fuerit in mora. quia mora ad ſe trahit periculum. quia ex ipſo tempore delicti plusquam fruſtrator eſt, ut ff. eodem l. merito. Hoc tamen ita niſi uiolentus à domino remiſſionem accepit, uel niſi moram inuaſor nouatione purgauerit. Item fructus ueniunt poſſeſſionum ablatarum, & fœtus iumentorum, & pecorum quæ in poſſeſſione fuerant. Et quidem omnes fructus extantes, conſumpti: & quos, no tantum inuaſor: forte & quos ſed uetuſtior poſſeſſor percepiſſet. Horum autem omnium, forte etiam non extantium litem à iudice æſtimari debere, ut ff. eodem l. j. ſ. non ſolum. Quippe ſi de rerum amiſsarum numero, uel de earum pretio, uetus inciderit iurgium iudice tamen taxante, in litem iureiurando quondam poſsidenti delato: & quod huiuſmodi iureiurando fuerit declaratum, iudicem condemnare oportet, ut C. eodem l. ſiquando.

Item ex die, quo quis deiectus eſt fructuum habetur ratio:& hoc eſt ſpeciale in hoc interdicto. Sed & illud ſpeciale eſt, quia pro fructibus etiam quos uetus poſſeſſor percepiſſet, inuaſor arctatur, ut ff. eodem l. j. §. ex die. §. non ſolum. Anno utili ſopitur hoc interdictum, cum intenditur contra deiectorem, qui non occupauit poſſeſſionem. Excipitur ſiquis abſens per colonum, ſeruumúe relictum domi poſſidebat. Hoc enim caſu ſi iſti fuerunt deiecti, & malignati, id eſt iudicio momẽtario (quod eis permittitur) noluerunt experiri, abſens dominus quandocunq; etiam poſt annum utilem etiam à deiectore ſuam poſſeſſionem poterit petere: uel interdicto utili unde ui, uel condict. ex l. ult. ut C. ſi per uim l. j. Contra deiectorem, uel occupatorem hoc interdicto anno: hodie actio in factum prodita in interdicti locũ perpetuò cõpetit. Ex interdicti natura unde ui interdictum nõ datur: niſi res immobilis dolo malo auferatur. Quid ergo ſiquis ſine dolo malo, putans ſibi licere, rem ab alio poſſeſſam, ſiue alienã, ſiue ſuã, tanq̃ ſuã, abſtulerit: nõ unde ui, ſed ꝑ ſiquis in tantã urgebit. Ergo qđ interdicto deerat, Cõſtitutio ſiquis in tantã ſuplet. Nec em̃ (ut reor) interueniẽte dolo cõſtitutio cõpetit, ſed tunc demũ, ſi iſta duo cõcurrunt, id eſt, ſi rem poſſidenti abſtulerit, & tanquã ſua ſit, alienaúe: uel immobilis, ante litem conteſtatam, poſteaúe: multo fortius ſi poſt ſententiam. Ergo ſiquis rem alienam tanquam alienam, id eſt, tanquam non ſuam, ſed uelut ſibi obligatam, ſibiúe perſonaliter debitam, abſtulerit: ſi dolo, pro re immobili, unde ui interdicto tenebitur: pro mobili, ui bonorum raptorum conuenietur. Si ſine dolo, à iure crediti cecidiſſe cenſebitur. Porrò ſi debitori tuo rem tibi non obligatam, ſub forma pignoris abſtuleris, uel ſi eius uicancum, id eſt, ſi aliũ pro alio pignorauẽris, alijs iuris articulis ſubiacebis. Nam ab actione tibi competenti cades, & in quadruplum condemnaberis, ut in authen. ut non fiant pigno. in v. collat. Conſtitutionis autem, ſiquis in tantam, ea eſt pœna, ut ſi res ſit ſua illam amittat per ſententiam: ſi aliena, reſtituat eam. præterea tantum, quantum res illa ualet, de proprio dependat. Conſtitutionis autem, ſiquis in tantam, condictione non directa, ſed utili tenentur conductores, & omnes alieno nomine poſſidentes, & eorum hæredes ignorantes: ſi dominis repoſcentibus poſſeſsionẽ ſuo tẽpore nõ ſtatim reſtituerint ſed diſtulerint, & uſq; ad definitiuam ſententiã expectauerunt, ut C. eo. l. ſiquis in tantã. Ideo aũt de condict. utili ex lege, ſiquis in tantam, conueniuntur iſti: quia non ſunt propriè inuaſores, ſed quaſi. Et ſicut ſuppletur interdictum per Cõſtitutionem, ſiquis in tantam: ita ſiquis in tantam conſtitutio Iuſtinianæ conſtitutionis, cum quærebatur, ſuppletur auxilio. Ecce enim ſiquis uacantem poſſeſsionem occupauerit, id eſt, quæ à nemine poſſidetur animo uel corpore, interdicto tenetur: nec præfatis conſtitutionibus, id eſt, ſiquis in tantam: &, non ab re eſt, conuenietur. quia poſſeſſio nulli conuenienter adimitur. Quid ergo fiet? directa condictione ex lege, cum quærebatur: uel utili, ex lege ſiquis in tantam, conuentus, tanquam inuaſor: licet propriè non ſit inuaſor, condemnabitur. Omnis autem reddere debet quod ſuum non eſt. hoc ad alios modis omnibus pertinet. Ergo uacantium poſſeſſionum occupator tanquam inuaſor, pœna prædicta percelletur: licet ante Iuſtinianum ſine pœna reſtitueretur, ut C. eod. l. inuaſor, & ſi non niſi actione in rem conueniretur, ut C. eo. l. cum quærebatur. Hac conſtitutione duobus in caſibus quis tenetur, ſi rem alienam uacantem occupauerit, licet ſuam putauerit, excuſabitur: multo fortius, ſi alienam crediderit. Si uero ſua erat, licet alienam putauerit, excuſabitur: multo fortius, ſi ſua erat, ſuamq; crediderit. Ergo ſiquis de poſſeſsione mea me expulit, & poſtea de poſſeſſione ceciderit, & poſtea alius occupauerit, ego interdicto unde ui experiar cum expulſore, & expulſor contra occupatorem utetur, cum quærebatur, conſtitutione. In ſumma ſciendum eſt,

quòd ad interdictum unde ui pertinet, quia ſiquis fundi proprietatem cœperit uindicare, pendente iudicio poterit uariare, & per unde ui, ſiue per uti poſſidetis poterit flagitare, ut ff. de acquir. poſſeſ. l. naturaliter, & ff. eo. l. antepenult. Item illud notandum eſt, quòd coloni colono deiecto, & inquilino: non colonus, non inquilinus interdicto unde ui experietur, ſed dominus, ut ff. eo. l. ult.

VTI POSSIDETIS. TIT. V.

DIximus quomodo amiſſa poſſeſſio recuperatur, nunc dicamus quomodo obtenta retineatur, & uti poſſidetis interdicto defendatur. Videamus itaq; cui detur interdictum uti poſſidetis directum, cui utile, quid petatur hoc interdicto, in quantum fiat condemnatio, in quibus differat à ſuperiore, & quale ſit hoc interdictum uti poſſidetis. Hoc interdictum datur domino corporis, poſſeſſor ſi uexetur, ſi libere poſſidere non permittitur. Vtile datur non dominis ius in re habentibus, ut emphyteutæ, fructuario. Sed & inter duos fructuarios, ſed & ſi alter uſumfructum, alter ſibi poſſeſſionem defendat. ſed & ſi alter uſum, alter ſibi uſumfructum defendat. Seruitutum quoq; realium quaſi poſſeſſoribus hoc interdictum utile attribuitur, ut ff. eo. l. ult. & ff. de ſeruitut. l. ult. Datur autem uti poſſidetis tam directum, quàm utile aduerſus eum, qui prohibet me uti mea poſſeſſione. prohibet inquam me uti duobus modis, & expreſſim, & tacitè ſimul dicendo: prohibeat me ædificare, fodere, arare, ſerere, plantare. Hoc tamen ita ſi poſſidere me permittat. Nam ſi ita prohibeat, uel poſſeſſionem auferat, unde ui feſtinat. Competit enim uti poſſidetis ſiquis prohibeatur ſuo uti taliter, qualiter uelit, ut ff. eo. ſi ſeruit. uindice. l. ſicut. & ff. eo. l. ſi duo. §. iiij. Datur autem hoc interdictum ubi inter duos contenditur, ubi rem immobilem poſſideant. Nam ſi conſtaret quis poſſeſſor foret, hoc interdictum non competeret, ut ff. eo. l. j. Petitur autem & agitur hoc interdicto aliâs, ut non fiat, aliâs, ut aliquid fiat. Vt non fiat, ſicut expoſitum eſt, ſed & ut fiat modis pluribus. Ecce enim ſi uicinus in pariete meo nō iure tectoria habet, uti poſſidetis mihi efficax eſt, ut ea tollere compellatur, ut ff. eodem l. ſi duo. §. ſi uicinus. Sed aduerſus creditorem in bona mea miſſum oblata defenſione ut recedat, uti poſſidetis experiar, ut ff. ex quib. cau. l. hæc. §. ult. Sed & uti poſſidetis experior, ſi in communem parietem immittere tignum prohibeor, ut ff. eo. communi diui. l. ſi ædes. Quid ergo ſi duo poſſideant in ſolidum? nam & hoc contingit, ut ff. eo. l. ſi duo. Et quidem ſi duo ex iuſta cauſa, & tu poſſides à me clam, ego experior interdicto. Item ſi poſſides à me ui inquietationis: quia ego poſſideo, non tu: ſi ui expulſionis, non eſt locus huic interdicto, ſed unde ui: & tu poſſides, non ego. Si uero tu poſſides uicioſè non à me, ſed ab alio: diſtinguitur, ſi ab alio uerè poſſidente me uinces, quia uicioſa poſſeſſio contra extraneos proficit. Si uero uicioſè poſſides nec à me nec ab alio poſſidente: ſed ab alio duntaxat in poſſeſſione conſtituto, neuter noſtrum uincet. Nam & tu poſſides in ſolidum, & ego, licet diuerſa ratione: et ita debet intelligi iſte difficilimus paraphragus, ut ff. ſi duo poſſideant in ſolidum. Ergo hoc interdicto duobus in caſibus uincis, ſi à nemine poſſides uicioſè: uel uitioſè, non tamen ab altero, id eſt ab aduerſario: ſed ab alio, id eſt, poſſidente tertio. in duobus incertis ſi nullo modo poſſides, uel uicioſe ab aduerſario. Fit autem condemnatio in hoc interdicto, non quanti fundi proprietatem, ſed quanti poſſeſſionem retinere intereſt. longe enim aliud eſt pretium rei, aliud poſſeſsionis, ut ff. eo. l. ſi duo. §. ult. Pronunciabit autem ita iudex, uti poſſidetis ita poſſidete. Hoc inquam faciet, ſi pro pluribus pronūciet, qui poſsident non ui, non clā, non precario litis conteſtatæ tempore, ut Inſtitu. de interdict. Si uero pro uno debuerit pronunciare,

pronunciare, transfuſo plurali in ſingulare, ſufficiet dicere: ut poſſides ita poſſide. uerum hodie honoris cauſa Lombardi cum loquuntur cum uno tantum homine dicentes, bene ueniatis, uel quid aliud ſimile; utuntur pluratiuo ſermone, quia iſtæ uoces honorabiles cœperunt à Cæſare. In tribus differt hoc interdictũ à ſuperiori, ſuperius poſſeſſionem amiſſam reſtituit, hoc tuetur ne amittatur. Item ſuperius poſſeſſorem oppugnat, hoc fouet. Item ſuperius uindicat uim præteritam, hoc repellit uim præſentem & futuram. Illud conſtat, quod hoc interdictum annuum eſt, ut ff. eo. l. j. §. j. & duplex, ut ff. eo. l. ſi duo. §. ij. & eſt prohibitorium & retentorium.

SI PER VIM VEL ALIO MODO ABSENTIS POSSESſio turbata ſit. TIT. VI.

DIctum eſt quid iuris ſit ubi poſſeſsio præſentis præſenti auferetur, nunc audiamus ſi per uim abſentis poſſeſsio turbetur, aliòue modo ut per reſcriptũ. Et certè ſiquis reſcriptum impetrauerit, ut aliqua poſſeſsio ſibi detur, nec iudex illico debebit dare, nec ipſe ſua autoritate debebit occupare. Fieri enim poteſt, ut aduerſarius uelit allegare reſcriptum per mandatum impetratum fore. ſed cauſarum merita, partiũ aſſertione panduntur. Nam & ubi Imperator nõ cognitionem, ſed executionem mandauerit, de ueritate tamen precum inquiri debebit, ut C. ſi contra ius l. & ſi. Semper enim & illa conditio ineſt, ſi preces ueritate nitantur, & quædam ſemper tacitè in ſermone excipiuntur. Per uim abſentis poſſeſsio turbatur, puta relictis domi procuratoribus, ſeruiſue poſſeſsio admittitur. Ecce enim procurator expulſus poteſt agere, & poſſeſsionem petere, etiamſi conſtat ceſſare mandatum. Item etiam ſeruus hoc iudicio poterit experiri. Momentariæ enim poſſeſsionis per quancunq; perſonam, non tamen per impuberem actio exerceatur: ut experiatur, non ut conueniatur. Item etiam poſt annum utilem iſti poſſidentes nomine alieno, res immobiles deiectè poterunt experiri. Item domino reuerſo poſt annum utilem pro poſſeſsione recuperata dabitur actio, uel utile interdictum unde ui, uel condict. ex l. ut C. eod. l. Item illud eſt quintum ſpeciale, quoniam licet ſeruus procuratorie iudicio momentariæ poſſeſsionis recuperauerit, non tamen de proprietate reſpondere compellitur, ſed iuſtis legitimiſq; perſonis, id eſt, abſenti domino ſeruabitur, ut C. eo. l. j.

DE TABVLIS EXHIBENDIS. TIT. VII.

EXpediuimus de interdictis quibuſdam prohibitorijs & quibuſdã reſtitutorijs, nunc proſequamur membrũ tertium diuiſionis, id eſt, agamus de exhibitorijs. Et quia exhibitoriorũ quædam de rebus pecuniarijs, ut de tabulis exhibẽdis, quædã dantur pro liberis perſonis exhibẽdis, audiamus primũ de tabulis exhibendis. Videamus itaq; quales tabulæ debeant intelligi, cui detur interdictũ de tabulis exhibendis, in quẽ, in quantũ, & quale ſit. Tabulæ hic intelliguntur teſtamentariæ, codicillares, uel falſæ, inutiles ab initio, poſteaúe, ruptæ, etiamſi dicantur ab eo factæ qui teneretur ſeruus, filiusfa. ſiue apud hoſtes conſtitutus. Excipitur niſi ſint adulterinæ. Itẽ ubi hæreditatis cõtrouerſia ex his pendet. Item ſi ad publicã quæſtionem pertinent, puta ſi is qui intendit dicatur ſibi inutilibus tabulis (quod lege Cornelia regulariter uetitũ eſt) aliquid exſcripſiſſe. ex his duobus caſibus in æde ſacra, aut apud uirum idoneũ tabulæ interim ſunt deponendæ, ut ff. eo. l. ult. Item excipitur ſi agitur de tabulis hominis uiuentis adhuc. tũc non per interdictum, ſed per actionem ad exhibendum poſtulabitur exhibitio tabularum, ut ff. eo. l. j. §. j. §. iij. Datur in eum qui tabulas habet, & in eum qui dolo malo fecit, quo minus poſſit exhibere. Sunt tabulæ exhibendæ & apud iudicem, ut eius authoritate ſignatores, id eſt, teſtes extra ordinem compellantur ſua ſigna recognoſcere, ut ff. eo. l. iij. §. hoc. Non datur in pupillum, cum dolo tu

toris deſierit eſse, ut ff. eo. l. ſi ſint. Sed nec datur in ſeruos, penes quos ſunt tabulæ; ſed in eorum dominos. Datur autem omnibus, quibus quid in tabulis adſcriptum eſt; ſed non à ſe. ergo legatarijs, fideicommiſſarijs, donatarijs, hæredibus inſtitutis etiam ſub cōditione. nam & eorum intereſt, quia & ipſi implorant, ut poſsideant. Ex hoc interdicto in quantum intereſt fit condemnatio. ergo hæreditatis & legati conditionalis. Quid ergo? ſi legatum ſub conditione legatarius extorſit, non tamen de reſtituendo cauebit, quia pœna contumaciæ præſtatur ab eo qui non exhibet. Idem quidem erit ſi legatarius puri legati æſtimationem conſecutus fuerit, poſtea ipſum legatum petierit: certe ſi hæres æſtimationem præſtiterit, & modo de legato conuenitur, exceptione ſe tuebitur. Si uero legatarius ab extraneo æſtimationem accepit, etiã legata ab hærede poterit petere: licet enim bis exigat, quia tamen non ab eodẽ, non obſtat, ut ff. eo. l. j. ij. §. penult. hoc interdictum etiã ſucceſſoribus datur, & poſt annũ competit, ut ff. eo. l. iij. §. ult.

DE LIBERO HOMINE EXHIBENDO. TIT. VIII.

INterdictum de homine libero exhibendo cuiq; datur ex populo, ſiquidem mulieri, & pupillo: licet pupillus non experiatur de poſſeſſione momentaria, neq; poſſit iurare de calumnia. Sed & (ut puto) ſeruo non datur. Sed nec ei, quẽ ueriſimile ſit colludere, & calumniari. Ergo ſi plures uenerunt idoneior iudicis arbitrio præferetur. Nec poſſeſsore liberi hominis abſoluto, alij permittendum experiri. Excipitur, niſi prior actor de praua cautione poterit argui. Sed ſi reus condemnatus malit litis æſtimationem ſufferre, quàm hominem exhibere, poterit actore alio quocunq; hoc interdicto denuo conueniri. Datur hoc interdictum etiam in abſentem detinentem liberum hominem inuitum, ut exhibeatur, & libertate fruatur. nec enim multum à ſeruo diſtat liber, qui detinetur inuitus. Sed eius detentor fauia accuſabitur, ut ff. eo. l. j. & iij. Datur autem in eum qui detinet inuitum; ſed & uolentem malis artibus uoluntate ei immiſſa. Sed & ita demũ tenetur, qui detinet, ſi dolo malo detinet. Ceſſat enim interdictum hoc pluribus modis. ecce enim non datur in patrem detinenten filium, præſertim in ſua poteſtate conſtitutum: non datur in maritũ, detinentem uxorem ſuam filiam alienã. Sed nec datur in eum, qui bona fide poſſidet hominẽ liberum, uel noxæ ſibi deditum: Sed nec in eum, qui detinet liberum hominẽ, quem redemit ab hoſtibus: niſi detineat ſibi ſoluto pretio, uel niſi ipſe offerat uel alius pro eo, uel niſi redemptor pretiũ remiſerit, uel niſi ſuam remiſſionẽ induxerit. Aliâs per beneficiũ, ut ſi eum camũe ſuo ſociauerit matrimonio: aliâs per maleficiũ, ut ſi eum camũe expoſuerit, uel proſtituerit, ut C. de capt. Itẽ hoc interdictum nõ redditur ſi de hominis ſtatu dubitatur, ſed actiõe in rẽ utili præiudiciali liberalis cauſa tractabit, quæ præiudiciũ non patitur, ut ff. eo. l. iij. §. ſiquis. Item creditori nõ datur, quia creditoris intereſt cum in poſſeſsionẽ mittendus ſit debitorem exhiberi, ut ff. eo. l. ult. §. ult. fit condemnatio in litis æſtimationẽ, ut ff. eo. l. iij. §. antepenult. Nec datur etiã tempus modicum ad exhibendũ liberum hominẽ, quia cõdemnatus priuatus carcerẽ exercet, & quoniam pœna præteriti facti præſtanda eſt, ut ff. eo l. ult. Illud cõſtat quia hoc interdictũ eſt perſonale, & perpetuũ, & officij tuendi cauſa proditum.

DE LIBERIS EXHIBENDIS. TIT. IX.

EXpoſuimus duo membra diuiſionis, id eſt, rei familiaris interdicta, & officij tuendi cauſa prodita, nunc proſequamur interdicta ſui iuris tuendi gracia comparata, & ſic audiamus de liberis exhibendis, & deducendis. Videamus itaq; quid ſit exhibere, cui competat interdictum de liberis exhibendis, in quem

in quantum competat, quando ceſſet, quale ſit. Exhibere eſt rei exhibendæ, uidendi, & tangendi copiam facere. Interdictum de liberis exhibendis datur patri filium in poteſtate habenti, quanquam poſtulat ſibi exhiberi. ergo non datur patri qui emancipauit, ſed nec matri, quia nec ei datur actio furti. Datur autem in eum, apud quem filius eſt, qui poteſt exhibere. Excipitur mater, quæ filium detinet nondum trimum. Quid ergo ſi trimo maiorem adhuc tamen impuberem? reddere patri debet: niſi pater ſit notæ nequitiæ & nullius autoritatis, ut ff. eo. l. iij. §. etiam. Item excipitur maritus, ne matrimonium bene concordans & liberis forte ſubnixum turbetur. Item ſi pater excipit, puta ſi iudicatum ſit etiã per iniuriam in patris poteſtate non fore, ualet remoueri, ut ff. eo. l. ij. Item omnis ſe tuebitur in hoc interdicto (ut reor) qui tuetur ſe in ſuperiori. Datur (ſicut dictũ eſt) in eum qui detinet alterius filium. Ceſſat ſi filius ſe detinet, negans ſe eſſe in poteſtate patris, & ſuccedit ſimplex prætoris notio, ut ff. eo. l. iij. Excipitur, niſi filius alicuius hæreditatem adierit. tunc enim hæreditatis occaſione pro filio exhibendo pater utitur hoc interdicto. Sed & ſi inter duos qui ſe pares dicant, cõtrouerſia naſcatur, filiusq́; ſua ſponte apud aliquem eſt, etiam in hoc caſu hic interdicitur: licet filius magis apud ſe eſſe, quàm apud eum præſumitur, ut ff. eo. l. pe nult. & ult. Exhibitorium eſt hoc interdictum, priuatum, perpetuum, ſui iuris tuendi cauſa comparatum, & datur ut filius exhibeatur.

DE LIBERIS DEDVCENDIS. TIT. X.

SVbripit & ſubſequitur interdictum de liberis. parum enim conferret patri filium ſibi exhiberi, niſi daretur eidem poteſtas deducendi: imò uehementius turbaretur, & ſingultibus premeretur, ſi poſtquam uidiſſet, deducere nõ liceret. Ea propter ait prætor quo minus patri liceat ducere, uim fieri ueto. Datur hoc interdictum eiſdem, & in eoſdẽ, quibus, & in quos ſuperius. Sed illud pertinet ad liberorum exhibitionem, hoc ad deductionem; itaq; prius interdictum, quod eſt de liberis exhibendis, præparatorium eſt huius interdicti, quod eſt de liberis deducendis. Eſt autem hoc interdictum priuatum ſui inſtituendi cauſa proditũ, perpetuum, prohibitorium.

DE PRECARIO, ET SALVIANO INTERDICTO. TIT. XI.

VIdeamus de interdicto de precario, & exponamus quid ſit precarium, qualiter differat à commodato de precario, cui detur interdictum de precario, in quem, in quantum, quale ſit. Precarium eſt, quod precibus impetratum conceditur utendum: eſtq́; poſſeſsio precaria tam diu iuſta, licet non pergat ad communi diuidendo iudicij uigorem, quandiu uoluntate precario concedentis, eius ue hæredis intuitu fit. poſtea fit iniuſta. Precarium proprè etiam ſæpius conſtituitur in rebus immobilibus: aliquando tamen & in rebus mobilibus, ut ff. eo. l. in rebus & l. quamuis, & l. ſi duo. Cõmodatum proprie & ſæpius in rebus mobilibus: aliquando tamẽ & res immobiles commodantur, ut domus, ut ff. com̃. l. j. Item cõmodatum tempeſtiuè reuocare non licet, precarium etiam præfixis finibus reuocare permittitur. Nullum enim ius eſt huius conuentionis, ut rem alienam domino inuito precario conceſſam detinere liceat, ut ff. eo. l. cũ precarium. Datur autem hoc interdictum concedenti precarium, & hæredi ſuo: ſiue conceſſerit per ſe, ſiue per alium, quod eſt ex ordine. Interdum tamen alienum concedo, & interdicto de precario ago: puta ſi ego creditor debitori roganti pignus ſuum conceſſero. Quotidie enim rogantur creditores à debitoribus, ualet tamen precarium poſſeſſionis non proprietatis intuitũ, ut ff. eodem l. certe. Item in re aliena conſiſtit precarium, ſi Titius me rogauerit, ut re Lucij Titij amici mei utatur: egoq́ue Lucium Titium rogauero, ut concederet;

& Lucius, dum mihi uult præſtitum, Titio conceſſerit: Titius à me habet precario, & ego agam cum illo interdicto de precario: ſed Lucius non aget cum illo, ut ff.eo.l.quæſitum. Datur autem hoc interdictum in eum, qui precario habet, & in hæredem eius. Licet enim precarium ad hæredem rogantis non tranſit, ſicut precario rogatio ad hæredem concedentis tranſit: tamen interdictum de precario, ſicut hæredi datur concedentis, ſimiliter & ad interrogantis hæredem dirigitur, ut l.eo.l.quæſitum, & l.cum precario. Item datur in rogantes, & eorũ hæredes, qui dolo fecerint ut non habeant. Item datur in te ſiue tu per te rogaueris pro te, ſiue alius pro te; ut ff.eo.l.ſi ſeruus. Item datur in eum, qui rogauerit precario corpus dari, iuſſue in alterius reprecario ſibi cõcedi, ut ff.eo.l.ij.& iij. Nam & ea quæ in iure cõſiſtunt precario habere poſſumus, ut immiſſa protecta, ut ff.eo.l.& habet.§.iij. Datur autem demum hoc interdictum, ſi aliâs pro re reſtituenda, ut per fideiuſſorem non fuerit euictum, ut ff.eo.l.& habet.§.iij. Cui datur interdictum de precario, eidem datur & præſcript.uerb.actio: eſtq́ præſcriptis uerbis in hoc caſu bonæ fidei, ut ff.eo.ij.ut de æſtimato, permutato: licet omnis alia præſcript.uerb.ſit ſtricti iuris. Ex hoc interdicto res debet reſtitui in cauſam priſtinam, quod ſi non fiat intantum condemnatio fiet, quanti interfuit actoris ei rem reſtitui: Sed poſtea ex die interdicti & fructus uenient. Quippe ante litem conteſtatam in precarium, ſicut in depoſitum, non uenit: niſi dolus & lata culpa. Planè poſt litem conteſtatam omnia ueniunt, dolus, & omnis culpa, omnis fructus, & cauſa. In ſumma illud notandum eſt, cum precario quis rogat, ut ſibi in fundo morari liceat, ſuperuacuũ eſt adijci ſibi, ſuiſq́. nam per ipſum ſuis quoq́ permiſſum uti uidetur, ut ff.eo.l.ult. Item aliud notandum eſt, quod pupillus: præſertim tutorem habens, licet aliâs non naturaliter obligetur ſine tutore contrahens, tamen ſiquid rogauerit precario (ſed non niſi duntaxat precarium habeat) interdicto conuenietur de precario, ut ff.eo.l.ult. Eſt autem hoc interdictum reſtitutorium, & poſt annum competit, ut ff.eo.l.quæſitum.§.penult.

DE PRECARIO, ET SALVIANO INTERDICTO. TIT. XII.

SAluianum interdictum datur locatori. & eius hæredi. Directum contra colonum, & eius hæredem, non contra inquilinum. Vtile Saluianum ſimiliter datur locatori, & eius hæredi: ſed & contra extraneum poſſeſsorem, ut ff. eod.l.j. Item locatori datur actio Seruiana, non alij creditori. Item locatori datur actio quaſi Seruiana, id eſt, hypothecaria, ſicut & omni creditori. Petuntur autem Saluiano interdicto pignora quæcunq́, expreſsim obligata, & tacitè, ut illata & inuecta in fundum locatore conſcio duntaxat. porrò ſi in fundo duorum cõmuni pignora ſunt ab aliquo inuecta, poſſeſsor uincet: & erit eis deſcendendum nõ ad Saluianum, ſed ad Seruianum iudicium, ut ff.eo.l.ult. Eſt autem hoc interdictũ annuum, & adipiſcendæ poſſeſsionis, ut ff.de interdict.l.ij.

DE INTERDICTIS ILLIS QVINQVAE, DE QVIBVS in libis pandectarum agitur.

EXpediuimus de interdictis illis, de quibus tractatur in C, nũc inſeramus de quinq́ interdictis. ergo de illis de quibus in ff. agitur, ut, NEQVID FIAT IN LOCO PVBLICO. NEQVID FIAT IN FLVMINE. NEQVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FIAT, QVO ALITER AQVA FLVAT, QVAM IN PRIORE AESTATE FLVXERIT. DE INTERDICTO QVOD VI. ET DE INTERDICTO QVOD CLAM. Nempe iſta quinq́ interdicta utiliſſima ſunt, & frequentantur & aſsiduè, de cæteris interdictis non diſputabimus, pluribus rationibus intercedentibus, & quia in ſuperioribus de illis licet ſumma tenus diximus, & quia de illis cæteris ſatis dilucidè, & ad euidenciam in ff. tractatur, & quia non adeò uertuntur in uſum.

Nequid

NE QVID FIAT IN LOCO PVBLICO.

Ergo dicamus primo de interdicto quod datur, nequid fiat in loco publico, poſtea de alijs ſeptem interdictis propoſitis diſſeremus. Videamus itaq; qualiter intelligatur hic locus publicus, cui detur hoc interdictum directum, cui utile, in quem, in quid, quando detur, quando non, & quale ſit. Locus publicus hic appellatur, qui in uſu eſt omnium licet priuatus ſit iure dominij. Datur hoc interdictum directum illi, qui damno afficitur, propter opus quod alius fecit in publico, uel immiſerit in publicū: ut ſi iam fecerit, per reſtitutorium deſtruat, ſi nondum fecerit, ſed facere laborat, per prohibitorium deſiſtat. Ergo ſiquis opus fecerit in uijs publicis, uel facere tentauerit, hoc interdicto conuenietur: ſed duntaxat in uijs ruſticis. nempe uiæ urbicæ ad magiſtratus pertinent. Vtile datur ei in cuius detrimentum uelum umbratile alter in Mœniano habet, licet in aere. Item utile datur aduerſus eum qui molem in mare proiecit ei, cui hæc res noceat uel nocitura ſit. Si autem nemo damnū ſentit, tuendus eſt is, qui in littore ædificat, uel molem in mare iacit, ut ff. eo. l. j. §. cum quidam. §. aduerſus. Datur autē hoc interdictum in eum, qui opus facit, reficit, refecerit, immittat, immiſerit in publicum, unde damnum aliquis patitur. Damnum autem pati uidetur, qui commodum amittit quod ex publico conſequebatur quale quale ſit. Proinde ſi cui proſpectus, ſicui aditus fiat deterior, anguſtior, hoc interdicto opus eſt. Itē in hæredem datur quia factum habet, licet non fecerit. Item utilē interdictum datur in eum, qui cloacam in uia publica immiſerit, ut uia fiat inuia, uel odore, id eſt, fœtore ſoli fiat peſtilencioſa. Item ſi arborem in uiam iactauerit. Immiſiſſe autem uidetur & qui ita in ſuo ædificauit, ut aqua collecta in uia reſtagnet. Item interdictum datur in eum, qui depaſcit uiam publicam, ſiue ex eo ſtatu fiat deterior ſiue ſpes ſit, ut fiat deterior. Datur autem hoc interdictum primum, nequid damnoſum fiat in loco publico: ſecundum, ut factum deſtruatur: tertium ex prædictis ſuborietur, quo minus cuiq; uia publica, itinere publico, ire agere liceat; ut ff. eo. l. j. §. ult. Ceſſat hoc interdictum, ſi opus non fiat, puta ſiquis prohibeatur in mari piſcari uel nauigare, in campo Martio ludere, in theatro concionari uel ſpectare. Item ceſſat ratione rei, puta ſi opus fiat in fundo hominis priuati: ſed & ſi in fundo Cæſaris patrimoniali, uel fiſcali. res enim fiſcalis quaſi propriȩ & priuatæ principis ſunt, ut ff. eo. l. j. §. iij. Item ceſſat ratione cauſæ pluribus modis. Ecce enim ceſſat, ſi ex opere damnum non irrogetur. Item damno dato ceſſat; puta principe permittente: puta ſiquis in publico ædificauerit, ita tamen ſi damnum non ſit enorme. nam pro intollerabili damno tenebitur: niſi princeps etiam id expreſſim permiſerit. Teſtari duntaxat uidetur permiſiſſe, ut teſtetur in re communi: niſi expreſſerit forte ut teſtetur quomodo uelit, ut C. de inoff. teſtament. l. ſiquando. Item ceſſat hoc interdictum ratione cauſæ, ſi in loco publico ædificauerit, ut ea, quæ ex meo ad te nullo iure defluebant, & tibi compendium afferebant: & fluere deſinant, & amodo tibi compendium nō afferant. Multum enim intereſt quis quem lucro quod captabat uti prohibeat, an damnum inferat ut ff. de damno infect. l. Proculus. Item ceſſat, ſi opus in publico fecero quod ei noceat, quod tu illicitē & ante in publico ſtruxeris, ut ff. eod. l. ij. §. idem. Quid ergo ſiquis nemine prohibente in publico ædificauerit? non diruitur ædificium, ſed ſolariū imponitur, id eſt uectigal publicū præſtabitur (ſicut dictum eſt) quia pro ſolo penditur, ut ff. eo. l. j. §. ſiquis nemine. Eſt aūt hoc interdictū perſonale: ſiue interdicatur, ut uia publica reficiatur, uel ut exarata, uel reiecta reſtauretur. tunc enim uiæ reiectæ actio dabitur, ut ff. eodem. l. de uia pu. l. j. ij. iij. & ff. eo. l.

j.§.interdict. Sed & perpetuum, licet aliàs popularis actio ſupra annum non extenditur, ut ff. de popularibus actionibus.

NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FIAT QVO PEIVS NAVIGETVR.

INterdictum directum nequid fiat in flumine quo peius nauigetur, cuiq; ex populo datur, neúe in ripa fluminis, uel in flumine quid fiat, neúe quid in flumen mittatur quo ſtatio deterior fiat, id eſt portus nauium, uel iter nauigij deterioretur. Et hoc uerum eſt, ſiue flumen habet curſum naturalem, ſiue factitium. Ita tamen competit hoc interdictum, ſi flumen ſit nauigabile, & ita demum ſi iter nauigantium impediatur in aquis, ut ff. eo. l. j. §. aut. §, ait prætor, uti lædatur, & de flumine nauigabili, ſi tamen per illud, & aliud fiat nauigabile, ut ff. eo. l. j. §. non autem. Item ſi pedeſtre iter impediatur, per quod ad nauigium ambuletur, utile interdictũ datur, ut ff. eo. l. j. §. ſi pedeſter. Item ſi in mari quid ſimile fiat uti lædatur, ut ff. eo. l. j. §. ſi in mari. Nec enim mare flumen eſt. & ideo utiliter intenditur, ſed eſt receptaculum omnium fluminum. Eſt autem hoc interdictum & publicum, & perpetuum.

INTERDICTVM DIRECTVM EI DATVR, QVI DAMNO AFFICITVR per opus quod fecit in publico flumine, ripa uel in flumine: ſiue utendo effecerit ut aqua aliter fluat, quàm in priore æſtate fluxerit ut noceat. Competit autem hoc interdictum, ſiue flumen ſit nauigabile, ſiue nondum: modo ſit publicum. Item ita demum competit, ſi per opus quod factum eſt, aqua fiat depreſſior, uel altior: ac per hoc rapidior incommodo accolencium. Quid ergo ſi nulli ſunt illic accolæ, id eſt, terrarum cultores: ſed duntaxat molendinorum poſſeſsores. Certe & hi ſi damnum ſubeunt, intendunt. Ait enim Vlpianus & ſiquod alij uicij ex facto eius qui conuenitur ſentiunt, interdicto locus erit, ut ff. eo. §. iiij. Datur autem hoc interdictum cuiuis ex populo, aduerſus eum ſolum qui opere facto denegat, ut aqua aliter fluat quamuis modo opus non poſſideat. Nam ſi fecit dolo malo peræq; tenebitur, ut ff. eo. §. ult. Item hoc interdictum prohibitorium eſt, & reſtitutorium, & (ut puto) perpetuum & publicum. Proſpexit enim prætor ne deriuationibus nimijs flumina exareſcant, uel ne ſummittatur alueus, ut ff. eodem l. j.

QVOD VI AVT CLAM.

EXpoſuimus de interdictis, quæ redduntur propriè de eo, quod fit in loco publico, nunc loquamur de interdictis, quæ intenduntur pro opere quod fit in priuato ſolo, id eſt, de interdicto quod ui, deq; interdicto quod clam, & prius de interdicto quod ui. Videamus itaq; cui detur directum interdictum, quod nam utile, quis intelligatur prohibere opus fieri in hoc interdicto, & quis dicatur prohiberi, quando competat, quando ceſſet, in quem detur, in quantum, quale ſit. Directũ quod ui datur domino, in cuius ſolo poſt prohibitiõem opus nouum factum eſt: utilis datur non domino, ut emphytheutæ, ſuperficiario, ſeu datario, colono, eiq; cuius intereſt. Datur & ei, qui non plenè dominus eſt, ut ſocio contra ſocium. Datur & filiofamiliâs: licet aliâs per alium ſuo nomine regulariter, nec utilis exerceatur actio: niſi iniuriarum, commodati, depoſiti. Item datur cui dominus conſenſerit, ut arbores ex fundo tuo cædat ſi alius eas ui aut clam ceciderit. Item datur ei qui poſtea dominus factus eſt, puta opere facto in prædio, cum prædium interim nullius eſſet. Prohibere quis intelligitur ſi uerbo prohibet, ſiue manu, ſiue lapilli iactu: ſi cum

ſciret ſe

ſciret ſe prohibendum per uim molitus eſt ne poſſit prohiberi. Item ſiquem facientem prohibuero, licet mox deſtiterit, ſi rurſurs poſtea ſine permiſſu meo cœperit facere, uim eum uideri feciſſe, ut ff. eodem. l. j. Item quis prohibet etiam per alium, ut per filium ſuum, per amicum, procuratorem, mercenarium, inquilinum. Nec hoc caſu per alterum alteri actio quæritur, ſed quæſita monſtratur, ut in furto manifeſto, ut ff. eodem l. iij. & ff. de uſur. l. qui ſcit. Nam ex naturali pacto actio ex empto non naſcitur, attamen præparatur, ut C. de act. empt. l. ex cohortali. Prohibitus intelligitur quocunq; modo. prohibetur modis ſuperius expoſitis, ita tamen, ſi prohibitio durauerit. nam ſi poſtea cum poſſeſſore ſoli conuenerit, ignorans cauſam præcedentem opus fecerit, in hoc interdictum incidit, ut ff. eodem l. viij. Competit hoc interdictum cum opus fit in ſolo alieno, poſt prohibitionem. & tunc demum: ut fodiendo, arando, inferendo, plantando, ædificando, demoliendo, oſtium uel regulam de ædificio auferendo, arborem excidendo, inutilia immunda in puteum iactando uel effundendo. Ita tamen ex prædictis interdictum dabitur, ſi uiam ſolum deterius, non melius reddiderit, ut ff. eodem l. ſi alius. §. antepenult. Ceſſat hoc interdictum ratione rei & cauſæ. Rei, ſi poſſeſſio ſit in re mobili, ut ff. eo. l. ix. Ratione cauſæ multis modis. ecce in primis locus non erit interdicto, puta ſiquis ædibus non adfixa, ut ſeras, claues, abſtulerit. Si Rhedam uel alia onera per alienum fundum tulerit, ſiue uenatus, aucupatus, piſcatus fuerit, ſi iumentum egerit, ſi aceruum grani, uel fœni, uel paleæ, fimi ſuccēderit, diſperſerit ſi fructus de arbore abſtulerit. licet hoc in caſu ſimile fortius uideatur qui opus in ſolo, ſicut & ille qui tegulam aufert ex ædificio, ut ff. eodem l. nam. Item hoc interdictum ceſſat (ſicut dictum eſt) ſi opus non affert damnum, ſed compendium. Item colono non datur propter non frugiferam cæſam arborem: niſi interſit propter amœnitatem, uel geſtationem, ut ff. eodem l. competit. Item ceſſat interdictum, ſi ego, qui prohibui, remiſi: uel meus procurator, tutor. Sanè præſes, procurator, ue reipub. fruſtra permittit opus in publico fieri: quia ei data eſt procuratio, non remiſſio: niſi lex municipalis conceſſerit, uel princeps, iſue cui princeps conceſſerit, ut. ff. eo. l. iij. §. planè, Item interdictum ceſſat, puta ſiquis paratus ſit ſe iudicio defendere, & ſatiſdare, & de damno infecto cauere, ut ff. eodem l. iij. Datur quoq; ius ſemper aduerſus poſſeſſorem. datur in mandantem. datur in opus ſuo nomine factum ratum habentem. Quid ergo ſi tibi mandauero opus nouum in ſolo alieno facere, & tu alij? & tu teneberis, & ille: ego quoq; qui initium rei præſtiti. Sanè uno ex his ſatisfaciente cæteri liberantur: ſicq; cæterorum dolus impunitus relinquitur, quod eſt notabile, ut ff. eodem l. ſi ego. Sed ego ideo teneor, quia cauſa malorum fui, ut C. de ui l. ſiquis, & quia princeps delicti, ut ff. de ſerui. corrup. l. in hoc. Datur autem hoc interdictum, ut opus factum deſtruatur: & ſic ſeruitutum, & cæterarum utilitatum amiſſarum habebitur ratio. Item in interdicto quod ui, ſicut in interdicto unde ui, aut in litem iurabitur, aut ſi iurare actor non poſſit, nec uelit, iudicis officio erit æſtimandum, ut ff. eodem l. ſemper. §. in hoc interdicto. Datur autem hoc interdictum in eum, qui fecit, & non habet, ut ſumptus tollat: in eum, qui habet & non fecit, ut tollendi pacienciam præſtet, ut ff. eodem l. competit. Item in eum datur, qui dolo malo fecit culpaúe lata quo minus reſtituere poſſit, ut ff. eo. l. ſemper. §. eum. Datur hoc interdictum etiam in hæredes de eo quod ad hæredes peruenerit. Eſt autem hoc interdictum reſtitutorium, & anno utili ſopitur, computando ex eo tempore quo opus fuerit conſummatum, uel imperfectum fuerit derelictum, ut ff. eodem l. ſemper. §. hoc interdictum.

DE INTERDICTO QVOD CLAM.

INterdictum datur ei, cuius in ſolo opus factum ſit ſe cælato, ſolo inquam alterius (ſicut expoſitum eſt) iure dominij uel utiliter. Clam facit qui aduerſario non denunciat, ſiue controuerſiam futuram timeat, ſiue timere debeat: ne melioris conditionis ſint ſtulti, quàm periti. Item competit ſi aliter fecerit quàm denunciauerit, uel ſi ſerò denunciauit, uel ſi perfunctoriè, aut obſcurè denunciauerit. Sufficit autem denunciare procuratori domum, ut ff. eod. l. ait. Datur autem hoc interdictum & eis, & in eos, quibus & in quos ſuperius. Item interdictum quod clam, tale eſt & taliter, & in tantum datur: quale eſt, & in quantum datur interdictum quod ui.

DE AEDIFICIIS PRIVATIS. TIT. XIII.

AVdiuimus de ædificijs perperam factis deſtruendis, nunc audiamus de ædificijs tuendis atq; conſeruandis, & primum de ædificijs priuatis, poſtea de publicis. Et certe ædificia priuata aliquando extruere iubemur, aliquando inhibemur, aliquando permittimur. Item deſtruere aliquãdo iubemur, inhibemur aliquando, permittimur aliquando. iubemur domos facere, ſi fuerimus curiales in patrijs, quarum curijs deſeruimus, ut C. eo. l. ſingularum. Vetamur in alieno ædificare. Sed ſi non noceamus ædificamus, uel ſi aliâs ſine nocendi propoſito fontem prorſus uicini in noſtro fodientes auertimus, uel ædificantes uicino penitus lucem auferimus. ſibi enim quiſq;, ut tamen alij non noceat, ſtudioſè permittitur proſpicere, ut ff. de dam. infect. l. fluminum. §. ult, & de aqua pluui. l. j. & ff. de regu. iur. l. domum. Sed & tantum luminis relinquendum eſt alij ab ædificante, præſertim cauſam habenti, quod ſufficere ualeat ad moderationem uſus diurni, ut ff. de ſeruitut. ur. præ. l. Gaius. Permittimur loca plenè & prorſus noſtra ualere mirabili habitu circundare: ita tamen, ut modum uſitatum altitudinis non excedamus, ut C. eo. l. j. Sed permittimur caſtrum facere, ita tamen ut ad æmulationem non fiat, nec materiam ſeditionis præbeat, ut C. eo. l. per, & ff. de operi. pub. l. iiij. Inhibemur reficere quod deſtruendũ eſt, puta quod in publico factum eſt, ut ff. ne quid in pub. l. ij. Et iubemur tecta propria reficere & ſarta habere, ut ff. de off. procon. Permittuntur Iudæi ſinagogas reficere, non nouas fabricare. Permittimur & nos propria ædificia reſtaurare. Inde eſt quod ſi commune ædificium reficio, ſociuſq; tibi nolit reddere ſumptum, uel numum erogatum pro portione ſocij cum uſura centeſima poſtulabo, ut C. eod. l. ſi ut. Idem demoliri permittimur, iubemur, inhibemur. Permittimur demoliri ædificium, quod noſtrum eſt, etiam in urbe, ſi in ſtatum meliorem uolumus reformare. Iubemur demoliri quod contra publicam utilitatem, uel aliâs contra noui operis denunciationem extructum eſt. Iubemur noſtra ædificia demoliri cauſa neceſſaria negotiandi, & pœna imponitur ementi & uendenti, ut C. eo. l. ij. ff. & ff. de legat. j. l. cætera. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd ſiquis uelit mœniana cõſtruere, decem pedes intercapedinis ſemper debebit intermittere. Sanè caſualiter ſi is mœniana, ſiue alterius generis ædificia iuxta publicas ædes uoluerit extruere, quindecim pedum ſpacio interiecto debebit ædificare: ut tali interuallo & publicæ ædes à periculo uindicentur, & priuatus ædificator, uelut perperam fabricato loco, deſtructionis quandoq; futuræ non timeat detrimentum, ut C. eod. l. ſi cui. In alijs caſibus ita ædificetur, ſicut græca lege ſancitur, ut ff. finium regundorum.

De ope-

DE OPERIBVS PVBLICIS. TIT. XIIII.

AD deſtructionem & reſtaurationem portuum, aquæductuum, uallorum, & murorum publicorum omnes certatim facta pecuniarum & operarum collectione concurrere debent: neq; aliquis ab huiuſmodi conſortio dignitatis, uel religionis uel priuilegijs ſe excuſare debebit, ut C. eo. l. ad portus & authentica de eccleſiaſti. titul. & de priuilegijs Auguſtæ domus l. obſit. Quippe hoc onus eſt rei, non perſonæ, ut ff. eod. l. de muneribus l. honor. Nam & aliâs pro tributis res conuenitur, non perſona, ut ff. de publi. l. Imperatores. Et aliâs ſententia datur rei, non homini, ut ff. de nego. In talibus ad captandam immunitatem reſcriptum non ualebit, nec temporis præſcriptio contra urbis ornatum & commodum ac decoram ciuitatis faciem, prodeſſe poterit, ut ff. eod. l. j. & v. Imò ne ſplendidiſſimæ urbes uel opida uetuſtate labantur, de redditibus publicorum fundorum tertia pars deputata reparationi publicorum mœnium, uallorum atq; turmarum, ut C. eod. l. nec ſplendidiſſimæ. Sed & ſingularum urbium habitatores pro facultatum ſuarum uiribus ſunt æſtimandi, & operibus publicis extruendis, & reſtaurandis debebunt adſcribi, ut C. eod. l. omnes. In ſumma nemini iudicum liceat etiam in prouincijs noua opera in urbibus inchoare, prius quàm ea quæ incœpta inuenerit à deceſſoribus ſuis uetuſtate diruta, aut deſidia derelicta diligenti ſtudio, et inſtantia cõpleuerit. Cum ex hoc plurimum laudis adquirat, ſi ea culta & perfecta uendiderit, quæ uetuſta ſunt, & inſtaurationem requirũt: quæq; ab alijs initiata & imperfecta reſederant, ut C. co. l. ult.

DE RATIOCINIIS OPERVM PVBLICORVM, ET patribus ciuitatum. Tit. XV.

MAgiſtratibus ordinarijs olim permiſſum fuerat pro diſcuſſionibus ratiociniorum & ciuiliũ redituum, ſiliquam unam ex ſingulis erogandis ſolidis uindicare. uerum hodie patribus ciuitatum, & eorum neceſſitatibus hæc ſiliqua deputatur: ſi contra factum fuerit, ordinarius iudex quinquaginta librarum auri pœna feriatur: officialis, qui non reſtitit bonis perpetuò exulabit, ut C. eod. l. præſides. Ciuitatum autem patres (ut reor) ciuitatum ſunt defenſores. ſiquidem & plebi & ruſticitati parentis uicem exhibent: neq; tenuiores, id eſt ſuburbanos agricolas ſiue iniquis deſcriptionibus paciantur adfligi, ut C. eo. l. defenſoribus.

DE PIGNORIBVS ET HYPOTHECIS. TIT. XVI.

TRactaſſe me recolo de Saluiano interdicto, quod pro pignoribus intenditur, inde ſumpta occaſione de pignoribus loquamur. Sed quia pignorum alia ſunt cõuentionalia alia iudicialia: & cõuentionalia ſępius celebrant̃, à conuentionalibus ordiamur. Videamus itaq; quot modis pignus dicatur, & qualiter diſtinguatur, qualiter cõtrahatur, quæ actiones ex pignore naſcantur, & quibus cõpetant, & in quos intendantur, & qualiter creditores experiantur, & cõueniantur, & quales ſint actiones. Tribus modis dicitur pignus. Ecce pignus uocatur, mox ubi quid fuerit obligatũ: hoc magis propriè hypotheca appellatur. Item pignus dicitur quia cum ſit obnoxiatũ, etiã ſi fuerit immobile, traditur. Itẽ pignus propriè uocatur, quod duntaxat mobile traditur. inde appellatur quia pugno. uel manu tradit̃, ut ff. de uerb. ſignifi. l. plebs. § pignus. Pignora quædã ſunt cõuentionalia, ſpecialiter appellant̃ prætoria. Quædã remanent in generali nomine, id eſt quæ capiuntur in cauſam iu-

dicati,& ſimpliciter uocantur iudicialia,de his inferius. Cōuentionalia alia ſunt expreſſa,alia tacita:de tacitis poſtea dicemus,de expreſſis illico audiamus. Expreſſum pignus conuentionale re perficit,ut pignoratitia oriatur directa,utilis, cōtraria.de his ſuperius in quarto tractatur. Pignus ſolo cōſenſu cōtrahitur,ut actio realis,id eſt quaſi ſeruiana(quæ nominatur hypothecaria) naſcatur. Inter pignus enim & hypothecam,quantum ad hypothecariam pariendam,nihil niſi in ſolo nomine differt. Competit enim hypothecaria etiam ante rei obligatæ, id eſt pignoris,hypothecæúe traditionem,ut ff.eo.l.res. Sed hypothecaria æquiuocè dicitur pignoraticia,ut ff.de pig.act.l.rem. Obligationi omnino reprobatæ etiā naturale pignus accedit. Tenetur creditor poſt pignoris obligationē etiā de cuſtodia, & de dolo,uel lata culpa,& leui poterit argui. Sanè ſi caſu fortuito,culpaúe amiſerit,nō tenebitur. Nec ideo minus totū debitum repetit, niſi ſuo uicio in caſum fortuitū incidiſſet,uel niſi cōueniſſet,ut pignoris amiſſio debitorem liberaret,ut C.de pig.l.quamuis. Datur hypothecaria creditori,& ſuo hæredi,cōtra debitorem,& ſuum hæredem etiā pignus nō poſſidentem. Datur contra extraneū etiā titulo à debitore poſſidentem.datur et in eū,qui dolo malo deſijt poſſidere. Nec eñ debitor uendēdo,donando,aliàsúe alienādo creditoris ignorantis poterit conditionē reddere deteriorem:imò res alienata cū obligationis onere tranſiuit ad acceptorē,ut C.eo.l.debitorem. Ex tempore iure ſingulari:niſi hæres facto repertorio uendiderit.tūc enim emptor hypothecaria nō conuenietur,ut C.de iure deliberan.l.ult.§ ſi uero. Sed nec creditor ſi in alienatione pigno. tacuerit,ius ſuū amittit:cū ius ſuū ubiq; durare putauerit,ut ff.q.mo.pignus ſolui.l.ſicut. Sanè in modo experiendi hodie differentia eſt. ecce eñ olim creditor poterat primò perſonaliter agere,poſtea realiter,id eſt per hypothecariam uel ecōtra. Sed hodie diſtinguitur ita,ſi debitor poſſideat, alius eius nomine pignus detineat etiā iure uetuſto:ſuo arbitrio creditor pſonaliter, & realiter poterit experiri. Extraneo uero poſſidente inhibetur hypothecaria,niſi primū debitores principales,& interceſſores,& aliæ hypothecę apud eos cōſtitutæ excutiantur,et excuſſi,excuſſæq; nō ſufficere inueniantur,ut C.eo.authen.hoc ita ſi debitor ei nō ſatisfaciat ex pretio rei uēditæ,quod ut fiat permittitur ei uendere. Excipitur,niſi debitor,ſi uolet,aggredietur emptorē:præſertim ſi cōuenerat cū debitore,ut ex pretio rei uenditæ ſibi faceret ſolutionē:uel forte ſi nō cōuenerit, ut C. eod.authen.hoc ſi debitor ei nō ſatisfaciat. Hæc in prouincia frequentatur,uel (ſicut quidā dicūt)hæc authen.ſic exponatur,ut primo debitor oīs excutiatur. Itē excipitur & iuriſdictio temperanda eſt. ecce eñ ſi quædā tibi primò fuerant ſpecialiter obligata,& poſtea generaliter oia: & poſtea ex illis alijs tibi generaliter obligatis,quis à debitore aliqd emerit,uel aliàs acceperit, nō debebit poſſeſſor inequitari de æquitate:licet ualeat de rigore hypothecaria intentari:ſi bona primo ſpecialiter tibi obligata ad uniuerſi debiti tui ſolutionē iudex cōperit poſſe ſufficere,ut C.eo.l.ij. Illud ſanè notandū eſt,ꝙ ſi creditor pepigerit cū debitore ut nō reddita,ſibi pecunia pignoris poſſeſſionē liceat occupare, etiā debitore reſiſtente pòterit occupare. Et licet uerè nō faciat,tñ nō uidetur uim facere. Cæſarę & interpretū interpretatione, id eſt lege Iulia nō poterit accuſari,nec cadet à iure crediti,ut C.eo.l.iij.& C.de pigno.l.penult. Illud cōſtat ꝙ hypothecaria,eſt & arbitraria,& in rem,ut C.eo.l.iij. Annis xxxx.actio hypothecaria ſopitur,ſi cōtra debitorē uel debitoris hęredē intenditur. Annis xxx.eliditur,ſi cōtra extraneū titulo poſſidentē,ſed mala fide dirigitur. Cōtra poſſidentē titulo,bonaq; fide, uicēnio,decēnio ſopitur,ut C.ſi aduer.credito.l.j. Ergo per pſcriptionē hypothecaria eliditur,nō per uſucapionē. quia uſucapio nō extinguit pignoris cōuentionem,ut C.eo.l.uſucapio. Nec eñ uſucapio prodita eſt,ut uel pſcribat, uel muniat,elidat:ſed ut dominiū prorſus aſſumat. Siquidem uſucapio nō eſt pſcriptio nec proprie exceptio,ſed dominij adiectio,ſiue adquiſitio,ut ff.de uſuca. l. iij.

IN QVI

IN QVIBVS CAVSIS PIGNVS TACITE CONTRAHITUR. Titulus xvij.

PIgnus tacitè contrahitur tribus modis, odio, fauore, ratione cauſæ. Propter odium, ecce matris bona omnia tacitè erunt obnoxia, quę liberorum tutela ſuſcepta ad ſecunda contra ſacramentum aſpirauerit uota: antequam tutorem eis alium fecerit ordinari. item mariti quoq; eius qui eam accepit omnia bona tacitè tenebuntur obnoxia, ut C. eod. l. ſi mater. Ex fauore omnium bona omniū debentium tributa tacite ſunt fiſco obnoxia. Item eorum bona qui cenſiti ſunt à præſidibus ad aliquam præſtationem extraordinariam Cæſari dependendam tacitè erunt obligata, ut C. eod. l. j. Item bona contrahentis cum fiſco, ut Cod. eod. l. ij. Item bona quaſi contrahentis, ut ex primipilo debentis. hoc in caſu etiam uxoris primipilarij bona, non paraphernalia, ſed dotalia tacitè obligantur ſed tantum in defectum, id eſt uiri ac nominatorum facultatibus exhauſtis obligata uenduntur, ut C. eod. l. iiij. forte & citra contractum bona delinquentium in fiſcum tacitè redduntur obnoxia. Item ratione fauoris mariti bona tacitè ſunt obligata pro dote reddenda, ut denuo nubat, & ciuitatem hominibus repleat. Item bona uiri pro dote præſtanda ne indotata permaneat, ne perpetuò lugeat, ne à uiro reijciatur: ſed affectu à ſuis delegatur, ut C. de rei uxor. act. rem in præ. ratione cauſæ tacitè obligantur fructus prædiorum datorum pignori & partus animalium: non tamen ea, quæ ex eorum pretio comparantur, ut C. eod. l. iij. Item inuecta, illata à domino ut ibi ſint perpetuò, locatori tacitè obligātur, pro damno, pro mercede illata in fundum locatore conſcio: in domum etiam ignaro, ut C. locati l. certi. Item tutoris & curatoris omnia bona tacite pupillis & adultis redduntur obnoxia, ut C. de adminiſtra. tuto. l. pro ſocio. Item bona paterna filijs tacitè obligantur pro adminiſtratione ipſorū filiorum, ut C. de bon. quæ libe. l. cum oportet. Item matris bona tacitè obligantur, ſicut paterna pro nuptialibus lucris filijs conſeruandis, ut C. de ſecun. nupt. l. hac. & l. ſi quis. § ultimo. hic enim filij matris, ſicut nec patris adminiſtrationem (quod eſt notabile) nō debent perſcrutari. Item pro paraphernis, & pro donatione propter nuptias mariti bona omnia tacitè obligantur, ut C. de iur. dot. l. v. Item ſi quis crediderit in domum reficiendam, tacitè & ad nauem armandam, hæc erunt obligata, ut ff. qui poti[illegible]. interdum. Secus ſi crediderit, ut quid fabricetur ex nouo: licet uideatur idem, ut ff. eod. l. j. Item ſi quis crediderit pecuniam debitor mox comparauerit militiam, ſiue ex pecunia, ſiue ex alia re: quia tamen ex ea comparaſſe præſumitur dum tamen contrarium non probatur, illa militi à fœneratore tacitè erit obligata per C. indiſtinctè. Hodie per authen. ita demum fœnerator allegabit priuilegium, & præponetur ſi ad hoc mutuauerit ut militia emeretur. alioquin licet ſibi ſit tacitè obligata, non tamen in eo præfertur, licet mutuauerit ut emeretur: ſed ſi filij uel uxor defuncti ſint in medio eis debebitur. Ergo ſi nec uxor, nec filij ſint in medio, tunc alijs creditoribus hoc priuilegium datur, ut C. de pignor. authen. quod obtinet. Item ſi quis pro aliquo fideiuſſerit, cui fideiuſſoris res ab illo pro quo fideiuſſerit, pignori antea data fuerant: & nūc res hæredi pro debito, pro quo fideiuſſor fideiuſſit, tacitè erunt obligatæ, ut ff. eod. l. quinta. Nam & aliâs à ſimili, uel à contrarijs, ſi fideiuſſorem accepiſti à colono tuo, cum quo tibi conuenerat, ut inuecta & illata tibi pignori eſſent, donec merces ſoluta aut ſatisfactum foret: etiam illata pignori eſſe deſinunt, ut ff. qui. mo. pig. ſol. l. penult. Item pro derelictis præſtandis, omnia bona relinquentis tacite ſunt obligata, ut C. commu. de legat. l. j.

SI ALIENA RES PIGNORI DATA SIT. TITVLVS XVIII.

SI aliena res pignori de facto datur, regulariter de iure nihil agitur, uerum ſi tutor rem pupilli, procurator etiam aliâs rem domini obligauerit: & pecunia ſumpta in utilitatem pupilli & domini uerſa fuerit: licet hypothecaria nõ naſcatur, creditori tamen exceptio datur, ut C. eod. l. j. & ff. de pigno. l. j. § j. Item ſi amicus debitoris eius pignora liberauerit citra emptionem, licet ſi ſua pecunia non ei actio detur, exceptio tamen tribuitur, ut ff. quib. modis pigno. ſolui. l. j. Regulariter dixerim, quia etiam res aliena aliâs obligatur ex poſtfacto, aliâs ab initio. Ab initio aliâs pendet, aliâs ſtatim ualet. Pendet, quia conditio expreſſa eſt. res enim aliena obligatur utiliter ſub cõditione, ſi in debitorem facta fuerit, ut ff. de pigno. l. ſi fundus. § . aliena. Propter conditionem tacitã obligatio quoque pendet. ergo tenet. Ecce enim ſi obligatur id, quod in utero portatur, quia in occulto moratur: ita obligabitur, ſi naſcatur. Ab initio res aliena, & pure, & ſtatim, & utiliter obligatur quatuor modis: domini uoluntate præcedente, domini ſubſequente uoluntate, ut ff. eod. l. ſi in rem. Domini quaſi uoluntate, ut ſi domino uidente, & non reclamante rem ſuam pignoraueris, pignori erit. Nam etiãſi debitor creditoris pignus creditore uidente & tacente alienauerit, pignus deperit: ſi tamen ius ſuum ubiq; durare neſciuerit, ſed etiamſi durare ſciuerit, ut ff. qui. mo. pignus ſol. l. ſicut. § non uidetur. Sanè ubi quis non obligatam etiam donauerit, & tradiderit: licet tacuero, cum tamen factum nullum in eum interpoſuero, mihi non præiudicauit. Excipitur niſi frater fratris rem cõmunem plurium fratrum ſcientibus illis donauerit. Tunc enim illorum fratrum portio uxoris efficitur, licet non auri, quia inhibita eſt, donatio eſt: hocq; facit fauor geminus, fraternitatis, & cõnubij, ut ff. de donat. inter uirum & uxorem l. ſi ſeruus. Item retinente domino res eius utiliter obligatur. Nam cum Imperator executor creditori ualeat alienare, promptius poterit obligare. Sed tutori permiſſum eſt pro inſtitutione pupillaris cauſæ rem pupilli etiam immobilem obnoxiare, ut C. de adminiſtra. tuto. l. ult. Ex poſtfacto rei alienæ pignus conualeſcit, ſi domino obliganti ſucceſſerit, dominóue is qui obligauerit, ut ff. de pigno. l. ſi Titio. Item ſi is qui obligauerit aliâs dominus factus fuerit: ſiquidẽ improbè reſiſtit debitor quo minus utilis hypothecaria moueatur. Quia uel tacite de pignore conuenerit, ut ex ſuo mandato arguatur, ut ff. de pigno. l. res.

QVAE RES PIGNORI OBLIGARI POSSVNT, VEL non, & qualiter pignus contrahatur. Titulus xix.

PIgnus contrahitur expreſſim, tacitè. Expreſſim & ſpecialiter, & generaliter, ut habeat illa quæ ualeant obligari. nam militum præmia pro coronis penſitanda priuata pactione pignorari minimè admittendum eſt, ut Cod. eo. l. ſpẽ. Obligantur omnia & præſentia & futura, id eſt et habita, et habenda, & quæ ſperantur haberi, ut ſtatuliberi, ut ff. de pignor. l. grege. Sed nec obſtat quod dicitur, creditorem probare debere rem cum obligatur in bonis debitoris fuiſſe: hoc enim obtinet, cum res ſpecialiter obnoxiabitur, ut ff. de pig. l. & quæ. In generalem obligationem ueniunt uniuerſa, et pecuniarum ab alijs creditoribus acceptarum corpora, & ex illis quælibet comparata, ut ff. de pignor. l. penult. Excipiuntur ea, quæ ueriſimile eſt debitorem obligaturum non fuiſſe: ut ſunt, liberi naturales, concubina, fœnoralia, & his ſimilia. Nec inſtrumenta quibus terra findi-

ſcinditur, & aratur, ritè capiunt executores, ut Cod. eod. l. executores. Non obligantur incorporalia, ut actiones, ſeruitutes perſonales, & reales, ruſticæ, urbicæ, ut ff. de pignor. l. ſi quis. Corporalia obligantur, ſed non omnia, quia nō publica, non ſacra, non ſancta, non religioſa, non libera corpora: niſi caſualiter, ut pro redimendis captiuis propter neceſſitatē famis, ut Cod. de eccle. l. ſancimus. Sed & pater rite uendit filium ſanguinolentum, propter nimiam paupertatem: multo fortius etiam obligabit, alioquin eius obligatio non tenebit. Corporalia obligantur, & ea quæ plenè ſunt in dominio, ut ſuperficiaria, ita tamē ut potior ſit cauſa dominij, ut ff. qui potio. l. etiam. Excipiuntur ea quæ ſunt uetita alienari, ergo obligari uetita à cōtrahente, à teſtatore, à lege, ut eccleſiaſtica ꝑdia: niſi in caſibus exceptis authentica, conſtitutionibus, uel ſenatuſconſultis, ut minorum prædia: niſi cum decreto uendantur, & aliàs ubi decretum non exigitur, ut C. quando decre. op. non eſt. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd ſi quis ob emptiones agrorū obligauerit emptionalia inſtrumenta, ipſos agros obligaſſe uidetur, ut C. eod. l. ij. Item ſi donauerit, ut C. de donat. l. prima.

QVI POTIORES IN PIGNORE HABEANTVR. TITVLVS XX.

ET quia creditores de quibus diſſeruimus, alij ſunt potiores, alij inferiores, qui ſint potiores exponamus. Potior eſt creditor alio creditore tribus modis: ratione cauſæ, ratione temporis, & ratione perſonæ. Ratione cauſæ potior eſt creditor etiam poſterior, qui credidit in domus refectionem. eius enim pecunia primi creditoris ſaluam fecit pignoris cauſam, ut ff. eod. l. interdum. Ratione temporis potior eſt creditor, qui prius de pignore conuenit: ſi tamen prius ſua, quàm poſterioris creditoris intereſt, ut ff. eod. l. potior. Sed & maritus cui dotem primo promiſit (habetur em̄ pro numeratione) potior erit: licet alius qui promiſſori pecuniam prius crediderit, pignus prius ab eodem acceperit, ut ff. eodem l. j. Quid ergo ſi ſub conditione facta ſtipulatiōne hypothecam accepit, deinde prioris ſtipulationis conditio extiterit? perinde habetur, ac ſi illo tempore quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta fuiſſet, ut ff. eodē. l. potior. Porrò ſi colonus conuenerit, ut inducta pignori eſſent, & antequam induceret alij pignorauerit, ut poſterior erit. quia hæc conuentione hypothecantur, ut ff. eod. l. potior. § ij. Ergo ſi priuatus prior pignus acceperit, fiſco poſtea cum eodem debitore contrahenti præferri debebit, ut ff. eod. l. ſi pignus. Quippe præualet iure qui prçuenit tempore, ut Cod. eod. l. ij. Excipitur quia poſterior interdum eſt prior, ratione rei, ratione delicti, ratione probationis ſemiplenæ. Ratione rei, ecce ſi quis cui crediderit, ut prædium emat emptumq́; ſibi obligetur, illi creditori præfertur: quia antea cum eodem debitore contraxerat, & ut omnia etiam obuentura bona ſibi obligata forent, conuenerat, ut C. eodē. l. licet. fecit enim iſte ut pignus exiſteret. Ecce em̄ ſi quis à Titio mutuatus, pactus eſt cum illo, ut prædium pignori eſſet, hypothecæúe: deinde mutuatus eſt pecuniam à Meuio, & pactus eſt cum eo: ut ſi Titio deſierit prædium teneri, ei teneatur: deinde loco tertio aliquis tertius mutuam pecuniam debitori dat, ut primo creditori, id eſt Titio ſoluatur, & paciſcitur, ut idem prædium ei ſit pignori, hypothecæúe, & locum Titij, id eſt primi creditoris ſubeat. Certe iſte Titius potior eſt quàm medius duplici ratione, & quia ſucceſſit in locum primi (ergo factus eſt primus) & quia fecit ut primo creditori pignus teneri deſineret, ſicq́; ut medio pignori eſſe poſſit, ut ff. eod. l. ſi prior. § quarto. Ratione delicti: ecce enim ſi poſſeſſor forte creditor cōuentus hypothecaria, negauerit eius rem eſſe, cuius actor

aſſeuerat: ſed & de mendatio conuictus dixerit ſe in hypotheca anteriorem eſſe, tamen (licet ſit uerum) actori debebit poſſeſſionem reſtituere: ſicq́ qui fuerat prior, fit poſterior ut Codicis eodem. Ratione ſemiplenæ probationis, in hunc modum prior fit poſterior: & econtrà. ecce enim ſi idiochiris ſiue teſtibus confectis, uel tantum cum duobus pignus primo acceperis, tibi præfertur quia poſtea acceperit & in publicis inſtrumentis: niſi forte probatæ atq; integræ opinionis trium uel amplius uirorum ſubſcriptiones eiſdem idiochris, id eſt priuatis inſtrumentis contineantur. tunc enim prius acceperit, & prior erit potior, ut C. eod. l. ſcripturas. Ratione perſonæ præfertur fiſcus etiam prioribus creditoribus tacitis hypothecis intercedentibus: præterquam mulieribus, imò mulier in dote repetenda fiſco præfertur, qui tamen omnibus creditoribus præfertur, ut C. eod. l. ult. In hoc tamen articulo (ſicut ſuperius diſtinctum eſt cum loqueremur de dotis priuilegio) tres uertuntur ſententiæ. Sanè illud notandum eſſe puto, quòd ſi tacitæ hypothecæ cœperant non à marito, ſed à deceſſore mariti, in his mulier non præfertur. Sed & ſi mulier de mobilibus dotem auxerit, cum de immobilibus dotem augere potuerit, pro tali augmento mulier non utitur priuilegio, ut C. de donat. propter nupt. authen. ſed iam. Item illi argumento reſpondendum cenſeo, quod eſt: mulier præfertur pignoraticio creditori? reſpondeo, non ſequitur, & falſifico. ego te diligo, & tu diligis illum. item ego debeo tibi ſeruire, quia feudũ à te habeo, et tu debes ſeruire illi à quo iſtud feudum detines: ergo compellor ego illi ſeruire, non procedit. Item uxor excludit mariti ſui filios ſpurios, & ſpurij excludunt agnatos: ergo uxor excludit agnatos non ſequitur.

DE HIS QVI IN PRIORVM CREDITORVM LOcum ſuccedunt. Tit. xxj.

EXplicauimus de illis creditoribus qui ſunt potiores directo & principaliter, nunc audiamus de illis qui ſunt potiores per ſucceſſionem. In locũ prioris creditoris aliquando ſuccedit alius creditor, aliquando non. Creditor ſecundus quoq; cui pignus fuit obligatum, offerendo priori creditori debitum: ſi tamen ſoluerit, uel ſolenniter depoſuerit, ut C. qui potio. l. j. Cōpetit enim ſecundo creditori ius offerendi, ſed priori nec expedit offerre, nec neceſſitatis moleſtia irrogatur, ut C. qui priores l. prior. Alius creditor, cui pignus non eſt obnoxium, uel quilibet nō creditor tribus modis ſuccedit in prioris creditoris locũ, ſi creditori ſoluendo, debitori mutuando, & à debitore pignus emendo. Si creditori ſolueris, & paciſceris ut in eius locũ ſuccedas, ſuccedis, & prior factus eris. Similiter ſi numeraueris pecuniam debitori eo adiecto, ut luat pignus ſoluendo creditori. Ita tamen, ſi etiam adieceris in locum prioris ſuccedas: & præterea ita demum, ſi pecuniæ acceptor illam pecuniam illi creditori ſoluat. Tribus ergo opus eſt in mutuando, ut fiat ſucceſſio: ſed in ſoluendo ſufficit de ſuccedendo cũ debitore facta ſimplex pactio, ut C. eo. l. j. & ij. Non exigitur ubi pecunia priori creditori ſoluitur, ut debitore certiorato de ſuccedendo pactio cum creditore ineatur. Item ubi pecunia creditori mutua datur, ut ſoluatur & ſuccedatur, non exigitur, ut creditor certioretur, ſi emeris à debitore, uel à poſteriore creditore. Duobus intercedentibus potior efficieris, ut ſuccedas in locum creditoris anterioris, ſi eo pacto pretium uenditori ſolueris, ut tuo pretio creditor potior dimittatur, & dimiſſus inueniatur. Nec enim ſufficit pepigiſſe ut pretium numeretur creditori, niſi fuerit numeratum, ut C. eodẽ. l. ſi potiores, & ff. qui pot. l. qui à debitore.

SI ANTIQVIOR CREDITOR PIGNVS VENDIDERIT. TITVLVS XXII.

VT hypotheca tollatur, maneatúe, diſtinguitur uendat pignus creditor prior, poſteriorúe debitor. Si anterior creditor uendiderit, uel is qui ab eo pignus pignoraúe accepit, ut Cod. ſi pignus pignori datum ſit l. ij. & cæteris creditoribus hypothecaria permittitur. Excipitur niſi uendiderit poſteriori creditori. tunc enim poſterior creditor non tam adquirendi dominij cauſa, quàm obſeruandi pignoris gratia emiſſe intelligitur: & tunc cæteris creditoribus ius offerendi relinquitur, ut ff. de diſtract. pigno. l. cũ forte. Excipitur, ſi ex pacto quod fecerit creditor cum uenderet, ut debitori liceat pignus recuperare pretio ſoluto emptori, debitor pignus recuperauerit. Porrò ſi debitor pignus in ſolutum cuicunq; dederit, uel donauerit, uel priori creditori uendiderit, uel in ſolutum dederit: creditoribus ius offerendi competit, & hypothecaria ſalua manebit, ut Codicis eodem lege prima.

SI COMMVNIS RES PIGNORATA SIT. TITVLVS XXIII.

REm ſibi communem cum alio nullus inſolidum obligare poteſt: niſi ſocius maior, compos, non prodigus, antea, poſteàue conceſſerit. Sanè ex priuilegio fiſcus rem communem inſolidum alienare poterit, & obligare.

DE PRAETORIO PIGNORE, ET VT IN ACTIONIbus etiam debitorum miſſio prætorij pignoris procedat. Tit. xxiiij.

PIgnus prætorium contrahitur, ſi prætor uel præſes, legatorum & rei ſeruandæ cauſa quem in poſſeſſionem bonorũ debitoris decreto miſerit. Conuenit autem cum minoribus conuentionibus pignus (ſicut dictum eſt) quia, ſicut corporalia & incorporalia conuentionaliter obligantur, ſic & cauſa debiti à iudicibus poſſidenda traduntur. Item pignoris, ſicut etiam conuentionalis, ab Imperiali culmine dominiũ impetratur. item pro utroq; pignore perſequendo hypothecaria decernitur, ut C. eod. l. ij. Differt, quia pignus conuentionale, ſola conuentione contrahitur: prætorium, non niſi per miſſionem in poſſeſſionem cõſtituitur. Item cõuentionalis pignoris dominiũ non niſi per maiorem iudicem habere poſſumus, ſed prætorij per executorem. Item conuentionalis creditor etiam de leui culpa tenetur: prætorij pignoris poſſeſſor, non niſi de lata arguitur, nec fulcire compellitur, ut ff. de rebus. uendit. l. prætor, & ff. de dam. infect. l. ſi finita. § ſi quis.

SI IN CAVSA IVDICATI PIGNVS CAPTVM ſit. Titulus. XXV.

DIximus de tribus generibus pignorum, de conuentionali expreſſo, tacito, prætorio: nunc audiamus de eo quod capitur pro iudicato exequendo. Olim poſt duos menſes pignus in cauſam iudicati captum diſtrahere licebat, ut ff. de reg. iur. l. debitoribus: uerum hodie non licet niſi poſt quatuor menſes. Capta ergo ab executore res debitoris pignori poterit diſtrahi, non iure dominij regulariter uictori adiici: ſi tamen emptor non extiterit uel extiterit, ſed non di-

gnum pretium obtulerit, actor cuiuslibet alterius uice ex officio emere poterit, ut C. eod. l. ij. Sed & ſi calliditate condemnati emptor inueniri non poterit, tunc creditor autoritate principis dominium impetrabit, ſicut inferius de iure domi-nij impetrando plenius aduertere licebit. In ſumma illud notandum eſt, quòd cum executor pignus tali diſtrahit, creditor habens ex conuentione debet conſentire, pro iudicato danti aliquem, qui uelit emere, & illi creditori conuentiona li ſoluere, ut ſibi uictori poſtea ſatisfacere, ut ff. de re iudi. l. à diuo. Item illud no tandum eſt, quòd huius pignoris nomine hypothecaria competat non memi-ni legiſſe.

SI PIGNVS PIGNORI DATVM SIT. TIT. XXVI.

Pignus pignori dari poſſe iamdudum placuit, & tamdiu actio & retentio creditori ſecundo dabitur, quamdiu utraq; pecunia debetur. Ergo ſi utraq; perſona non fuerit debita, quod contingit utraq; ſoluta; uel etiam altera credi-tori, res deſinit obnoxia teneri.

DE PARTV PIGNORIS ET OMNI CAVSA. TITVLVS XXVII.

Sicut agitur hypothecaria actione pro ancillis quæ fuerunt pignori, ſimiliter & ea quæ ex his fuerunt nata tenebuntur obnoxia. hoc itaq; ſi apud debito rem cōceperint. Si uero apud alium concepiſſent et peperiſſent, obligata non fo rent, ut ff. de pignor. l. Paulus.

DE REMISSIONE PIGNORIS. TIT. XXVIII.

Audiuimus qualiter conſtituatur pignus, nunc audiamus qualiter diſſolua tur. Diſſoluitur pignus duobus modis, creditore uolente & remittente. Pi gnus ſoluitur dico tribus modis, per ſuum factum, debitoris, per factum tertiæ perſonæ. Per ſuum factum creditore remittente pignus diſſoluitur: puta ſi credi tor pignus deterius reddiderit, ut ff. de pignora. act. l. ult. Item ſi proſtituerit uel quid aliud improbatum fecerit uel facere coēgerit, ut ff. de pigno. act. l. elegan-ter. Idem ſi nouauerit, uel actionem in alium perperam tranſtulerit, ut C. ne li-ceat petenti l. ult. C. man. l. ult. Per diuerſas perſonas, per factum debitoris re-mittente etiam creditore pignus deperit: ſi debitor, qui ſit ſoluendo, ſeruum ge-neraliter obligatum manumiſerit, ut C. de ſeruo pignori dato. Per factum tertię perſonæ etiā remittente creditore pignus intercidit, ſi Imperator, executor, cre-ditor prius rem ſibi pignoratā alienauerit, ut C. de quadriennij præſcript. l. be-ne à Zenone. Remittente creditore pignus diſſoluit tribus modis, facto, ſilētio dicto: proprio facto tacito, & expreſſo. Tacitè, ut ſi cōuenerit de debito non pe-tendo, quia tacitè etiam de hypotheca conueniſſe uidetur, ut ff. eod. l. ſoluitur. § primo & ſecundo. Expreſſo dicto, id eſt expreſſo pretio, puta ſi creditor pepi-gerit, ne res pignori ſit, etiam ſi ſit filiusfamiliās, ſeruusúe: ita tamen ſi liberam adminiſtrationem habuerint, & pretium pro actione acceperint, ut ff. eod. l. ſi-cut. § ij. & vj. pacto inquam utili, inutili minimè. Vnde diſtinguitur inutile ſcili cet propter metum, uel dolum, an propter iuris, quod eſt poſitiuum, adminicu-lum. Siquidem dolo metuúe extortum pactū, nec pignus perimit nec debitum, ut infra eod. l. debitum. Secus ſi deeſt iuris artificium. ecce enim ſi maritus uxo-ri uendidit, ualet remiſſio: quia inter coniuges donatio non ualeat, pignoris ta-

men facta eſt diſſolutio, ut ff. eod. l. j. § ij. & in hoc caſu hoc ualet & procedit, de quo non fuit cogitatum: & id non ualet quod maritus creditor ualere uoluerit. Nam & aliâs pactum interpoſitum non incontinenti ad agendum, licet non pariat actionem, parit tamen exceptionem, ut ff. de cōtrahen. empt. l. pacta. Facto proprio creditori pignus diſſoluitur. ecce ſi defenſor abſentis pro iudicato ſoluendo pignora dederit, & poſtea dominus iudicium in ſe tranſtulerit pignus deperit, ut ff. eod. l. j. Item ſi creditori iureiurando, uel alio modo, ſicut ſibi placuerit ſatisfactum fuerit. nec enim prodeſt debitori uelle ſatisfacere, ſed ſatisfeciſſe, ut ff. eod. l. ſoluitur. imputet enim ſibi creditor qui admiſit debitorem minus idoneum, & confecerit nomen bonum. Item remittitur facto ut redditione chirographi, nō pignoris ut ff. de pact. l. Labeo. Diſſoluitur ſilentio, puta ſi creditor uendens pignus ſuum durare crediderit: multo fortius, ſi inſtrumentum ſcripſerit, ut ff. eod. l. ſicut. § non uidetur. Item diſſoluitur ſi aliâs ei conceſſerit, ita tamen, ſi purè: ſecus ſi ſub conditione, ita tamē, ſi res uendita ſit. nec enim ſufficit uendendam conceſſiſſe, niſi & uenditum procedat, ut ff. eo. l. ſicut. § ſexto. ita ſi de iure uenditio ualeat, ut ff. eod. l. ſi debitor: & ita ſi uenditio durat: nam ſi res ſpecialiter obligata conſenſu creditoris uendita ad debitorem redierit, hypothecaria doli mali replicatione intendi poterit. ineſt enim doli mali replicatio tranſlata ad præſens tempus ut ff. eo. l. ſicut. § viij. & l. ſi uoluntate. Quid ergo ſi creditor conceſſerit debitori ut uenderet & donaret? creditori non oberit: niſi in dotem dederit. uidetur enim uendidiſſe propter onera matrimonij: econtrà ſi cōceſſerit creditori debitor quod eſt amplius, id eſt ut donet uidebitur cōceſſiſſe ut uendat quod eſt minus: niſi forte ideo conceſſerit donari, quod amicus fuerat creditoris, is cui donabatur, & ideo tunc creditor non repellatur, ut ff. eod. l. ſicut. § ſi debitor. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſi debitori conceſſerit creditor ut uenderet, licet non ipſe, ſed eius hæres uendidit, creditor tamen repelli debebit. hæ ſubtilitates à iudicibus non admitti debent, ut ff. eod. l. ſicut. § antepenult. Item illud notandum puto, quòd ſi creditor ſeruum ſibi obligatum, etiam ſpecialiter à debitore manumitti uiderit, etiamſi ius ſuum durare putauerit, ſi tamen non contradixerit, fauore libertatis ius pignoris amittit, ut C. codē l. ij. Item illud notandum eſt, puta quòd ſi creditor pignoris uenditi pretium ab emptore ſeruare non potuit, cum tamen id ſuo uicio non contigerit, debitorem etiam adhuc obligatum habebit: quia ex neceſſitate facta uenditio, niſi pecunia accepta non liberat debitorem, ut ff. de diſtract. pigno. l. quæſitum. Item notandum eſt, quòd dominij impetratione pignus diſſoluitur, ut inferius tractabitur. Item nouatione uoluntaria, puta delegatione, pignus intercidit (ſicut ſequens titulus explanabit) non tamen pignus deperit neceſſaria nouatione, ut iudicatione: habet enim hypothecaria ſuas conditiones, ut tamdiu uigeat, etiam poſt iudicationem, quandiu fuerit ſolutum, uel aliâs ſatisfactum, ut ff. de pig. l. grege. § & ſi.

ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM PECVNIAM pignus teneri. Tit. xxix.

CElebrata ſolutione uel eo interueniente quod habetur pro ſolutione, pignus reſtitui debere proditum eſt regulariter. Porrò inuenitur caſualiter non debere reſtitui, niſi ſoluatur & aliud, & debitum puta chirographarium. ergo nō illud duntaxat propter quod pignus fuerat obligatum. nempe in hunc modum Rubrica inſcribitur. Etiam ob chirographariam pecuniam pignus te-

neri,id eſt non tm̃ per illam, propter quam pignus fuerat obligatum,ſed etiam propter aliam ut chirographariam,pignus poterit retineri. Simili æquitate puto,quòd poterit retineri ob tertij generis pecuniam , id eſt quæ neq; pignoratitia,neq; chirographaria eſt,ſed aliàs ſimpliciter debita , ſicut in fine ſumat Conſtitutio iſta. Alij dicunt chirographariam tantum pecuniam uerbis Rubricæ inhærentes poſſe retineri. Similiter inquiunt Iudaizantes quidã propter pecuniã tantũ numeratam,ſed ego uno nomine rem omnem intelligo. Poterit,inquam, pignus retineri,quaſi diceret non ſolum retinetur propter eam, pro qua eſt obligatum,ſed etiam ob chirographariam , id eſt eam quæ debetur ſine pignoris obligatione. Ecce enim obligatum cõſentiente creditore debitor pignus uendidit,& emptori creditori delegauit,pignus equidem intercidit:uerum ſi creditor cum emptore ſibi delegato pepigerit,ut res empta, quæ ſibi primo pignori fuerat obligata,& adhuc teneatur , quandiu debitum , propter quod pignus illud fuit ſibi obligatum,ſoluatur:& propter aliud debitum , & chirographarium,& nõ chirographarium,pignus tenebit(ſicut expoſitum eſt) ſed nõ uenundabit, nec perſequetur. Sane debitor pignus ſuum aliàs liberare uolens nõ cogitur offerre aliud , niſi debitum propter quod fuit obligatum : etiamſi chirographaria uel non chirographaria pecunia debitoris fuerat. Sed nec emptor cõuentus hypothecaria ut reſtituat,neceſſe habet reſtituere aliã pecuniam , quàm illam propter quam hypotheca ſibi uendita obligata fuit:niſi fuerit delegata , ſicut ſuperius expreſſit caſus. Sed nec ſecundus,niſi confirmet ſibi pignus,cogitur offerre aliud debitum,quàm illud ſolum propter quod fuerat obligatum, ut C.eod.

DE DISTRACTIONE PIGNORVM. TIT. XXX.

NOn celebrata ſolutione , nec eo interueniente , quod habetur pro ſolutione,pignus expedit diſtrahere. Ergo uideamus quando poſſit diſtrahi,& quibus modis,& qualiter pignoris uenditio ſit facienda. Pignus ritè diſtrahitur ſi debitum ſit ſolutum,uel aliàs ſatisfactum:ſiue nil fuerit ſolutum, ſiue remanſerit debitor uel modicum.tandiu enim pignus recte uenditur, & in ſolidum tenetur,quandiu uel modicum debetur,ut C.eod.l.quandiu,& l.ult. & C. debitorem uendit l.iij.§ iij. Vendi autem poteſt pignus , ſi conuenerit ut uendi poſſit.ſed & ſi de uendendo,uel non uendendo cõuenerit. Amplius ſi cõuenerit ne uenditio celebraretur,trinis tamen denunciationibus miſſis uenditio fieri poterit,ut ff. de pig.l.iij. Venditur pignus aliàs iure,aliàs nõ iure duobus modis,uel ex pacto,uel ex lege. His modis ſi fuerit pignoris uenditor , emptor nõ poterit conueniri:niſi duo forte interuenerint,id eſt ut cum creditore ſibi uendente emptor fraudem participauerit,& creditor ſoluendo non fuerit. tunc enim emptor uel utili in rem,uel fraudatorio interdicto poterit cõueniri,ut C. ſi uendito pig. l.ult. Ergo creditor , qui eſt ſoluendo,& iure uendidit,id eſt ex facto,uel ex lege,pignoratitia conuenietur:ſi pretio nõ iuſto uendidit,ſi ſuperfluum non reſtituit,ſi rem quaſi titulo uenditionis etiam per interpoſitam perſonam addixerit. Licet enim poſſit alij uendere,non tamen poteſt ſibi addicere , uel quaſi uendere,ut C.eod.l.& qui. Sane ſi quid creditor comparauerit ex ſuperfluo pretio pignoris uenditi,non tamen poterit per debitorem tutus à creditore perſonaliter uel realiter flagitari,ut Cod.eod.l.ultima. Vbi creditor non iure uendiderit nec ex pacto , neq; ex lege, non creditor conuenietur , ſed ab emptore per debitorem uindicabitur:niſi emptor tutus ſit tempore.tunc enim in ſubſidium facta rata uenditione per negociorum geſto . Idem eſt in quocunq; poſſeſſore rem alienam non iure uendente , ut C.eo. Porrò malæ fidei poſſeſſor hæreditatis, etiã

uendiderit indiſtinctè, pro pretio cōueniri poterit. Datur enim petitori arbitriū, id eſt hæredi, ut ff. de petit. hæredita. l. item. Vbi ex pacto pignus uenditur, id erit obſeruandum, quod ex legitimo modo conuenerit de ſumma, de tempore, de denunciatione mittenda, uel nō, de modo uendendi. Si non cōuenerit de uendendo poſt biennium, à trina nunciatione, uel ſaltem unica iudicaria, numerandum, creditor pignus uendere poterit. Vel ſi uendendo, uel facta uenditione in ſuperfluum retinendo peccauerit, pignoratitia poterit perurgeri. Sed & ſi conuenerit, nec creditor pignus uendat poſt bienniū, tamen uendere poterit: ita tamen, ſi debitori uel denunciauerit ut ſoluat: alioquin creditor etiam ſi diſtraxerit furti obligabitur & diſtinctio facta ceſſabit, ut ff. de pigno. l. quarta.

DEBITOREM VENDITIONEM PIGNORVM IMpedire non poſſe. Tit. xxxj.

DEbitoris denunciatio facta uel miſſa creditori, ne diſtrahat nullius momenti eſt. Sed nec impedit pignoris uenditionem faciendam, per creditorē hæredem, eiusúe ſcriptura teſtamenti qua complexus eſt debitor, nulla à ſe prædia uenundari: licet pœnam addiderit, ut fiſci fierent. nudum enim præceptum eſt, ut ff. de legat. j. l. filiusfamiliàs. Sed nec poteſt debitor huiuſmodi ius creditoris deterius facere. Hoc inquā, ſi creditor creditori non ſucceſſerit, obtinet. hoc quoque caſu, is qui comparat, etiamſi ſciuerit interpoſitam à debitore creditori denunciationem fuiſſe, non malæ fidei poſſeſſor eſt, ut C. eod. l. j. & ij. Sanè ſi debitori iubenti pignoris uenditionem creditor ſucceſſerit, creditor: nō quia creditor, imò quia factus eſt debitor, uendere non debebit.

SI VENDITO PIGNORE AGATVR. TIT. XXXII.

SI creditor non iure, id eſt ex pacto uel ex lege uendiderit, debitor emptorem non cōuenit, ſed creditorem pignoratitia urgebit, in quantum ſua intererit. Quòd ſi de bonis creditoris condemnati ſolui pecunia non poterit, & emptor fraudem participauerit, tu debitor offerens cum uſuris debitum, recuperabis cū fructibus pignus uenditum, ſicut dictum eſt. Ergo licet creditor non poſſit ſoluere, emptorem tu debitor non cōuenies, nec iuuamen ſenties: niſi argueris emptorem fraudē participaſſe, ubi non iure creditor idemq; uenditor (ſicut dictum eſt) in ſubſidium conuenitur, ut C. eod. l. j. ij. iij. Nec obuiat, quod aliâs legitur malæ fidei emptori pretium non debere reſtitui. hæc enim non obtinent, cum dolus emptoris cauſam dederit contractui, & uenditio de iure non tenuit. Quæ rit forte quis poſſit ne malæ fidei emptor, ſi malit, pretium ſupplere, quando pignus poteſt reſtituere? aiunt quidem utiq;: ego minimè & quia emerit à domino, & quia uterq; participauerit dolum.

DE LVITIONE PIGNORIS. TIT. XXXIII.

ET quia pignoris fit luitio, neceſſe eſt ut ſoluendi debiti celebretur ſolutio. ergo ſi quis rem unam pignorauerit, etiamſi maiorem partem debiti exoluerit, nec modicum de pignore liberauerit. Idem ſi res plures pignorauerit, quoniam nec de pluribus minimam expendit: niſi ſolidum ſoluerit. Sed nec ſi hæres debiti partem ſe contingente exoluerit, pignus uel pro modico liberat: imò pro reſiduo, etiamſi fuerit modicum, uendi poterit pignus in ſolidū. Itaq; hæres liberatus erit ipſo iure, & adhuc tamen obnoxius erit hypothecariæ. Nam & aliâs,

ubi debitor tutus eſt triginta annorum præſcriptione ne cõueniatur pſonali actione: ſi tamen hypothecam poſſideat, à creditore conuenitur uſq; ad annos quadraginta, ut reſtituat, ut C. eod. l. ij. In ſumma illud notandum eſt, quòd pignus uendi poterit & retineri, non tantum propter debitum principale chyrographarium, ſed propter uſuram, & propter impendium in pignus factum: licet id non fuerit dictum. Item illud notandum eſt, quòd ſi res plures fuerint datæ pignori, & de illis quaſdam creditor uendiderit, creditumq; ſuum totũ perceperit, & eui ctionem promiſerit, tamen alias uendere non potuerit: res nõ uenditas, ſi uolet, retinebit tandiu, donec cautum fuerit pro euictione præmiſſa indemnem eum futurum. Nam & aliàs uenditor, quod non eſt pignus, quaſi pignus, uel loco pignoris, ad quod uendidit, & nondum tradidit, retinet: quandiu ſoluatur ſibi pretium, ut ff. de actione empti l. Iulianus. § offerri. Sed & ſi quis à debitore pignus emens ea lege pretium ei numerauit, ut creditor anterior dimittatur, & ſi dimiſſus fuerit, in eius locum ſuccedat. licet enim ſua res propria nemini poſſit eſſe pignori, erit, ſi conuenerit, quaſi pignori: quia perinde æquum eſt huic conſuli.

SI VNVS EX PLVRIBVS HAEREDIBVS CREDItoris uel debitoris partem ſuam debiti ſolue rit, uel acceperit. Tit. xxxv.

SI unus ex pluribus hæredibus debitoris ſuam patem debiti ſoluerit, uel creditoris acceperit, propter aliam tamen partem non eo minus pignus in ſolidum diſtrahetur. licet eñ actiones perſonales ipſo iure, id eſt xij. tabu. lege ſint diuiſæ, ut experiantur, uel cõueniantur hæredes: actione tamen hypothecaria, quia eius natura indiuidua, quilibet hæres hypothecæ poſſeſſor: non pro numero ſubſtantiæ, non pro hæreditaria parte, conuenietur, ſed in ſolidum: non præciſè, ſed diſiunctiue, id eſt ut in ſolidum debitum reddat, uel pignori, quod detinet, cedat, ut C. eod. l. j. & ij. & C. de hæredita. act. l. ij.

SI PIGNORIS CONVENTIONEM NVMERATIO PEcuniæ ſecuta non ſit. Tit. xxxvj.

SAepe fit ut quiſ ſpe futuræ numerationis ſe chyrographo obliget, rem ſuam pignoret. hoc inquam caſu infra biennium, & poſtea, ſi iuri in teſtando fuerit paritum: alioquin minimè. Debitor duplex habebit auxilium. quippe de non numerata pecunia excipiet, & ſiue conueniatur, ſiue experiatur, probationem in creditorem transferet. Sed & ſi non conueniatur, in certi, uel ſine cauſa condictione, chyrographum condicet: & rei uindicatione, uel pignoratitia actione, pignus hoc in caſu etiam ante ſolutionem rectiſſimè repetet, ut ff. de pignor. l. ſolum. § ij. Nec enim ibi debet fieri ſolutio, ubi abeſt iuſta debitio: nec remuneratio, ubi non præceſſit numeratio. Non tenetur quis ut mutuum reddat, licet iurauerit, ſi nihil accipiat, ut C. de non numerat. pecu. l. ultima.

DE IVRE DOMINII IMPETRANDO. TIT. XXXVII.

OStendimus ſuprà qualiter conſulatur creditori per diſtractionem, nunc audiamus qualiter per dominij impetrationem. Impetratur ius dominij à Cæſare duntaxat paratis ſolennibus, id eſt debitore certiorato, emptore non inuento uel non dignum offerente pretium. Impetratur autem ita tranſacto biennio

debitori

debitori mittatur denunciatio, & à iudice certum tempus ſtatuatur, intra quod debitum offerat, & pignus recipiat: eo quoq; tranſacto, ſimiliter & aliud certum tempus ſtatuatur, intra quod ſimiliter ueniat, offerat, & recipiat: hocq; tempore tranſacto reus minimè inuentus fuerit, uel inuentus debitum non obtulerit, tũc creditor ab Imperiali culmine ius dominij poterit impetrare. porrò dominio impetrato, & poſtea infra biennium debitor quondam in rem ſuam habebit regreſſum ita, ſi creditori quondam obtulerit debitum cum uſuris & damnis eius uicio creditori illatis, iuramento tamen creditoris declarandis: elapſo ſecundo biennio creditor quondam pleniſſimè, & irreuocabiliter dominus erit, ſemiplenè & reuocabiliter. ergo ſi minus ſit in pignore capto ex iudicato, ut ff. de iudicata l. à diuo. §. ij. Si autem in debito ſit minus, in pignore amplius, debitori ſeruabitur. Sed ne debitor creditoribus omnino materiam ſeditionis præbeat, licencia dabitur ei, qui plus in pignore habebit, alijsúe partis pretium offerre, & rem totam integre iure dominij poſſidere. Hoc tamen ita, niſi creditor cum poſſit maluerit uendere, & ſuperfluũ uenditori ſeruare. Quid ergo ſi ex utraq; parte æqua quantitas inueniatur? tunc ſine omni formidine totam rem antea pignoratam retineat. Diſſoluitur autem ius impetrati dominij etiam uolente creditore, & eo nolente. Volente ita, puta ſi poſt formam reſcripti alio anno creditor uſuras acceperit à beneficio dominij impetrati, ad inſtar legis commiſſoriæ, in uenditionibus receſſiſſe uidebitur, ut C. eo. l. ij. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſi res quondam pignori iure dominij impetrato euicta fuerit, actione utile ex empto agi poterit, ut ff. de pig. act. l. eleganter.

DE PACTIS PIGNORVM, ET DE COMMISSORIA LEGE in pignoribus reſcindenda. TIT. XXXVIII

AVdiuimus ſuprà de pignoribus, quia cum pignus datur & uenditur, ſæpe interponuntur accidentalia pacta, de pactis pignorum adnectamus, & de lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda. Pactorum in pignoribus dandis, uendendisq; celebratorum, alia ſunt utilia, alia non utilia, alia ſuperflua. Vtile pactum eſt, ut creditori liceat poſt diem præfixum uendere pecunia non ſoluta. Idem ſi conuenerit, ut ſi ultra acceperit ex eo aliquid, & comparauerit ſibi prædia. Idem ſi conuenerit, ut certæ perſonæ, perſoniſúe diſtrahat. Item illud pactum in pignore dando factum ualet, puta ut creditor pignus poſſideat eo pretio, quo tunc extimabitur, quo ſolutio fuerat facienda, ut ff. de pigno. l. ſi fundus. §. ult. Et in hoc caſu non eſt illud, quia uenditio eſt ualida, & ualet in arbitrium certæ perſonæ collata. In uendendo pignore pactum ualet, quod eſt notabile, puta ſi creditor in uendendo paciſcatur ut debitori offerenti pretium reſtituatur. tunc enim utiliter poterit uindicare, uel in factum agere, ut ff. de pignorat. act. l. ſi conuenerit. Cæterum pacto non interpoſito, debitor offerre non poſſet: niſi ætatis, uel abſentiæ priuilegio uallaretur. In pignoribus inutile eſt pactum lege commiſſaria, quod eſt ſi non ſoluta pecunia die præfixa, res ſit creditoris quaſi ſibi uendita. Item pacta alia, quæ ſunt legi commiſſoriæ affinia, ſunt inutilia ex parte creditoris, & ex parte debitoris. Ex parte creditoris, puta ne creditor unquam uendat. Ex parte debitoris pluribus modis. ecce enim ſi pactum interceſſerit, ne debitori liceat pignus uendere, pactum eſt inutile. Item pactum eſt nullum utpote legis commiſſoriæ, ne pignus unquam liceat luere. Item meo iudicio nulla eſt uis huius conuentionis, ut liceat pignus ſuum recuperare. Inutile eſt pactum, ut eo pretio quo modo æſtimatur cũ pignus datur, creditor pignus habeat, ſi tempore ſtatuto debitum non ſoluatur, ut ff. de diſtract. pignor.

Superflua ſunt pacta, ut liceat creditori uendere, ſi minus acceperit ex uenditio ne poſſit exigere à debitore. Sanè illud pactum ualet, ut amiſſio pignoris debitorem liberet, ut C. de pignorat. act. l. quæ.

DE EXCEPTIONIBVS ET PRAESCRIPTIONIBVS. TIT. XXXIX.

DIctum eſt in ſuperioribus de actionibus, quibus actores armantur, nunc dicamus de exceptionibus quibus rei uallantur. Vel aliter ſuprà de actionibus, quibus rei impugnantur, nunc de exceptionibus, quibus actores repelluntur. Vel aliter ſuprà de exceptionibus in quadam ſpecie, id eſt, de temporalibus præſcriptionibus: nūc generaliter audiamus de exceptionibus & præſcriptionibus. Videamus quid ſit exceptio, unde dicta ſit exceptio, quare ſit introducta, cui detur, in quem, ob quam cauſam apponatur, quæ cauſæ exceptionem inducant, quanto tempore durent, qualiter diſtinguantur, à quo, & quando ſint probandæ exceptiones. Exceptio eſt conditio quæ eximit reum à damnatione, modo minuit damnationem, ut ff. eo. l. antepenult. Dicta eſt exceptio quaſi actionis excluſio: replicatio ergo exceptionis reſolutio, ut ff. eo. l. ij. Introducta eſt exceptio ob commoditatem maximam. Intereſt enim potius retinere, quàm poſt ſolutionem repetere. Nam tritum eſt prouerbium: pone in medio angelum deus dabit remedium. Datur exceptio reo ſcilicet prima, quæ ſtat in generali nomine contra actorem: ſecunda, quæ aſſumit nomen ſpeciale, uocaturque replicatio, & datur actori contra reum: ſed deinceps utræque exceptiones multiplicantur & earum nomina, ut ff. eo. l. ij. Opponitur exceptio, aut quia factum eſt, quod oportuit fieri, ut exceptio rei uenditæ & traditæ & rei iudicatæ: aut quia factum eſt, quod non oportuit fieri, ut exceptio uiolentiæ & doli mali: aut quia non eſt factum, quod fieri debuit, nam ſi emancipatus petit à debitore hæreditario, non dum impetrata bonorum poſſeſſione, repellitur exceptione bono. poſſeſs. non petitæ, ut ff. eo. l. exceptiones. Item exceptiones aliæ ſunt proditæ propter fauorem, ut Vell: aliæ propter odium, ut Macedoniana: aliæ propter cauſam à naturali æquitate non abhorrentem, ut non numeratæ pecuniæ. Variæ ſunt cauſæ, quæ inducunt exceptiones: uis, metus, dolus, res litigioſa, tranſactio pactorū expreſſa & tacita, iuratio, iudicatio ex errore: ex ignorancia enim replicatur, ergo excipitur, ut ff. ad Velleia. l. ſed &. Item tempus circa non numeratam pecuniam, ſed & de ſorte excipitur. Item fauor, odium, ætas, libertatis onerandæ cauſa, procuratio falſa, militaris, prærogatiua ſuas exceptiones inducunt, ut ff. eo. l. exceptiones. Omnes exceptiones penè ſunt perpetuæ, licet actiones ſint minimè. Penè dixerim, propter exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ ſopitur biennio, etiam propter doli exceptionem cum à maleficio trahit originem, ut ff. de peculio l. quæſitum. Sanè ſi à negotio excipitur perpetuo, ut C. eod. l. ſi pactum. Diſtinguitur exceptio multipliciter. Exceptio alia prima, quæ ſtat in generali nomine, & datur reo: alia ſecunda, & uocatur replicatio. Item exceptio alia in rem ſcripta eſt, id eſt, generaliter tranſit & competit: alia perſonæ cohæret, ut marito, ne excutiatur in ſolidum. Hæc enim exceptio nec hæredi datur nec fideiuſſori: licet defenſori, filioque communi uiuente marito. Item exceptio alia temporalis & dilatoria, ut pacti conuenti, ne agatur infra quinquennium, & procuratoris falſi, & ea quæ militi objicitur uolenti pro alio litigare: alia perpetua & peremptoria, ut pacti perpetui, rei iuratæ, rei iudicatæ. Vocantur autem temporales, quia ad tempus nocent. Dilatoriæ quia cauſam differunt. Vocantur perpetuæ, quia perpetuò obſtant omnibus. Nam & hoc nomen perpetuum etiam

temporis

temporis ſignificat indeficienciam, & omnium eſt complexiuum, ut ff. de excep̃ti. rei iudica. Sed & aliâs perpetuum dicitur, quod durauit. Sed & aliâs perpetuum dicitur actio, quoniam xxx. uel xl. annorum ſpacio limitatur. Peremptoriæ dicuntur exceptiones, quia cauſam perimant. Item exceptio, puta quæ oritur ex pacto, aliâs expreſſo, aliâs tacito. Item ex pacto tacito inducitur exceptio aliâs propter rei æquitatem, ut C. de pact. l. ij. aliâs propter rei odium, puta ſi liti ſit renunciatum, ut C. de pact. l. poſtquam: aliâs ex facto præſumitur, ut C. de pact. ſi creditores. Regulariter qui excipit, probare debet, ſicq́ agit. nam agere uidetur, qui ad hoc ut probet exceptione utitur. nempe reus in exceptione actor eſt, id eſt, actoris officio fungitur, ut ff. eod. l. j. Idem ſi obijcitur quaſi exceptio ei qui uſucapionem compenſat ſolutione, ut C. de probat. l. j. hæc inquam ita ſe habent, ſi adfirmatiue exceperit. Siquidem ſic excipiens de intentione aduerſarij confideri præſumitur, atq́ ſi negatiue exceperit: puta quia non ſit numeratũ, non ſit agenti mandatum, non ſit bonorum poſſeſſio data, moleſtia probationis in agentem dirigatur. Et hoc eſt, quod dicitur non utiq́ conſiteri æſtimatur, qui exceptione utitur, ut ff. eo. l. non utiq́. Quippe negantis factum nulla eſt probatio regulariter. Exceptiones dilatoriæ ante litem conteſtatam ſunt opponendæ, non oppoſitæ, non ſunt poſtea recolendæ: ſiue ſint dilatoriæ ex cauſa, ut quinquennij & fori. Nam poſt litem conteſtatam fruſtrà foro excipitur: iudicis etiam extranei examen non declinatur, ut C. de iuriſdict. om. iud. l. nemo. Peremptoriæ exceptiones in cauſa in parte litis poſſunt opponi ante ſententiam: ſanè pòſt ſentenciam non eſt locus remedio. Excipiuntur quidam caſus (ſicut & ſuperius notaui) quos aliâs pleniſſime diſtinxi. Inſumma notandum eſt, quod omnis exceptio realis, quæ reo competit ſtatus integri fideiuſſori etiam inuito reo tribuitur, ut ff. eodem omnes. Item illud notandum eſt, quòd pluribus exceptionibus uti poſſumus, ut ff. eo. l. nemo. Item illud notandũ eſt, quòd ſicut in ſubſidium aliquando agitur in factum, ſic aliquando excipitur, ut ff. de præſcript. uerb. l. quoties. Nempe aduerſus patronum, parentemúe nec de dolo agitur, nec de dolo excipitur ſed in factum temperatis uerbis, & agitur, & excipitur: ne patronorum, ſiue parentum tam uiuorum, quàm mortuorum opinio ſugilletur, fama laceſſatur. ſemper enim eis à filijs & libertis reuerencia eſt exhibenda, ut ff. de except. do l. apud. §. aduerſus. §. nihil.

DE LITIGIOSIS. TIT. XL.

EXpoſuimus de exceptionibus in genere, nunc audiamus in quadam ſpecie id eſt, de ea exceptione quæ oritur ex litigioſo contractu, & ſic dicamus de litigioſis rebus. Videamus itaq́ quæ res dicatur litigioſa, & olim, & hodie, & quomodo relictum rei litigioſæ olim ualuerat, uel non, quomodo debeat hodie ualere. Eſt autem litigioſa res incorporea, ut actio in controuerſiam deducta: res quoq́ corporea mobilis, ſe mouens: immobilis, de cuius dominio, uel quaſi, cauſa mouetur, uel mota eſt, inter petitorem & poſſeſſorem, & quaſi poſſeſſorem, iudiciaria conuentione, uel precibus principi oblatis & iudici inſinuatis, ac per eum futuro reo cognitis. Sanè ſimplex interdictio ne res uendatur rem uenditam non facit litigioſam, ut C. eo. l. j. Litigioſæ rei exceptio datur ei, qui litigiũ mouet, ſi poſſeſſio ad eũ quoquo modo ſit deuoluta. Datur aũt contra eum, qui emerit, uel aliâs acceperit, etiamſi ignorauerit, ut ff. eo. l. j. nempe irrita eſt talis alienatio, ut C. eo. l. ult. Olim qui egerat, ſicq́ rem litigioſam effecerat, ſi uendebat, nulla pœna imminebat: imò & ad huc agere poterat, ignarus, conſciusúe

fuerat,ut C.eodem l.ij. Excipitur,niſi quis actionem in potentiorem transfert, uel niſi quis rebus inhians alienis comparat,ut C.manda.l.per diuerſas. Siquis rem litigioſam olim à reo,ſiue à poſſeſſore accipiebat, dupliciter dator puniebatur:& rei alienatio erat irrita, & præterea in eo puniebatur,quia rei pretium conuentum,uel iure æſtimatum fiſcus capiebat: in acceptore autem diſtinguebatur & diſtinguitur,an ſciuerit rem litigioſam eſſe,quam emerit, uel neſciuerit: nam ſi ſciuerit,tantum pretium fiſco quoq; uenditor dabit:ſi non ſciuerit,& nondum uenditori ſoluit,ſoluere non compellitur:imò tertiam partem tanti pretij ſibi poſtulabit à uendente tribui, & rem petit cum tertia parte pretij. Nam cum ignarus ſit acceptor,non debet damnificari,imò quia deceptus eſt debet lucrari. Reus qui ſemper eſt cõſcius, ſemper debet periclitari,& durius eſt cum ignaro uendidit: quia tunc tantum de ſuo dabit, quantum eſt pretium, & præterea tamen pretij tertiam partem emptori. Leuius cum uendidit conſcio, quia niſi tantundem de ſuo fiſco præſtabit. Hæc per Iuſtinianum,ut C.eo.l.ult. Vbi reus uendidit,æſtimo contrahendum ad eum caſum,ubi actor rem litigioſam tranſtulit:licet eo caſu(ut dictum eſt)nec danti nec accipienti pœna imminet,ut C.eodem l. ij. Ergo lex prima per poſteriorem dicatur correcta, uel ſuppleta, ſecundum illos. Sed certe lex ultima loquitur tantum de reo, qui quod poſſidet plus delinquit,& qui ab eo conſcius accepit. Hæc dicuntur in contractibus, ubi aliquid litigioſum relinquebatur: olim hæres illud præſtare non compellebatur, nec legatarius à poſſeſſore rem legatã poterat petere,ſed ut æſtimatio rei legatæ,ſiue nominis litigioſi legati,ab hærede ſibi præſtaretur poterat flagitare,ut C.eodem l. quicunq;. Porrò hodie nec æſtimationem poterit petere, imò hæres experiatur, etiamſi in lite uictor extiterit, rem ipſam, cuius eſſe dominus apparet legatario præſtet,ſi ſuccubuerit nihil dabit:litis enim euentus legatario uidetur relictus. ergo etiam liti adeſſe poteſt ne colludatur,ut authen.co. nunc ſi hæres. legatarius enim nil delinquit,ſciat,uel neſciat. In contractibus non ita, ſæpius enim uterq; delinquit, & ideo emptor nec æſtimationẽ petet: imò uel nihil, uel tantum tertiam partem pretij,niſi ignorauit,ut in authen.eo. Aliquando rei litigioſæ tempore litis conteſtatæ alienatio tenet,ut dotis nomine, uel donationis propter nuptias: ſed et tranſactio rei litigioſæ facta inter cohæredes ualet,rei litigioſæ poſſeſſori ſuccedentes, ut C. eodem l.ult nec enim talis tranſactio debet intelligi alienatio,ut in authen.eodem.

DE CONTRAHENDA ET COMMITTENDA STIPVLATIONE. TIT. XLI.

EXpediuimus de exceptionibus quæ adiuuant, reſtat ut loquamur de ſolutionibus,quæ prorſus liberãt. Et quia ſoluitur duobus modis, naturaliter id eſt,per numerationẽ:& non naturaliter,ut per nouationẽ, dicamus de nouationibus. Et quia nouatio & delegatio fiunt per ſtipulationẽ,ponamus de cõtrahẽda ſtipulatione. Et quia ſtipulatio quandoq; in ſimul committitur, & contrahitur, quandoq; non,audiamus de contrahenda ſtipulatione. Videamus itaq; quid ſit ſtipulatio,unde dicatur,inter quos contrahatur,diſtinguatur,committatur,purgetur,& quæ actiones ex ſtipulatione ꝑficiſcantur. Stipulatio eſt uerborum cõceptio,quibus quis quid ſe daturum uel facturum interroganti promittit. Stipulatio dicta eſt,à ſtipulò,id eſt,à firmo.& eſt ſtipulum à ſtipite deriuatum. Contrahitur inter quoslibet ſeſe intelligentes,græcos,latinos, inter græcum & latinum. Hoc ita,ſi ualeant & uelint ſe obligare.nam ſi ſtipulatio loco facta,uel demonſtrandi

monſtrandi intellectus gracia, ſterilis eſt. Contrahitur præcedente interrogatione & reſponſione ſubſequente, & congruè, hoc eſt, ut reſpõdeatur idem uel non prorſus aliud. Nam ſi decem ſtipuler, tu promiſeris xx. uel econtrà, ſtipulatio ualet, ſi tamen diuerſitas placet. Si uero ſtipuler duas res, & tu promiſeris unam ualet cum placeat diuerſitas. hoc ita, ſi res fuerunt expreſſæ. Atqui ſi ſtipuler arma, & tu promiſeris clypeum, nihil agitur: multo fortius, ſi ſtipuler hominem, & promiſeris prorſus aliud, ut codicem. Reſpondere autem oportet, nec ſufficit annuere. Nam ſi annuerit, hoc in caſu (licet aliâs) nec naturaliter obligatur. Sufficit autem reſpondere reciprocè, ut dabis? dabo: & non reciprocè, ut dabis, tribuam. Amplius, & quidni? & cur non? Amplius etiamſi quid ludicrum & ſuperfluum adiÿciatur, ſtipulatio non uiciatur: ut ſpondes? ſpondeo arma uirumq; cano. Item ſub eodem genere oportet reſpondere, & ex continenti, uel ex interuallo modico, non aſſumpto negotio alio, ut ff. eo. l. continuus. Ergo opus eſt ſermone, auditu, & intellectu. ergo ſi interrogatio præceſſit ſine reſponſione: uel econtrà, multo magis ſi interceſſerit neutrum, ex ſtipulatu non agitur. Excipitur, quia dos ex ſtipulatu petitur, etiamſi promiſſio facta non arguitur. Item ſi inſtrumentum perhibet reſponſionem, præſumitur præceſſiſſe interrogationem, ut C. eo. l. j. idem in arrogatione. idem in patre qui non expreſſim contradixerit interrogationi filÿ. idem ſi damnum contigerat cum dedicatione damni infecti danda, uel ubi prætor deliberaret. illis enim caſibus agitur utili ex ſtipulatu, licet ſtipulatio non interceſſerit, ut ff. de adopt. nam aliter, & ff. de damno infect. l. ſi finita. Diſtinguitur ſtipulatio, alia in diem, alia pura, alia ſub conditione. Pura aliâs re & uerbo, & non re. In diem, aliâs ex die, aliâs ad diem, uel in diem certum, aliâs non certum. Conditionalis ſtipulatio, alia incipit à præcedente pactione, uel conditione, uel à præcedenti pactione: alia à nuda, alia ab induta obligatione, quæ incipit à conditione: alia incipit ab ea, quæ reſpicit in præteritum alia ab ea quæ confertur in futurum. hæ non ſunt propriè conditiones: alia ab ea quæ habet ſe ad utrumlibet: taliſq; conditio aliâs eſt poteſtatiua, aliâs caſualis, aliâs mixta, aliâs in dando, aliâs in faciendo. Puræ ſtipulationis, & cedit, & uenit etiam dies: habenda tamen ratione modici temporis. ergo mox ut contrahitur, committitur, & tamen purgatur, & poſt actionem editam uſq; ad litem conteſtatam. Similiter in diem ſtipulatio poſt diem committitur, etiam ſine interpellatione, ut C. eo. l. magnam: purgaturq; ex ordine ſtipulatio. Huius ergo ſtipulationis in certum diem dies ceſſit, ſed non uenit. Stipulationis conditionalis à pactione præcedente dies committitur, cum promiſſor in mora fuerit, ut C. de pact. l. ſi pacto. Stipulatio quæ incipit à conditione, uel quæ confertur in diem incertum, tunc committitur, cum deſierit poſſe fieri, dariúe, ut ff. eo. l. ita ſtipulatus. Harum uero ſtipulationum dies, nec cedit, nec uenit: ſed neq; purgationem ſtipulationes recipiunt regulariter. Item promittitur nobis aliâs quid dandum. Hoc exigi poteſt in principio anni, ut C. quan. dies legat. l. j. Aliâs hoc in anno non exigitur niſi finito anno, ut ff. eo. l. qui hoc anno. Aliâs promittitur quid diuinum, & hoc exigitur in principio ſingulorum dierum: aliâs ad certam diem, & hoc non niſi præterita die exigitur, ut Inſtitut. eo. Aliâs hodie & hoc illico poterit exigi, ut ff. eod. l. liber homo. Hæc dixiſſe ſufficiat de diſtinctione, commiſſione, purgatione ſtipulationum: cætera plenius licebit colligere ex ſumma, quã promulgaui de uerborum obligationibus: & in lege ſi pacto quo pœnam, & ex carminibus. Ex ſtipulatione duæ proficiſcuntur actiones, condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio: & actio ex ſtipulatu, ſi fuero ſtipulatus incertum, ut inſulam fabricari, foſſam fodi, in Angliam iri, ſummas conſcribi.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS. TIT. XLII.

Diximus de ſtipulationibus(ut ita dixerim)utilibus,nunc dicamus de inutilibus. Depræhenditur ſtipulatio inutilis multis modis, ratione perſonæ, ratione rei,diſſenſus,doli,conditionis impoſſibilis,abſentiæ,incongruæ reſponſionis,turpitudinis,incertitudinis,& ratione cauſæ multipliciter. Ratione perſonæ,quatuor modis:puta ſtipulantis,ut furioſi:& promittentis, ut pupilli ſine tutore. Licet enim pupillus poſſit ſtipulari ſine tutore, ueruntamen filiusfam. impubes nec autore patre obligatur,ut ff. eo. l.ult. Item ſi promiſeris alium facturum non obligatis:niſi ob iudicij uigorem ſpoſponderis dominum ratum habiturum. Sanè ſi ſpoſponderis,ut alter faciat te curaturū,obligaris. Item ſi ſtipuleris alij nihil agitur ex ordine, agis tamen ſi tu dominus fueris ſtipulatus à ſeruo,uel tu ſeruus,domino:uel pater filio, uel filius patri. In his enim caſibus ex ordine pater agit, & dominus. Ex ordine ideo dixi, quia ſi ſtipulatus eſt auus dotem nepotibus reſtitui,utilis actio dabitur,ut ff. eodem l. quodcunq;,& C. de pact. ſuper dotem. Sed & ſi ſtipuletur procuraror domino:dominus,non procurator agit:niſi caſualiter,ut ff. de dam. infect. l. damni. §. ulr. Sed & tutor, pupillo:curator,adulto:ſeruus publicus pupillo ſtipulātes, eis acquiritur:ſed & in depoſito,ut C. ad exhiben. & in donationibus, ut C. de donat. quæ ſub mo. & in pignore,quod uenditur per creditorem. Vel alter alteri etiam ſimpliciter paciſcens adquirit actionem utilem. Item ſi pecunia credita fuerit ſua,ſiue cuius nomine credit,actionem directam etiam quærit. Item inſtitutor,præponenti: actor reipublicæ:œconomus,eccleſiæ ſtipulando,uel aliâs contrahendo: & ſi in iudicio obtinent, actiones adquirunt. Item ſi ſtipuleris prorſus extraneo,tibiq; adieceris, prima ſtipulatio inutilis per conſequentem fit utilis: non ut agatur ex prima,ſed ut metu ſequentes pareatur primæ. Ratione rei ſtipulatio eſt inutilis, tribus modis propter rationem naturalem, gentilem, ciuilem. Propter rationem naturalem,ut ſi ſtipuler rem, quæ non non eſt, nec eſſe poteſt,ut Chimeram:uel rem,quæ fuit,ſed eſſe deſijt,ut hominem mortuum: niſi de cadauere agatur,uel niſi à fure. homo enim mortuus condicitur; ut ff. eodem l. inter §. propter. gentium ratione ſtipulatio inutilis eſt, ſi ſtipuler perſonam liberam, rem ſacram,etiam ſub conditione:cum fuerit priuata uel prophana. nec enim aduerſam fortunam ſperare congruit,ſed nec fas eſt huiuſmodi caſus expectare, ut ff. eodem l. inter, & ff. de contrahen. empt. l. ſi in. propter ciuilem rationem, ut ſi ſtipuler ſororem etiam adoptiuam mihi dari in coniugem: quanquam mea ſit cauſa perpetua,ut ff. eodem l. ſi ſtipuler. Ratione diſſenſus,ut ſi ego ſtipulator de alia re ſenſi:tu promiſſor de alia. Ratione doli, ut ſi per dolum, metumúe. nam & ſi dolus metui ineſt ſtipulatio ex tota erit nulla: non tamen ipſo iure,ſed per exceptionem. Sanè bonæ fidei contractus dolo initus actionem non generat,utpote ipſo iure nullus,ut C. eo. l. ex eo,& l. dolo. Propter impoſſibilem conditionem ſtipulatio non ualet, ſi adfirmatiue iuſſerit: ſed ſi negatiuè, ut ſi in cœlum non aſcenderis,uel non aſcenderis,ualet. Si tamen inſtrumentum perhibet quem cui reſpondiſſe,credendum eſt & illum interrogaſſe:niſi euidentiſſimè probetur toto illo die,de quo inſtrumentum perhibet eos nunquam in ſimul fuiſſe,ut C. de contrahen. & committen. ſtipulat. l. optimam. Ratione incongruæ reſponſionis, ſicut ſuperius dictum eſt. Ratione turpitudinis, ut ſi ſtipuler fur-

tum

tum fieri. Hoc caſu quia tempore quid promiſſum eſt, nec actio naſcitur, ſed excipitur (ſicut dictum eſt) ſi mouetur. Ratione incertitudinis ſtipulatio nulla eſt, ut ſi ſtipuler animam, & corpus, uel fundum, ut ff. eodem l. triticum l. quid quid. Sane ſi ſtipuler per ſpeciem ſpecialiſſimam, ut hominem: uel unum ex hominibus tuis, fundumúe, quia utcunque ſpecificem, ſtipulatio tenet. Ratione cauſæ multis modis inutilis eſt. ecce in arbitrium promiſſoris collata nihil ualet. Item coniugalis copula uinculo pœnalis ſtipulationis obſtricta non tenet, ut ff. eodem l. ſtipulatio l. ſi diuortio. l. Titia. Sed & ſtipulatio, quæ non eſt cauſa ſubnixa non ualet: puta quis tanquam libertus cum non eſſet operas promiſit, etiamſi iurauerit non tenetur, ut ff. de fideiuſſor. l. ſiquis. Sed & ſi ſeruus hæreditatis uſumfructum ſtipuletur, etiam ſub conditione, nihil agit: & quia uſufructus perſonam deſiderat, & quia ſtipulatio ex præſenti uires accipere debet, ut ff. de ſtipulat. ſeruo uſusfructus.

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI ET PROMITTENDI. TIT. XLIII.

QVoniam in ſtipulationibus quandoque ſunt plures rei ſtipulandi & promittendi, loquamur de duobus reis. Nomine duorum etiam res plures debent intelligi. Videamus itaque quare dicantur rei, & qualiter fiant plures rei, & quibus contractibus, & qualiter conueniantur, & experiantur. Reus dicitur ſtipulandi, idem & credendi: non à reatu, ſed à re quam ſe accepturum ſperat. Ergo reus promittendi, idem & debendi, à re dicitur quam ſe daturum ſperat. Fiunt autem plures rei, ſi hoc agatur, & exprimatur: & hoc ita, ſi reſponderint ſpondeo, ſiue ſpondemus. & ita ſi ex incontinenti, uel ex interuallo modico, ut ff. eodem l. iij. & l. duo, & l. ſi ex. & l. reos: ita tamen, ſi ab eiſdem promittatur, uel eis, ut ff. eodem l. ſi id & Inſtitut. eo. nec enim imparem ſuſcipere debet obligationem, ut ff. eodem l. eandem. Sane licet non diſpariter, diſſimiliter tamen poteſt obligari: puta ubi alius in diem, alius ſub conditione promittit, ut ff. eod. l. ex duobus, & Inſtitut. eo. Quippe proprium eſt quantitatis ſecundum eam aliquid dici æquale, uel inæquale. Secundum æqualitatem dici ſimile, uel diſſimile. Non tantū ſtipulatione, ſed & cæteris contractibus plures rei conſtituuntur: ſed & quaſi contractu, & in teſtamento, ut puta ſi pluribus hæredibus inſtitutis teſtator dixit, yuanus & galar yſaco decem dato; ut ff. eodem l. eandem: & conueniri & experiri poſſunt in ſolidum, nec habent remedium epiſtolæ: licet fideiuſſores habeant. Econtra fideiuſſori fideiuſſorem conuenire non licet perceſſionem: reus tamen, ſiue ſoluerit, ſiue acceperit alterum cum reo tacitæ mandati conuenit, ut ff. ad Velleia. Hodie tamen per authen. quaſi remedium epiſtolæ habent. Nempe plures rei debendi aliàs non poſſunt in ſolidum cōueniri niſi etiam dictum fuerit unumquenque in ſolidum teneri, & poſtea alter inops ſit abſenſúe, ut in authen. hoc ita, C. eodem hic (ut puto) inducias non habebit. In ſumma illud notandum eſt, quòd interpellatio facta ab uno ex pluribus reis ſtipulandi, alteri prodeſt: & econtrà cum uno ex pluribus reis debendi facta, et contra alium actionem perpetuat, ut C. eodem. l. ult. Item illud notandum eſt, quòd ſi unus egerit poſtea promiſſor offerens nihil agit, ut ff. eodem l. ex. Nam & aliàs ſi ſtipulator petierit, pòſt adiecto ſoluitur fruſtra,

ut ff. de ſolut. l. ſiquis. Item illud notandum, quòd unius rei factum alteri nocet.
Illud notandum eſt, quòd ſi ex pluribus reis promittendi unus capite minuitur,
alter tamen non liberatur. multum enim intereſt utrum res ſoluatur, an perſona
liberetur, ut ff. eo. l. penult. & l. ult.

DE FIDEIVSSORIBVS ET MANDATORIBVS. TIT. XLIIII.

DIximus de illis qui per ſtipulationes principaliter obligantur, nunc appo-
namus de fideiuſſoribus, qui principalibus obligationibus applicantur,
per conſequenciã & de mandatoribus. Videamus itaq; cui obligationi accedant
pro quo, quatenus, qualiter, quãdo cõueniantur & experiantur. Omnis generis
obligatiõi fideiuſſor accedit, mãdatorq;: ſiue re, ſiue uerbis, ſiue literis ſiue cõſen-
ſu contrahatur. Item ſiue obligatio ſit ciuilis & naturalis, ſiue ciuilis tantum, ſiue
naturalis tantũ. nam & pro ſeruo poteſt fideiuberi, licet ipſe non poſſit, niſi pro
ſuo creditore fideiubere. Fideiubet ritè etiam filius pro patre, paterq; pro filio: &
minus idoneus facultatibus tenetur, tenetur enim efficaciter, licet non poſſit ſol
uere. Sane mulier ex ordine fruſtra interuenit: multũ enim refert inter nõ idone-
um fideiuſſorem, & nullum, ut ff. eo. l. iij. Sed ſi pater à filio: uel dominus ſtipu-
letur à ſeruo, fideiuſſor poterit aggregari: econtrà minimè, ut ff. ſiquis. Sed quæ
ſit uarietatis ratio inquirat, quē inueniendi labor exagitat. Improbatæ enim ob
ligationi nec pœna adijcitur, nec fideiuſſor applicatur, ut ff. eo. l. cum lex. & l. ſi
ſub. Ecce enim pro dote reddenda fideiuſſor datùs non tenetur. Item fur pro fur
to facto, faciendoúe fideiuſſorem accipiens nihil agit, ut ff. eod. l. ſi à reo. Nam
nec plagij faciendi cauſa ſtipulatio facta uel concepta tenet, ut ff. de uerb. oblig.
l. ſi plagij. Fideiubere autem poteſt quis pro præſente, & abſente, pro ſciente &
ignorante, pro paciente, pro ſeruo, pro libero, pro maiore, & minore, pro actio-
ne ex maleficio, pro cõtractu præſenti, & futuro, pro hæreditate iacente, & pro
uniuerſitate, ut ff. eo. l. mortuo. & l. ſiquis. Sanè in ſtipulatiõe adiectus fideiuſſo
rem non accipit. Fideiuſſor obligationem præcedit, & ſequitur. Mandator tan-
tum præcedit. Conſtitutor tantum conſequitur. Hi autem non aliter obligan-
tur, niſi perſonaliter ſe daturos, facturosúe promiſerint, non alios. nempe alie-
num factum ex ordine inutiliter promittitur, ut ff. eo. l. ſicut. Item ſi rei ſunt obli
gati purè fideiuſſores & mandatores poſſunt accedere etiam in diem & ſub con-
ditione: non econtrà. leuius enim non durius obligari ſolet. ueruntamen pro tan
tum naturaliter obligato fideiuſſor datur, & ciuiliter & naturaliter tenetur, ut ff.
eo. l. Marcellus. Item debitore deportato, uel capitaliter accuſato fideiuſſor ur-
gebitur, ut ff. eo. l. capitis, & l. ubicunq;, & C. eodem l. v. Item etiam fideiuſſores
priuilegiatorum, ut mariti, & cedentes bonis, conueniuntur in ſolidum: licet
principales rei non urgeantur eatènus, non tamen in hoc. ſ. caſu in amplius. Ali-
âs autē etiam ab initio non plus eſſe poteſt in acceſſione, quàm in principali ob-
ligatione, ut Inſtitut. eo. Eſt aũt acceſſio aliâs naturalis, ut fructus: aliâs uiolen-
ta, ut alluuio: aliâs artificialis, ut uicarius uſus, penſio, uectura. Conuenitur fide
iuſſor in ſolidum, puta qui eſt datus ad mutuum exoluendũ: niſi fideiuſſerit in id
dũtaxat, quod à reo ſeruare nõ potuerit. Sanè in uſuris, uel multa quã expreſſim
nõ ſpoſpondit, non cõuenitur, ut C. qđ cũ eo qui in ali. poteſt. ſi mandator, ut ff.
locati l.

locati l. quæro, & ff. eod. l. fideiuſſores. planè ſi mihi in mutuam pecuniam alinam fideiuſſorem dederis, etiam pro actione, quæ poſt conſumptiõem naſcetur tenebitur. in omnem enim cauſam uidetur acceptus, ut ff. eodem l. ſiquis. l. ſi ita. Tenentur autem fideiuſſores ſemper in ſolidum: niſi aliud ſit actum, habent tamen duo remedia. ſ. epiſtolæ diui Adriani: ſi tamen implerent in litis conteſtatione, ſi tamen non inficientur, ſi tamen cum fideiuſſores ſint ſoluendo, ut ff. eod. l. ſi dubitetur l. ſi contendat. ergo non ipſo iure diuiditur obligatio, ſed ex epiſtola diui Adriani, ut ff. eo. l. inter. Item ceſſionis habẽt remedia, ſi malint exoluere, quàm diuidere: ſed ſuo iure. Præter ceſſionem fideiuſſor contra fideiuſſorem non habet actionem, imò altero ſoluente etiam alter liberabitur, neq; à creditore, neq; à fideiuſſore conuenitur, licet mirabile uideat, ut ff. eo. l. ut fideiuſſor. Cum alter ex fideiuſſoribus ſoluit, & cum ſolueret, uel poſt ſtatim pignoraticiam, & perſonales actiões ſibi cedi non poſtulauit, poſtea nõ impetrabit, ut. ff. eo l. cũ is. Porrò cũ tutores tria remedia habent, diuiſionis, ceſſionis, & ſuo nomine præter ceſſionẽ ſi ſoluerint, habent actionem utilẽ, ut ff. de rat. diſtrahen. Experitur fideiuſſor, mandatorq; contraria mandati, ſi ſoluerit cõdemnatus: ſecus minimè, niſi uel aliud conuenerit, uel debitor dilapidauit, uel dilapidare cœperit: uel niſi aliam iuſtam metuendi cauſam præbuerit, ut C. mandati ſi pro ea. Ita tamen, niſi exceptionem peremptoriam etiam honeſtam emiſerit. Sanè fideiuſſori non aſcribitur, ſi famæ ſuæ pepercerit, ſi dilatoriam exceptiõem & procuratoriam omiſerit: quia de apicibus iuris diſputari, non congruit, ut ff. mandat. l. fideiuſſor. Item non repetet ſi non appellauerit, uel niſi paupertate excuſatur, uel debitorem ut appellaret, monuerit. In ſumma illud notandum eſt, quòd pro fideiuſſore fideiuſſor fideiubere poteſt, ut ff. eo. l. græcè. Item fideiuſſor iniuria iudicis condemnatus non repetet, ut ff. eo. l. exceptione. Item ex perſona rei & quidem inuito reo exceptio, & cætera rei commoda fideiuſſori, cæteriſq; acceſſoribus competunt, ut ff. eo. l. ex perſona. Item illud notandum eſt, quòd actio diuiſa per litis cõteſtationem inter fideiuſſores, redintegrari poſtea non poteſt, ut C. eo. l. liberum. Item illud notandum eſt, quòd ſiquis fideiuſſerit pro repræſentatione perſonæ facienda certa die, pœnamq; promiſerit: licet aliàs ex ordine pœnalis ſtipulatio non ſoleat purgationem accipere, hoc tamen in caſu poterit ſe à pœna liberare, ſi uelit adhuc intra vj. menſes hominem repræſentare, ut multipliciter & utiliter diſtinguitur, ut C. eo. l. ſancimus. Item licet olim aliter fieret, hodie tamen præſente principali reo, fideiuſſor non eſt conueniendus: niſi reus fuerit minus idoneus in totum, ſiue in partem, ſed reo abſente cõueniri quidem fideiuſſor poterit, ſi tamen uolet, tempus ei dabitur, intra quod deducat reum primo conueniendum: ipſo in ſubſidium reſeruando, ut C. eo. authen. præſente.

DE NOVATIONIBVS ET DELEGATIONIBVS. TIT. XLV.

EXpoſuimus de obligationibus, nunc de ſolutionibus: ſed quia, ſicut obligationes, fiunt per ſtipulationes, ſic etiam ſolutiones, per nouationes & delegationes, de his agamus. Videamus itaq; quid ſit nouatio, unde dicatur, quæ obligatio nouetur, quis nouet, quãdo, qualiter diſtinguatur nouatio, & quid ſit delegare, & quibus modis fiat delegatio. Nouatio eſt prioris debiti in aliam formam, figurãq; translatio. A nouo nouatio nomen accepit. nouatur obligatio naturalis tantum, ut ff. eo. l. j. Nouatur purè, in diem, ſub conditione: pura & purè,

& conditionaliter: conditionalis, conditionaliter, & purè, ut ff. eodem l. quoties. Porrò obligatio realis, uel cenſualis non nouatur: niſi prius in Aquilanam ſtipulationem deducatur. Nouare poteſt dominus, non prodigus, non furioſus, non pupillus ſine tutoris autoritate. Sed & non dominus nouat, ut tutor, curator, generalis procurator, agnatus, furioſus, filiusfami. ſed & ſerui peculiaria debita, maximè ſi meliorem ſuam conditionem faciunt, ut ff. eodem l. ult. Sanè patris debitum patre ignaro filius non nouat, ut ff. eodem l. filius. Sed & licet adiecto rectè ſoluatur, ipſe nouare non poteſt, ut ff. eod. l. cui. Nouatur, ſi ut nouetur, agatur exprimatur: alioquin priora ſtabunt, & poſteriora non momentum accipiunt, ut C. eodem l. ult. Ergo nouatio ceſſabit, ſi dictum eſt, ut ceſſet. Item ceſſabit ſi neq; dictum eſt, ut ceſſet, neq;, ut non ceſſet. Tunc procedet ubi dictum eſt ut fiat. Nouare poteris, ſi ſtipuleris ab alio, ſed & ab eo qui tibi debet: ſed tunc ita, ſi deſtruxeris, uel adieceris pignus, fideiuſſorem, conditionemúe, ut Inſtitut. qui mo. tol. obligat. Nouatio alia eſt neceſſaria, alia uoluntaria. Neceſſaria fit duobus modis, per conteſtationem, & definitionem. His modis priori cauſæ nulla decedunt, ſed multa accedunt. Voluntaria fit per ſtipulationē. quo caſu prior obligatio perit, & ſequens inſurgit, ut ff. eo. l. aliā. l. Paulus. Quid ergo ſi pecuniā mutuam etiā ante numerationē poſteaúe ſtatim ſtipulatus ſum tibi reddi, nunquid nouatio fiet? minimè: non eñ agitur, ut ex numeratione naſcatur actio, & poſtea ſtipulatiōe nouetur: ſed agit̃ ut ex ſtipulatiōe actio oriatur, ut ff. eo. l. ſi ita l. cum. Delegare eſt alium uice ſua reum dare creditori, uel cui iuſſerit creditor. delegat autem quis uoce, ſcripto, nutu, ut ff. eo. l. delegare. debitor debitorem rectè delegat, ſed non debitorē: ſed & debitorē exceptione tutū. Hic inquam delegatus ſi ſciuit, nec contra eum cui delegatus eſt, nec contra eum à quo delegatus eſt, remedium habet. Sanè ſi ſciuit, non habet remedium contra creditorem, ut puta ſuum petentem: ſed habebit contra delegatorem, ſi iam ſoluit, actionem mandati: ſi nondum ſoluerit, ut liberetur, conditionem incerti, ut ff. eodem l. ſiquis. Fit delegatio duobus modis, per ſtipulationem, & per litis conteſtatem. Differt etiam delegatio à nominis uenditione, quia uenditio fit etiam ignorante debitore: delegatio non niſi eo ſponte promittente, ut C. eo. l. j. Item poſt delegationem prior debitor conueniri non poteſt. Sed ubi nomen uendideris, & mandaueris, ſiue ceſſeris, uel aliās faciendo eum procuratorem in rem ſuam, uel ei in ſolutum dederis, agere poteris: niſi lis conteſtata ſit, aut debitor aliquid perceperit, uel niſi debitori denunciauerit, ut C. eodem l. iij. Ergo rerum corporalium traditio plus facit, quàm incorporalium. Nam ſi corporalem rem tradideris ex ordine poſtea uindicare eam non poteris: ſed ſi nomen tradidiſti, quod mandando facis, etiam poſtea (ſicut expoſitum eſt) agis. Sanè ne ſoluatur adiecto, non poterit inhibere quis ſimpliciter uetando, ſed duntaxat litem conteſtando, ut ff. de ſolut. l. ſiquis. l. aliud.

DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS. TIT. XLVI.

AVdiuimus de ſolutionibus in quadam ſpecie, nūc dicamus generaliter de ſolutiōibus, ſcilicet rerū liberationibus & perſonarum. Res enim ſoluitur perſona aūt liberatur, ut ff. de duo. re. l. ult. Videamus itaq; quibus liberatio contingat, & ipſo iure, & per exceptionē: puta ſiquis ſoluerit manumiſſo per errorē à quo ac-

à quo acceperat ante manumiſſionem. Idem ſi debitor pecuniam obtulerit, & ipſe domum referens illam fortuito caſu amiſerit, cum creditor accipere recuſauerit, ut ff. eodem l. ſi debitor, l. qui ex. Item licet non actio naturalis tamen obligatio, & pacto, & in rem iurando ipſo iure tollitur, ut ff. eodem l. Stichum. Nam & ſolutum etiam per iuris errorem repetitur, ut C. de pact. l. debitori: ſed actio exceptione eliditur, ut ff. de pact. l. pactus ne peteret. Ipſo iure diſſoluitur obligatio multis modis, ſolutione uera, imaginaria, ut acceptilatione: ſolenni depoſitione, fructuum perceptione, conceptione, confuſione, chirographi redditione ut non agatur, turpibus actionibus, pactione. His enim caſibus pacto ipſo iure tollitur actio, ut ff. de pact. l. ſi unus. Item interim ſpeciei liberatio contingit: item propter maleficium creditoris, debitor liberatur, ut ff. eo. l. Stichum. §. ult. & C. ſiquis in tantam, & authen. ſiquis alium. Voluntaria ſolutio procedit eo ſoluente qui debet: alius tamen pro alio ſoluens, etiam ignorantem, & inuitum liberat, ut ff. eo. l. ſoluere. idem ſi aliquis pro alio iudicium accipiat, ut ff. eo. l. ſolutionem. Soluendum eſt cui debetur, etiam reo criminis poſtulato: alioquin plerunque inſontes perirent fame, ut ff. eo. l. reo: non tamen prodigo, ſiue ſoli pupillo ſolui debet: unde locupletior factus agere non debebit. uidetur autem factus locupletior, ſi non factus pauperior ſit: puta ſi tantum fuerit de ſuo erogaturus, ut ff. eo. l. in pupillo. Item alij ſoluens, quàm cui debeat, ſe liberat: ut ſi ſolueris creditoris procuratori, uel alij cui mandauerit, uel futuro debitori, uel ei cui dare uolebat, uel prorſus alij cum id poſtea ratum habuerit, uel adiecto: etiam ſi ſtipulator uetuerit non litem conteſtando. Sed ſi iuſſeris me id quod tibi debeo ponere in arca tua, id eſt, in conſpectu tuo, quaſi longa manu accepiſſe uideris, ut ff. eo. l. pecuniam, l. cum iuſſu. & l. ſiquis. l. ſolutam. l. ratum. l. reo. Sed & tutor, & curator etiam non gerentibus, non tamen remotis, ſuſpectisúe poſtulatis ſolui poteſt, ut ff. eo. l. quod ſi. Sanè adiectorum parentibus, & dominis, non adiectis, non uolentibus, ſolui non debet. Et hic eſt caſus, quo etiam ſerui de iure ſoluere poſſunt, ut ff. eo. l. Stichum. Sanè nec litis procuratori rècte ſoluitur, niſi ad hoc mandatum habuerit, ut ff. eo. l. hoc iure. Sed nec ſoluenti pro alio res pignorata recte reſtituitur: ſed adiecto ita ſoluendum eſt, ſi manſerit in eodem ſtatu. ea enim conditio ineſt, ut ff. eod. l. cum quis. Item quod debetur ſolui debet, ſed & aliud creditore uolente, ut ff. eo. l. ſiquis. aliquando non uolenti, ut ff. eo. In tribus caſibus tamen etiam uolenti aliud pro alio ſoluitur, puta debitor argentum in arca, poteſt ſe liberare dando ſolidos quinquaginta: forte & econtra. Item patrem ſuum, fratremúe ſuum à ſe legatum, poterit quis retinere, ſi ſoluerit alium ſeruum æquè bonum, ut ff. de de legat. ij. ſi domus. Item ſi pecuniam debes, & non poſſis habere, ſoluendo rem aliam te poteris liberare, ut C. eod. l. authen. hoc niſi. Vbi quis ſoluit diſtinguitur, debeat pluribus ex contractibus, uel ex uno ſortem & uſuram. Si ex pluribus contractibus debens ſolueris, nec legem dixeris: creditor quod ſibi ſoluerit in grauiorem cauſam cogitur reputare, ut ff. eodem l. j. Vbi uero ex uno contractu quis debet. & ſortem & uſuram, ſoluerit pecuniam, diſtinguitur, debeat pluribus ex contractibus, an legem in ſoluendo dixerit, an ſimpliciter ſoluerit. Si ita dixerit, uel prorſus ſimpliciter, id eſt, non expreſſit, nec in ſortem, nec in uſuras: prius in uſuras id quod ſoluitur, deinde in ſortem accepto feretur. Si quæ fuerant quæ ex ſtipulatione poterant peti, ſiquæ item fuerant quæ pignoris retentione ſeruari poterant: hocque uerum eſt ſiue etiam tertij generis ſoluendæ debebantur uſuræ, id eſt, naturales per pactum, ſiue non. Ergo poſt uſuras ſtipulatorias, & pignoraticias, ſiquid fuerit reſiduum nō cedet in uſuras naturales etiā ſiquæ fuerant: ſed duntaxat in ſortem,

Vbi uero debitor pecuniam ſoluerit non prorſus ſimpliciter,ſed adiecerit:in uſu ras ſoluo, pecunia ſoluta pro rata in omnes uſuras cedit, & ſtipulatorias, & pignoraticias,& naturales,ut C.de uſuris.& in ff.eo.l.in his. & C.eo.l.j. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſatisfactio pro ſolutione eſt, & quòd ſolutionis uerbum,ad omnem liberationem pertinet, & quòd is qui alienum hominem in ſolutum dederit,uſucapto homine liberatur, ut ff.eod.l.ſatisfactio.& l.ſolutionis.& l.is qui.Item illud notandum eſt, quòd ſi tibi dedi pecuniam, ut eam creditori modo ſolueres, & tu eidem dederis tuo nomine: quia etiam eidem deberes, neuter iure ex tali ſolutione liberatur: ſi tamen creditor numos conſumpſerit, etiam is qui ſoluit ex poſt facto liberatur: ne ſi aliter ſeruiretur creditor in lucro uerſaretur,ut ff.eo.l.Caſſius. Nam & aliâs ſi pecuniã tibi dedi,ut eam meo nomine crederes,tuq; tuo nomine credidiſti:nec tibi, nec mihi, ex numeratione naſcitur actio:ſed pecunia conſumpta tibi utilis dabitur condictio, ergo & liberatio,ut ff.ſi cert.petat.l.nam,& l.non.In ſumma illud notandum eſt,quòd ubi quis ex pluribus cauſis debens indiſtinctè ſoluit (ſicut dictum eſt) in duriorem cauſam, creditor accepto ferre debet:ſed ſi pignus diſtrahit,pecunia ex diſtraxione accepta,etiam in leuiorem cauſam, id eſt, in eam quæ tantummodo debetur reputabit,ut ff.eodem l.Paulus.

DE ACCEPTILATIONIBVS. TIT. XLVII.

EXpoſuimus de ſolutione naturali, & uera: nunc audiamus de imaginaria, quæ fit per acceptilationem. Videamus itaq; quid ſit acceptilatio, qualiter fiat,quæ obligatio accepto feratur,quem effectum habeat acceptilatio. Acceptilatio eſt uerborum conceptio quibus utriq;, id eſt, debitori & creditori per mutuam interrogationem & reſponſionem ab eodem nexu contingit liberatio, ut ff.eodem l.j. acceptilatio fit uerbis tantum.fit & ita, HABES NE ACCEPTVM QVOD TIBI DEBEO? HABEO ACCEPTVM QVAE FERO, ut ff.eo.l.& uno. Accepto fertur obligatio duntaxat,quæ uerbis contracta eſt. nempe quod uerbis colligat̃ contrarijs uerbis diſſoluitur,ut ff.eo.l.an. Accepto ferre poteris etiam per procuratorem, ſed non niſi per ſpecialem, ut ff.eo.l.iij. Acceptilatio non poteſt fieri in diem,uel ſub conditione;quia nec naturalis ſolutio. Sanè debitum in diem, & ſub conditione, accepto fieri poterit. Et quidem puræ tacita conditio inerit. Quippe acceptilatio ita ualebit,ſi dies uenerit,ſi conditio extiterit:ut ſic ſimul actio naſcatur,& pereat,ut ff. eodem l. quod, & ff. de re iudica.l. acta. Ipſo iure liberat, ſi utiliter interpoſita eſt. Inutilis acceptilatio per exceptionem adiuuat, ſi fuerit celebrata inter iuris ignaros, & iuris conſcios nullo modo,nec ipſo iure nec per exceptionem, ut ff. eodem l. ſi acceptolatum,& l. an.Nam & aliâs naturalis ſolutio per exceptionem liberat. Ecce enim ſi ſtipulatus ſum ita,dabis mihi decem,aut Panphilo:ſi res in perſona mea deſignata fuerit,mihi ſoluta, ipſo iure liberatio competit: eadem Panphilo ſoluta, nec exceptionem inducit:uerum ſi res in perſona Panphili deſignata,Panphilo fuerit ſoluta,ſolutio talis liberationem adfert: non ipſo iure, ſed per exceptionem, ut ff. de uerb. ob.l. ult. In ſumma illud ſciendum eſt, quòd pars debiti poteſt accepto ferri,ſicut & ſolui,ut ff.eo.l.pars. Item illud ſciendum eſt,quod ſi ab uno, uel uni ex pluribus reis ſtipulandi uel debendi, fuerit acceptilatum, liberatio contingit in ſolidum,ut ff.eo.l.& per. Item ſi fideiuſſori proiudicato fuerit acceptilatum, liberabitur etiam iudicatus,ut ff.eod.l. ſi ex pluribus. Item illud ſciendum eſt, quòd nec ſeruus iuſſu domini accepto ferre poteſt, ut ff. eodem l. penult.

DE EVICTIONIBVS. TIT. XLVIII.

CVm loqueremur ſuperius de ſolutionibus,diximus aliud pro alio perſolui:& quia quod in ſolutum datur,ſæpe euincitur, inde occaſione ſumpta de euictione inſeramus. Videamus itaq; quid ſit euictio,quando committatur euictio,qua actione agatur de euictione,& quantũ petatur ea actione. Euictio eſt rei uenditæ, uel ex alia iuſta cauſa transferendi dominij traditæ, per iudicis ſententiam abductio. Cõmittitur euictio ſi res uendita euincatur tota,uel eius portio quota. Sed & fundo uendito,ſi uſusfructus euincitur, quia dominij pars eſt,euictio committitur:ſecus ſi uacca uendita,uitulus euincatur, ut ff.eo. l.uaccæ.Naue aũt uel domo uendita,pro cementis uel tabulis euictis,quia non ſunt partes,non agitur,ut ff.eod.l.naue. Tunc autem euictionis cõmittitur ſtipulatio,cum res empta reſtituta eſt petenti:uel emptor damnatus eſt in litis ęſtimationem, uel poſſeſſor ab emptore conuentus abſolutus eſt, id eſt quoties res ita amittitur,ut eam habere non liceat propter ipſam euictionem. Sed ſi neq; corpus,neq; pecunia emptori abſit,non oportet committi ſtipulationem. Ergo ſi uictus litis æſtimationem præſtiterit,ſtipulatio committitur:neq; enim emptori rem emptam habere licet ex priſtina emptione,ſed quia litis æſtimationẽ præſtiterit,ſtipulatio committitur,ut ff.eod.l.euicta & l.ſi ſeruus. Sed nec hæreditate uendita uel uniuerſitate,ſi ſingularia corpora euincuntur, euictionis ſtipulatio committitur. Nec enim uenerunt,nec partes quotæ uenditæ fuerunt: ſed tali ratione uincibili allegata ceſſat euictio. Si de uniuerſitate uendita fuerunt, uel non:ſi fuerunt,iniuria euicta ſunt: & iniuria quæ fit emptori non contingit uenditorem:ſi nõ fuerunt,non acceſſerunt. ergo emptor queri non debet,ut C. eod.l.j.& ff.eod.l.ſerui & l.ſi per. Committitur autem euictio ſi non ſponte reſtituit,ſed iudicio,ut ff.eod.l.non tamen.Ergo ante ſententiam minime,uerum ſi ſciens rem alienam mihi uendideris ignoranti,etiam priuſquam euincatur utiliter à me conueniri poteris,ut ff.de act.empti l.ſeruus. Sed ex pacto ante ſententiam agitur.Sed & ſi in limine contractus imminet euictio, non eſt facienda pretij præſtatio:niſi emptori fideiuſſore præſtito,ut ff.eod.l.Stichum. Sed & interdum nec fideiuſſore præbito,pretium dabo: puta ſi rem alienam uendideris calumniam uitans à domino redemerim,ut ff.eod.l.ſi rem. Sanè ante euictionẽ poteſt agi ut ex conſuetudine regionis caueatur,ut ff.eod.l.ſi fundus: Sed non ut fideiuſſor detur,niſi nominatim hoc actum eſt,ut ff.eod.l.illud. Sed & poterit agi interdum,ut dupla promittatur,pro omnibus pretioſis rebus, ut ff. eod. l.ij.& l.emptor.Porrò cum homo uenditur in ſtipulatione duplæ ſpeciali cenſura partis adiectio neceſſaria eſt,ut ff.co.l.ſi dictum. Sententia inquam iudicis oportet euinci,non arbitri:niſi ex uoluntate creditoris compromittatur.nec enim ex neceſſitate arbitrium ſumitur,ut ff.eod.l.ſi dictum.Quo genere iudicij res euincatur nõ intereſt,directo,utili, Seruiano,communi diuidundo:uerum ſi hypothecaria res ſit euicta, ut à debitore poſtea creditori euincenti pecunia ſit ſoluta,debitor idemq; uenditor,ſi de pœna commiſſa conueniatur, doli exceptione utetur.Tunc enim res uidetur euicta,cum fere ſpes habendi ſit abſciſſa, ut ff.eodem l.euictus. In tribus caſibus emptor de euictione agit,ſi actori denunciauerit,ſiue abſenti,ſiue præſenti,& pupillo dum tamen prope condemnationẽ non fiat,ut ff.eod.l.ſi rem.l.ſi ideo.l.ſi dictum.Idem ſi per uenditorem fiat quo minus denuncietur. Idem ſi denunciauit propter pactum, uel quia non potuit. Ceſſat euictio per factum emptoris,ut ſi ſeruum manumiſit,proſtituit,ut ff. eodem l.ſi ſeruum:ſi locum uenditum dedicauit, ſed & pro derelicto habuit,ut ff. eodem l.ſi per & l. ultima: ſi in iudicio non fuerit, ſed abſente uenditore non

appellauerit. Quod autem dictum eſt emptori imputari ſi non denunciauerit, oportet intelligi, ſi potuit, uel ſi ſciuit ubi uenditor eſſet, uel ſciri potuit, ut ff. eodem l. ſi fundo l. ſi dictum. Item ceſſat euictio, ſi iudex per imprudentiam facti uel iuris, uel propter auaritiam male iudicauerit. Item ceſſat euictio, ſi emptor uſucapionem, uel aliam allegationem, defenſionẽue allegauerit. Item ceſſat euictio ſi quis à ſedente in alea emerit, ut ff. quar. rer. act. nõ da. l. ultima. Ergo per contrarium ſi actori ſit denunciatum, uel per eum ſteterit, nec emptor uicio laborauerit, actor pro euictione tenebitur. Ergo eum euincentem, etiamſi ex alia cauſa poſtea dominium quæſierit, iuris ratio non patitur. quem enim tenet de euictione actio, multo magis hunc euincentem repellit exceptio, ut ff. eod. l. uindicantem. Exceptionis titulo & ex conſimili, id eſt non gratuito competit euictio: ſiue dictum ſit, ſiue non, ut competat: niſi ſciens quis quid acceperit. Sed & tunc ceſſabit, cum, ut non competat, actum fuerat. Sanè meo iudicio ex donatione pro euictione agitur niſi dicatur. Sed nec ab emptore conſcio (ſicut dictũ eſt) uniuerſitate uendita, ſi ſingularia fuerint euicta, pro euictione agitur ex ſtipulatu, ſi ſtipulatio interceſſerit: uel actione præſcript. uerbis, uel ſimili. Si dupla fuerit promiſſa, tripla, quadrupla: præſtabitur & impendium in rem. Si uero ſimplum petitur, in quo intereſſe cõtinebitur, & impendium in rem euictam factum: ita tamen ſi non emptori poteſt imputari, quare ab euincente per doli exceptionem ſibi non ſeruauit, puta ſi tempore ſententiæ ab appellatione ſine uicio ceciderit. Ergo ſi impendia ſeruare potuit, ea à uenditore ſibi reſtitui minimè impetrabit, ut C. eod. l. ſi controuerſia. In ſumma illud notandũ eſt, quòd licet uenditor dixit re euicta nil præſtitum iri, attamen poſt euictionem pretium reſtituere debebit, ut ff. de act. empt. & uendi. l. ex empto. Item notandum eſt, quòd ſi aliquis liberum hominem tanquam ſeruum neſcienti uendiderit, ipſum poſtea hæredem fecerit, hæres ipſe factus de ſeipſo reſpondere debebit, ut ff. eodem l. viij. Amplius illud notandum eſt, quòd hæres fideiuſſoris licet teneatur de euictione, contra regulam tamen poteſt euincere, ut Cod. eod. l. ultima.

CREDITOREM EVICTIONEM NON DEBERE. TITVLVS XLIX.

Dictum eſt uendentem regulariter euictionem debere, nunc audiamus creditorem uenditorem caſualiter euictionem non debere. Diſtinguitur tamen creditor uendat, ſi tanquam dominus uendit, pro euictione iure communi tenebitur: ſi tanquam creditor, minimè: ſed euictione ſecuta in debitorem utilis ex empto dabitur actio, cui profecit uenditio: ſicut ſi à Cæſare iure dominij addicta, fuiſſet euicta, uel ab executore uendita, ut ff. de pignorat. act. l. eleganter, & C. de euict. l. ſi ob. Tenebitur tamen de euictione creditor, ſi promiſerit de euictione rei, & ſi dolo malo diſtraxit, ut C. eod. l. ult. alioquin minimè tenebitur, ut contrariam pignoratitiam quam habet contra debitorem emptori præſtet, ut ff. de euict. l. in creditore. Sed ſi creditor cum pignus uenderet, pepigit, ut ut pecunia ſoluta pignus ſibi liceret recuperare: etiam hanc actionem debebit cedere debitori, ſicut & ſuperiorem poſt euictionem, ut ff. de diſtract. pigno. l. ſi creditor. In ſummà illud notandum eſt, quòd licet creditor non teneatur de euictione, ipſe tamen non poteſt euincere, nec hæres eius, ſed nec fiſcus: ſiue uendiderit, ſiue uendenti ſucceſſerit, ut Cod. eod. l. j. & C. ne fiſcus uel reſpub. l. j. & ij. Item notandum eſt illud, quòd licet procurator Cæſaris, qui uendidit,

promi-

promiſerit pro euictione duplum, triplum, fiſcus non conuenietur, niſi [illegible] ſim plum, ut ff. de iure fiſci l. ſi procurator.

DE PATRIA POTESTATE. TIT. L.

EXpediuimus de iure quod eſt in dominio noſtro, nunc de iure patriæ poteſtatis agamus, quod eſt extra dominiū. Videamus itaq; quid ſit patria poteſtas, quid filius debeat patri iure patriæ poteſtatis: quidq; pater filio. Patria poteſtas eſt ius quoddam, quod nos parentes habemus in liberis noſtris legibus, quale ius non habent alij homines, ut Inſt. eod. Barbaros autem in poteſtate habemus. Sed nec matres filios ſuos habent in poteſtate. Poteſtas alia eſt, quæ uocatur dominica. Eſt & tertia poteſtas alia ad inſtar patriæ poteſtatis inducta: puta tutorum, & curatorum, & quaſi, ut orphanotrophorū. Eſt & quarta poteſtas, ut magiſtratuū. eſt & quinta poteſtas, ut Abbatis in monachos iure poteſtatis. Filius debet patri omnimodam reuerentiam, id eſt, ut uereatur, reueratur, in dicendo, faciendo: & econtra, item patrē inopem filius locuples exhibere debet. Item ex re patris ſi quid filiusfam. quæſierit, illud totaliter ad patrem pertinebit: ſed ſi aliunde, dūtaxat uſusfructus iure: ut ſuperius ego diſtinxi C. de bonis quæ. libe. Iure patriæ poteſtatis pater debet filiū exhibere, erudire, donationē propter nuptias pro eo conſtituere, pro filia dotem dare. Item bona filiorum debet diligenter adminiſtrare, nec alienare: niſi ex cauſa conceſſa, ut C. de bon. quæ. libe. l. cū non ſolū. Sed nec pater, materiæ, niſi propter famem, poterit filiū ſuum alienare, uel obligare. Sed nec pater filiū ſuum abdicare poterit, uel filiationem reſpuere, ut C. eod. l. abdicatio. Sed nec pater cū filio ſuo agere poterit ciuiliter, ſed nec filius cū patre. Sanè criminaliter pater etiā filiū poterit accuſare præſidi prouinciæ illū oblaturus, dicturo ſententiā, quam tu quoq; dici uolueris, ut C. eod. l. ſi filius. Porrò mater etiā ciuiliter cū filio litigare, & de crimine in ſe cōmiſſo, ſi uolet, poterit illū accuſare, ut C. eod. l. congruentius & C. qui accuſare nō poſſunt l. propter. Item ꝙ pater mater debet nominatim inſtituere, uel exhæredare: uel econtrà. In ſumma illud notandū eſt, ꝙ pater non ſolum filios ex ſe genitos habebit in poteſtate, ſed et filiorꝫ filios etiam ulteriores. Ergo etiam eis tanquam in prædictis prouidere debebit. Item illud notandum eſt, quòd filium minorem trimo exhibere non compellitur pater, ſed mater, ut C. eod. l. nec filium. Tamen hoc ita intelligo, ſi mater habeat lac, & ipſam in lacte proprio filium educare non dedeceat.

DE ADOPTIONIBVS. TIT. LI.

QVoniam patria poteſtas, de qua tractauimus, contingit non tantum per Imperatorem, de qua ſuperius in quinto docuimus, ſed & per adoptiones de adoptionibus diſſeramus. Exponamus itaq; quid ſit adoptio, unde dicatur, quot ſint ſpecies adoptionis, quis adoptet: quis adoptetur, apud quē, & quem effectum habeat adoptio. Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, uel in nepotem, uel deinceps conſtitutio. Eſt autem dicta adoptio adinſtar arboris quaſi ad optio uel adoptatio, Duæ ſunt ſpecies adoptionis, ut arrogatio, altera ſtat in nomine generali, uocaturq; adoptio. Vt in caduco, nam aliud dicitur pro non ſcripto in cauſam caduci, aliud expreſſim caducum. Duobus modis adoptamus: magiſtratus autoritate, ut filiosfamiliās: & principis imperio, & reſcripto, ut eos, eaſúe qui quæúe ſui iuris ſint, hos arrogamus, id eſt adoptamus, Ad-

opta re poteſt qui filium habet, ſed & qui habuerit, & non habet: ſed & qui non habet, & non habuerit: ſed & qui nunquam de iure habere poteſt, ut ſacerdos, qui nec uxorem accipere: ſed non is, qui generare non poteſt. Item fœmina arrogare non poteſt, quia nec filios proprios in poteſtate habet. Sanè in ſolatium liberorum in acie amiſſorum permittitur fœminæ arrogare, ut cum ab ea arrogati duntaxat eius filij efficiantur, ſed in poteſtatem ſuam redigantur. Adoptari poteſt liber homo, mas, fœmina, puer, puella: ita tamen, ut is qui adoptet, præcedat eum qui adoptatur plena pubertate, id eſt ſaltim decem & ſeptem annis. Apud magiſtratum qui legis actionem non habet adoptiones filiorum fieri debent. Sed & filiusfamilias magiſtratus etiā cæcus, ſeipſum etiam apud ſeipſum poterit in adoptionem dare; ut ff. ſi conſul. l. magiſtratus l. etiam. Adoptantur per magiſtratum filijfamilias, ſi tamen non diſſentiant, ſi tamen parentes eos in adoptionem dent. ſufficit enim filios eis nō diſſentire. Porrò eorum, qui, quæue arrogantur, expreſſus cōſenſus exigitur. quippe duplex intercedit rogatio quia & is qui adoptat rogatur, id eſt interrogatur, an uelit eum, quem adoptaturus ſit iuſtum ſibi filium eſſe: & is qui adoptatur interrogatur an id fieri patiatur, ut ff. eodem. l. ſecunda. Arrogatur autem pubes aut impubes. Arrogatio autem impuberis maximam exigit indaginem. Exquiritur enim cauſa an honeſta ſit, expediatq; pupillo. Inquiritur arrogantis ætas, & liberorum numerus. Præterea arrogator ſatiſdare debet de tribus, id eſt q bona pupilli ſaluabit, & quòd pupilli parentibus eis reſtituet, ſi intra pubertatem deceſſerit: ſi uel iniuſtè eum exhæredauerit, uel emancipauerit. Cauebit autem arrogator pupillo, ſi ſtipulari poteſt, uel eius ſeruo: ſi ſeruum non habet, nec ſtipulari ualet, cauebit tabulario, id eſt ſeruo publico: & hoc caſu, ſi omiſſa fuerit cautio, utilis dabitur in arrogatorem ex ſtipulatu actio, ut ff. eod. l. non aliter, & l. his uerbis. Adoptionis effectus hic eſt, olim filijfamilias in adoptiui patris poteſtatem tranſibant, hodie minimè. Sed & adhuc in poteſtate ſui genitoris remanet adoptiuus, neceſſaria percepturus ab inteſtato: forte etiam cum ſuis naturalibus filijs eis ſucceſſurus. Sanè pater adoptiuus alterius filijfamilias adoptatum inſtituere non cogitur. Excipitur, niſi pater naturalis dederit filium ſuum in adoptionem auo uel proauo. tunc enim patris poteſtas rumpitur, & alia ſubrogatur, ut Inſtitut. eod. Arrogatus cum ſuis quoq; liberis in poteſtatem tranſit arrogatoris. Eſt arrogatio, quam mulier impetrat: ſed & regularis eſt adoptio, cum dominus adoptauit ſeruum, quem antea non manumiſerit. Sic enim adoptatus conſequitur tantum libertatem, & non fit filius, ut Inſtitut. eod. § ultimo. Item illud ſciendum eſt, quòd adoptio inutiliter facta, puta, ſicut olim per tres emancipationes in liberis primi gradus, aut per unam emancipationem in liberis cæteris, à principe confirmari ſolet, ut ff. eod. l. adoptio.

DE EMANCIPATIONE LIBERORVM. TIT. LII.

QVoniam ſicut adoptiones patrię poteſtati ſubijciunt, & emancipationes à patria poteſtate eximūt, de emācipationibus loquamur. Videamus itaq; quid ſit emācipatio, quę ſint ſpecies emācipationis, & qualiter emācipatio fiat. Emancipatio eſt filij de parentis poteſtate, uel de filiatione exemptio, iudicis intercedente autoritate. Duæ ſunt ſpecies emācipationis, ſpōtanea, & coacta. Coacta emācipatio interponitur, puta ſi pater atrocius & excedendo modum filium uerberauit, uel inedia affecerit, ut ff. ſiquis à parente l. diuus. Itē ſi prolem ſuam

pater

pater compulerit meretricari, ut C. de epiſcop. l. ſi lenones. Sed & ſiquis arrogatus, & præſertim impubes probauerit ſibi non expedire ſe arrogatum fuiſſe, ut emancipetur poterit impetrare, ut ff. de adoptionib. l. nunquam. In his enim tribus caſibus parens cogitur uelle, uolũtasq; coacta uoluntas eſt, ut ff. quod met. cau. l. quod metus ff. de nupt. l. ſi patrem. In hunc modum procedit emancipatio, ſi parenti complacuerit filium præſentem emancipare, & filio placuit emancipationem ſuſcipere, apud iudicem etiamſi fuerint alienigenæ, ambo pater & filius, debentq; intrare, ſuarumq; uoluntatum conſonantiam explanare. Quippe uoluntates amborum tantum debent concordare. Inde eſt quod emancipationes, cæteriq; actus legitimi, ut acceptilatio, adoptio, & curatoris datio, expediuntur in iudicio, id eſt conflictu contradictorio. Sed concilio, quod inde nomen accepit, quia uoluntates conciliant, id eſt cõcordant: his omnibus ritè peractis, & in actis receptis, de parentis poteſtate filius exemptus eſt: poteritq; emancipator in emancipationis præmiũ, ſi uolet, retinere rerum filij penè omniũ uſumfructum, non dimidium dominium, ut olim tertiam: non tamen rerum caſtrenſium, uel quaſi: poteritq; ei peculium donare. Quippe filius emancipatus forte aliàs peculium non percipiet, niſi ſibi eſſet donatũ, ut C. eo. l. ultima. Peculium manumiſſo ſeruo inter uiuos ſemper tacitè uidetur cõceſſum, niſi expreſſim fuerit ademptum, ut C. eod. Poterit autem filiorum præſentium emancipatio expediri, non tantum apud præſides, ſed etiam apud duos uiros ſecundũ legem municipij; ut C. eod. l. j. Ceſſabuntq; hodie rhapiſmata iniurioſa, quibus olim filius turpiter tractabatur. iniurijs em̃ & alapis egregiè ſaturabatur, colaphis, & multis opprobrijs abundanter ſaturabatur. Ceſſabuntq; figuratiuæ & imaginariæ ueditiones, quorum nullus rationabilis eſt exitus: ſed nec eſt opus rebus, quas nullus ſequitur effectus. Si placuerit filios parentibus abſentes emãcipare, principem debebunt adire, & eius reſcripta impetrare: quo impetrato, ſi filij abſentes apud quencunq; iudicem uoluntatem ſuam conſonam expoſuerunt, ſiue ante imperiales apices promulgatos, ſiue poſtea, erunt emancipati. Sanè infantes cum careant ſenſu. ergo etiam ſine conſenſu hoc modo poterunt emancipari, ut C. eod. l. v. In ſumma illud notandum eſt, quòd filij inuiti emãcipandi nõ ſunt, nec enim beneficia tribuere in cuiuſquam iniuriam moris eſt noſtri, ut C. eod. l. nec. Item ſciendũ emancipationẽ quocunq; loco celebrari poſſe, ut ff. de adopt. l. emancipari. Amplius, & præter emancipationem filius à patria poteſtate liberatur, ut ſi fiat patricius, epiſcopus. Illud ſanè notiſſimũ eſt, quòd parentis morte: niſi forte in ſui patris poteſtatem caſurus ſit, ſui iuris efficitur filius: ſed mirabili modo in patris poteſtatem redit, ut C. eod.

DE INGRATIS LIBERIS. TIT. LIII.

Sicut bene merendo filij à patriæ poteſtatis iugo relaxantur, ſic male merendo (utpote exiſtentes ingrati) in patriã poteſtatem reuocantur. Quippe contraria contrarijs conueniunt. Ergo ſi filij emancipati atrociter parentes pulſauerint, uel acerbitate conuicij uexauerint, emancipatione reſciſſa, legum cenſura, damno libertatis immeritæ multabuntur, ut C. eo. Item emancipati ab auo uel proauo, redeunt in patriam poteſtatem. Sunt enim hæc tria notabilia, adoptio extranei, eius emãcipatio, & in patris poteſtatem reuerſio auo emancipante uel mortuo, ut C. de adopt. l. penult.

DE POSTLIMINIO ET REDEMPTIS AB HOSTIBVS. TIT. LIIII.

EXpoſuimus de filijs ingratis reſtituendis patriæ poteſtati, nunc audiamus de eis reſtituendis ſimiliter patrię poteſtati, per ius poſtliminij: & inde occaſione ſumpta, loquamur de omnibus filijs, ſed etiam de ſeruis poſtliminio reuerſis, & redemptis ab hoſtibus. Videamus itaq; quid ſit poſtliminiũ, unde dicaĩ, quæ ſint eius ſpecies, quæ res habent poſtliminiũ, quando pretium debeat reſtitui redemptori, & quando nõ. Poſtliminium eſt ius rei amiſſæ in prælio uel circa prælium, uel aliâs propter captiuitatem recipiendę, & in ſtatum priſtinum reducendæ, ut ff. eod. l. poſtliminium. Duæ ſunt ſpecies poſtliminij, id eſt ut reuertamur, uel aliquem ſeu aliqua recipiamus, ut ff. eod. l. cũ duæ. Item poſtliminiũ competit aliâs in bello, aliâs in pace. nempe in bello captus etiam poſtea reuerſus poſtliminium habet. Sed & non bello captus, poſtea reuerſus, ut ab his qui hoſtes nõ ſunt, ſed cũ quibus nec hoſpitium nec fœdus nobis eſt. Reuerſus aũt intelligitur, ſi intra præſidia noſtra peruenerit, uel ad amicos noſtros, ut ff. eo. l. poſtliminiũ. Sed & is ſolus reuerſus intelligitur, qui ea mente uenerit, ut ad hoſtes nõ redeat. nec enim ſatis eſt, domũ quem redijſſe corpore, ſi alienus eſt mente, ut ff. eod. l. nihil. Sunt aũt hoſtes, quibus Romanus populus, uel Imperator, uel ipſi nobis bellũ indixerunt: cæteri, latrunculi, uel prædones appellantur: et ideo abſens captus, nõ fit eorũ ſeruus, ut ff. eo. l. hoſtes. Dictum eſt aũt poſtliminium à limine & poſt. nam eo limine quo amittitur, eodem limine recuperatur. Transfuga poſtliminium non habet, præſertim ſi liber fuerit. hoſtium enim numero habendus eſt, ut ff. eod. l. poſtliminium. Sed & qui aliâs ſe hoſtibus dedit, poſtliminium nõ habet, ut ff. eod. l. poſtliminio. Sed & qui potuit redire, & noluit, tanquã transfuga poſtliminio carebit, ut ff. de re militar. l. qui cum. hoc eñ requirendum eſt, utrum quis cũ barbaris fuerit uoluntarius, coactusúe ut C. eodem l. ſi is qui, & l. ſi quos. Poſtliminium etiam habet non homines, ut agri ab hoſtibus capti: naues longæ, nõ piſcatoriæ, ut ſcaphæ: equi quoq;, ut ff. eod. l. ij. & l. ſi captiuus. Datur aũt poſtliminiũ hominibus cuiuſcunq; ſexus, & conditionis, etiamſi pugnare nõ poſſunt: quia etiã per cõſiliũ uſui eſſe poſſunt. Datur autem poſtlinium his, qui ab hoſtibus euaſerint compedibus ruptis: his quoq; qui ducibus noſtris donati fuerũt liberati. Nec enim tales iudicare debemus captos ſed receptos: & milites noſtros eorũ decet defenſores eſſe, & liberatores, & non dominos, ut C. eod. l. ab hoſtibus. Sed redempti poſtliminium habent, et qui reuerſi ante fuerant liberi, ſtatim libertatem recipiunt: uerũ in cauſa pignoris detineri ſolent, quandiu pretium redemptori reddiderint, uel per quinquennium ei ſeruierint, ut C. eod. l. ult. Hoc tamen ita, niſi pretium remiſſum fuerit. Remittitur aũt expreſſim, ſed & tacitè. Tacite pluribus modis. ecce per beneficiũ, puta ſi redemptor redemptam matrimonio ſibi copulauerit, ut C. eod. l. ab hoſtibus l. ſi is. Sed & per maleficiũ, ut ſi redemptor redemptã proſtituerit: ſed quandiu uixerit hęres exigi nõ poterit, ut ff. eo. l. ſi patre. ſed & ſi mater filium redemerit pietatis ratione, gratis præſumitur redemiſſe, ut C. eo. l. liber. Reuerſus ergo ab hoſtibus libertatem & ciuitatẽ recuperat, resq; ſuas nõ uſucaptas per reſciſſoriã ut C. eodem. l. ab hoſtibus: ſed & parentum mortuorum. Iure enim poſtliminij ſemper in ciuitate fuiſſe uidetur, ut ff. eodẽ. l. retro. nam & econtrà ab hoſtibus captus ſiquis fuerit, & deceſſerit, per æquiſſimam tamen fictionem legis Corneliæ, liber deceſſiſſe creditur. Quippe ea hora qua captus eſt, expiraſſe prę ſumitur, ut ff. eo. l. in omnibus. Ergo filius relictus domi, parentis apud hoſtes mortui fictione legis Corneliæ ſibi opitulatæ, ſucceſſionem rectiſſime capiet. In

ſum

ſumma illud notandum eſt, quòd captiui à barbaris redeuntes inuiti detineri non debent: ſed nec quod in uſu ueſtium uel uectualium ei fuerit præſtitum repetendum eſt, aliâs reſtituendum, ut C. eod. l. ult. Item illud notandum eſt, q ſi uxor & maritus ab hoſtibus capti fuerint, atq; illic apud hoſtes uxor ex marito conceperit, & peperit: profectò puer natus ſi cum ambobus parentibus redierit, illis ſuccedere debet. Aeſtimantur enim parentes, quia reuerſi ſunt, ſemper in ciuitate manſiſſe. ergo & hunc filium domi procreaſſe, ut C. eod. l. j. Ergo ſi redierit cum patre tantum, & matri inquam ſuccedet: quia illa hora qua captus fuerat, deceſſiſſe creditur: ſed patri non ſuccedet, quia ſpurius eſt: ſed ſi cum matre ſola redierit, uel ſine matre, patreq;: tanquam nullus filius, id eſt nec patrem nec matrem habens, nulli ſuccedet, ſecundum legum ſubtilitatem, legisq; Corneliæ fictionem. Nam (ſicut dictum eſt) cum ambo parentes defuncti apud hoſtes, ea hora, qua capti ſunt, fingantur deceſſiſſe: ergo filium intelliguntur poſtea generaſſe, uerum ex iuris æquitate. Iure quaſi poſtliminij licet non redierit, quia nunquam captus fuerit: tamen quaſi redierit, ſaltim libertatem habebit: licet neutrius parentis hæreditatem, quia neq; (ſicut dictum eſt) ſecundum legis Corneliæ fictionē, habuerit, ut ff. eo. l. apud, & ff. de ſtatulibe. l. ſi ſtatuliber. Sed forte hodie ſecus erit, & patris habebit poteſtatem, quia ſola naturalis cauſa inſpicitur: ſed ius authen. contra dicit non reducens authenticam ad hunc caſum.

DE INFANTIBVS EXPOSITIS LIBERIS ET SERVIS, & de ijs, qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt, Tit. Iv.

SIcut ſuprà in redimendis captiuis pietatis exercetur officium, ſic & pueris expoſitis ſuſcipiendis, ſuſceptisq; nutriendis pietas aperit ſinum, charitas pandit gremium: ideo de his adnectamus. Nempe quando pueros expoſitos ad mortem de biuio uel triuio, deûe foribus eccleſiæ in ulnas leuamus, gremio fouemus charitatis, miſericordis, ac humanitatis officiū impendimus: ergo poſtmodum illos à nobis educatos, adultosq; factos loco ſeruorum non habebimus ſiue ab initio hoc conſilium malignum ſumpſerimus, ſiue poſtea hanc diſtinctionem peſſimam acceperimus, ut C. eod. l. ultima. Diſtinguitur autem infans expoſitus, ſeruilis, uel liberæ cōditionis expoſitus & dominus ſit: patre inuito uel ignorante, an conniuentiam accommodante: ſi ſe inuito, uel ignorante expoſitus fuerit, pater filium poterit repetere, ſed impendia debebit reſtituere: excipitur, niſi à fure uendicauerit, ut C. eo. l. j. Quid ergo, ſi prolem familiamq; ſuam expoſuerit, uel exponi fecerit, uel aliâs expoſitionem factam ratam habuerit? pœnæ conſtitutæ ſubiacebit, id eſt repetere filium ſeruumúe non poterit. nec enim ſuum dicere debebit, quem pereuntem contempſerit, quem canibus & muribus expoſuerit, ut C. eod. l. ſecunda. Ergo iure legis, filij ſui iuris efficiuntur, & ſerui ingenui conſtituuntur, nullius patronatus præſtabitur: ſed legi duntaxat gratiam agentes, omnia quæ habebunt in ſuos poſteros, hæredesûe extraneos tranſmittere ualebunt, ut Cod. eod. l. ultima. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſi pater filiam expoſuerit, & nunc adultam ſumptibus & labore tuo factam matrimonio coniungi filio tuo deſiderantis patrem fauere uoto conuenit: qui ſi remittatur, alimentorum ſolutioni in hoc caſu parere debet, ut Cod. de nupt. l. patrem.

QVAE SIT LONGA CONSVETVDO. TIT. LVI.

EXplicauimus in ſuperioribus de iure ſcripto, nunc diſputemus de iure non ſcripto: quod appellatur conſuetudo. uideamus itaq; quid ſit conſuetudo, quantæ autoritatis ſit, qualiter diſtinguatur, quando ſit conſuetudine iudicandum, qualem oporteat eſſe eam, Conſuetudo eſt ius non ſcriptum moribus populi diuturnis inductum. Item conſuetudo eſt altera natura, eſtq; dicta conſuetudo magnæ autoritatis. Sed & conſuetudo iuris conditrix eſt in tempus, et abrogatrix ſicut ſequentia explanabunt, ut ff. de legib. l. nam. l. ſi de. l. de quibus. Conſuetudo aliâs communis, ut populi Romani: aliâs ſpecialis ut cuiuſcunq; populi, uicanei, ut C. eod. l. de ædificijs l. ad, & C. de emancipationibus l. j. & C. eod. l. j. Vbi lex deficit, uel ambigua eſt in quocunq; opido ad conſuetudinem urbis Romanæ decurrendum eſt, ut Inſtitut. eod. Roma enim communis noſtra patria eſt, ut ff. de municip. l. Roma. Ergo ſecundum mores & conſuetudines, & agendum & iudicandum, ut C. de teſtamen. l. teſtamenta. & C. de teſtamen. aperi l. ij. & ff, de iniuſt. teſt. ſi quis. Sed & prouinciales magis faciunt ſibi mores. Sed & in legibus cũ extra ordinem alicui beneficium largimur, morem ei gerere dicimur. Ita tamen ſecundum conſuetudinem iudicare debebit, ſi iuri ſcripto aduerſa non fuerit, ut C. eo. l. iij. Nam & aliâs ſi lex municipalis permittit aliquid fieri, ut ſi cadauera in ciuitatibus permittat ſepeliri: lex municipij, id eſt conſuetudo eſt ſpernenda, & generalia iura ſcripta ſunt ſequenda, ut ff. de ſepulch. uiolato l. pretor, & C. de uſur. l. eos. § iij. Quod ergo dicitur ff. de legi. ibi conſuetudinem abrogare legem, ſic debet intelligi, id eſt cõſuetudinem non aliam. Sicut enim ius aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum: ſic dici poteſt lex alia ſcripta, alia non ſcripta, ut conſuetudo, ut ad l. Rho, Nam & lex alia poſita, alia naturalis, ut Inſtitut. de furt. § ij. & C. quorum bono. l. ult. Ergo lex ſcripta, tantum per legem ſcriptam caſſabitur: & non ſcripta, id eſt conſuetudo tantum per legem non ſcriptam, id eſt per contrariam conſuetudinem abrogabitur: multo fortius & per legem ſcriptam. Hoc ego: quidam alij inquiunt diſtinguendum, populus utatur cõtra legem ſcriptam cõſuetudine aliqua, ſciens legem, an ignorans, ut ſciens, legem abroget: ſi non ſciens, minimè. Hoc ego non probo, ne delinquentium melior ſit conditio. Item tali argumento hoc arguo: in principem per regiam legem populus Romanus omne ius tranſtulit. ergo ius condendi iura & abrogandi: ſicq; ius tale ſibi non reſeruauerit. Oportet autem conſuetudinem eſſe longæuam, hominumq; excedere memoriam. Oportet ut eadem ratione fuerit introducta. mali enim mores diligenter cauendi ſunt: ne quod errore inuentum eſt rationem uincat, aut legem. Item probatior erit atq; preſtantior conſuetudo, ſi aliquando fuit confirmata contradicto iudicio, ut ff. de le. cũ de.

DE DONATIONIBVS. TIT. LVII.

EXPEDIVIMVS IN SVPERIORIBVS de contractibus omnibus, qui penè omnes iure gentium introducti ſunt: ſed quia donatio olim non erat contractus, ſed nudum pactum, per Iuſtinianum facta eſt contractus redacta in numerum cõtractuum, de donationibus ſubijciamus tractatum. Exponamus itaq; unde dicta ſit donatio, & quot ſint ſpecies eius, quis poſſit eas donationes celebrare, de quibus hic agitur, qualiter donatio pficiatur, qualiter deficiat, qua actione, & quatenus donator conueniatur. Verum quando, & qualiter do-

natio reuocetur, inferius in titulo tertio explicabitur. Eſt autem dicta donatio,
quaſi dono datio, ut ff. de donat. cau. mort. de hac tractabitur inferius. Et non
cauſa mortis donatio, alia eſt ſponſalitia, alia propter nuptias, alia dos, de his a-
gitur in quinto. Alia fit ob cauſam, alia ſub conditione, alia ſub modo: de his a-
gitur in titulo ſequenti. Alia donatio eſt ſimplex, & mera: de hac ad præſens a-
gendum. Hæc inquam donatio propter aliam nullã cauſam celebratur, niſi ubi
liberalitas & munificentia celebratur, ſtatq; in nomine generali propter excel-
lentiam, ut ff. eod. l. j. Nemo tamen in neceſſitatibus facile munificus uel libera
lis extiterit. Donare poteſt paterfamiliâs maior, non prodigus, & mutus, & ſur
dus: nõ furioſus, mente captus factus. Porrò filiusfamiliâs nullius rei, ergo nec
rei propriæ: etiamſi fuerit Ariſtoteles, alienationem habet: multo minus rei ſibi
à patre in peculium conceſſæ, etiamſi libera eſt adminiſtratio peculij, ut ff. eod.
l. filius C. de caſtren. pecul. l. iij. Verũ in tribus filiusfam. rite donat, puta ſi pa-
ter conceſſerit, ſi filius ſenatoris fuerit: uel aliâs ex cauſa donauerit, ut ff. eod. l. fi
lius. Donari non poteſt propriè, niſi quod ſit donantis. Item donari non poteſt
niſi eius fiat cui donatur, ut ff. eod. l. ij. Item nolentibus: licet non uolenti libera
litas àdquiri non poteſt, ut ff. eod. l. hoc. Donatio celebratur ſiue dicatur dono,
ſiue donabo. Hoc ego, ita tamen ſi non dicatur demonſtrandi intellectus gratia
Titio uel Seio. Conficitur donatio, & per ſe, & per medium inter utrunq;. Con-
ficitur gratia affectionis honeſtæ, ut in præceptorẽ: & inhoneſtæ, ut in amicam,
concubinam, focariam. Miles focariæ donare non poteſt, ut C. de donat. inter
uir. & uxorem l. ij. donatur quoq; abſenti, ut ff. eod. l. abſenti. Perficitur & con-
firmatur donatio iure ueteri, ſi uel traditio fiebat, uel ſi ſtipulatio interueniebat.
Porrò hodie præter traditionem & ſtipulationem donator, hæresq; ſuus poterit
conueniri, ut tit. eod. ait, condictione, et ex lege noua Iuſtiniani, ut Inſtitut. eod.
Fit autem traditio, ſi res naturaliter traditur: per interpretationem, ut ſi inſtru-
mentum traditur. Res enim, de qua inſtrumentum perhibet tradita æſtimatur,
ut C. eod. l. j. Item uinorum uenditorum, ſed non horreorum uenditorum tradi
tio, facta creditur, ſi claues illius horrei apud horreum traduntur; multo magis,
ſi claues doliorum. Vicinior enim eſt interula quàm tunica. Item arbores dona
tæ, & à donatario conſignatæ, traditæ cenſentur. Item ſi quis donando uſumfru
ctum exceperit, rem tradidiſſe creditur, ut C. eo. l. quiſquis. Item ſi alter alterius
nomine pecuniam numerauerit, inſtrumenta conſcripſerit, uſuras accepit, tradi
diſſe præſumitur, ut ff. eod. l. penult. & l. ultima. Sanè nuda ratio, puta ſi quis
apud ſe dixerit, uel ſcripſerit, ſe donaturum, non facit eum obnoxium, ut ff. eo.
l. nuda. Valet autem donatio hodie in quingentos ſolidos, etiam ſine inſinuatio
ne: ſi ultra proceſſit, opus eſt inſinuatione, id eſt ſcriptura pro memoria facienda
duntaxat apud magiſtrum cenſuum: in prouincijs apud præſides, ciuitatumúe
defenſores. ergo in donatione quandoq; opus eſt ſcriptura gemina, id eſt priua-
ta, & publica: puta ſi quis cum ſcriptura donare propoſuit, & donatio quingen-
tos ſolidos excedit, ſufficit altera: niſi ſine ſcriptis donare propoſuit. Aliâs nulla
exigitur ſcriptura, ſi donare uoluerit, & infra quingentos ſolidos donatio conſi
ſtit. Sanè in uno etiam caſu infra quingentos ſolidos ſcriptura exigitur, ut dona
natio cõſummetur: puta ſi pater in me emancipationẽ cõferre uelit, priuſquam
fari poſſim, ut cod. l. ſi quis. Deficit donatio ab initio pluribus modis. ecce enim
ratione perſonæ inter parentes, & filios, inter coniuges, prætérquam in caſibus
quos excepimus in quinto C. ſuperius. Ratione rei, ut ſi quis hæreditatem ui-
uentis cognati donauerit. in l. enim agit qui aduerſus bonos mores & ius gen-
tium feſtinauit, ut ff. eod. l. quidam. Ratione cauſæ, ut ſi ultra quingentos ſoli-
dos donatio celebrata, regulariter non fuerit inſinuata. Regulariter ideo dixeri

mus,quia ſecus eſt in multis caſibus. Ecce enim donatio pietatis gratia facta, quantæcunq; fuerit quantitatis,etiam ſine inſinuatione ualet: ut collata in eccleſiam,redemptionem captiuorum,alimoniam pauperum. talium enim donatio modus eſt uniuerſitas. Item donatio à magiſtro militari collata in fortiſſimos milites. Item donatio uſuratum futuri temporis quantacunq; excreſcere debet. Item remiſſio quoq; per pactum facta de non petenda quantitate, quantacunq; ualet ſine inſinuatione. Item ſine inſinuatione tenet collata,promiſſaúe in reparationem exuſtarum domorum.ergo & eccleſiarum forte,ut C.eo.l.penult. Item donatio ſine inſinuatione ualet,ut C.de donat.propter nupt. authen. eo decurſum eſt,ſicut dictum eſt. Conuenitur donator in quantum facere poteſt,ne ex ſua liberalitate periclitetur:hocq; uerum eſt,etiamſi poſtea ſe conſtituerit ſoluturum,ut actione de conſtituta conueniri poſſit. Cauſam enim & originem conſtitutæ pecuniæ,non iudicij poteſtatem præualere placuit. Sed & donator condemnatus in actione iudicati nō fruſtra deſiderat in quantum facere poteſt conueniri,ut ff.eod.l. qui id. Porrò ſi mihi donator eum delegauerit, cui donare uoluero:licet contra me exceptione iuuaretur,ut in quantum facere poſſet excuteretur,contra illum tamen exceptione non utetur.& eſt notabile,ut ff.eo.l.qui id:multo minus ſi delegauero creditori meo,utpote petenti ſuum,ut ff.eod.l.ut mihi. In ſumma illud notandum eſt, quòd ſi quis donauerit in ſpeciebus ultra quingentos ſolidos ualentibus earum fiet diuiſio,ſi & poſſibile eſt fieri:ſi autem indiuiduæ fuerunt,amplioris ſummæ domino æſtimationem offerat,alteriusúe partis detur optio:ſin autem noluit eam admittere,liceat ei qui minoris ſummæ dominus eſt,pretium offerre,& totū ſibi uindicare. Quid ergo ſi quis annuam donationem acceperit in ſe faciendam aureorum puta quinq;,nunquid ea conſideratione inſinuabitur, quia per plurimos dominos uentura eſt, uel inſinuatio omittetur,forte quia poſt dies paucos uita fungetur? diſtinguitur, ſit ne donatio intra uitam donantis,& donatarij concluſa.quo caſu, quia plures donationes intelliguntur,ergo non inſinuabuntur.Sin autem amplectatur hæredem utrunq;, hoc caſu una intelligetur donatio,& ideo adnectenda erit inſinuatio,ut C.eod.l.ſancimus.Amplius in ſumma illud notandum eſt, quòd futuræ actionis ſpes plenè donari poteſt,ut C.eod. l. ſpem. Item portionem etiam in rebus nec dum diuiſis donare permittitur,ut C.eod.l.portionem. Item illud notandū eſt,quòd mirabile eſt,ſi redditum certum ex poſſeſſionibus ſuis donauerit non tamē nomina poſſeſſionum edixerit,neceſſe habet de ſua ſubſtantia fundos tradere,nō meliores neq; deteriores, ſed inferre ualentes tantū reditum,quantum in donatione poſuit.Sed (meo iudicio) fundos illos fruendos debebit tradere, non accipientis facere. Amplius illud notandum eſt, quòd mirabiliſſimum,quia licet fundos non habuerit,donatio tamen cæterorum redituū ualebit: ſiquidem promiſſos reditus in xx.annos illico præſtare debebit,ut eod.l.ſi quis argentū. hæc tamen duo anguſtias important,& contra rigorem ſtatuuntur. Item illud tertium,quo redditus annuatim promiſſos in initio ſingulorum annorum petere debet:uerum & donatori conſulitur,quia ſe liberat. forte in ampliori præſtatione etiam donatario,quia mox percipit:forte nō tanto tempore uicturus percepturusúe.

DE DONATIONIBVS, QVAE SVB MODO, VEL ſub conditione, uel ex certo tempore conficiuntur. Tit. lviij.

DIſſeruimus de donationibus ſimplicibus & meris, nūc inſeramus de donationibus non puris, quæ fiunt ſub modo,uel conditione ad tempus: uel excipi-

excipitur, ut incipiant, uel poſt tempus redeant. Et ſciendum eſt, quòd cū quis donat legem dicere poteſt, ut quid fiat, uel non detur; uel non inhoneſte: tamen poſtea minimè inuito donatario, ut C. de donat. l. donatio, & C. eod. l. penult. Lege poſſibili dicta affirmatiua ut ſibi donanti aliquid fiat: ſi ei ſit paritū, in poteſtate dantis erit uelit ne præſcriptis uerbis ad intereſſe agere, uel condictione, ut C. de præſcript. uerb. l. antepenult. & ult. ſed non uendicabit niſi de ſe alendo legem dixerit. Tunc enim tribus actionibus gaudebit: ſcilicet actione præſcriptis uerbis, & condictione contra donatarium, & utiliter uindicabit à quocunq; poſſeſſore, ut C. eod. l. j. Hæc de modo. Quid ergo, ſi mater filiæ ſuæ in patris poteſtate conſtitutæ, ſub hac conditione, ſi fuerit intra biennium emancipata, donauerit: patriſq; morte ſui iuris effecta hoc tenuerit: amodo firmiter teneat: & ſi non teneat, exigat conditione adimpleta, ut C. eod. l. ultima. Hæc de conditione. Quid ergo ſi quis quid cui donauerit, ut poſt donatarij mortem, aliquodúe tempus certum, incertumúe ad ſe redeat: poſt tempus ad ſe redibūt, & donator condicere poterit, ut C. eod. l. ij. Sed & ſi dixerit, ut poſt tempus alij reſtituatur, ex alterius pacto ille alius hoc in caſu extra regulam condicet, ut C. eo. l. iij. hoc etiam aliâs cōtigit, ſicut et ego ſuperius diſtinxi, et in ff. de regu. iur. In ſūma illud notandum eſt: quòd ſi decem donaui Titio, ut inde ſibi emeret Stichum, et antequam ematur Stichus, obierit: an condicere ualeam: facti magis quàm iuris quæſtio eſt. Nam ſi in hoc dedi ut Stichum emeret, aliter non daturus, condicam Sticho mortuo. Si uero aliâs quoq; donaturus Titio decē, quia interim emere Stichum propoſuerit, dixerim in hoc ei donare, ut Stichū emeret cauſa magis donationis eſt, quàm condictio. Et multum intereſt, cauſa donandi fuerit an condictio: ſi cauſa fuit, ceſſare repetitionem: ſi condictio, repetitioni locum fore, ut ff. eodem, l. ij. § ultimo. & l. iij.

DE REVOCANDIS DONATIONIBVS Tit. lix.

Dictum eſt quando donatio ſimplex conſtituatur, nunc inferamus qualiter diſſoluatur. Videamus itaq; ex quibus cauſis donatio nō reuocetur & qua actiōe à donante reuocet. Et certe autoritate reſcripti de facili, ſimplex donatio nō reuocatur. Item licet ſiquis in fraudē donauerit, ipſe non reuocabit. Item ex pœnitentia non reuocatur: licet donatio cauſa mortis reuocetur eo modo. Item ꝓpter abſentiam liberorum, à patre celebrata nō reuocatur donatio, ut C. eo. l. ſi donationē. l. poſſeſſionē. l uelles. Ex tribus caſibus reuocat. eccc ſi legi honeſtè dictæ nō pareatur, ut C. eo. l ult. Item ꝓpter liberos ſuſceptos, poſtea pater qui donauit reuocabit: ſed duntaxat debitū bonorū ſubſidiū, ut C. de inofficio. do. l. ſi totas. Hoc inquam ſi donauit non liberto: ſi uero liberto donauerit non habens filios omnia bona, partem bonorum reuocabit, propter liberos ſuſceptos poſtea, ut C. eod. l. ſi unquam. forte ſecus ſi qua ſingularia donauerit. Sed ex ingratitudine competit reuocatio, non tantum ex uehementiore, ſed ex leuiore. Regulariter eſt enim indecens, ut donatarius donatoris frugalitatem debeat irridere. Regulariter ideò dixerim, quia quod mater filijs donauerit, poſtquam tranſit ad ſecundas nuptias non niſi ex tribus cauſis ingratitudinis prætextu, & ex facto dūtaxat reuocabit: puta ſi uitæ eius inſidiatus eſt, ſi manus impias in eā intulerit, ſi totius ſubſtantiæ molitus eſt iacturā, ut C. eod. authen. quod mater. Sanè ex pacto, id eſt cōmuni reuocatione ex ingratitudine reuocatio datur donatoribus nō eorꝫ hæredibus: contra donatarios, nō eorꝫ hæredes lite à defunctis uel contra defunctos nō cōteſtata, ſed à donantibus: niſi à donatarijs pro donatis alia fuerint accepta ante ingratitudinē, & ante cōteſtatā litē illa fuerint reuocata, ut C. eo. l. his. Pro reuocatione (ut puto) intendit utilis uindicatio, uel ex lege cōdictio, ut C. de cōtrahen. empt. l. cū res, ut C. eo. l. his. In ſūma illud

notandum eſt, quòd patronus à liberto reuocat, etiamſi libertus non deliquerit in faciendo, ut C. eod. l. j. Sed in hunc caſum caſus incidit, quia non tantum libertis à patrono donatæ pecuniæ reuocantur, ſed & ſi res de pecunijs patronorum fuerint comparatæ, ut C. eodem. l. j. Item notandum eſt, quòd aliquando (licet ſub hoc titulo non inſeratur) & alijs donantibus, & non donantibus datur reuocatio, puta ſi donatum fuerit in fraudem creditorum: non debitoribus donantibus, ſed creditoribus reuocatio competit, ut in C. de reuocan. donat. in fraudem l. ingrati. Amplius cum pater donat inofficioſè, ex ordine non pater, ſed filius querelam inofficioſæ donationis intendit. Item is qui ultra modũ donauit, præſertim in ſuis, repetet ut C. de donat. l. penult.

DE MORTIS CAVSA DONATIONIBVS. TIT. LX.

EXplicauimus de donationibus ſimplicibus, adnectamus de donationibus cauſa mortis. Videamus itaq; quãdo mortis cauſa donatur, & quæ ſint ſpecies cauſa mortis donationis, quàm uariè cauſa mortis donetur, quis poſſit donare, quando reuocetur, & qua actione, & qualiter conueniat cum ſimplici donatione, & qualiter differat. Profectò cauſa mortis donatio contrahitur, cum quis magis ſe habere uult, quàm eum cui donat, magisq; eum cui donat, quàm hæredem ſuum. Ergo qui cauſa mortis donat qua parte ſe cogitat negocium gerit, hoc eſt, ut reddatur ſibi ſi conualuerit ut ff. eod. l. j. & l. ſenatus. Duæ ſunt ſpecies mortis cauſa donationis, donatio facta non imminente mortis periculo. Eſt & alia, quæ non fit imminente periculo, ut ab homine ſano non in bona ualetudine poſito, ut ff. eod. l. ſenatus. § iij. Imminente periculo donatur, aliâs ut ſtatim fiat accipientis: aliâs tunc demum, cum mors fuerit inſecuta. Ergo duæ ſunt donationes cauſa mortis. Tres quoq; dici poſſunt, ut ff. eod. Donatur aliâs cauſa ſuæ mortis, aliâs alterius, aliâs in terra, aliâs in mari, aliâs in periculo belli: uel propter periculum hoſtium, latronum, potentium, falſorum fratrũ. donare poteſt filiusfamiliâs cauſa mortis patre permittente, ut ff. eo. l. tam is. Reuocatur regulariter donatio ita tripliciter, ſi donatarius prædeceſſerit, ſi donator conualuerit, ſi pœnituerit. Porrò ubi ita mortis cauſa donatur, ut nullo caſu reuocetur. hæc tanquam non abſimilis donationi ſimplici, non reuocabitur, ut ff. eo. l. ubi, & l. ſenatus. § iij. Reuocatur res donata ſi fuerit donantis propria. Reuocatur quoq; res aliena, non à domino quondã, ſed à donatore qui uſucapiendi conditionem præſtiterit, ut ff. eod. l. qui alienam: impenſis tamen donatario reſtituendis, ut ff. eod. l. mortis. Reuocatur quoq; debitum acceptolatum, etiam à debitore tempore liberato, ut ff. eod. l. quod. Sed & ſi quis ſeruum cauſa mortis donatum manumiſerit, ad eius tenebitur pretium, ut ff. eod. l. ſi is: multo fortius ſi uendiderit. Condictione, uel utili in rem actione reuocatur cauſa mortis donatio, ut ff. eod. l. qui mortis. Conuenit donatio cauſa mortis cum ſimplici donatione, quia utraq; donatio eſt. Item quia utraq; inter uiuos cõficitur, & traditur. Differunt, quia donatio cauſa mortis ex pœnitentia reuocatur: donatio ſimplex, minimè. item donatio cauſa mortis, quinq; teſtes exigit: ſimplex eſt contenta duobus. Conuenit donatio cauſa mortis, cum legato: utraq;, iuris articulis ultima uoluntas eſt. Item utraq; quinarium numerum expoſcit. Item ſicut in legatis, ſic & in donationibus cauſa mortis ſubſtitutio locũ uindicabit, ut ff. eodem l. j. Item ſicut nec legatũ, ita nec donatio cauſa mortis inſinuationem exigit. Item utraq; in quartam computatur. item utraq; percipitur. Item utraq; defalcatur. In his differunt, legatur etiam non uolenti: ſed non datur cauſa mor-

tis niſi

tis niſi uolenti. Item donatio cauſa mortis ſæpius à donante traditur. legati conditio ſemper ab hærede expectatur. Item donatio cauſa mortis in ſingulos annos, non eſt ſimilis ei cui in annos ſingulos legatum eſt. Nam licet multa legata eſſent, ſtipulatio tamen una eſſet, ut ff. eodem l. ſenatus. Item licet filiusfam. non legat cauſa mortis, tamen donat. Item donatio cauſa mortis interdicto quorum legatorum non aduocatur, ſed legatum utiq;, ut ff. eod. l. j. Item donatio cauſa mortis tradita à donante, quandoq; repetitur: legatum à legante minimè Item ſicut dictum qui legat de repetendo nihil deſtinat, ſed qui cauſa mortis donat cogitat. Item is qui cauſa mortis accipit, licet eius teſtamentum falſum dixerit, niſi obtinuit: non tamen donationem cauſa mortis amittit, licet legatum. In ſumma illud notandum eſt, quòd regulariter cauſa mortis donatio non eſt perfecta, niſi morte inſecuta, ut ff. non uidetur. Item illud notandum eſt, quod ſi hi qui ſibi inuicem donauerint, in ſimul deceſſerint; quia alter alteri non ſuperuixerit, uel non appareat, neutrius hæres repetit, ut ff. eodem l. ſi hi.

DE INFIRMANDIS POENIS COELIBATVS, ET orbitatis, & de decimarijs ſublatis. TIT. LXI.

OLim neq; cœlibi, neq; liberis orbato cauſa mortis poterat donari, legatumúe relinqui, uel fœminæ uel mari. Porrò hodie propoſita huic nomini damna non noceant, ueterum ceruicibus ceſſent impoſita iuris imperia, ab omnibus promiſcuè remoueantur hæc iuga. Sed & ceſſet lex Papia, quæ decimam partem imminuebat: interuenientibus liberis à coniuge coniugi relicta, locum habeat duntaxat lex falcidia, ut C. eodem l: j. & ij.

DE IVRE LIBERORVM. TIT. LXII.

EXplicauimus in ſuperioribus de iure patriæ poteſtatis, quod duntaxat patribus competebat in ſuis liberis: nunc audiamus de iure liberorum. Olim mater filijs non ſuccedebat niſi & primum ius ſuccedendi impetret, ut C. eodem l. j. Item mater ingenua olim filio non ſuccedebat, niſi ter peperiſſet: nec liberta niſi quater. porrò hodie etiam ſi non impetrauerit, & ſi non niſi unum peperit: tamen ei tam liberta, quàm ingenua ſuccedere debebit, ut C. eod. l. j. & l. ult. & Inſtitut. ad ſenatuſconſultum Tertyllianum.

CODICIS D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS EX REPETITA PRAELECTIONE. LIBER NONVS.

QVI ACCVSARE NON POSSVNT. TITVLVS. I.

EXPEDIVIMVS IN SVPERIORIBVS LIbris de pecuniarijs, nunc ordiamur nonum librum de criminalibus: ſed quia criminalia iudicia inſtituuntur per accuſantes, ſuntq; quidam quibus non datur accuſandi licencia, audiamus qui accuſare non poſſunt, ſicque per conſequenciam intelligere poterimus qui ualeant accuſare. Videamus itaq; quid ſit accuſare, & ſi ſit ſemper opus accuſari in criminali iudicio, & qui non poſſunt accuſare. Eſt autem accuſare reum criminis quem deferre facta inſcriptione uiua uoce, aliquando ad uindictam conſequendam. Regulariter autem in iudicio criminis neceſſarium eſt, ut accuſator emergat, in publicum prodeat: alioquin condemnatio non ſequetur. Regulariter autem ideo dixerim, quia ſuſpectum tutorem, curatoremúe, ſi ſibi liqueat, Prætor poterit repellere, etiam ſine accuſatore, ut ff. de ſuſpect. l. j. Sed Claudius Gorgus etiam ſine accuſatore, de lenocinio damnatus eſt à diuo Seuero, ut ff. de adulter. l. ij. Sequitur ut dicamus qui non poſſunt accuſare. Itaq; prohibentur alij propter ſexum, ut mulieres: præterquam in maximis criminibus, uel ſi ſuam, ſuorumúe iniuriam perſequantur. ut parentum, liberorum, patronorum, & filiorum ipſorum: præterquam in crimine ſuſpecti. nempe eo caſu mulier perpenſæ pietatis etiam ex cauſa admittitur. Item lege Cornelia de teſtamentis, poterit mulier quem accuſare. Aliâs propter ætatem, ut minor xx. annis: niſi cum conſilio tutorum, curatorumúe, parentum ſuorum mortem exequi deſiderent: ſed & de teſtamento patris pupillæ aui ſui mortem exequi conceſſum eſt, ut ff. eo. l. ij. Nam & aliâs de libero exhibendo pupillis experiri permiſſum eſt. Sed & matrimonij ſui uiolati cauſam minor xxv. annis perſequi poteſt, ut ff. de adulterijs l. ſi maritus. Minor quoq; annorum numero, factus maior principis beneficio: puta impetrata uenia, poterit accuſare. Aliâs propter ſacramentum prohibentur, ut hi qui ſtipendia meruerunt: aliâs, propter magiſtratum publicum: aliâs, quia publico iudicio damnati ſunt. Sed & calumnia notatis, ius accuſandi ademptum eſt: niſi ſint patres, ut ff. de public. iudic. l. generi. Item qui cum beſtijs in arena pugnauerunt, & qui artem ludicram, uel lenocinium fecerunt, qui præuaricationis calumniæúe cauſa iudicio publico quid feciſſent. Item prohibentur accuſare qui duo iudicia aduerſus duos reos ſubſcripta habent, de uno & eodem crimine: ſiquidem nullus poteſt accuſare duos de eodem crimine, niſi cauſa ſuæ iniuriæ, ut ff. de act. l. hos: & niſi de crimine inceſti, ut ff. de adulter. l. qui pupillam. Et nullus poteſt in ſimul à pluribus accuſari. Sanè tertiam accuſationem deponere ualet, ut C. eodem l. cum rationibus. Item prohibentur accuſare qui numos ob ac-

cuſandum

cuſandum, uel non accuſandum, negotium cui per calumniam conſtituerunt. Item prohibentur accuſare alij propter conditionem, ut liberti patronos: filij, parentes. Et ecōtrà nutriti in domibus aliquorum ab ineunte ætate, eos non accuſabunt: niſi ſuam, ſuorumq́ iniuriam perſequantur: eo tamen adiecto, quia liberi libertiq́, ſi dicant ſe à poſſeſſione ui à parentibus, patroniſué expulſos, non crimen uiolenciæ aduerſus eos intendant, ſed ciuiliter, uerbiſq́ temperatis utentes operam dent ut poſſeſſionem recuperent. Item prohibentur accuſare qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt, & qui minus quàm quinquaginta aureos habent. Item is qui reus eſt factus, accuſare non debet: niſi fuerit accuſatus per ſententiam. excipitur, niſi fiſco uacancia bona deferat, ut ff. eodem l. penult. uel niſi de maiori crimine, de minori, pariué minimè: niſi ſe contingat, ut C. eo. l. neganda. Sanè tertiam accuſationem deponere poteſt (ut ſuperius dictum eſt) Planè inchoatas delationes ante damnationem implere accuſatis, & poſt damnationem permiſſum eſt: ſed nouam actionem condemnati inchoare non poſſunt. Hoc tamen ita, ſi ipſi condemnati, uel ciuitatem, uel libertatem amiſerint. Ergò per cōtrarium admittuntur ad accuſandum, ut ff. de publ. iudic. l. is qui. Illud notandū, quod quis accuſare debet per ſe, & non per procuratorem: ad cauſam enim criminis agitandam, fruſtra procurator interuenit. Excipitur illuſtris in caſu duntaxat unico. Nam iniuriarum cauſam, tam ciuilem, quàm criminalem per procuratorem agitat, ut C. eodem de iniurijs. Sed & ſeruus per procuratorem domini, æq́ ac per dominum defendi poſſe conſtat, ut ff. de publ. iudic. l. ſeruus. Item poſt litem conteſtatam abſentes per procuratores defendi poſſe allegaturos cauſas abſentiæ, non cauſas cauſæ æquum & ordinarium eſt admitti, ut ff. de procurator. l. ſeruum quoq́. §. publicè.

DE ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS. TIT. II.

AVdiuimus ſuprà de perſonis accuſantibus, & quia cum per accuſantes proponuntur accuſatiões, fiunt cum inſcriptionibus. Verum quia dixeramus ſuprà de accuſationibus actiuè, id eſt, qui poſſunt accuſare: nunc de accuſationibus paſſiue, id eſt, qui ualeant accuſari. Sed uideamus quis debeat inſcribere, & quæ debeant continere inſcriptiones, & qualiter libellus accuſationis concipi debeat. Et quidem accuſari poteſt maſculus, fœmina, liber, ſeruus, pubes, impubes: præterquam de crimine læſæ maieſtatis. nempe etiam pupillus deierare poteſt, damnum dare, rapere, furari, & per ingratitudinem retrudi, ut Inſt. Sanè accuſare non licet legatum Imperatoris, id eſt, præſidem prouinciæ, nec magiſtratum populi Romani. uerum iudicio ſiſti interim debet promitti, accuſatioq́ in finē honoris differetur, & ita Tyberius Cæſar ſcripſit, ut ff. de adulte. l. ſi adulterium in fi. Nec eum, qui reipub. cauſa abfuerit, dum non detrectandi leges cauſa abeſt: ſed nec ab alio delatum, alius deferre poteſt: niſi abolitio publica interuenerit uel accuſator deſtiterit deceſſeritùe ut ff. eo. l. libellorum & l. hi. Sed abſolutū ipſe idem, aliuſúe accuſabit: ne de amiſſo eiuſdem hominis ſæpe quæratur, niſi his qui accuſator extitit, ſuum dolorē perſequatur, doceatq́ ignoraſſe ab alio accuſationem inſtitutam. tunc enim ex cauſa ille alius debet admitti ut ff. eo. ſicui. Sed nec ſeruus omnibus legibus fit reus: quippe non illis quibus pœna pecuniaria irrogatur, ut Iulia de ui priuata, Cornelia de iniurijs. pecuniariæ enim pœnæ in ſeruum non cadunt. Porrò lege Pompeia de parricidijs poterit accuſari, licet patrem ciuili ratione non habeat. cum enim natura communis eſt: ſimiliter & in ſeruum debeat animaduerti, ut ff. eo. l. hos. Item ſenatus cenſuit, nequis ob idem crimen pluribus legibus fieret reus, ut ff. eo. l. ſenatus. Inſcri-

bere debet omnis accuſator ex ordine. Excipitur officialis deferens notaria, ſed & mulier, & maritus infra duos menſes accuſans iure mariti: ſed & leuia crimina audire, & diſcutere, & de plano, & ſine ſcripto proconſuli licet, ut ff. eo. l. leuia, & C. eo. l. ſiquis, & l. in cauſis. Nam & aliæ minuſculæ cauſæ ciuiles ſine ſcripto ſentenciantur: ſicq; non ſit horribile ſi minuſculæ cauſæ criminales ſine ſcripto inſtruantur. Debet autem hæc omnia inſcriptio continere, nomen accuſatoris, accuſati, criminis locum: menſium, Conſulum numerum: ſingularia tempora, ut heptomadam, idus, nonas, diem, horam, inuitus non comprehendet. Præterea accuſator debet ſubſcribere, ſe accuſationem ſuam uſq; ad finem perducturum antea tamen fideiuſſorem dabit. alioquin carceri mancipabitur. uerum etiam dabit fideiuſſorem, & carceris ſentiet ſqualorem, ſi graue ſcelus eum admiſiſſe conſtiterit, ut ff. de custo. reo. l. diuus: Ad id autem inuenta eſt inſcriptio, nequis facile proſiliat ad accuſationem, cum ſciat inultam ſibi non fieri. Caueant itaq; ſinguli quod poſt crimen obiectum ſint permanſuri in crimine uſq; ad ſentenciam. Libellus autem accuſationis, inſcriptionisúe ſic concipi poteſt. Ego Petrus conſtancij reum defero Petrum de Aureliaco. l. Iulia de adulterio, quod commiſit cum Potentia in domo Pontij, in monte Peſulano menſe Septembri, conſulibus exiſtentibus. N. de Narbona & Ambroſio. Præterea etiam accuſator debet ſubſcribere. Ego Petrus Conſtancij ſubſcribo, & promitto accuſationem, quam defero, uſq; ad finem perducturum. Quid ergo ſi libelli inſcriptionis legitimè ordinati non fuerunt? rei nomen abolebitur, & ex integro repetendi reum poteſtas fiet, ut ff. eo. l. libellorum.

DE EXHIBENDIS ET TRANSMITTENDIS REIS. TIT III.

EXpoſuimus ſuprà qui ualeant accuſari, nunc audiamus de ipſis reis exhibendis: & quia exhibiti quandoq; tranſmittendi ſunt de loco ad locum, à iudice ad iudicem, adnectamus & de tranſmittendis reis. Et quidē exhibendi ſunt accuſati in iudicio, ſi tamen iudex pronunciauerit. Ex longinquo tamen exhibēdis ad diſponendas res ſuas componendas, mœſtosq; pœnates, deoſculandosq; cognatos, ſpacium ſufficiencium dierum nec minus xxx. tribui debet. Interim nundinari, id eſt, negotiari expilareúe ſplendidè non debent, ſed ius ſibi competens explorare: ac tamdiu cum accuſatore in pari fortuna retinebuntur, donec re pererit cognitio celebrata diſcrimen. Exhibitus autem reus à iudice ad iudicem tranſmittendus eſt, puta quia tranſmittenti iudici nō ſuberat, ſed nec apud eum deliquerat. Hoc tamen ita intelligo, ſi maior miles fuerat, uel minor: magnum tamen crimen admiſerat, ut C. eo. l. j. & C. de iuriſdict. om. iudi. magiſterio, ut C. de officio magiſtri militum. Si uero miles caligatus fuerit, uel nobilis: leue tamē crimē perpetrauerat, à præſide prouinciæ, ſed & à duce poterit coerceri ut C. ad l. Cornel. de ſica. l. j. & ff. de accuſat. l. ult. & ff. eo. l. militibus.

DE CVSTODIA REORVM. TIT. IIII.

FActa accuſatione, inſcriptione, exhibitione: ſequitur ut adhibeatur cuſtodia & ſic de cuſtodia reorum uideamus. Audiamus itaq; qualiter rei ſint cuſtodiendi, quæ pœna immineat cuſtodibus reorum, & cōmentarienſibus, ſi incarcerati aufugerint. Accuſati etiam carceri mancipandi ſunt, niſi pro illis quis ſatiſdederit. tunc eñ à carcere liberantur, niſi in crimine duriore. Quid ergo ſi idem qui ſatiſdederit non exhibuerit? pecuniariter plectetur, etiamſi dolo non exhibuerit, & extra ordinem punietur. Sed ſi neq; in cautione, neq; decreto præſidis iuſta quantitas cōpræhenſa eſt, nec conſuetudo oſtenditur, quæ certam formā habet: Præſes de modo pecuniæ, quam inferri oporteat, ſtatuet. Porrò nec ſemper accu

ſati in

carcere recipienda eſt perſona,ſed quādoq; militi eſt tradenda, & fideiuſſoribus tradenda: quandoq; ſibi ipſi pro contractus uarietate,ac perſonæ ſubſtantiæ, ut ff. eo. l. ij. Inquiſitio tamen ſtatim debet fieri,& id debet quàm celerrimè procurari,nec ſedis intimæ tenebras incluſus debebit pati:ſed uſurpatā luce uegetari,& ad publicū educi,ne pœnis carceralibus perimatur:quod innocētibus miſerum,ſontibus nō ſatis ſeuerum eſſe dignoſcitur. Sed nec ſtratoribus alijsue miniſtris carceris liceat crudelitatem ſuam uendere:uel innocentes ſubtractos audientia leto dare, aut longa tabe conſumere: imò apud acta debet audiri, ut iudicibus immodicè ſeuiētibus fræni quædā temperies adhibita uideatur. Sed nec criminoſi ſexu diſpares,eadē clauſtrorum uidebuntur habere tutamina. Sanè mulieres hodie non carcerantur, ſed in monaſterium intruduntur. Punietur etiam Commentarienſis,ſi reus ob ſuam negligenciā euaſerit, ut remoueatur ab officio:ſi dolo capite plectatur,uel in extremum militiæ gradum dabitur. interdum uenia datur,ut ff. eo. l. nō eſt,& C. eo. l. ad Commentarienſem. Illi autē qui ſunt in carcere poſiti,ſi ruptis uinculis,& effracto carcere exierint,etiam amplius quā cauſa repoſcit ex qua recepti ſunt,coerceantur: licet innocentes inueniantur. eos uero, qui conſpirationem eorum detexerunt releuandos, ut ff. eo. l. in eos. In ſumma ſciendum eſt, quòd non eſt uni tironi credenda cuſtodia facile,ſed duobus poteſt committi, ut ff. eo. l. non eſt.

DE PRIVATIS CARCERIBS INHIBENDIS. TIT. V.

DIximus ſuprà de publicis carceribus obſeruandis,nunc audiamus de priuatis carceribus inhibendis:& quidem nemini licere debet priuātum carcerem habere,uel exercere:præterquam magiſtratui. Quid ergo ſi contra factum fuerit? & iudices qui ſemper in ſpecula eſſe debent,ſi non uindicauerint:& officiorum primates,ſi non intimauerint tanquam Imperialis maieſtatis uiolatores ultimo ſupplicio percelluntur. Nam & illud eſt certo certius,eos qui priuatum carcerē exercuerunt utpote crimen maieſtatis committentes,ultimo ſubiugandos eſſe ſupplicio.

SI REVS VEL ACCVSATOR MORTVVS FVERIT. TIT. VI.

DIxmus de accuſatoribus,decq; accuſatis exhibitis tranſmittendis,ut criminale iudicium inſtituatur: ſed quia cœpto iudicio ſæpe moritur accuſator & reus, ſæpe alterutrum,quid iuris ſit,ſi hoc contingat uideamus. Et certe ſi accuſator ſolus deceſſerit,accuſatio cœpta expirauit. uerum ab alio nō iniuria deferri poterit reus,qui fuerat accuſator. Si uero uterq; deceſſerit,uel dolo accuſati omnis criminatio extincta eſt. nihil enim accuſatoris hæredes exequi crimina exigendi ſunt, ut ff. de accuſator. l. diui. Excipiuntur crimina maxima,repetundarum,fraudati cenſus, perduellionis, maieſtatis, apoſtatæ, hæreſeos. Ergo etiam ſiquis ſibi mortem conſciuerit ob conſcienciam malam(ſicut in præfatis criminibus) etiam bona ſucceſſoribus ſunt adimenda. nempe durius eſt ſeipſum occidere. Hæc dicuntur, niſi fuerit prouocatum. Quid ergo ſi fuerit iudicatum,& fuit appellatum, & deceſſerit uterq; uel alteruter? diſtinguitur,ſi ſententia fuerit talis, ut deportationis:quæ tacitè bonorum ademptionem continet,& criminis & de bonis quæſtio erit. Si uero expreſſam continet ademptiōem,puta ſiquis fuerit etiam relegatus,& in tertiā partē mulctatus,pendente appellatione morte interueniente de bonis quæſtio remanet,ut C. eo. l. ult. & C. ſi pendent appellat. ſicq; conſequenter quia aliud eſt, non poterit crimen utcunq; examinari.

SIQVIS IMPERATORI MALEDIXERIT. TIT. VII.

SEquitur ut ueniamus ad crimina exponenda, ſed quia inter cætera durius eſt Imperatorem offendere. Imperator autem offenditur,& dicto,& facto: de quo

dicto pauca ſumus dicturi, quid iuris ſit, ſiquis Imperatori maledixerit audiamus. Et quidem ſiquis dixerit Imperatorem perfidum, atrocem, ruſum, uel ſimile quid profuderit: ſi ex leuitate proceſſerit contemnendum. lubricum cm̃ linguæ ad pœnã facile non eſt trahendum. Si ex inſania furoris, uel rabie uini miſeratione dignum. Si ab iniuria remittendum ad noſtram ſcienciã, ut ex perſona hominum penſemus tale dictum, debuerit puniri, impunitumúe relinqui.

AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS. TIT. VIII.

OFfenditur de facto Imperator committente crimẽ maieſtatis, ſicq; audiamus conſtitutiones ad legem Iuliam læſæ maieſtatis interpretandam & exponendam pertinentes. nempe crimen iſtud excellit inter omnia crimina. Videamus itaq; quando quis committat crimen maieſtatis, & qui admittuntur ad huiuſmodi accuſatioẽ, quæ ſint pœnæ huius criminis, & quatenus durẽt. Crimẽ quippe maieſtatis cõtrahit qui in necem principis cæterorumúe ſibi aſſiſtentium conſpirauerit. Porrò & aliàs multifariã utcunq; quis crimen maieſtatis contrahit, ut ſiquis id egerit ut obſides interciderint: loca publica occupentur, magiſtratus, ciuitas prodatur: qui in ciuitate ſeditionẽ mouerit, armaúe cõtra rempub. tulerit, ad hoſtes profugerit, exercitum deſeruerit: qui ſtatuas Imperatoris iam conſecratas cõflauerit, ruperit: qui de prouincia cum eis ſucceſſum eſſet, nõ diſceſſerit, exercitum ſucceſſori nõ tradiderit, priuatũ carcerẽ exercuit magicus incantator extiterit, Nili aggeres rupe rit, ut ff. eo. l. j. ij. iij. iiij. v. & C. de priuatis carceribus & de mathemat. & C. de Nili aggeri. Item cõmittit quis crimẽ maieſtatis ſi ab hoſtibus Pop. Roma. nuncium, literaſúe miſerit, ſignumúe dederit, fecerituè dolo malo, cõſilioq; ſuo, quo hoſtis Populi Romani inuenitur. Itẽ qui caſtra deſerit, bellum in iuſſu principis inchoauerit, exercitus donationẽ cõparauerit, contractaq; quadam ſimonia in ciuilibus. Huius criminis rei uiliſſimi præceptores ſcholarium, redemptores argui poſſunt. Non aũt cõtrahit crimẽ maieſtatis, qui Cæſaris ſtatuas uetuſtate cõſumptas reficit, attrectauerit: neq; per principẽ deierauerit, ſibiuè malum dixerit. Admittuntur aũt quales quales ad hãc accuſationẽ. In hac probantur aliaſq; reprobanť, puta milites, minores, infames, pauperes, & familiares, parentes cõtra liberos: & econtrà, ſerui cõtra dominos, liberti contra patronos, mulieres. Nam & coniurationẽ Lucij Catelinæ Fuluia mulier detexit, & Marcum Tulliũ opt. conſulẽ indicio ſuo inſtruxit. Huius aũt criminis, quod proprie maieſtatis dicitur, hoc eſt, ſiquis de nece principis, ſuorumq; ſatellitum cogitauerit (Etiam ſi Imperator interfectus nõ fuerit, ea pœna eſt ut gladio ultore proſternatur. Sanè ſiquis ex his pœnitudine ductus, ab exordio factionẽ prodiderit, etiãſi deieraſſe uideatur: quia ex cauſa conceſſa religionẽ deſeruit, & uenia et præmio donabiť. Si uero iam factioẽ uſus cõſilia maligna pandiderit, uenia tamẽ ei dabitur, ut C. eo. l. quiſquis. Eo tamẽ crimine naturali interitu nõ liberatur, hæreditas filijs aufertur: filiabus duntaxat de bonis matris huius criminis inſciæ falcidia reſeruanda in cæteris aũt præfatis, in quibuſcunq; magiſtratus crimen cõmittitur reus morte crimine liberatur. Crimẽ aũt quod uerè & propriè maieſtatis dicitur, & poſt mortẽ inſtauratur, et inchoať. quippe talis criminis reus, & mortuus accuſatur, accuſatus cõuincitur, & conuictus cõdemnatur. Sed & diuus Seuerus et Antoninus cõſtituerunt, ex quo quis talia crimina cõmiſerit (utpote iam ſua mente cõdemnatus) neq; poterit ſuccedere, neq; relinquere, nec donare, nec emancipare, nec debitorẽ ſoluentẽ admittere: eorum filij ſemp ſunt egentes, & pauperes, ad nullos unquã perueniunt honores, eos ſemper paterna cõmitatur infamia: ſit mors eis ſolatio, uita ſupplicio, & ſiquis pro eis interuenire tẽtauerit ſit notabilis ſine uenia.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS ET DE STVPRO. TIT. IX.

POſt tractatum criminis maieſtatis, non incompetenter adnectitur tractatus de adulterijs coercendis, & ſtupris: omne enim peccatũ quodcunq; fecerit homo

extra corpus eſt, qui autē fornicatur in corpus ſuũ peccat. Item ex adulterio omnia
penè crimina proficiſcuntur, uiolencia, iniuria, homicidia, periuria, falſa teſtimo-
nia. Sine colloquio em̃ adulterium nõ cõmittitur. Sed nec de adulterio tranſigere li
cet quãuis de cæteris capitalibus tranſigere liceat. Videamus itaq; à quo fuerit dela
ta lex iſta Iulia, & quæ crimina puniat, & cui cõpetat huius legis delatio, & contra
quos, & qualiter probentur iſta crimina, & quæ præſcriptiones horum criminum
cõpetant reis, & quæ ſit pœna, & quo tempore ſopiãtur crimina, quæ hac lege uin
dicãtur. Lata eſt hæc lex à diuo Auguſto, ut ff. eo. l. j. Inde eſt quod miror quare di-
catur Iulia. nuſquã em̃ legitur Octauianum Auguſtũ Cæſarē dici Iulium, ſed auun
culus eius Caius Iulius Cæſar dictus eſt. qui autoritate ſua nõ populi cõueniencia
habuit imperium. lege aũt puniuntur hæc crimina, adulterium, ſtupꝝ: quod laici
uocant fornicationē, inceſtum, lenocinium, & ad hæc facienda ſubſidium præbuũ
Audiamus quid ſit horum ſingulũ. Adulterium eſt illicitus coitus cum uxore alie-
na, qui perpetratur inquã à uiro uxorē habente, uel nõ. Porrò ſi uir cõiugatus, uel
non, ad mulierē non coniugatam acceſſerit, ſecundũ ciuilia iura nõ eſt adulterium.
nec enim uir etiã coniugatus (ut ita dixerim) corruptus, ſed mulier duntaxat coniu
gata corrupta, adulterij crimē inducit. quippe uxor etiã uirum ſuũ l. Iulia de adul-
terijs accuſare nõ poteſt, ſi cõcubuerit cũ uxore aliena, diſſolutaúe, ut C. eo. l. j. etiã
ſi mulier fuerit pudica. Quid em̃ ſi maritus uiolauit thoꝝ alienũ, nunquid reus du-
orum adulterioꝝ fieri poteſt, & quia dimiſerit ſuum torum, & tranſierit ad alienũ:
ſed nõ per uxorē ſuam, nec per quancunq; fœminã. quia publicum crimen eſt. Sed
& uiro datur accuſatio tm̃, non fœminæ. hoc tamen ita, ſi pudicè uixerit & mulieri
boni moris colendi autor fuerit. cuius em̃ uita deſpicitur, reſtat ut eius delatio re-
probetur. Eſt autē dictum adulterium tranſitus quaſi ad alteꝝ thorum. Stuprũ eſt
quilibet illicitus coitus, qui cõmittitur cum uidua, uirgine, & puero. Nam ſtuprũ
cõmittit etiam qui liberam mulierē conſuetudinis cauſa, nõ matrimonij retinet. ex
cepta cõoncubina licita. Eſtq; dictum ſtupꝝ (ut alludamus uocabulo) quaſi ſocie-
tas turpis, uel ſortium, id eſt, cõſortium turpe. Et notandũ eſt, quòd ſtupꝝ & adul-
terium pmiſcuè appellantur, ut ff. eo. l. inter. lenocinium aũt in his caſibus incur-
rit ſi dephænſam uxorem in adulterio uir retinuerit, adulterũq; dimiſerit, ſi quæſtũ
ex adulterio uxoris acceperit, ſi adulteꝝ ſubiecerit: ſanè ſi ſuſpectam adulterã reti-
net, uel ſi aliâs uxorē patiatur delinquere, non ob quæſtum, ſed negligenciam, uel
culpam, uel quantamcunq; pacienciã, uel nimiam credulitatē, extra legem poſitus
eſt. Sed extraneus (ut puto) qui pretium pro cõperto ſtupro acceperit, dici poteſt le
no. cæteꝝ ſi gratis remiſerit ad legem non pertinet, ut ff. eo. l. mariti, et l. ij. tunc em̃
puniẽdus eſt maritus, ut leno, cum ignoranciã ſuam excuſare nõ poteſt, uel adum-
brare pacienciam prætextu incredulitatis, ut ff. eo. l. mariti. Inceſtum aũt cõmitti-
tur cum cõiugata, diſſolutaúe, & per illicitam matrimonij coniunctionē. Sed excu
ſatur interdum ſexu, uel ætate, uel puniendi correctiõe, quæ bona fide interuenit. ſi
error allegatur: & facilius, ſi nemo reum poſtulauerit, ut ff. eo. l. ſi adulteriũ. Com-
petit accuſatio de adulterio marito, patri, uel fratri, auunculo, patruo. his ceſſanti-
bus, admittuntur cæteri. quippe crimē publicum eſt, ergo populicũ eſt. Verum ne
temerè quibuſcunq; uolentibus liceat fœdare connubia, proximis, neceſſarijſq; per
ſonis ſolũmodo placet deferri copiã accuſandi: quos uerus dolor ad accuſationem
impellit. Inprimis tamen maritum genialis tori uindicem oportet eſſe, cui quidem
ex ſuſpicione ream permittitur uxorem facere, uel ſi maluerit penes ſe detinere,
ut C. quamuis. Præfertur tamen maritus cæteris omnibus, etiam patri qui iam
accuſationē inſtituerat, libelloſq; obtulerat. Maritus enim & pater, ſi ſimul ad accu
ſationem ueniant, maritus eſt præferendus. nã & propēſiore iure, & maiore dolore
executuꝝ maritũ accuſationē credendũ eſt. hoc ita, niſi pater maritũ infamē argu-
at, aut doceat colludere magis cum uxore, quã ex animo accuſare, ut ff. eo. l. ij. iij.

iiij. Poſt maritum & patrem admittuntur cæteri, etiam intra diẽ ſexageſimum ſi pater & maritus negauerint ſe accuſaturos. & exinde negotijs, ceſſationisúe tempore excedant tempora accuſationibus præſtituta, aliâs non ceſſura, etiã ſi uellent accuſare non poſſint, ut ff. eo. l. ſi maritus. Competit autẽ accuſatio patri, & matri, duobus modis: iure mariti, & iure extranei, etiam contra uxorem, id eſt, ut præferãtur cæteris, qui iã cœperant accuſare: & præſertim infra quadraginta dies utiles. Quid ergo ſi marito accuſanti adulterum uxoris ſuæ, adulter lenocinium obijciat? nõ eſt huiuſmodi obiectio, ſine compenſatiõe admittenda. Sed nec maritus interim in eo caſu pœnæ ſubijcietur. Sed & ſi maritus ream uxorẽ fecerit lenocinij, allegatio maritum ab accuſatione nõ repellit. lenociniũ enim mariti ipſum onerat, tamen mulierem accuſat. Verum ſi maritus uxorem accuſans detectus fuerit in adulterio depræhenſam retinuiſſe, etiam ſine accuſatore de lenocinio hoc in caſu poterit cõdemnari. Licet uideretur quod ob lenocinium debeat repelli. paria enim delicta ſcilicet compenſatione aboleri. Nam cum uterq; contra legem fecerit, in ſimili delicto deteriori loco eſt, qui agentis partes ſuſtinet, ut ff. eo. l. ſi uxor. Datur autẽ accuſatio marito, & filiofamiliâs, etiã inuito patre: etiãſi duos alios reos, ex alio crimine habeat, poterit etiam tertium accuſare iure mariti. quoniã ea æque non cadit in numerum aliorũ, ut ff. eo. l. j. Item datur hæc accuſatio cõtra adulterum, contra non adulterum: contra eum quoq;, qui præbuit opem, & cõſilium: puta, ſi domum præbuit, ut ſtuprum, adulteriumúe perpetretur. quia ſine colloquio talia nõ fiunt. bonos eñ mores corrumpunt colloquia praua. Datur quoq; hæc accuſatio cõtra eum, qui duxerit pupillam adulteramúe ſuam in uxorem, à patre nõ deſponſatam, uel deſtinatam uel in teſtamento denominatam, ante rationem redditam: ſciuerit, uel non ſciuerit. quia ſciiſſe debuit. quia naturaliter tale matrimonium ſenaſconſult. indebitum eſt. Nec ruſticitatis uel imperitiæ uelamẽtis ſe quis poterit excuſare, ut C. de interdict. matrimo. ut ff. eo. qui pupillam. licet eñ hic tutor, curatorúe nõ ſit adulter, tamen uelut adulter punietur. ſed & aliâs qui non occidit, uelut homicida: & qui nõ rapit, ui bonorum raptorũ conuenit, ut ff. de furt. l. ſiquis ex domo. Sed & qui cõſanguineam ſuã, nomine contubernij, uel matrimonij, ſciens retinuerit, pœnam adulterij ſubibit, ut ff. eo. l. miles. Itẽ & ſi mulier diuertit, quia impune libidinari uelit, marito datur accuſatio, etiã iure mariti. quæ licet propriè nõ ſit adultera, quia iam cõiugata non eſt, cum matrimoniũ ſit intercedente diuortij libello iam diſſolutũ: tamen uelut adultera accuſabitur, & à quondam marito, & iure mariti, ut ff. eo. l. penult. Competit hæc accuſatio, etiamſi uxor fuerit plebeia. nec enim ſoli Atridæ uxores ſuas arctant. Competit autẽ accuſatio mariti iure etiamſi ſponſa fuerit uiolata. quippe hæc accuſatio ad matrimoniũ quale quale, & ad ſpẽ matrimonij pertinet. Sed ſi ſponſa fuerit uiolata, facta poſtea ſponſa, iure mariti crimẽ exercere poteſt, ut C. eo l. propter. hoc tamẽ ita, ſi nõ minor xij. annis in domũ fuerit deducta, quæ ſtuprum eſt paſſa. Nam caſtitas uiolata per uim, ut ſi uxor, & C. eo. nõ eſt cenſenda uiolata Excuſatur quoq; mulier quæ uirum abſentẽ mortuum probabiliter credidit, alijq; ſe coniunxerit. Idem ſi tu ficto cœlibatu cũ alius matremfa. in prouincia reliquiſſet ad nuptias ſolicitaueris, ut ff. eo. l. miles, & C. eo. Maritus tamen uxorem ſuam de adulterio accuſatã, repudiatamúe, accuſans eam poſtea: ex delicto, quod in priore matrimonio admiſerat, audiri nõ debet. aboleuit eñ prioris matrimonij delicta reducendo eam. Idem dicendum eſt, ſi ſtupri uelit eam accuſare, quam poſtea duxit in uxorem. ſero enim accuſat mores, quos uxorem ducendo probauerit. Intendit aũt accuſatio iſta hodie etiã conſtante matrimonio, olim minimè. Hoc ordine facienda eſt accuſatio, quia diſtinguit mulier poſt adulteriũ ꝑmanſerit in uiduitate, an trãſierit ad ſecũdas nuptias. Si ꝑmãſerit in uiduitate, accuſator quẽ uolet poterit accuſare. Primum etiãſi condemnauerit alterũ, alteri tamen illa condẽnatio nõ oberit. forte

rit, forte em̃ ſi condemnatus fuerit iniuſtè: puta ſubornatis teſtibus: uel ſi iuſtè, potuit non condemnatus obtinuiſſe. Sanè ſi duos ſimul, id eſt marem & fœminã de adulterio accuſare uoluerit, admitti non debet. quod tamẽ ſi fecerit quaſi neutrum detulerit, nihilq; egerit, poterit rurſus incipere, ut ff. eo. l. ſi maritus. Sanè ſi duos uelit in ſimul accuſare, ſed alterum de adulterio, alterum de lenocinio: uel quia opem tulerit, poteſt admitti. Contractis autẽ nuptijs, diſtinguitur, denunciatum fuerit, ne nuberet. Nec diſtinguitur utrum ad iudicem, uel per ſe, per procuratorem, per actorem ſuum: & ſic rata erit denunciatio. Si non fuerit denunciatũ neceſſe habet accuſator ab adultero incipere. Licet enim mulier, quæ in ſuſpicionem adulterij incidit, nupſiſſe dicatur: non tamen ante accuſari poterit, quàm ſi adulter fuerit conuictus. alioquin ad hoc uel maximè uiri confugiẽt, uolentes bene concordatum ſequens matrimonium dirimere, ut dicant forte cum adultero mulierem contraxiſſe nuptias, ut ff. eo. l. miles. Et ſanè ſi accuſatus fuerit abſolutus, etiam talis abſolutio proderit alteri: licet condemnatio nõ obſit. hoc ita, niſi accuſante extraneo, factaq; abſolutiõe, maritus arguerit ſe probabiliter ignoraſſe accuſationem inſtitutam. tunc enim maritus debebit admitti caſualiter. Sed & generaliter, poſt factam abſolutionem ſecundus accuſator poterit admitti: ſi primum accuſatorem arguerit extitiſſe præuaricatorem. Ergo, poſt denunciationẽ non minus accuſator à quo uolet poterit inchoare: & quamuis ambo, id eſt, adulter, & adultera in ſimul poſtulari non poſſunt, à diuerſis tamen in ſimul poterũt accuſari, ut ff. eo. l. denunciaſſe. Excipitur, niſi quis dicat ſeruum ſuum uxorẽ ſuam adulteraſſe. tunc enim ab uxore ſuà indiſtinctè poterit inchoare, ut ff. eo. l. ſi quis. habet autem accuſatio iſta locum inter liberas duntaxat fœminas, adulterium, ſtuprumúe paſſas: & non pertinet ad ſeruas. licet enim ſeruus poſſit accuſari de adulterio, deq; ſtupro: non tamen ſerua, nèc qui acceſſerit ad ſeruam. Sanè & legis Aquiliæ actio, & iniuriarũ, ſerui corrupti quoq;, non denegabitur domino ſeruæ corruptæ: ſed & furti accuſatione conuenitur, qui ancillam non meretricẽ libidinis cauſa ſurripuerit, ut ff. eo. l. inter, & ff. de furt. l. fullo. Sed & in matrona ceſſat lex Iulia, quæ uenalem formã exhibuit, ſeq; meretricio more ueſtiuit. quaſi uilitas uitæ non fecerit dignas legum obſeruatione, ut C. eo. l. quæ. Datur aũt occidendi ius quibuſpam perſonis, quibus ius accuſandi datur: marito duntaxat & patri cum diſtinctione multiplici: ſi accuſare poterunt, ſi in ipſis actibus, uel rebus ueneris depræhenderint adulterũ, ſi utrunq; pariter occiderint in continenti Excuſabitur autẽ, ſi, cum adulterum occiderit parer, profugerit filia: ſed interpoſitis horis appræhenſa eſt à patre, occiſaq; qui perſequebatur, incõtinenti uidebitur occidiſſe: ſed & impunitas patri conceditur, quia licet interempto adultero, mulier ſuperuixerit. poſt tã grauia uulnera, quæ ei pater inflixerat: magis facto, quàm uoluntate patris ſeruata eſt, ut ff. eo. l. quod ait. & l. nihil. Datur autem patri & marito ius deferendi: patri inquam illi ſoli, qui filiã in poteſtate habet, nec in ea re naturalis pater ab adoptiuo ſeparatur: ſed in accuſatiõem uiduæ filiæ, pater nõ habet ius præcipuum, ut ff. eo. l. patri. Sed nec patri poteſtas eſt perimẽdi quẽcunq; adulterum depræhenſum: non forte magiſtratum, nõ forte patronum nam cum liberto patroni famã non licet laceſſere: multo magis eius debebit parcere uitæ, ut ff. eo. ſi adulter. Aliâs, qui poterunt adulterũ occidere: multo magis cõtumelia eũ poterit afficere, ut ff. eo. l. nec. Sed nõ licet patri niſi in domo ſua dep̃henſum occidere, niſi ſeruũ, infamẽ, libertũ: nõ natalibus reſtitutũ uel illũ, qui ius impetrauerit anulorũ: qm̃ l. Iulia, p libertinis tales haberi placuerit ad tuenda matrimonia, & deteriorẽ cauſam per iſtud beneficium patronorum haberi nõ oportet. Sed nec marito licebit occidere adulterum dep̃henſum, niſi in domo ſua p uetera iura: ſed hodie maritus poterit occidere in domo ſua, & uxoris, & adulteri, in popinis & ſuburbanis: & fortaſſis ubiq; ut auth. ut nulli liceat. Hæc ita

tam uariè, quia quandoq; uel plerunq; pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. cæterum mariti calor & impetus facile ſæuientis fuit refrænandus, ut ff.eo.l.nec. Quid ergo, ſi maritus etiam nobilem noctu depræhendens occiderit? non utiq; pœnam legis de ſicarijs excipiet, quia nox & iuſtus dolor factũ eius reuelat: cumq; difficillimum ſit iuſtum dolorem temperare, & magis, quia plus fecerit, quàm quia uindicare ſe non debuerit, puniendus ſit. ſufficiet ſi humilis ſit, in opus perpetuum eum tradi: ſi honeſtus ſit in inſulam relegari, ut ff.eo.l. ſi adulterium. Quid ergo, ſi adulterum depræhenſum maritus non occiderit, quem aut nolit, aut non liceat occidere, aut non ualeat? retinere per horas diurnas & nocturnas non amplius quàm xx. maritus paterq; debebit, proteſtandæ rei gracia: quod ad hoc pertinet ut teſtes inducat teſtimonio futuros accuſatori reum depræhenſum in adulterio, ut ff.eo.l.capite. Hoc genus teſtimonij ego nõ multum probo, niſi tamdiu retinuerit adulterum cum adultera ſociatũ. Probantur autem crimina per liberos homines: ſed & à probatione torquentur ſerui proprij, cõmunes, bona fide poſſeſſi, fructuarij, maſculi, fœminæ: ſerui inquam mulieris patris eius non naturalis, ſed iuſti duntaxat: ſi tamen tunc ſerui fuerint domi. Prohibet autem lex Iulia ſecundum Iuſtinianum duntaxat hos ſeruos alienari, manumittiúe intra diem ſexageſimum ex diſſolutione matrimonij numerandum: ſed etiam poſt mortem quandoq; propter dotis quæſtiõem, ut C.eo.l.ult. Iubet autem quoq; lex Iulia eos interim publicari, ut ipſi facti extranei non habeant cui gratificent. iubet quoq; dominis caueri in duplũ, ſi ſeruus poſtuletur torquendus, protinus propter facinus in ſe cõperiendũ: in ſimplũ, ſi in alio: huiusq; cautionis extabit cõdictio, ſi defuncti ſunt, factiq; deteriores ſecuta abſolutione: illaq; extimatio per condictionẽ ex lege petitur, ut C.eo.l.ij. & ff.de calumnia.l. ult.ff.eo.l.ſi poſtulauerit. & l.quod. Torquẽtur aũt ſerui in cauſa domini, in cauſa ſimplici, adulterij, inceſtusúe admiſſi: ſed non in cauſa ſimpliciter inceſtus, ut ff.eo.l.vij. Habent autem præſcriptiones locũ quatuor menſium duntaxat continui quinquennij, quod ex eo computatur ex quo adulterium commiſſum eſt, ad eum diem, quo quis poſtulatus, poſtulataué eſt: non ad eum diem, quo iudicium de adulterijs exercetur, ut ff.eod.l.mariti. Habet quoq; locum lx. dierum utilium, ubi agitur iure mariti: poſtea quatuor menſium, ubi agitur iure extranei ita tamen, ut quinquennium non excedant ſed infra ſubſiſtere ualeant. Marito quoq; iure mariti accuſanti illa præſcriptio oberit, SI NON LEGEM PRODISSE DICATVR, OB HOC QVOD AGGRESSVS ACCVSATIONEM ADVLTERII DESTITIT, ut ff.eod.l.ij. §.ij. lenocinij autem præſcriptionem, & alias ciuiles quaſdam, quibus aut dos repeti fingitur, aut aliqua ratione debitũ flagitatur, iuſſimus ſequeſtrari, ut C.eo. Adulterij quæſtiões, quæ obijci ſolent accuſantibus adulterum, ante debent obijci quàm quis inter reos recipiatur. cæterum poſtea quàm receptus eſt, non poteſt præſcriptionem opponere, ut ff.eo. l.ſi maritus. Sed & in cauſa adulterij, nulla eſt danda dilatio: niſi ut perſonæ adhibeantur, aut iudex qualitate negotij motus hoc cauſa cognita permiſerit, ut ff. eo.l.in crimine. Quid ergo, ſi defuncto marito adulterij rea muliere poſtulata, propter impuberem filium petit dilationem, ætatem filij prætendit ad elidendã legitimam accuſatiõem? non uidetur mihi cõfugere ea mulier ad iuſtam defenſionem. nam non utiq; crimen adulterij, quod mulieri obijcitur, infanti præiudicat: cum poſſit etiam illa adultera eſſe, & impubes defunctum patrem habuiſſe, ut ff.eo.l.miles. Pœnæ legis Iuliæ hæ ſunt, adulter maſculus gladio ſternitur, ut C.eod l.quamuis. adultera uerberata in monaſterium mittitur, ut in authen. Pœna ſtupri, & lenocinij eſt, dimidiæ partis bonorum publicatio in honeſto: in humili relegatio, ut Inſtit. regulariter hoc uerum eſt. Excipiuntur iiij. ſupra ex-

cellenciora,

cellentiora, puta ſi tutor pupillam quondam ſuam ſtuprauerit, deportauerit, ſi mulier cum ſeruo, præſertim proprio, concubuerit, decapitabitur: & ille uerbero ignibus mancipabitur. & ſi uir nupſerit in fœminam, uel fœmina in uirum, ex quilitis ſubdentur pœnis. & ſiquis nondum uiripotentem, id eſt, immaturam corruperit: humilis in metallum damnabitur, honeſtior in inſulam religabitur aut in exilium mittetur, ut ff. de pœnis l. ſiquis. Sopiuntur (ſicut dictum eſt) ſtuprum, adulterium, lenocinium continuo quinquennio. uerum (ſicut dictum eſt) in nupta ex die diuortij ſex menſes utiles computantur, in uidua ex die cōmiſſi criminis. Quod autem dictum eſt de adulrerio, ut ſopiatur quinquennio, ſic debet intelligi: ſi fuerit ſimplex, & pharifæum: ſi uero fuerit per uim perpetratum, inceſtoúe admixtum, ſine præfinitione huius temporis talem accuſationem fieri poſſe dubium non eſt, ut ff. eodem l. mariti. & l. ix. Eſt & ſecunda differencia, quia de crimine inceſti duo inſimul & ab eodem poſſunt accuſari. Eſtq; tertia differencia: quia in crimine inceſti ſimplicis, mixtiq;, ſerui non debent in caput domini torqueri, ut ff. eodem l. ix. In ſumma notandum puto, quòd lex dicit licere marito ex ſuſpitione ream facere coniugem, ſic intelligatur: ſi certa ſit ſuſpicio: licet uideatur in adiecto oppoſitio, id eſt, ſi talis ſit ſuſpicio, quæ ſit quaſi manifeſta probatio, ut C. eod. l. ſiquis. Et finge ſi ſæpe notauerit, uel ad lauacrum cum uiris ambulauerit. Vel ut in authen. legitur, per tres denunciationes ſcripto. factas, cum aliquo colloquium habere inuenta fuerit. Verum mulier ob latronum ſocietatem exulare iuſſa, licet ex ea re inſurgat ſuſpicio ſiniſtra: tamen citra metum pœnæ lenocinij in matrimonio poterit retineri, quia non fuerat adulterij accuſata, conuicta, condemnataúe, ut ff. eodem l. viij.

SIQVIS EAM, CVIVS TVTOR FVERIT, CORRVPERIT. TIT. X.

Dictum eſt ſuprà generaliter de ſtupro, nunc ſpecialiter ſiquis eam cuius tutor fuerit corruperit. Et certe ſi tutor pupillam quondam ſuam uiolata caſtitate ſtuprauerit, etiam ſine ui deportabitur, & eius ſubſtancia confiſcabitur: quamuis eam pœnam debuerit ſuſtinere, quam leges raptori imponunt: ſed imponitur media, neq; tanquam de ſtupro ſimplici, neq; de raptu uirginis. Idem in titulo proximo ſit. hæc enim duo ſtupra ab alijs ſecernuntur, ueluti excellenciora. idem in curatore intelligitur. Nam & (ſicut ſuperius dictum eſt) ſi has ſibi matrimonio coniunxerit, contra ſenatuſcon. filijsúe ſuis, ante rationem redditam: non à patre deſponſatas, teſtamentoúe denominatas, uelut adulteri coercebuntur & infamabuntur.

DE MVLIERIBVS, QVAE SE PROPRIIS SERVIS iunxerunt. TIT. XI.

Sequitur de mulieribus, quæ ſeruis proprijs ſe iunxerunt. quæ quidē decapitādæ ſunt: ac nequiſſimi uerberones ignibus mancipādi: Sitq; omnibus facultas uelut publicū crimen arguendi, ſit officio copia nunciandi: ſit ſeruo licencia accuſandi, cui, probato crimine, libertas competet. Filij etiam tali coniugio ſuſcepti, nihil quolibet titulo ultimæ uoluntatis, uel ſuperſtitis facultatibus talis matris etiam non illuſtris erunt accepturi: ſed ſucceſſio talium matrum alium tramitem legitimum ambulabit.

AD LEGEM IVLIAM DE VI PVBLICA SVE PRIVATA. TIT. XII.

DIximus ſuprà de corruptione uirginum, uel non uirginum : quæ fit quandoꝗ per uim , & dicturi ſumus poſtmodum de uirginum & uiduarum, uel ſanctimonialium corruptione in medio generaliter ponamus interpretandũ. Videamus itaꝗ quæ uis dicatur publica, quæ priuata, quis experiatur, quis teneatur hac lege, quæ ſit pœna. Et certe uis publica, fit armis, quorum appellatione omnia ſignificantur, quæ nocere poſſunt: ſi tamen iactari ſoleant. nec enim uenena, uel carmina magica. Vis priuata dicitur, quæ ſine armis admittitur. Experitur autem hac lege quilibet, aliàs non iure uetitus. Eſt enim crimen uis etiam priuata quia publica: liceat uideatur mirabiliſſimum. Tenetur hac l. Iulia de ui, qui ſeruos, aut liberos coegerit: qui pubes cum telo in publico fuerit. qui conuocata ſeditione non tamen contra Imperatorem uillas expugnauerit, bona ex incendio rapuerit: qui puerum, uel fœminam ſtuprauerit per uim . qui cum gladio uel telo, ut rapiat, ambulauerit. nam ſi occiderit Cornelia teneretur. Qui prohibuerit dominum res ſuas ex incendio ſeruare . qui poſſeſſorem domo , agro, uel naui ſua deiecerit, expugnauerit, utꝗ id fieret homines commodauerit. qui homines dolo malo incluſerit, obſederit : quiúe fecerit , quo minus mortuus ſepeliatur : quiúe cum imperium poteſtatemúe haberet, ciuem Romanum aduerſus prouocationem necauerit, uerberauerit, iuſſeritué quid fieri, aut quid in collum iniecerit ut torqueatur. Quiué reũ uinxerit, aliudué fecerit, aliasué impedierit, quominus cauſæ infra certum tempus adſit: quiué dolo malo fecerit quominus iudicium exerceatur, iudiceturué : quiué pecuniam promittere quem ſibi compulerit: quiué ædes alienas expilauerit, effregerit. In præfatis autem omnibus exemplis uim publicam dicetur admiſiſſe, ſi arma adhibuerit: uim priuatam ſi ſine armis prædicta fecerit. Tenetur hac lege, qui uim re ipſa & manualiter fecerit, ut ſiquis arma coegerit non uenationis cauſa, nec nauigationis gratia, uel itineris, ut ff. eodem l. j. ſed & qui noua uectigalia inſtituerit, ut ff. de ui public. l. ult. Sed & ſiquis cum alijs conuenerit in litem alienam, ut quidquid ex ea lite perceptum fuerit, communicetur, lege Iulia de ui priuata, uel per interpretationem tenebitur, ut ff. de ui priuata l. ex. Item qui creditoris res etiam ſibi obligatas non ex compacto occupauit, l. Iulia coercebitur. uis enim tunc fit cum id quod ſibi deberi putat, non per iudicem repoſcit. Illud notandum puto, quòd qui tuendæ ſalutis cauſa telum gerit, non uidetur hominis occidendi cauſa portare, & ideo nec in legẽ Iuliam de ui publica priuatauè: Sed nec in legem Corneliam de ſicarijs poteſt incidere, ut ff. de ui public. l. penult. Pœnæ uis publicæ, in liberis eſt deportatio : niſi mulier rapiatur, uel homo iniuſtè occidatur, quæ etiam pœna capitis dicitur, ff. de ui pub. l. hi. Pœna uis priuatæ eſt tertiæ partis bonorum ademptio, ex l. Iulia, qua cautum eſt: ne taliter condemnatus ſit Senator nec Decurio: aut illum honorem capiat, neué (utpote infamis) in ordine ſenatorum tanquam iudex ſedeat , ut ff. de ui pub. l. j. In ſumma illud notandum quòd ſeruus ſi proprio motu & domino inſcio uiolentiam commiſerit, ultimo ſupplicio mancipabitur: ſi metu domini & exhortatione id fecerit, metallis dedetur domino pronunciato infame.

DE RAPTV VIRGINVM, SEV VIDVARVM, NECNON ſanctimonialium. TIT. XIII.

SVprà generaliter audiuimus de ui, nunc ſpecialiter de quadam : uel ſuprà de coniugio iniuſto in quibuſdam caſibus: nunc in quodam alio, id eſt, ſi nupſerit raptori. Quod æquidem coniugium etiamſi mulier accommodauerit conſenſum, non erit legitimum: quia nullo modo ac tẽpore à Serenitate noſtra licencia ei nuben-

ei nubendi datur, qui hoſtili more in noſtra repub. etiam matrimonij uoto, mulierem eripere irruerit, ipſamúe uel uolentē rapuerit: quia hoc ipſum mulierum uelle ab inſidijs nequiſſimi hominis qui rapuerit inducitur. Eſt autē rapere mulierem, per uim illam eripere & tranſportare animo ſtuprandi, uel etiam in uxorem ſibi ſociandi. forte etiam ſi fiat illud in ingenuam, libertam, ſeruam, uirginem, uiduam, laicam, uel ſanctimonialem. Quod equidem peccatum non ſolum ad iniuriam hominum, ſed contra ipſius omnipotentis dei reuerentiā committitur: ſed nec ſibi deſponſatam rapere licet. prædictorum autem raptorum res, & qui eis fuerint adiuti, ad dominium raptarum mulierum liberarum transferuntur. Sanè qui rapuerit ingenuam, & ſubſtantiam amittet, mulieri captæ contra uoluntatē applicandam: & de ea poterit facere quidquid uolet, & in dotem dare cuicunq; nupſerit legitimo matrimonio: præterquam raptori. Eorum uero ſubſtantiæ nullam diminutionem patientur, qui mulierem libertam rapuerint, uel ſuam: ſed capite duntaxat detruncabuntur, ſicut cæteri conſcij. Et ſi miniſtri quoq; reperti fuerint, uel qui raptores perpetrato iam facinore ſuſceperint uel quamcunq; opem intulerint: dummodo eos comitati nō fuerunt, nec raptui perpetrando interfuerunt. prædictæ pœnæ ſunt in liberis. Serui citra ſexus diſtinctionem ignibus mancipentur.

DE EMENDATIONE SERVORVM. TIT. XIIII.

SVprà de illicitis diximus, nunc audiamus de quadam illicita, id eſt de emendatione ſeruorum uirgis & loris liceat domino ſeruū afficere cuſtodiæ cauſa, dierum diſtinctione ſiue interpretatione depulſa in uincula conijcere uel detrudere: nec eo mortuo criminis metum dominus timeat. Nec uero immoderatè ſuo iure utatur: imò licet olim poterat impune occidere ſine cauſa tamen intercedente non debebit dominus ſupra modum ſæuire in ſeruum proprium: nō minus Corneliæ futurus obnoxius, licet non teneatur Aquilia: quia ſeipſum damnificauit, quaſi ſeruum alienum, liberumúe hominem peremerit.

DE EMENDATIONE PROPINQVORVM. TITVLVS XV.

QVia emendatio propinquorū adhibetur, quorum quædam illicita celebrantur, de emendatione propinquorum adnectamus. Maioris autoritatis propinquo, et ſeniori permittitur propinqui iuuenis erratū corrigere, ut iuuenem, quem ad uitæ decora domeſticæ laudis exempla non prouocant, ſaltem correctionis medicina compellat. Porrò iure patrio ſenior corrigat iuniores, & priuata animaduerſione compeſcat, & in foro, uel prætorio non dilaniet, uel per capillos accipiat. Quippe maiores noſtri penè eum honorem ſenibus, quem magiſtratibus indulſerunt: circa munera quoq; municipalia ſubeunda. Item honor ſenectuti tributus eſt, quia ſemper in ciuitate noſtra ſenectus uenerabilis fuit, ut ff. de iur. immunitat. l. ſemper.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS. TITVLVS XVI.

AVdiuimus ſuprà de ui illicita, & quia ea intercedente ſæpiſſimè perpetratur homicidium: audiamus Conſtitutiones ad legem Corneliam de ſicarijs. Audiamus itaq; unde dicantur ſicarij, quis experiatur hac lege, quis tenea-

tur ea,& quæ ſit pœna huius criminis. Sicarij dicti ſunt à ſica. Eſt autem ſica gladius utrinque incidens. at uero hoc nomine omnis gladius intelligitur. Datur hæc accuſatio cuicunque homini facto libero. Intereſt enim omnis hominis nullum hominem de grege hominum eximi. Tenetur autem hac lege priuatus qui occiderit hominem, niſi id faciat iudicis imperio, uel alio iure permiſſo, ut furem latronem cum uxore comprehenſum, quandoque nocturnum populatorem. melius eſt enim in tempore occurrere, quàm poſt exitum occurrere. Tenetur quoque magiſtratus, qui contra legem quampiam mandauerit occidere, ut ff. eo. l. j. § primo. Præterea tenetur cuius dolo incendium factum erit, & præſertim ſi ibi homo perierit: quiúe hominis necandi cauſa cum telo ambulauerit, furtiúe faciendi cauſa. ex eo enim homicidium ſæpiſſimè ſequitur: quiúe etiam cum magiſtratus eſſet, operam dederit, quo quis falſum iudiciũ profiteretur: licet alius hic occiderit, quia tamẽ opem præſtiterit. l. hac Cornelia reus fieri poterit. Item is, cuius familia ſciente eo adipiſcendę, recuperandæúe poſſeſſionis cauſa, arma ad homicidium ſumpſerit. Item qui autor ſeditionis fuerit homine interfecto l. Iulia (ſicut etiam ſuperius dictũ eſt) poterit coërceri. Item qui naufragium ſuppreſſerit ad necem hominum, & qui hominem libidinis uel promercij cauſa caſtrauerit, etiam uolentem: neque quis ſe ſponte caſtrandum præſtare debet. At ſi quis contra fecerit, & medico qui occiderit, ipſi quoque qui ſe caſtrandum præbuit, capitale erit. Hi quoque qui thlibias faciunt, in eadem cauſa ſunt, qua hi, qui caſtrant. Item qui uenenum letale conficit, uendidit, habuit. Hæc autem omnia ita debent intelligi, ſiue quis hoc fecerit, ſiue dolo ſuo, ut id faciant, curauerit. Quippe in l. Cornelia dolus pro facto accipitur, non culpa etiam lata. quare ſi quis de alto ſe præcipitauerit, & ſuper aliũ uenerit, eumque occiderit ad huius legis coërtionem non pertinet. Sanè Iudæo circumcidere filium ſuum permittitur. Ceſſat autem Cornelia, aliâs propter perſonam occidentis, aut propter perſonam occiſam: aliâs propter cauſam. Propter occidentem, ut ſi iudex, furioſus, infans occiderit. Propter occiſum, ut ſi fur, quandoque latro, adulter: interdũ deprehenſus nocturnus populator, mulieris raptor, ſi fuerit interemptus, & in flagrante crimine cõprehenſus. Propter cauſam ceſſat quia uolũtas deeſt, ut C. cod. l. eum. Crimen enim non contrahitur, niſi uoluntas intercedat nocendi. & uoluntas & propoſitum diſtinguunt maleficium. Ergo infans, uel furioſus, ſi hominem occiderit l. Cornelia non tenebitur: cum alterũ innocentia conſilij tuetur, alterum fati infœlicitas excuſat. ipſum ſufficit furore proprio puniri, ut ff. eod. l. Pomp. l. penultima. Diuus quoque Hadrianus inſcripſit: quia in maleficijs uoluntas ſpectatur, non exitus. & Vlpianus ſubdit nihil intereſt, quis occidat, & cauſam mortis præbeat. hoc tamen intelligo, ſi dolo: ſicut neque rei uindicatione, ſed nec contra latam culpam minor reſtitutione priuabitur: licet contra dolum, id eſt in delicto quod perpetratur propter dolũ. In criminibus enim ætatis ſuffragio non iuuantur prorſus minores: malorum quoque mores infirmitas animi non excuſat, ut C. ſi aduerſus delictum. Pœna hæc eſt eius, qui homicidium admiſerit, in aliquo honore poſiti ſponte, doloúe, deportantur: ſi ſecundo gradu ſunt, capite puniuntur, ut ff. eod. l. penultima. Si non uoluntate occiderint, etiamſi milites fuerint, remiſſa pœna homicidij ſecũdum diſciplinam militarem ſententiam perferant, ut C. eod. l. j. Quippe non omnis qui occidit homicida eſt. Sed ſi uulnerauerit, ut occidat: ſi gladium ſtrinxerit, in capite percuſſit claua, uel cucuma, damnandum pro homicida. Nec enim iudex proprijs auribus debebit audire talem hominem allegantem ſe uoluiſſe occidere, cum debuerit ſuſpicari exitu etiam modico in tali corporis parte perpetrato facile poſſe perire.

DE HIS, QVI PARENTES VEL LIBEROS OCciderunt. Titulus xvij.

SVprà generaliter de homicidio, nunc audiamus ſi parentes liberos: uel liberi parentes occiderint, & ſic ad l. Pompeiam de parricidijs. Videamus itaque cui competat actio iſta, & quis poſſit accuſari l. Pompeia, & quæ ſit pœna, & quanto tempore homicidij crimen ſopiatur. lege Pompeia de parricidijs generaliter cauetur, quid fieri debeat, ſi quis non tantum patrem, matrem, filium, filiamúe, occiderit: ſed & quemcunq; agnatum, affinemúe. uerum ſi quis peremerit non quempiam de aſcendentibus, uel deſcendentibus: ſed collateralem, affinemúe, eam duntaxat pœnam excipiet, etiam per legem Pompeiam, quæ eſt l. Corne. de ſicarijs. Porrò ſolennis & ſpecialis pœna parricidij, ſiue (ut ita dixerim) filicidij hæc inſtituta eſt ut parricida cuiuſcunq; aſcendentis maris uel fœminæ: uel fillicida cuiuslibet deſcendentis primum uirgis ſanguineis uerberetur, deinde inſutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, uipera, & ſimia: in mare proximum, uel in amnem mittatur. alioquin beſtijs obijcietur: niſi per furorem filius patrem: uel filium pater mactauerit. Cõpetit autem accuſatio iſta cuicũq; utpote pupillo. Competit in eum qui occidit ex propoſito. Sed & in eum qui fata præparauerit parens filij: uel filius parentis, ſiue palam, ſiue clam: in eũ quoque cuius dolo malo factum erit, id eſt qui adiutor extiterit, etſi non occiderit. Præterea qui emit uenenum, ut patri daret, quamuis non potuerit dare. frater autem ementis uenenum, qui cognouerat tantũ, nec patri indicauerat, relegandus eſt, ut ff. eod. l. j. & ij. hocq; uerum eſt, ut pater teneatur l. Pompeia: etiamſi occiderit filiũ, qui nouercam adulterabat: niſi forte filius erat infamis, ipſumq; pater deprehendiſſet in ipſa turpitudine. quippe pater latronis magis quàm patris iure eum interfecerit: et patria poteſtas in pietate debet conſiſtere, nõ in atrocitate, ut ff. eod. l. diuus. Nec uideatur abſurdum, filium qui emit uenenum, ut patri daret, quamuis non dedit, parricidam eſſe ea ratione: quia hæc crimina homicidium & adulterium, non ex ſola animi propoſitione (ut in diuinis) ſed aſſumpto aliquo actu operantur in legibus noſtris, ut ff. de uerb. ſignificat l. fugitiuus. Nam & l. Cornelia reus eſt qui cum telo ambulauit, licet non occiderit. Sed creditor, qui ſciens ad ſcelus perpetrandum ſubminiſtrauit, ut puta ad gladij, uel ueneni uenalis comparationem, ut ff. eo. l. ſi ſciente. Sed & tanquam monetæ falſarius coërcetur, qui tale quid non prohibet, cum potuerit. Perpetuum eſt hoc crimen, & ſemper eius accuſatio permittitur, ut ff. eod. l. ultima. Idem legitur de crimine concuſſionis, ut ff. eod. l. j. Idem de crimine ſuppoſiti partus, ut ff. de fal. l. qui falſam.

DE MALEFICIS, ET MATHEMATICIS, ET CAEteris ſimilibus. Tit. xviij.

ET quia homicidia quandoq; perpetrantur per maleficia, ueneficia, atq; magicam artem, de his omnibus uideamus. Plus eſt, id eſt atrocius & horribilius eſt, hominẽ extinguere ueneno, q̃ gladio: hosq; omnes lex Cornelia perſequitur, qui uenenis & ſuſurris magicis, hominem occiderint, & qui mala uenena, malaq; medicamina confecerint, et uendiderint, publicè habuerunt, ut Inſti. de public. iud. Videamus itaq; quid ſit ars magica, quibus nominibus generalibus, quibusúe ſpecialibus, qui docent, quiq; exercent, uocentur, quale ſit hoc crimen, & qualiter uindicetur. Ars magica ſiue mathematica, eſt ſcientia à dæmonibus tradita, artem damnabilẽ docens, & mortẽ animę. Huius ſpecies ſunt

quinq; : Geomantia, id eſt diuinatio in terra. Hydromantia, in aqua. Aëromantia in aëre. Pyromantia in igne. Necromãtia in nigris cadaueribus mortuorũ. Harum ſcientiarum merito aſſumunt ſpecialia nomina, etiã qui docent. ſiquidem alij uocantur Geomantici, Necromantici, Aëromantici. alij aruſpices, ab auræ inſpectione. alij arioli, ab aris deorum. alij augures ab auium garritu, uolatuíue. alij aſtrologi. alij genealogiaci. alij ſortilegi. alij horoſcopi. alij ſaſatores qui in ſalientibus uentis hominũ aliquid diuinant. alij ſpalatores. alij ſterminatores, qui immutatione ſua & aliorum aliquid faciunt & omittunt. alij ſomniorum interpretes. Generalibus autem nominibus uocantur hi, malefici, mathematici, incantatores, magi. ſic forte dicti quia magni: & quia inter alios homines maiores habentur & diuinatores. hi ſunt, qui quaſi Deo plenos ſe ſimulantes futura ſe ſcire prædicant. Sed ſileat omnibus perpetuo diuinandi curioſitas: etenim omnis talis ſupplicio capitis ferietur, & gladio ultore proſtratus. ſi nouerit clementa turbare, uitam inſontium nõ dubitet labefactare: ſi manibus acci tis ſuos præſumpſerit inimicos ſuffocare. hos quoniam naturæ peregrini ſunt feralis peſtis abſumat: ijq; tales ſi conuicti fuerint, & proprium facinus detegentibus repugnauerint pernegando, ſint eculeo dediti, unguibus ſulcantibus latera, pœnas perferat proprio dignas facinore. Huiuſmodi hominũ, quamuis amicitia uetus, repellatur: concremando illo aruſpice, qui ad domum acceſſerit alienam, licet ob alteram cauſam. Eorum quoq; ſcientia eſt punienda, & ſeueriſſimis merito legibus uindicanda, qui nouerunt pudicos facere impudicos, ſi tamen id detecti fuerunt feciſſe. Eorum aũt ſcientiam non reprobamus, qui licitis carminibus id agũt ne imbres noceant, neúe uentis, grandinumq; lapidatione, diuina munera & labores hominum ſternerentur. Cæterum quaſi maieſtatis eſt hoc crimen, ut C. eod. l. etſi, perpetuò æſtimo teneri tales tanquam ipſius maieſtatis uiolatores.

DE SEPVLCHRO VIOLATO. TIT. XIX.

AVdiuímus de uiuentibus uiolatis, nũc audiamus de mortuis. Et quia uiolantur cum eorũ ſepulchra, id eſt mortuorũ domus (ut ita dixerim) diruuntur, de ſepulchro uiolato audiamus. Videamus itaq; quid ſit ſepulchrum uiolare, & quibus modis id fiat & quę eo nomine competit actio & accuſatio. Videamus quæ actio competat, cui, & in quem, & in quantũ, & qualis ſit, & quæ pœna per accuſationem infligatur uiolatoribus ſepulchrorum. Sepulchrum uiolare nihil aliud eſt, quàm aliquid in eius de formationẽ facere. Quippe ſepulchri conditionem deteriorem facere prohibitum eſt: ſed corruptum reficere, lapſum reſtaurare licet: ſepulchra inquam ciuium, non hoſtium. hoſtica enim ſepulchra licet diruere, lapideſq; quos ui ſuſtulimus in quemlibet uſum impune conuertere poſſumus, ut ff. eod. l. ſepulchri. Violatur autem ſepulchrum, ſi mortui perpetuæ ſepulturæ traditi ſpoliantur, & cõteruntur & priuata autoritate transferuntur. Vel ſi quis contra teſtatoris uoluntatem cadauer intulerit unũ aut alterum. Violantur quoq; ſepulchra, ſi diruuntur, & diminuuntur. eo tamen nomine ceſſat Aquilia, quia non eſt damnum datum, cum non ſit in bonis ſepulchrorũ: ſed quod ui aut clam poterit agi, ut ff. eo. l. ij. & ff. quod ui aut clam l. ſemper. Competit actio in factũ, in primis ei ad quem ſepulchrũ pertinet, in quantũ æquum uidebitur iudici, & quatenus interſit multipliciter, aliâs ex iniuria, quæ facta eſt uel ex temeritate eius qui fecit: aliâs ex lucro eius, qui uiolauit: uel ex damno, quod contigit. nunquam tamen minoris iudex debebit condemnare, eo agente quem res contingit, q̃ ſi extraneus ageret: in centum aureos, ſed & in amplius

poterit

poterit,ut ff.eo.l.iij.§ j.§ qui de. Quid ergo ſi nemo erit, ad quem ſepulchrum pertineat:ſiue erit,ſed agere nolit:quicunq; agere uolet,ei centum aureorũ actionem in factum ait Prætor dabo. Si plures agere uolent, ei potius cuius iuſtiſſima cauſa eſſe uidebitur,in eum cuius dolo malo ſepulchrum uiolatum eſſe dicetur. Nam ſi ſepulchrum, uel per impuberem doli non capacem, aliumúe ſenſu carentem fuerit uiolatum,ceſſabit iudicium,ut ff.de aqua plu.arcen. l.quanquam,& ff.eod.l.iij.§ j.Et quid erit, ſi ad plures ſepulchrum pertineat, utrum omnibus damus actionem: an ei,qui occupauit: omnibus danda eſt: quia in id, quod unius cuiuſq; intereſt,agitur,ut ff.eod.l.iij.§ antepenult. Illud notandum eſt,quod etiamſi is,cuius intereſt,dixerit ſe nolle agere,poterit pœnitentia acta hoc in caſu:ante tamen,quam lis ab alio conteſtetur,dicere ſe uelle agere;& audietur non tanquam idem ipſe,ſed uelut unus ex populo,ut ff.eod.l.iij. Secus ſi eo ceſſante extraneus iam egerit,& forte litis æſtimationem ſuſtulerit;poſtmodum enim nec is,cuius intererat,agere poterit:cum hæc actio non ad rem familiarem,ſed magis ad ultionẽ pertineat:& ex bono,& ex æquo duntaxat ſit prodita:& in ſola uindicta ſit conſtituta: & uindictam ſemel exigere ſatis eſt,ut ff. eod.l.ſepulchri & l.penult. Datur autem & hæc actio hæredi etiã abſtento,exhæredatoq;,nec tamen ſi pecuniam extorſerit,hæreditarios creditores timebit, quia etiamſi per hæreditatem contingit hæc actio,nihil tamen ex defuncti capitur uoluntate,neq; id capiatur,quod in rei perſecutione conſiſtit, ſed in ſola uindicta:quæ in bonum eſt prodita,ut ff.eod.l.antepenultima. Quid ergo,ſi quis non tantum diruit,ſed & de materia diruta ædificauit, & uendidit; etiam fiſco decem pondo auri dabit,ut C.eod.l.iij. Hæc inquam omnia dicantur, ubi quis diruit:ſi uero etiam inhabitauerit,in ducentos aureos dabitur actio, in liberum hominem habitantem. Sanè ſeruus tantum inhabitans criminaliter coërcetur, & noxalis actio in dominum non dabitur: ſed ſi tantum ſeruus nõ in ſepulchro habitet,ſed clam ibi domũ habeat,etiam noxaliter dominus conuenietur, ut ff. eod.l.iij.§ penultimo: Nam & aliâs ſi ſeruus diruerit ſine domini ſcientia metallis dedetur:quod ſi domini uoluntate,ergo mitius tunc delinquit, tantum relegatione plectetur:& ſi quid de uiolato ſepulchro ad domini conſcij domum fuerit tranſportatum,domus illa publicatur,ut C.eod.l.iij.publica eſt, & popularis hæc actio,ut ff.eod.l.iij.§ ultimo. Et ideo non datur in hæredem; niſi quid peruenerit,poſtúe litem conteſtatam. Præter actionem in factum,cõpetit etiam actio directa pagina,probatoq; crimine iniunguntur hæ pœnæ:ſi corpora extraxerunt,uel oſſa eruerunt,humiliores quidem homines ſupremo ſupplicio afficientur: honeſtiores in inſulam deportabuntur,propter aliâs uiolationes,aut relegabuntur,aut in metallum dabuntur,ut C.eod.l.penult.ff.eo.l.ultima. Et eſt notandum,quod ei,qui in ciuitate ſepelierit,& ibidem ſepulchrum fabricauerit (ius enim municipiorum polluendum non eſt, nec uiuentes conuenit habitare cum mortuis) quadraginta aureorum pœna imponitur & corpore non tranſlato locus publicabitur. hoc uerum eſt,etiamſi lex municipalis,& cõſuetudo permittat in ciuitate ſepeliri,quia generalia reſcripta, & imperialia ſtatuta oportet ſuam uim obtinere,& in omni loco præualere,ut ff.eo.l.iij.§ diuus. Notandum quoq;,ꝙ iudices puniendi ſunt uiginti librarum multa,ſi nõ uindicent talia. Ad hæc ea pœna imminebit,quod ſi quis creditor debitorem ſuum mortuum prohibuerit ſepeliri,& fideiuſſorem cautionem,uel pignus, antequam ſepeliatur, extorſerit. hæc omnia caſſabuntur ſi morientem non patitur in pace mori. ſed nec poſtea ante nouem dies debebit exigere fideiuſſorem,pignus,cautionemúe extorquere. ſi quid enim tale factum fuerit, omnino inutile erit, ut authen,ut cum de appellat, cognoſ.meminimus.

AD LEGEM FAVIAM DE PLAGIARIIS. TITVLVS XX.

EXpoſuimus ſuprà qualiter infligitur parentibus liberorum homicidium, nunc qualiter facto plagio, & ſic generaliter ad l. Fauiam de plagiarijs. Videamus itaq; in quibus rebus fiat plagiũ, cui detur executio l. Fauiæ, in quem, quando ceſſet, quãdo competat, qualis ſit accuſatio iſta, quæ ſit pœna l. Fauiæ. Et quidem de hominibus duntaxat, uel hominum perpetratur plagium: & ob id competit Fauia. Ceſſat in ſeruis ſi quis putauerit ſuum, & ſuus erat, ipſumq; exportatum uendidit. Ceſſat, etiamſi putauerit ſuum probabiliter, & alienus erat. Locum uendicat cũ fuerit alienus. Legis Fauiæ crimine ſuppreſſi mancipij bonæ fidei poſſeſſor non tenetur, id eſt qui ignorauit ſeruum alienum, & qui uoluntate domini putauerit ſe id agere. Nam in lege ita dicitur. SI SCIENS DOLO MALO HOC FECERIT. Interdum tamen domini quoq; in legem Fauiam incidunt, puta cum fugam ſeruorum uendunt, id eſt ſeruos in fuga agentes. Excipitur, niſi inter ſocios res licitatione expediatur: & excipitur, ſi quis Titio mandauerit, ut ſeruum in fuga agentem apprehendendum, ut ſi apprehendiſſet, eum emptum haberet. Item lex Fauia nõ coërcet eũ, qui mandauit talem ſeruum perſequendum, & diſtrahendum. Nec enim fugam uendidit. Sed nec eum, qui uendidit ſeruum apud hoſtes cõſtitutum, aliasúe abſentem, aut etiam fugitiuum apud ſe domi degentem, ut ff. eod. l. ij. Habet quoq; locum lex Fauia ſi liberum hominem ſciens quis emerit, uendideritq;, donauerit, in dotem dederit, quoquomodo ſciens permutauerit, & tam dantem, quàm accipientẽ lex Fauia tenet, ut ff. eod. l. j. & l. lege. Sed & qui fugitiuum ſuſceperit, & cælauerit l. Fauia tenetur, filiumúe alienum. Quippe l. Fauia cauetur, ut liber, qui hominẽ ingenuum, libertinum inuitum celauerit, uinctum habuerit, emerit, uendiderit, ſciens, dolo malo: quiúe in ea re ſocius erit, l. Fauia tenetur. Et notandũ, quòd omnis plagiarius, fur eſt. quippe non aliâs (licet quis hominem ſurripuerit) plagiarius erit, niſi ſuppreſſerit, ut ff. eod. l. non. Ex his, quæ dicta ſunt, apparet, q; hæc actio, quandoq; eſt priuata, ut ſeruis exportatis, uenditis, occultatis, ſuppreſſis: quandoq; eſt publica, ut pro liberis hominibus. Et notandum, quòd nomine ſeruorum, filiorumúe prædicto modo ſurreptorum, etiam ciuiliter poterit agi, id eſt actione furti, ſerui, filijq; corrupti, nec altera uia, alteram perimit, ut C. quando ciuilis actio præiudicat crimi. Pœna aũt huius criminis ea eſt, ſeruus libertusq; beſtijs obijcietur, ingenuus humilior, gladio conſumetur, honeſtus, in metallum damnabitur, ut ff. eod. l. ult. & C. eod. l. ult. Illud ſanè non eſt omittendum, quòd etiamſi is deceſſerit, propter quem, uel per quem puta ſuadentẽ, quis in Fauiam cõmiſerit, adhuc infamia & pœna legis ſupererit, ut ff. eo. l. ij.

AD LEGEM VISCELLIAM. TIT. XXI.

SEquitur ut dicamus de falſis, ſed quia lex Viſcellia ſpecialiter punit quoddam falſum, audiamus ad legẽ Viſcelliam. Lege Viſcellia tenetur libertus, qui mentitus ſe ingenuũ, honorem ad libertos pertinentem nactus fuerit: hicq; talis & de operis ciuiliter, & l. Viſcellia criminaliter, poterit conueniri, conuentusq; criminaliter, ſi in curiam ſe immiſcuit, damno cũ infamia afficietur, & muneribus perſonalibus in patria patroni quæ cõgruunt talibus hominibus ꝓ ſuis uiribus obſtringetur. Hoc ita, niſi ius impetrauerit annuloꝝ. tunc eñ etiã ſine periculo ingenuorũ munia ſuſtinebit, ſed hodie per authen. etiã ſine impetratione. quia om̃is libertus ſit ingenuus, etiã officia ingenuoꝝ peragere poterit, iure

tamen patronatus in alijs ſaluo, id eſt ut & hodie poſſit in ſeruitutem reuocari à patrono, ut authen. collat. ſexta ut liberti.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS. TIT. XXII.

EXpoſuimus ſuprà l. Viſcelliam loquentem de quodam falſo, nunc audiamus generaliter ad l. Corneliam de falſis. Videamus itaq; quid ſit falſitas: quando committitur falſum, quibus modis cõmittitur falſum, quis teneatur l. Cornelia de falſis, cui detur actio iſta, qualis ſit: publica, uel priuata, quæ ſit pœna, quo tempore ſopiatur falſum: etſi poſſit agi ciuiliter & criminaliter. Falſitas nihil aliud eſt, q̃ ueritatis immutatio ut authen. de fide inſtru. § j. falſum tũc fit, cum quis alienũ chirographũ immutat, aut libellũ, uel rationes intercidit, uel deſcribit, ut ff. eo. l. qui teſtamentũ. Cõmittitur falſum, dicto, & facto. dicto, ut ſi quis falſum dixerit teſtimoniũ. facto, ut ſi quis fecerit falſum denariũ. Sed et qui neq; fecit, neq; dixit: quaſi falſarius aliquando punitur, puta ſi quis iubente etiã teſtatore aliquid ſibi aſcripſerit: & relicto priuabitur, & pœna l. Corne. ei irrogabitur regulariter. Nam & de quaſi falſo pœna imponitur: licet non ſit uerè falſum, ut ff. eo. l. j. § ult. Hac lege tenetur, qui falſum dixit in alterius perniciem, ut teſtimoniũ falſamúe ſententiã: per falſas conſtitutiones falſam excuſationem allegauerit, & qui aliàs mentitus eſt iudici. Item qui falſum dixerit, et qui ſciens utitur eo: & qui aliquid aliud falſum factũ fecerit, ut qui monetas & menſuras uenales, per res conſimiles admixtas falſauerit: partũ ſubiecerit. Tenetur quoq; qui curauit ut hoc fieret. Sed & tenetur qui nullum falſum fecit, dixit: ut qui inſtrumentũ apud ſe depoſitũ, deponentis aduerſario prodidit: & qui codicillos, in quibus erat à ſe legatũ, intercidit. Et qui teſtamentũ mortui cælauerit, rapuerit, deleuerit, ſubiecerit, reſignauerit: quiue teſtamentũ falſum reſcripſerit, ſignauerit, recitauerit, cuiusúe dolo malo quid prædictorũ factũ erit, ut ff. eod. l. ij. Et qui uerum ſcripſit, quandoq; uelut falſarius punitur: ut qui ſibi aſcripſerit ſiue in teſtamento. Item l. Cornelia tenetur qui numos aureos partim raſerit, partim tinxerit. qui auro, argento, quid uicij addiderit, qui numos adulterinos, id eſt falſam monetã in totũ formauerit, & qui nõ prohibuit talia fieri, cũ potuerit & qui numos ſtanneos, plumbeos, emere, uendere, dolo malo curauerit, ut ff. eod. l. quicunq; l. qui falſam. Sed qui aliqua materia ſiue conſignatione falſum fecerit, uel ut uerũ nõ appareat, id eſt ſi non legibile fecerit, ut ff. eo. l. inſtrumentorum. Qui ad lites inſtruendas aduocatione ſubornandisúe teſtibus, pecuniã acceperint, qui in ſolidũ idem duobus uendiderint. licet qui duobus pignorauit nõ falſi crimine, ſed ſtellionatus teneatur. Qui nomine Prætoris falſas reddiderit literas, falſum edictum propoſuerit, & ex hac cauſa pœnali quoq; actione in factum cõuenietur, ut ff. eo. l. qui duobus. Item l. Corne. tenetur, qui diuerſa teſtimonia præbuit duobus, ut ff. eod. l. eos. Item qui ſe pro milite geſſit, uel illicitis inſignibus uſus eſt, uel falſo diplomate uias cõmeauit. Item qui falſum ſignũ fecerit, ſculpſerit. Item qui ex alijs libris, niſi Iuſtiniani, legem allegauit. Item qui libros legum cũ malicia ſignorum ſcripſit. Item ſi quis deleuerit nomina militum inſcripta hoſpitijs, quæ per menſores noſtros eiſdem militibus deputata ſunt. Datur actio iſta & ei ſoli, quem falſitas lædit, puta nomine inſtrumentorũ, præterquam teſtamentorũ. tunc eñ & publicè datur. ſed publicè datur corũ falſorũ nomine, quæ publicã rem lædunt, ut metallorũ falſatorũ, & numorũ. ergo actio falſi & priuata & publica eſt. Sed & de partu ſuppoſito ſoli patres accuſant, aut hi ad quos res pertinent, nõ quilibet ex populo, nullaq; temporis præſcriptione ſubmouetur ſuppoſiti partus accuſatio, ut ff. eod. l. qui falſam. Pœna

falſi & quaſi falſi eſt deportatio, & omnium bonorũ publicatio in liberis, ſeruus ultimo ſupplicio afficitur, ut ff. eo. l. j. § ult. Sopitur (excepto crimine ſuppoſiti partus) falſi querela xx. an. ut cætera ferè crimina, ut C. eod. l. querela. Et ciuiliter de falſo agi per actionem in factũ poterit ſiue in modum exceptionis, etiam criminaliter: & altera perſecutio alteram perimit, ſi ſit priuatum falſum: ſi ſit publicum, minimè, etiamſi in priore iudicio nõ fuerit obtentum, quòd uidetur mirum, ut C. quan. ciui. actio. crimi. præiud.

DE HIS, QVI SIBI ADSCRIBVNT IN TESTAmento. Tit. xxiij.

DIximus in titulo ſuperiore uelut falſarios coërceri eos, qui teſtamẽto aſcribunt, ideo ſpecialem tractatũ ponamus de his, qui aſcribũt ſibi: multo fortius ſi dictauerint ſed duntaxat rite dictantibus relinquitur, ut C. de teſtamen. l. dictãtibus. Similiter ſi legatũ fecerint ſibi adſcribi. uidentur eñ ipſius manu ſcripta, cuius uoluntate ſunt ſcripta, ut ff. eo. l. diuus. Aſcripſerit inquam fideicommiſſum uel hæreditatem. Sed & ſi quid aliud, quod uertatur ad ſuũ cõmodum: ut ſi inſtitutus adſcripſerit filij exhæredationem, uel à ſe relictorũ ademptionẽ, ut ff. eo. l. ſi quis. § ij. Niſi id ſolũ adſcripſerit, quod & præter ſuã adſcriptionem naturaliter fuerat percepturus: ut uxor, dotem: creditor, debitum, ut ff. eod. l. ſi quis. § ult. Item inutile eſt quod adſcripſit his filijs, quos habet: puta fratri, qui ſecum in eadẽ eſt poteſtate. Item ſi adſcripſerit ei filio, qui eſt apud hoſtes: ſi redierit, locus erit l. Corneliæ: ſi ibi obierit, ceſſabit l. Cornelia, ut ff. eo. l. impuberem. § ij. Horum omniũ inutilium, ea redditur naturalis ratio: quia ad patrẽ, dominumq; emolumentũ pertinet, ut ff. eod. l. de eo. Ergo ſi pater adſcripſerit filio militi, ratione militiæ relictũ ualebit. Item ſi filio emancipato, arrogatoúe, ut ff. eod. l. impuberẽ. Sanè ſi dominus, ſeruo: pater, filio legatũ ſcripſerit uerbis his. CVM FVERINT SVI IVRIS. quia ſuo cõmodo nõ uidetur proſpexiſſe, ualebit, ut ff. eo. l. impuberẽ. Quid ergo, ſi bonæ fidei poſſeſſor, ei ſeruo, qui ſibi bona fide ſeruit, legatũ aſcripſerit? licet quo ad animi cognitionẽ nocens eſt, quia ei adſcribit quem ſuũ putat: tamen quia neq; legatũ, neq; hæreditas, bonæ fidei poſſeſſori adquiritur, l. Corñe. autoritas ceſſat, ut ff. eo. l. impuberẽ. § ij. Nam & qui inuito domino putat ſe contractare rem, ſi tamen uelit dominus, excuſatur à furto: & qui putat ſe accipere à non domino, cũ dominus traditor ſit, acceptor fit dominus, ut ff. de iur. igno. regu. contra. Inutile eſt relictũ, quod quis ſibi adſcripſerit in teſtamento, etiã illo quod poſtea ruptum eſt, uel quod ab initio non iure factũ eſt. hoc tamen tunc uerũ eſt, cum perfectũ teſtamentũ erit. cæterum ſi non ſignatũ fuerit, magis eſt, ut nec ſenatuſconſulto, nec l. Corneliæ locus ſit, ſicut nec interdictũ de tabulis exhibendis locũ habet. prius enim oportet eſſe aliquod teſtamentũ, uel nõ iure factũ, ut Senatuſcon. locus ſit. Nam & falſum teſtamentum id demum recte dicitur, ut ff. eo. l. ſi quis. § j. Inutile relictũ (ſicut dictum eſt) efficitur utile in filijs & ſeruis etiã per generalem legẽ et teſtatoris ſubſcriptionem. In extranei exigitur ſubſcriptio etiã ad pœnam uitandam et ad capiendam, ut ff. eod. l. j. § inter. propter ſimplicitatem militarem, qui in teſtamento cõmilitonis aliquid ſibi adſcripſerit, licet relictum non detur, pœna remittitur, ut C. eod. l. penult. In ſumma profitentibus à relicto uelle diſcedere, & deprecantibus ueniam, pœna remittitur, ut C. eod. l. Senatuſconſulto. licet uideatur obloqui, quod reſcriptum eſt, ne his uenia detur, qui ſe ignoraſſe edicti ſeueritatem prætendant, ut ff. eod. l. diuus. § primo.

DE FALSA MONETA. TIT. XXIIII.

QVia inter cætera falſa falſam monetam cudere criminoſum eſt, ſpecialiter de falſa moneta ponitur. Publica eſt accuſatio falſæ monetæ, & competit etiam ſeruis, & infantibus. Tenetur de falſa moneta, qui percuſſit: ſed ante formam ſignatam ſuffragio pœnitentiæ iuſtæ abſoluitur, ut ff. eodẽ. l. qui falſam. Tenetur & qui opem tribuit, tenetur & conſcius. domini quoq; & dominæ etiam ignorantis domus publicatur, in qua moneta falſa fuerit formata: ſi tamen proximè degat. Excipitur uidua ignara. excipitur pupillus conſcius etiã: quia ætas ignorauit, quid uideat, ut C, eod. l. prima. Id tamen quod à pupillo fuerat inferendum, tutor inferre debebit, ut C. cod. l. prima. Pœna ea eſt, ut omnibus facultatibus fiſco adiectis adulter ſolidorum, id eſt numorum flammarum exuſtionibus mancipetur: cum ſit quaſi crimen maieſtatis, & perpetuò duret.

DE MVTATIONE NOMINIS. TIT. XXV.

FAlſi nominis uel prænominis aſſeueratio, pœna falſi coërcetur, & immutatio nominum punitur, ſi fiat fraudoloſè: ſine fraude autem tibi poteris mutare nomina, ſi fueris ingenuus, ut ff. eod. falſi. & C. eod.

AD LEGEM IVLIAM DE AMBITV. TIT. XXVI.

EXpoſuimus ſuprà leges alias multas Iulias, nunc audiamus ad legem Iuliam de ambitu. hæc lex in urbe ceſſat: quia ad principum curam, magiſtratuum creatio pertinet. in municipijs locum habet: puta ſi quis ambicioſe honorem quæſierit, nouum uectigal inſtituerit, domum iudicis (præſertim de nocte) intrauerit eius corrumpendi gratia. hi omnes infamantur, & centum aureos fiſco dare iubentur, ut ff. eod. l. j. Nullus ergo repetere audeat honorem, quem ſemel geſſerit: quia ſemel geſta publicæ diſciplinæ ſufficiant. Proconſules tamen ſex faſcibus utuntur, id eſt ſepties proconſules eſſe poſſunt, ut ff. de offi. proconſulũ l. ultima. Item notandũ quod eſt notabile, quòd ſi quis contra formam à ſacro ſenatu ſtatutam aliquod reſcriptum eliciendum tentauerit: tertia parte patrimonij multatur, & damnatus crimine ambitus manet infamis, ut de ſenatu con.

AD LEGEM IVLIAM REPETVNDARVM. TITVLVS XXVII.

DIximus ſuprà qualiter puniantur iudices in quodam caſu, nunc uideamus qualiter in alio: & ſic uideamus ad legem Iuliam repetundarũ, id eſt competentem nomine repetundarũ, ſcilicet pecuniarũ. Tenetur autem hac lege iudex aliusúe poſitus in quoquo officio, eiusq; comes, qui accepit pecuniam: ut faceret, quod omittere deberet: ut omitteret, quod debet facere. forte quid accepit ut in bona cauſa pro me iudicaret. Et qui accepit, ut omitteret, quod debebat admittere, ut ff. de condict. ob turp. cau. Aliquando quoq; is, qui pecuniã dedit, mirabili lege Iulia repetundarum tenetur: puta ſi quis dedit, ut honorem ſortiatur, ut C. eod. l: ult. Præſumitur enim ꝙ ſicut iudicem corrupit, ſic & ipſe conſtitutus iudex etiã corrũpi poſſe facile putetur: et quod quicquid potuerit paſſim,

& contra fas & pium lucrabitur, & extorquebit. Prohibet lex Iulia accipere ultra centum ſolidos in anno: niſi xenia, quæ tamẽ intra dies proximos prodigantur, gratia eſculenti & poculenti. Ea tamen quæ non dirigantur ad modum munerũ. Excipit quoq; lex Iulia à quibus licet accipere: à ſobrinis, proprioreúe gradu cognatis ſuis, & uxore, ut ff. eo. l. j. Tenetur quoq; lege Iulia, qui accepit pecuniam ob iudicandum, uel nõ: ob honorem decernendum, uel nõ: ob militem legendum, uel non: ob mittendum, uel nõ: iudicium dandum, uel non: ob accuſandum, uel non: ob arbitrium dandum, uel mutandum, uel non: hominem in publica uincula conijciendum, uel non. Hæc ita: quia corruptus iudex male uerum examinat, & quia iudices ab omni munere debent excutere manus ſuas: & cauere ne plus doni, munerisúe in anno accipiant, quàm quod ſit aureorum centum, ut ff. eo. l. eadẽ. Huius exceſſus nomine, & actio datur, & accuſatio. Actio inquam in factum, uel ex l. condictio. In quadruplum datur, quia in hæredem: etiam in eum forte, ad quem nihil pertinet, uenerit: ſed tamen infra annum computandum à morte eius, qui arguebatur, ut ff. eo. l. ij. In quadruplo ineſt rei perſecutio, præterquam ubi per impreſſionem fecit magiſtratus ſibi fieri uenditionem, ut C. quod met. cau. l. penult. Huius quadrupli unum duplum habebit fiſcus, alterum priuatus, ut C. de aſſeſſor l. iij. arrepta pagina probatoq; crimine hæ pœnæ imminebunt. Res iudici contra legem Iuliam repetundarum data, uſucapi nõ poterit, niſi prius reddatur. uenditio, locatio, pluris, minoris factaúe reſcinditur, ut ff. eo. l. quod contra. Item damnatus ea lege, iudicare, teſtificari, poſtulare, prohibetur ut ff. eod. l. eadem. Corporaliter autem l. Iul. repetundarũ damnati, aliâs exulabunt, aliâs in inſulam deportabuntur, ut ff. eod. l. lex.

DE CRIMINE PECVLATVS. TIT. XXVIII.

SEquitur ad legem Iuliam peculatus, & de reſiduis ut audiamus. Eſt autem peculatus furtum pecuniæ Romanæ, non alterius ciuitatis, ut ff. de furtis l. ob pecuniam. Huius criminis nomine etiam in factum actio competit, uel ex l. condictio, qua etiam cõdemnatus amplius parte tertia, quàm debet punitur, id eſt in quadruplum, ut ff. eod. l. iiij. § iij. Competit actio l. peculatus, qua tenetur qui quid ſacrum, religioſum, Deo donatum immortali, abſtulerit, intercaperit. Lege autem Iulia de reſiduis tenetur, qui pecuniam publicam delegatam in uſum aliquem, retinuerit, neq; in eum conſumpſit, isq; qui quod apud eũ ex publica. locatione, emptione, alimentaria ratione, reſedit, retinuerit, & non in publicos uſus erogauit, ut ff. eod. l. ij. & l. iij. Item hac lege tenetur, qui tabulas publicas deleuit, & induxerit, ut ff. eod. l. v. & l. hac. Item, qui perforauerit muros ciuitatis, & inde aliquid abſtulerit, peculatum admittit. Item peculatum admittit, qui pecuniam accipit ab eo, qui debet tantum fiſco, & non ſibi, tanquam ſibi debitã, exigit. Item is qui prædam ab hoſtibus captam ſurripuerit, l. Iulia tenetur, & in quadruplum tenetur. Peculatus inquam iudicia ſunt publica, & de reſiduis, ut ff. eod. l. iij. & ante quinquenniũ non inſtituta, poſtmodum nõ obijciantur, ut ff. eod. l. peculatus. Sicut repetundarum, ſimiliter aduerſus hæredem exercentur, cum in his quæſtio principalis ablatæ pecuniæ moueatur. Corporaliter autem hi puniuntur, ut deportentur, ut C. eod. l. j. & ff. eod. l. iij.

DE CRIMINE SACRILEGII. TIT. XXIX.

QVia lex Iulia loquitͬ de ſacrilegis. Audiamus de crimine ſacrilegij. Videamus itaq; qui ſunt uerè ſacrilegi, & qualiter puniantur, & qui dicuntur: & quaſi

quaſi. Sacrilegi ſunt, qui ſacra publica compilauerint: uel qui priuata ſacra, uel ædiculas incuſtoditas tentauerint. Amplius quia fures minus quàm ſacrilegi puniuntur. Eſt autem ſacrilegium, quando ſacrum, de ſacro aufertur: at ſi non ſacrum eripitur de ſacro, certe non eſt ſacrilegium, ſed ſimplex furtum. Nam & locus, & facit, & diſtinguit: ut idem factum aliâs ſit furtum, aliâs ſacrilegium, ut ff. de pœnis l. aut. § locus: hocq́ uerum eſt, quidquid clamitet grammatica rabies. Hi uerè ſacrilegi qui auferunt, olim pro qualitate perſonæ, procq́ conditione rei, temporis, ætatis: uel ſeuerius, uel mitius puniebantur: aliâs beſtijs obijciebantur, uel igni exurebantur, aliâs ſuſpendebantur. Sed hodie ad beſtias damnantur ſoli hi, qui manufacta templa effregerunt, & dona dei noctu abſtulerũt. Cæterum ſi quis interdiu aliquid modicum de templo tulerit, pœna metalli coercendus eſt plebeius: honeſtior, deportandus, ut ff. eo. ſacrilegi. Illud notandum eſt, quòd de ſacrilegis in C. nihil dicitur, ſed tantum de quaſi ſacrilegis. Ecce prima lege cauetur, diuinam legem uiolantem: ſecunda lege dicitur, diſputantem de principali iudicio, ſimiliter facere: tertia, nequis ſine ſacrilegij crimine expetat honorem in ſua prouincia: niſi cuidam ultro Imperator obtulerit. nec enim honores debent peti, ſed deferri: niſi raro, ut ff. decurio. l. eos. Sanè prætores Romæ fieri non debent: niſi Romæ larem agant, ut Cod. de offi. præto. l. iij.

DE SEDITIOSIS, ET IIS, QVI PLEBEM AVDENT CONTRA REMPVB. COLLIGERE. TITVLVS XXX.

SEditioſi dicuntur ſeorſum euntes, uel dantes: hi inquam, ſi plebem defendere contra euidentiſſimam noſtram iuſſionem tentauerint, contraq́ publicam diſciplinam, in ſolam alicuius inuidiam: mouerintq́ tumultus, & multam grauiſſimam ſuſtinebunt, & pœnis ſubdentur: quas ſeditionem & tumultus autoribus, uetuſtiſſima decreta ſanxerunt.

QVANDO CIVILIS ACTIO CRIMINALI PRAEIVdicet, & an utraq́ ab eodem exerceri poſſit. Titulus xxxj.

CRederet forte quis criminalibus perſecutionibus, de quibus agitur, ciuiles actiones nunquã præiudicare: ſed quia hoc aliquando fit, audiamus quando ciuilis actio criminali præiudicet: & audiamus an utraq́ ab eodem exerceri debeat. Illud tamen ante omnia ſciendnm eſt, quòd præiudicium duobus modis dicitur. Aliquid enim alicui ita dicitur præiudicare, ut ipſum tollat. item aliquid dicitur præiudicare, id eſt primum debet examinari & terminari: hocq́ fit dupliciter, ex uoluntate, & neceſſitate. Ex neceſſitate, ubi quis cui mouet: puta petitionem hæreditatis, & reus obijcit ſtatus quæſtionem: neceſſariò obiectæ quæſtionis incidentis primum habenda eſt cognitio, quaſi principalis: niſi præpediatur incidentis notio, uel propter litigatoris impuberis ætatem, uel propter perſonam iudicis, ut pedanei. Idem ſi libertas ex teſtamento petatur, quod ab aduerſa parte falſum aſſeueratur. Ex uoluntate quaſi, puta ſi cui cõpetunt duæ perſecutiones, ſiue ambæ ciuiles, ſiue ambæ criminales. Siue una ciuilis, ſiue altera criminalis, is cui competunt, quam uolet primo poterit intendere, & ſi unam intenderit publici iudicij, alteram poſtea non minus intendet. excipitur iniuria, ſed dominij probatio per eũ facta, qui hominem exportauit, pecusq́ abegit, & Fauiam excludit, & abigeatus criminationem. Excipitur in duabus partibus ciuilibus eidem competentibus ut ſiquando competit petitio debiti credi

tori defuncti, eiusq; ſe dicit hæredem altero poſſidente hæreditatem, debitum primum uelit petere, non debet audiri: imò primum petitionem hæreditatis debet intendere, ſi ſuccubuerit, debitum poſtea poterit petere, ſi obtinuerit, debiti petitio confuſa erit extincta, ut C. de hæredita. act. l. ut. Sanè in priuatis criminibus una uia perimit aliam, ut C. ſi tutor uectigal cōducat, & C. de ſtelliona. l. j. & ff. de crimini. expila. hæredita. l. diuus.

DE CRIMINE EXPILATAE HAEREDITATIS, TITVLVS XXXII.

AVdiuimus ſuprà de publicis criminib. et ordinarijs, nūc de priuatis et extraordinarijs. Et quia in locū actionis furti (de quo ſuperius in ſexto libro Codicis tractatus habetur) proditum eſt crimen expilatæ hæreditatis, de eo audiamus. Videamus itaq; quando committatur hoc crimen, cui eius competat executio, in quem, et quæ ſit pœna. Committitur hoc crimen cum aliquid auferatur de hæreditate iacente, id eſt nondum adita, uel poſt aditionem, aut rei ablatæ corporalem apprehenſionem. Eſtq; introductum hoc crimen loco deficientis actionis furti, ut ff. eod. l. ult. Competit accuſatio huius criminis ei, ad quem hæreditas expilata pertinet. Competit autem contra expilatorem. porrò non datur contra uxores, cum enim hi nō teneantur actione nomine furti, quod perpetratur conſtante matrimonio: relinquitur ut non teneantur crimine expilatæ hæreditatis, licet in ueritate expilauerint illam, ut ff. eod. l. uxor. Sanè aliàs ciuiliter uir & uxor, qui quæúe expilauerit rei uindicatione, uel ad exhibendum poterit conueniri, ut ff. eod. l. ij. Eſt autem extraordinarium, duplici ratione, quia rem perſequitur, & quia corporalis, & ex ordine pœna infligitur, puta expilator, in opus publicum uel perpetuū uel temporaneum dabitur, honeſtior ordine ad tempus mouebitur, uel patria excedere iubebitur, ut ff. de effracto. l. j.

DE VI BONORVM RAPTORVM. TIT. XXXIII.

MIro modo actionis ui bonorum raptorum, & titulus eius tractatur, hic inter crimina inſeritur, cum nihil de rapinæ actione hic dicatur. uerum hoc ideo, quia ſuprà de hac actione agitur, ubi de lege Iulia de ui publica tractatur. Videamus itaq; quando competat hæc actio, & quando non, cui, in quem, in quantum, qualis ſit, & quæ ſpecialia admittat. Cōpetit hæc actio, ubi quis mobilia, ſeſeq; mouentia cui per uim abſtulerit dolo duntaxat malo, ut C. eod. l. ſ. & ff. eod. l. ij. Ergo ſi non dolo quis quid cui abſtulerit, non ui bonorum raptorum actione, ſed alijs diualibus Conſtitutionibus coërcebitur. Ecce enim ſi occupauerit poſſeſſionem apud quem iam conſtitutam, Conſtitutio, ſi quis in tantam: ſi uacantem, conſtitutio, cum quærebatur, uenit in medium. Competit autem ui bonorum raptorum actio ei, cui res mobilis per uim ablata eſt domino: non domino, ut bonæ fidei poſſeſſori, commodatario. Quippe ſiue in bonis ſit, ſiue nondum: tamen ex bonis ſit, locum habebit hæc actio. hoc ita, ſi intereſt agentis hic uel modicè. ergo & depoſitario dabitur, etiam cōtra libertum, uel primicerium: proq; re modica, licet in his caſibus ceſſet actio furti, ubi non eſt facta rapina. & hoc ideo, quia non minima differentia eſt inter eum, qui clam fecit, & eum qui rapuit: cum iſte cælet ſuum delictum, hic publicet, & crimen etiam publicum admittat, ut ff. eod. l. ij. § antepenultimo. Item, quia fur ſimplex quandoq; tenetur pœnali tantum in duplum; raptor regulariter in triplum, quia qui agere non poteſt actione furti manifeſti, duntaxat nec manifeſti, ut ff. eod. l. j.

licet

licet ff. de furt. l. ſi uendidero dicatur quod raptor, fur manifeſtus exiſtimandus eſt. hoc ęquiuocè dicitur, nō quia per alterius factū, id eſt deprehendentis deprehenſionem faciat manifeſtā: ſed quia ipſe manifeſtat ſe, & delictum ſuum facit manifeſtū. Ergo nunquā cōuenietur actione furti manifeſti, ſed non manifeſti ſemper: prę̄terquā ſi quis in domo, in qua nemo erat, rapuerit. tunc eī̄ inſpecto propoſito actione ui bonoꝝ raptoꝝ in quadruplū conuenietur fur: nec manifeſti actio ceſſabit, ut ff. de furt. l. ſi quis. Item notandū eſt, quia cōtra rigorem nomine damni dati dolo malo hominibus coactis, ui bonoꝝ raptorum iudiciū datur in quadruplū, ut ff. eo. l. ij. § j. Datur aūt hæc actio in raptorē, & in eum, qui tulit opem. datur in quadruplū, ſed in quadruplo ineſt rei perſecutio. Caſualiter duntaxat datur in duplū, ut ſi quis Iudæo rapuerit, uel pagano ut C. de paganis l. Chriſtianis. datur aūt in quadruplū, duntaxat infra annum utilē: poſt annum in ſimplum. ergo mixta eſt, ſcilicet rei perſecutoria, & pœnę annua, & perpetua ex maleficio, & ſtricti iuris, noxaliſq; eſt. Aliquando hæc alia ſpecialia admittit ui bonoꝝ rapto. actio, opem ferens raptor, non accuſatione furti, ſed duntaxat ui bonoꝝ conuenief. ſecus in furto ſimplici. Itē per actionē ſimplicis furti pœna perpetuò exigitur, per hanc nō niſi infra annū. Itē raptor etiā ſi deprehendatur, nō actione furti manifeſti, ſed nec manifeſti tantum debet conueniri.

DE CRIMINE STELLIONATVS. TIT. XXXIIII.

REdit ad propoſitum, id eſt ad tractatū priuatorū criminū: cumq; dictum ſit de expilatæ hæreditatis crimine, de ſtellionatu dicamus. Videamus itaq; unde dicatur ſtellionatus, in quibus ſpeciebus locū habet, cui eius criminis detur executio, in quē, quæ ſit pœna. Stellionatus dictus eſt à ſtellione. Stellio dictus eſt animal reptile ſerpentis ſimile. ſtellatum id eſt uariū. Inde accuſandus eſt crimine ſtellionatus qui reus eſt uarietatis & mendacij. Admittitur ſtellionatus tm̄ in pignoribus in tribus caſibus: ſi quis rem ſuā, tanquā nulli obligatam pluribus obnoxiam mihi obnoxiauerit: uel ſi cum nulli eſſet obligata niſi mihi participato fraudis conſilio aſſeuerauit alij obligatam ante fuiſſe: ſicq; per hypothecariam mihi forte euicta eſt. Cōpetit ei ſoli hæc actio, id eſt creditori, qui deceptus debitore conſcio. tunc etiam pignoraticia competit: niſi res primò alij ad modicum æris fuerit obligata, ut ff. de pignorat. act. ſed ſi debitor neſciſſet contraria pignoratitia duntaxat cōpeteret. Datur aūt in debitorem qui eſt ſtellio, id eſt qui mentitur, ſicut expoſitum eſt. Plebeius in metallum dabitur, in honore poſitus relegabitur uel ab ordine mouebitur, ut ff. eod. l. penult. Et notandum, quia huic locus eſt cum aliud ſpeciale crimen obijci nō poteſt. Quod eī̄ in pecuniarijs eſt de dolo actio, hoc in criminibus eſt ſtellionatus perſecutio. ubicūq; igitur titulus criminis deficit, illic ſtellionatum obijciemus.

DE INIVRIIS. TIT. XXXV.

DIximus de actione ui bonorum raptoꝝ, & quia in capiendo fiunt iniuriæ, de iniurijs audiamus. Videamus itaq; quot modis dicatur iniuriæ, quibus modis fiant, quis poſſit facere iniuriam, quis poſſit pati, per quòs patiamur iniuriam, cui detur actio iniuriarum, in quem, in quantum, qualis ſit hæc actio: & ſi utroq; modo poſſit agi, & ciuiliter, & criminaliter. Iniuria dicitur generaliter iniquitas, & iniuſtitia, & culpa, ut in l. Aquilia. Et contumelia de qua agendum

eſt. Fit nobis iniuria, dicto: non ſcripto, ut conuitio: & non ſcripto, ut ab homine famoſo: & facto multipliciter, puta ſi quis pulſetur, uel domus eius inuadaẽ. & cuius bona, uelut debitoris, cum non ſit, occupentur. Si comes in uia matronæ abducatur, ſi fideiuſſor idoneus reprobetur. Inferre poteſt iniuriam duntaxat, qui ſenſum habet. Quippe iniuria non niſi ab affectu deſcendit. Pati poteſt et qui ſenſu caret, ut infans, furioſus, & demens: et cadaueri fit iniuria. Quo caſu iniuriarum actio, quaſi hæreditati competit, & per hæreditatem tranſmittitur ad hæredem: licet enim hæ perſonæ non poſſunt ad animum reuocare, non tamen poſſunt diſſimulare, id eſt non poſſunt reuocare. Patimur iniuriam per nos, ut per filiosfam. noſtros etiamſi uelint, ut ff. eod. l. ſi quis ſeruum. Fit iniuria per uxores noſtras. nō autem paciuntur uxores per maritos defendi. Abſurdum enim uiſum eſt uiros ab uxoribus defendi, ſed à uiris uxores defendi & decet & expedit. Patimur per ſeruos proprios, et communes: ſed ita ſcilicet, ſi atrociter ſint uerberati, leuiterue: & illa leuis iniuria aperte reſpicit ad contumeliam noſtram. uerum & aliâs iniuriam ſeruo factam, Prætor non relinquit inultam, ut ff. eo. l. item. Patimur iniuriam per ſeruos bona fide poſſeſſos, ſeruos fructuarios: ſed ita demũ, ſi noſtra contemplatione eis iniuria facta ſit. alioquin tantum proprietario & bona fide poſſeſſori: poſtmodum pronunciato libero dabitur iniuriarum actio, ſed uerè ſeruus antè, liber factus poſtea tamen non aget, ut ff. eodem l. ſeruo. Et notandum eſt, quòd iniuriarum actio, aliâs atq; aliâs tribus perſonis competit: puta filiafamiliâs coniugata, uerberata, competit eius patri, marito: nec eadem æſtimatio ex omnibus facienda eſt. Sæpe enim perſona patris dignior eſt, quàm uiri: & econtrà, ut ff. eod. l. cum poſſit. Interdum duobus modis tantum. dantur enim filiofam. & patri: ſed ſi filius uelit ſoli patri competet, ut ff. eod. l. ſi quis. Per mercenarium noſtrum non patimur ut experiamur: quia nec per filium emancipatum competit, ut dictum eſt. Iniuriarum actio iniuriam paſſo, contra eum qui intulit, & qui curauit, ut fieret, competit: in quantum iurauerit iniuriam paſſus iudice taxante hodie ante litem conteſtatam: poſtea minimè. Olim erat alia uiciſſitudo, in magna ueterum paupertate nummariæ certæ pœnæ fuerant conſtitutæ, ut Inſtitut. eod. Hæc actio etiam ciuilis eſt, duntaxat ex facto per l. Corneliam in tribus caſibus: puta, ſi quis ſit pulſatus, uerberatus: domus ſua propria, conducta, gratis conceſſa, ui introita. aliâs generaliter Prætoria eſt, ex maleficio eſt utraq;, & ſtricti iuris, anno continuo (ut puto) ſopitur utraq;. quidam dicunt anno utili, argumento l. ff. quod met. cau. ſi cum. Sed ſpecialiter de iniuria per metum admiſſa cauetur. Item dicunt quidam ciuilem fore, perpetuam. Et ciuiliter poteſt agi, & criminaliter: ſi tamen uno modo actum fuerit, altero non agetur. quippe quia non niſi ad uindictam competit, utraq; perſecutione uindictã ſemel exigere ſufficit. Sed & actio iniuriæ arrepta pagina inſtituatur: ſi tamen (ut dictum) non ſit ante ciuiliter actum, & extra ordinem pœna imponitur. Serui fuſtibus cæduntur, liberi plebei ſimiliter: cæteri uel exilio temporali, uel interdictione rei certæ coërcentur. ut ff. eod. l. ultima. Sanè & qui actionem iniuriarum per calumniam inſtituit, ut ff. eodem. l. antepenultima. Et notandum, quòd cauſam iniuriarum, tam criminalem, quàm ciuilem, illuſtris poteſt mouere: & per ſe, & per procuratorem poteſt: iure ſpeciali dicturo, iudice ſententiam contra dominum, & non contra procuratorem. hoc quoq; iure ſpeciali: aliâs iure communi. illuſtris cauſam ciuilem per procuratorem mouere poteſt, & alius nemo cauſam criminis per procuratorem agitat, ut ff. de pub. iudic.

DE FANO-

DE FAMOSIS LIBELLIS. TIT. XXXVI.

NOmine famoſi libelli intelligitˉ libellus cōfectus proſaicè, metricè, rythmicè. Sed & cautiones uulgares ſignificantur. Si quis ergo famoſum libellū ubicunq; repertum etiā ignarus igni nō conſumpſerit, ſed legerit, eius compoſitor decapitabitur, multo magis ſi cōpoſuerit. Hoc tamen ita, ſi eo libello innocens infameť. Nam peccata innocentiū, & expedire, & oportere nota eſſe, ut ff. de iniurijs l. eum. Reor etiam quod hoc in caſu iniuriarum actio publica eſt.

DE ABIGEIS. TIT. XXXVII.

ET quia abigei extra ordinem puniuntur, de abigeis dicamus. Abigei propriè dicūtur, qui pecora ex paſcuis, uel qui ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi ſtudiū quaſi artem exercent, equos de gregibus, boues de armētis, abducentes. Cæteruꝫ ſi quis ouem errantem, uel equos in ſolitudine relictos abduxerit, nō eſt abigeus, ſed ſimplex fur. Omnis eñ abigeus fur eſt. Oues pro numero abactaꝝ aut furem faciunt aut abigeū. Oues x. faciunt gregem: ſues quinq;, quatuor equi, uel bos unus, facit abigeum. huius criminis nomine, id eſt abigeatus, & actio cōpetet ſcilicet furti, & accuſatio, ſed ſi una fuerit actū, altera ceſſabit. Nec enim publicū iudiciū hoc eſt, ut ff. eod. l. ij. Honeſtiore loco nati, aut relegabuntur, aut ordine remouebunť, plebei præſertim, qui cum gladio abigunt (quod plærunq; fit) uel in metallum dantur, uel nō inique beſtijs obijciuntur, ut ff. eod. l. j. Abigeorum receptatores, niſi fuerint cognati, uel affines (hi enim minus puniuntur) extra Italiam exulabunt decem annis, ut ff. eod. l. ult. § ult. & ff. de recept. l. ultima.

DE NILI AGGERIBVS NON RVMPENDIS. TIT. XXXVIII.

QVia non pluit in Aegypto, ſed Nilus uicibus egreditur, & inundat agros, & ideo aggeres fiūt. ideo Nili aggeres rumpere nefas eſt, & dānoſiſſimū. Publica eſt huius criminis delatio, & quaſi crimē maieſtatis eſt hoc crimen. pœna eſt, ut eodem loco ubi ruperit Nili aggeres, flammis abſumatur: conſcius, ſceleriſq; particeps ſimiliter punietur, ut C. eod.

DE IIS, QVI LATRONES, VEL ALIIS CRIMINIBUS reos occultauerint. Tit. xxxix.

LAtronum occultatores, & alijs criminibus implicitorū par pœna, quę reos expectet: omibus licentia pateat, & exhibendi reos, & accuſandi. ſi per priuatos hoc non poſſit fieri, omnia ciuilia auxilia à præſide dirigantur: ſi hæc non ſufficiunt à tribunis noſtris, qui in locis fuerint, Romana militia poſtuletur. cauere tamen debebunt milites ne damna prouincialibus inferant. Puniuntur & latronum accuſatores: niſi pertulerunt, quod detulerint, ad ſimile poſcentur ſupplicium, ut C. eod. l. ultima.

DE REQVIRENDIS REIS. TIT. XL.

DIximus ſuprà de præſentibus accuſatis cōuictis, nunc de abſentibus, quos quis fatagit condemnare, audiamus. abſens prorſus, id eſt lite nondū fectū conteſtata, accuſari non poteſt. nec ergo conuinci condemnariúe debebit. idem in ciuilibus. Sed nec poſt litem conteſtatā, qui abſuerit, cōdemnari debebit: hoc ſi durior ſententia promenda eſt. ſecus ſi leuior, ut ff. eo. l. j. & ff. de pœnis l. abſens. niſi forte ſit apparitor, qui ante litem motam, quod eſt ſpecialiſſimū: uel ſaltem poſt litē conteſtatā, quod eſt ſpeciale, condemnari poteſt, ut C. de pœnis l.

ne diu. Nempè licet in ciuilibus contrahatur eremodiciũ, non tñ in criminibus
præſtatur accuſato abſente. Porrò actore abſente cum nihil niſi ſententia reſta-
bat, poterit nõ eo minus pronunciari, ut C. de adulterĳ l. quamuis. Quid ergo
fiet, ſi quis uelit abſentẽ accuſare? debebit requiri, bonaq́ eius debebunt anno-
tari: et ſi infra annũ redierit, et ſe purgauerit, uel ſatis obtulerit, res oẽs ſuas recu
perabit: uel rerũ uenditarũ pretia (ſiqua fuerint uenditæ) puta quæ ſeruari pote-
rant. Sed nec ſi requiſitus infra annũ reuerſus obierit, cauſa durabit: imò expi-
rabit, & bona nõ confiſcabuntur, ſed ad ſucceſſores tranſmittantur, ut ff. eo. l. j.
Cõputatur aũt annus, ex quo facta annotatio in mora erit, ut ff. eo. l. iiĳ. Anno
quoq; præterito fiſcus poterit bona occupare: uiginti tamen annorũ præſcriptio
ne, à requiſito, uel eius hæredibus poterit ſubmoueri. Si non alia ſit propria præ
ſcriptio, ut ff. eod. l. iiĳ. Sanè ſi requiſitus non infra annũ, ſed poſt uenerit, bona
non recuperabit ſed innòcentiam ſuam poterit purgare.

DE QVAESTIONIBVS. TIT. XLI.

QVia in cauſis criminalibus queſtiones, uel tormenta ſępe adhibentur, dica
mus de quæſtionibus. Nihil aliud ſunt quæſtiones, q̃ inquiſitiones uerita-
tis per tormenta & corporis dolorem ad eruendam ueritatẽ. nuda eñ interroga
tio, uel leuis territio, quæſtio nõ eſt, ut ff. de iniurĳs l. item. § quæſtionem. A tor
mentis tamen initium ſumendũ nõ eſt: nec quanta uoluerit accuſator tormenta
inferenda ſunt, ut ff. eod. l. de minore. § iĳ. Cũ ergo uiderimus quæ ſint quæſtio
nes, uideamus in quibus cauſis locũ habeant, quales homines torqueantur, &
qualiter quæſtio, & inquiſitio debeat fieri, & quanta fides ſit habenda quæſtio-
nibus. & certe in cauſis criminalibus & ciuilibus fiunt quæſtiones. Torquentur
aũt liberi homines, & nobiles, ut Decuriones: ſed perraro. parcitur eñ decurio-
nibus, & eorũ filĳs & nepotibus: ſed & ueteranis, & eorũ filĳs, ut C. eo. l. diuo,
& l. decuriones. & C. de pœnis l. decurionũ & l. honor. Subĳciuntur liberi quæ
ſtionibus: præſertim ubi facta interueniſſe dicuntur, ut ff. eo. l. unius. Torquen-
tur alieni ſerui, ut C. eod. l. iĳ. ſerui hæreditarĳ, ubi de falſo teſtamento agitur,
ut C. eo. cũ teſtamentũ. Nam cũ incertũ ſit ſcripti hæredes ſint, uel legitimi, non
poſſunt dici in caput domini torqueri, uel ꝑ domino, ſerui proprĳ: nec cõmunes
etiã uolente dño, cõtra dominũ debebũt torqueri: uel quaſi proprĳ ſerui, alieni,
liberiúe homines bona fide ſeruientes: necdum cũ adhuc eis ſeruiunt, ſed poſt-
quam deſierunt ſeruire, ut ff. eo. l. j. & l. etiã. Proprĳ ſerui in caput dñi torquen-
di nõ ſunt: niſi in criminibus maximis, & ſimplicis adulterĳ: nõ inceſti, & pecu
latus. nec ſi ſocius dicatur occidiſſe ſociũ, ſimiliter aduerſus cõmunem dominũ
torqueri poſſunt, ut C. eo. l. hoc. In pecuniarĳs cauſis, nec inopia probationum
torqueri debent: niſi ex uehementiſſima cauſa, ut ff. eod. l. diuus: & niſi cũ de fa-
cto ſuo interrogantur, ut C. eo. l. interrogari. hoc tamen de ſuo duntaxat facto.
Nam ſi dicuntur cũ domino aurũ & argentũ exportaſſe: nec ſi quid ultro dixe-
rit dominus oberit, ut ff. eod. l. j. § iĳ. Facienda eſt aũt inquiſitio, nõ ſpecialiter,
id eſt an Lucius homicidiũ fecerit: ſed generaliter, id eſt quis fecerit. alterũ enim
magis ſuggerentis, uidetur quã requirentis, ut ff. eod. l. j. § qui queſtionẽ. Fides
quæſtioni non ſemper habenda eſt, nec tamen unquã habenda eſt. eſt enim res
fragilis & periculoſa, & in ueritate fallax. Nam plæriq; pacientia tormentorum
ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab eis ueritas nõ poſſit. alĳ tanta ſunt im-
pacientia, ut potius in quouis mentiri, q̃ tormenta pati uelint. Præterea inimico
rum quæſtioni fides haberi nõ debet: quia facillime mentiuntur. nec tamen ſub
prætextu inimicitiarũ ſemper detrahẽda erit fides quæſtioni: ſed cauſa cognita,
aliâs fides erit habenda, aliâs nõ ut ff. eo. l. j. § quæſtioni. § præterea. Item liberti
contra

contra patronum: nec frater in fratrem torqueri debet. ea ſcilicet ratione: quia in eum, in quem inuitus teſtimoniũ dicere nõ cogitur, in eũ non torqueri debet, ut ff. eod. l. j. § vij. Illud notandũ, ꝙ ſeruus municipum in caput ciuiũ torqueri poteſt, idem in cæteroꝝ corporũ ſeruis. Hi cm̃ ſerui ita ſunt ſerui omniũ, ꝙ nullorum. Notandũ quoq;, ꝙ milites nec fidiculis nec alijs plebeiorum pœnis ſubijci debent, ut C. eod. l. milites. Item notandũ, ꝙ ſuper ſtatu ingenuitatis per omnia ueſtigia decurrendum eſt, ne alienæ forte ſordidæ ſtirpes ſplendidis & ingenuis natalibus audeant ſurrogari, ut C. eod. l. ſuper. Et notandũ, ꝙ ſtatuliber in delicto repertus, ſperandæ libertatis prærogatiua, nõ ut ſeruus ob ambiguum conditionis; ſed ut liber aliâs puniendus eſt, ut ff. eod. l. ſtatuliber. Et notandum, ꝙ ſeruo, ſi ultro aliquid confitetur de domino, fides accõmodari non debet. Nec enim oportet ſalutem dominorum ſeruoꝝ arbitrio cõmitti: & quia ſeruus in caput eius domini, à quo diſtractus eſt, cuiq; aliquando ſeruierit, in memoriã prioris domini interrogari non poteſt, ut ff. eo. l. unius. Illud quoq; notandum, ꝙ in cauſis liberalibus nõ oportet per eoꝝ tormenta, de quorũ ſtatu quæriẽ, ueritatẽ requiri. licet cũ de dominio ſeruoꝝ agitur rei uindicatione: deq; eoꝝ poſſeſſione interdicto utrubi ipſos eoſdem ſeruos oporteat torqueri, ut ff. eod. l. de minore, & C. de rei uindic. & C. cod. l. quoties.

DE ABOLITIONIBVS. TIT. XLII.

SVprà de accuſationibus inſtituendis, nunc de eis perimendis exponamus. itaq; quæ ſit abolitio, & quot ſint ſpecies abolitionis, & qualiter abolitio petatur, & à quo iudice, & per quem litigatorem. Eſt aũt abolitio inſtitutæ accuſationis peremptio. Species abolitionis duæ ſunt. una fit per legẽ, puta ſi crimina tempore ſint ſopita, uel accuſatus morte ſubductus ſit. alia indulgetur ab homine, per hominẽ, ut per Imperatorem. Indulgetur abolitio generalis, qua reditus exulibus datur, & crimina interim extinguuntur. Et fit abolitio uno modo cum indulgetur à principe, ut ob diẽ inſignem. aut ob publicã gratulationẽ. aut ob rem proſperè geſtam. altero modo poterit per accuſatorẽ, à iudice tamẽ ordinario, nõ à delegato peti. non enim mandatur hæc cauſæ cognitio, ſed nec de plano diſcutitur, ut ff. eod. l. j. § abolitio. Tertio genere lege fit abolitio, mortuo accuſatore, uel ex iuſta cauſa impedito, quo minus accuſare poſſit. Et ſciendũ, ꝙ ſi accuſator citra abolitionem deſtiterit, punietur regulariter. Excipitur mulier, & minor: niſi tranſactio licita de criminibus, de quibus tranſigere licet, interpoſita fuerit. nec amplius agi poterit, ut ff. eo. l. j. & l. qui deſtitit. Abolitionis aũt abolitio (ut ita dixerim) peti quoq; poterit, & ſupplicatione porrecta nutu principali infra triginta dies utiles impetrari poterit, ut ff. eo. l. aut priuatim. Accuſatoribus fallacibus, & fallaciter accuſantibus abolitio nõ dabitur. Sin aũt mente ſyncera aliqui ueniunt ad accuſandum, diſtinguitur: an reus adhuc aliquas iniurias ſuſtinuerit, uel nõ: ſi reus iniuriã paſſus eſt, ſine eius cõſenſu abolitio nõ dabitur: ſi nondũ paſſus eſt, etiã citra eius aſſenſum impetrabitur, ut intra triginta dies petatur, ut C. eo. l. ult. Sed & ſi ingenuoꝝ teſtium corpora fuerint ita laceſſita, uexataq; uerberibus, qui conſcij nõ erant: tunc equidem duarũ partiũ conſenſu abolitionem petitã iubemus denegari: & cauſam cœptã ad finẽ uſq; perduci. In criminibus maximis, etiamſi tormenta teſtibus illata nõ fuerunt, nõ dabitur, ut C. eo. l. ult. Et nota, ꝙ hi qui ſuã ſuorumq; iniuriã perſequuntur, & qui cognatos ſuos in actionẽ deduxerũt, abolitionẽ petere nõ prohibenẽ: imò quanto difficilius ad accuſationẽ admittuntur, tanto facilius abolitionẽ, & petere, & impetrare conceduntur.

DE GENERALI ABOLITIONE. TIT. XLIII.

GEneralis obolitio(ſicut dictũ eſt)à principe datur,propter res proſperè geſtas,propter quas & repentinas in cõmune indicit ferias: taliq; abolitione interueniente, ſi accuſator intra diem ſtatutum, id eſt triceſimum ſuperſederit, repente reum poſtea perſequi uolens non debet audiri, ut C. eod. l. prima.

VT INTRA CERTVM TEMPVS CRIMINALIS QVAEſtio terminetur. Tit. xliiij.

INfra bienniuṁ cõtinuum cauſa criminalis finiri debet, quod ſi non fuerit, & per accuſatorem ſteterit: quia deſinit, pœnã ſubeat legibus conſtitutã. Si perſona uilior ſit cui damnũ famæ non ſit iniuria, exulet: niſi interceſſit licita transactio, uel impetrata fuerit abolitio. ſi per iudices ſteterit triginta libræ auri pœna ferientur, ut C. eod. l. ult. Illud notandum, ꝙ quædam cauſæ criminales infra duos annos finiendæ ſunt, puta cõtra clericos, ut C. de epiſ. & cleri. authen. clerico.

AD SENATVSCONSVLTVM TVRPILLIANVM. TIT. XLV.

CVm ſuperius deſiſtentium mentio habita eſt, hosq; punit Turpillianũ: audiamus conſtitutiones habitas ad Senatuſconſultũ Turpillianũ interpretandum. Videamus quid ſit deſiſtere, quis Turpilliano puniatur, & quæ ſit eius pœna. Deſiſtere eſt eius affectũ & animũ accuſandi deponere, ut ff. eod. l. ab accuſatione. Item deſiſtere eſt totũ animum agendi deponere, nõ accuſationẽ differre, ut ff. eod. l. deſtitiſſe. Nec eñ is deſtitiſſe uidetur, qui litem diſtulit: ſed qui liti renunciauit in totũ, ut ff. de mino. l. deſtitiſſe. Turpilliano punitur tergiuerſator, id eſt deſiſtens ab accuſatione. Is aũt propriè dicitur accuſator qui publici criminis reum quem defert. ſed & ex ſententia Senatuſconſulti: licet nõ ex uerbis, pro accuſatore habetur, qui accuſatorem ſubmittit, mandat, inſtigat, ſubornat, inſtruit. ſubmiſſus enim accuſator ſimiliter eodem ſenatuſcõnſulto punitur: id eſt propter hoc ſolum plectitur, ꝙ miniſterium alieni timoris receperit, ut ff. eod. l. j. § penult. Is aũt qui dicit aliquem in hoc Senatuſcõſultum incidiſſe, non punitur, ut ff. eo. l. j. § item. Is autẽ ſolus accuſator hoc Senatuſcõſulto punitur, qui publici criminis reum quem defert. Si eñ quis ſtellionatus, uel ſuſpecti tutoris, uel expilatæ hęreditatis crimen, uel aliud aliquod crimen priuatum obiecerit, & deſtiterit: pœnã Senatuſcõſulti non ſubibit, quemadmodũ nec furti uel iniuriarũ: ſed extra ordinẽ officio iudicis talis culpa coërcebitur, ut ff. eo. l. ſi quis, & ff. eo. l. j. § ſuſpecti. Punitur aũt dilator publici iudicij deſiſtens poſt litẽ conteſtatam. Nam is qui principi libellum dedit, crimenq; publicum minatus ſe obiecturum, deſtitit: in Turpillianum nõ incidit, ut ff. eo. l. quæſitum. Itẽ nec ille tenetur Senatuſconſulto, qui poſt litẽ conteſtatã permiſſu Imperatoris deſtitit, ut ff. eod. l. deſtitiſſe. Sed nec tutor, qui pupilli nomine cœptã accuſationẽ pupillo mortuo deſeruit, ut ff. eod. l. diuus. Sed & qui poſt inſcriptionem ante litem cõteſtatam anno uel etiã biennio uarijs occupationibus, uel etiã neceſſitatibus diſtrictus, agere nõ potuerit, in Turpillianum nõ incidit, ut ff. eo. l. in Senaſcõſultum. Aliàs regulariter accuſator publico iudicio deſiſtens punitur ꝑ Turpillianum, etiamſi eo tempore: puta poſt quinquennium, adulterum cœperit accuſare, quo reus ritè poterat eũ excludere, ut ff. eo. l. j. § ſi accuſationẽ. Parcitur fœminis minoribus: fortaſſis & his, qui licitè tranſegerũt, et abolitionem impetrauerunt. Pœna Turpilliani infamia eſt, ut C. eod. l. ij. & multa quinq; librarum auri, ut ff. de præuaricato, l. iij.

DE CALVMNIATORIBVS. TIT. XLVI.

ACcuſatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus pœnis ſubijcitur: alij eñ præuaricantur, de his in ff. tractatur, et titulus ſpecialis habetur, ut in C. Alij tergiuerſantur, de his dictũ. alij calumniantur. Videamus itaq; quid ſit calumniari, & qua pœna calumniatores afficiantur. Calumniari eſt falſa crimina intendere. Calumniatoribus pœna lege prima irrogatur. Illud tñ notandum, quia pœna infamiæ calumniatoribus nõ irrogatur: niſi per expreſſam iudicis ſententiã, & eo duntaxat tempore, quo de cauſa præſente accuſatore iudicatur: & nõ poſtea. cum data ſententia iudex eſſe deſijt. cũ in continentibus hoc fieri debeat. Nec eñ ex eo ſolo accuſator detrimentum exiſtimationis patitur: niſi & de calumnia ſpecialiter condemnetur, ꝙ reus abſolutus eſt: cum & tunc accuſator iuſtam poterit habere rationem ueniendi ad accuſationem, ut C. eod. l. iij. Amplius, etiã ſi iudex pronunciauerit: probaſti, uel temere accuſaſſe uideris, pœnã non ſubibit accuſator infamiæ: ſed tunc cum expreſſim pronunciauit: calumniatus es, cõdemnauit: & quamuis de pœna nihil ſubiecerit, tamen legis poteſtas aduerſus eum exercebitur. Nempe facti quæſtio in arbitrio eſt iudicantis: pœnæ uero perſecutio nõ eius uoluntati mandatur, ſed legum autoritas ſeruatur, ut ff. eo. l. j. Hoc reor ego intelligi debere duntaxat in priuatis, & extraordinarijs criminibus: in publicis regula obtinet, & calumniantes ad uindictã poſcit ſimilitudo ſupplicij.

DE POENIS. TIT. XLVII.

AVdiuimus ſuprà de criminibus publicis & priuatis, nunc dicamus de pœnis. Videamus itaq; quid ſit pœna, & q̃ uariè delinquiẽ, differenterq; pœna iniungitur. Pœna eſt ſatisfactio delicti. Delinquiẽ duobus modis, ex animo, & extra animum. Delictum quod fit ex animo, aſſumit nomen ſpeciale, & uocatur crimen: & in hoc non parcitur minori, niſi quantum miſeratio ætatis produxerit iudicem ad minorẽ pœnã, & cum potuerit decidere non decidit. Delictum quod extra animum, id eſt per culpã fit, in nomine generali ſtat, & uocatur delictum, admiſſum, cõmiſſum. Item delinquiẽ tribus modis: propoſito, ut à latrone: impetu, ut ab ebrijs: caſu, ut cum in uenando telum inferam miſſum, hominẽ interficit, ut ff. eod. l. reſpiciendũ: tribusq; modis perpetratur, dicto, conſilio, facto. Aut enim facta puniuntur. Perſona diſtinguitur, facientis, & pacientis. locus facit, ut idem factum aliâs ſit furtum ſimplex, aliâs ſacrilegium. Tempus diſcernit furem nocturnũ à diurno. Qualitate, factum uel atrocius, uel leuius eſt: ut furtũ manifeſtũ diſcernitur à manifeſto. Quãtitas diſcernit furem ab abigeo. Nam qui unam ouem ſurripuerit, ut fur tenebitur, qui gregem ut abigeus coërcebitur, ſicut ſuprà expoſitum eſt. In iniungendis autẽ pœnis reſpiciendum eſt iudicanti ne aut durius, aut remiſſius conſtituat, q̃ cauſa depoſcit. nec enim aut ſeueritatis aut clementiæ gloria affectãda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout queq; res expoſtulat, ſtatuendum. Planè in leuioribus cauſis, proniores ad lenitatem iudices eſſe debent, & in grauioribus pœnis ſeueritatẽ legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi, quia ſatius eſt, impunitum nocentis facinus relinqui, q̃ innocentem condemnare, ut ff. eo. l. abſentem. Et nota, ꝙ in ordinarijs criminibus, præterquã in adulterijs, iudex certis rationibus motus minorẽ pœnam imponet, aliquando grauiorem pœnam infligit, ut C. eod. l. ſi uindicari & C. qui cau. infam. irrogatur l. iij. & ff. eo. l. aut. § ult. Irrogatur autem pœna, aliâs pecuniaria (quæ uocatur multa) aliâs pœna corporalis. Item aliâs ordinaria, aliâs extraordinaria. Item pœnarum corporalium, aliæ ſunt capitales, aliæ

nō. Capitales ſunt hæ. relegatio,in opus publicum datio,infamatio,uirgarum plumbatarum fuſtigatio,uerberatio,de ordine motio,alicuius actus prohibitio aliâs loci interdictio,multatio,ut de domo nō exeat,uinculorum perpetuorum perpeſſio:ſed non in liberis hominibus. hoc enim uix in ſeruilem conditionem cadere poteſt,ut C.eod.l.incredibile. Ad honorem nō promotio,in eculeum leuatio,fidicularum tormentatio,incarceratio. Verum hæ duæ pœnæ ultimæ ſæpius iniunguntur ad continendos, magis quàm ad puniendos: id eſt potius adhibentur pro explorandis facinoribus,quàm eis exploratis puniendis,ut ff.eo. l.aut.§ ſolent. Pœnarum genera ſunt viij.quibus præſides peccatores puniunt. Eſt pœna,quæ uitā adimit.eſt quæ ſeruitutem iniungit.eſt quæ ciuitatē aufert. eſt pœna,quæ exiliū irrogat.eſt pœna, quæ corporis coërtionem continet. eſt pœna,quæ damnū iniungit cū infamia.eſt pœna,quæ dignitate priuat. eſt octaua pœna,quæ continet alicuius actus prohibitionem. Secernuntur nobiles,ab ignobilibus:à uiris,fœminæ:debiles,à robuſtis.ſiquidem fœminæ etiā debiles, nō dantur in metallū:ſed duntaxat in opus metalli,id eſt in metallorum ſeruitutem,ut ff.eod.l.aut.§ in miniſteriū.Item decuriones,& alij nobiles,& eorꝫ filij, non debent beſtijs ſubijci:nec ſuſpendi,nec igni exuri,nec in metallum dari:uel fuſtibus,uirgisúe plumbatis cædi:niſi in crimine maieſtatis,ut Cod.de decur.l. quilibet.uel niſi fuerint transfugæ,uel prædatores.tunc enim uocibus populariū credi oportet:quando aut obnoxium crimine abſolui,aut innocentem cōdemnari deſiderant,ut C.eod.l.decurionum.

NE SINE IVSSV PRINCIPIS CERTIS IVDICIcibus liceat confiſcare. Tit. xlviij.

NVlli iudicū liceat,niſi maximis,id eſt illuſtribus proſcriptionis tempeſtate totius ſubſtantiæ aliquem percellere,uel deportare nobis inconſultis, ut C.eo.& ff.de pœnis l.relegati. Sanè commeatum remeatum exuli dare nemo: niſi ex cauſa ſolus Imperator poteſt,ut ff.de pœnis l.relegati.

DE BONIS PROSCRIPTORVM SEV DAMNAtorum. Tit. xlix.

AVDIVIMVS ſuprà de pœnis,quæ reis criminum deferuntur, nunc audiamus de bonis eorum qui proſcribuntur. Videamus itaque quid iuris ſit iure ueteri, & nouo. In primis ſciendū, quòd illico poſt ſententiam, & ante ſupplicium:ſeruus fit pœnæ,qui iuſſus eſt,ut eat in metallum, uel in opus metalli,ut ff.de pœnis l.in metallum. Sed qui deportatur aliâs liber remanet etiam poſt deportationem ut ff.de bonis damnatorum l.ſed ſi. Ergo deportatur quis, aliâs in metallum.aliâs in opus metalli.aliâs deportatur in inſulā, ut nunquam excedat eam.aliâs operi nullo præfinito,impoſitoúe. aliâs deportatur ſimpliciter,id eſt in inſulam,puta ut ibi perpetuò exulet. Item deportatur quis etiam in metallum, & in opus metalli,aliâs ad tempus,aliâs in perpetuū. In perpetuum damnatus,fit ſeruus,ſicuti dictum eſt: ad tempus liber remanet. Item inter eos, qui in metallum dantur,& inter eos,qui in opus metalli,ea eſt differentia,quòd qui in metallum damnantur,grauioribus uinculis, culpisúe premuntur, qui in opus metalli,leuioribus. Ea quoqꝫ,ꝙ hi qui fugiunt ex opere metallorū, in metallum damnantur,qui ex metallo grauius coërcētur,ut ff.de pœnis l. aut dam num.§ inter.§ in miniſterium.Item ſciendum,ꝙ Præſidibus conceſſum eſt relegare,non deportare,ut ff.de relegat.& ꝙ omnia iura ſua retinent relegati,ut ff. de re-

de relegat. l. relegati. tantum enim inſulam eis egredi nō licet, & bona retinent, niſi ſi qua eis adempta fuerunt. Nam & eorum, qui dati ſunt in perpetuum exilium, poteſt iudex ſua ſententia partem bonorum adimere. Eſt aūt auxilium triplex, aut certorum locorum interdictio, aut omnium præter certum locum, aut inſulæ uinculum, id eſt relegatio in inſulam, ut ff. de relegat. l. exilium. Aequiuocè tamen relegatus dicitur, etiā qui incurrit mediam capitis diminutionem, id eſt ciuitatem amittit, ut Inſtitut. de capit. diminut. § minor. Et notandum, ꝙ pannicularia, id eſt uilia indumenta deportatis auferenda non ſunt, ut ff. eod. l. diuus Hadrianus. Nec quidquid allegent, etiā de nece principis, poſt ſententiam debent audiri, nedum ſeruus, ſed nec etiam ſi liber fuerit. quis enim dubitet eludendæ pœnæ cauſa ad hoc eos decurrere? magisq; eſſe puniendos, qui tamdiu conticuerunt, quod pro ſalute principis habere ſe dicere iactant? nec eñ debebant tam magnā rem, tamdiu reticere, ut ff. de pœnis l. ſi quis forte. Si fuerit liber, diſtinguitur, ſi filiusfam. uel paterfamiliās. Si fuerit filiusfam. eiuſdem peculium, etiam quod non à patre, nec per patrem habuerit, puta caſtrenſe, penes patrem remanebit. Si fuerit paterfam. diſtinguitur, ſi fuerit curialis, uel nō. ſi non fuerit curialis, diſtinguitur, liberos habeat, uel non, ſi non, fiſcus habebit omnia, ſi liberos habuerit, liberi: ſiue ſui, ſiue emancipati, ſui cum emancipatis conferentibus habebunt dimidiam: & eorum bonorum quæ damnati ante habuerunt, & eorum quæ poſtea quæſierunt. Licet enim in metallum, & in opus metalli (utpote ſerui facti) nihil quærere poſſunt: aliās tamen deportati (utpote remanentes liberi) etiam poſt deportationem quærunt, ut C. eod. l. ij. Si paterfam. fuerit curialis, diſtinguitur: liberos habeat, necne. ſi non habet, curia omnia ſua bona capiet. Si liberos habet, diſtinguitur totum: filios habeat, uel filias: & ſi tantū filias reliquerit, ipſæ dimidium habebunt. Si filios habuerit, dimidia dabitur nomine curiæ, id eſt quia ipſi curiales ſunt: alia dimidia uirilis diuiditur, ut C. eod. l. ult. Ea autem eſt ratio naturalis, ut liberi aliquam partem bonorum patrum damnatorum capiant: ne alieno admiſſo liberi grauiorem pœnam luerent, quos nulla culpa contingeret. & Hadrianus ait ampliari imperium hominum adiectione potius malo, quàm pecuniarum copia, ut ff. eo. l. ult. § ſi plures. de bonis matrum deportatarum, nec filiæ aliquid habebunt, ut C. eo de bonis. Hæc omnia de iure ueteri: ſed hodie, nec fiſcus, nec aliquis iudex bona damnatorum habebunt: imò aſcendentes & deſcendentes uſq; ad gradum tertium. Ergo ſi aſcendentes & deſcendentes ſuperfuerint nihil habebūt: ſed tunc fiſcus habebit. collaterales nihil percipient. uxores quoq; ea, quæ in dotem dederant, recuperabunt. Si uero ſine dote ſint: de ſubſtantia uiri accipiant partem legibus definitam. Sanè in crimine maieſtatis bona auferuntur filijs. Sed humanitatis intuitu de bonis maternis falcidia filiabus conceditur: ſi tamen ipſæ filiæ ignaræ criminis maieſtatis fuerint. Idem puto in illis qui mortem ob cōſcientiam ſuam ſibi conſciuerunt. durius eſt enim ſe occidere, quàm Imperatorem.

DE BONIS EORVM, QVI MORTEM SIBI CONſciuerunt. Tit. l.

ET quia mortem ſibi conſciſcentes, pro damnatis habentur: & (ſicut dictum eſt) eorū bona, uel ut in crimine maieſtatis, confiſcantur omnia, audiamus de bonis eorum mortem ſibi conſciſcentium. Bona omnia confiſcantur eorum, qui non ob corporis dolorem, uentris tortionem, dentium rabiem: ſed ob metum futuræ ſententiæ mortem ſibi conſciuerunt. hæc ita ſi iam poſtulatus reus, ſe peremit. Ita demum ſi criminis metu, de quo, uel propter quod, debuit truci-

dari. Idem in illis, qui in tali crimine deprehenſi, morte damnationem præuenerint, ſecq; ipſos interfecerint poſtulati eſſe debent, aut in ſcelere deprehenſi, ut ſi ſe interfecerint, eorum bona confiſcentur. et merito qui ſibi manus intulit, ſuacq; uiſcera ſcrutatus eſt, puniendus eſt etiam poſt mortem, ut eius mortui memoria damnetur, & eius ſubſtantia confiſcetur. qui enim ſibi non pepercit, multo minus alīj parcet, ut ff. eod. l. ult. Porrò ſi metu modici criminis, de quo fuerit accuſatus, uitā ſuſpendio finierit, bona hæredibus nō auferuntur, ut ff. eod. l. ult.

DE SENTENTIAM PASSIS ET RESTITVTIS. TITVLVS LI.

ET quia ſententiam paſſi reſtituuntur, de his audiamus. Nomine ſententiæ hic debemus intelligere illam ultimam ſententiam, id eſt quæ irrogat capitalem pœnam, ut deportationem: in metallum puta, uel in opus metalli. Ab his autem ſententijs, uel pœnis, ſolus Imperator reſtituere poteſt, ut ff. de pœnis l. diui fratres. In talibus autem reſtitutio facta, aliâs fit in integrum, quæ poteſt uocari generalis ſententia: aliâs fit indefinitè, uel ſimpliciter: aliâs ſpecialiter. Et certe ſi quis in integrum reſtitui meruerit generaliſſima omīa recuperabit, id eſt liberos, & honorem, & bonam famam, ut C. eod. l. ij. Si uero ſimpliciter reſtitutus fuerit quis, reditum tantum habebit, ciuitatem recuperabit duntaxat: niſi etiam impetrauerit, aliqua ſua bona ſibi reſtitui: uel partem bonorū. Et quidem ſi recuperauerit omnia bona, & experietur & conuenietur. Sed & ſi partem aliquam: pro parte & aget, & contra eum agetur. Si uero uel nihil recuperauerit, uel aliqua tantum ſpecialia bona: nec experietur, nec conuenietur. Hæc ita, iure uetuſtiſſimo: ſed hodie per Conſtantinum caſſatis his omnibus, à principe reſtitutus (niſi in contrarium aliquid Imperator expreſſerit) omnia recuperabit: ut quemadmodū deportatio omīa adimit, ſic & reſtitutio etiā ſimpliciter facta, omnia reſtituit, ut Cod. eodem lege ultima.

FINIS.

MOGVNTIAE IN OFFICINA IVONIS SCHOEFFER. ANNO MILLESIMO QVINGENteſimo triceſimo ſexto, Menſe Martio.

FINE



"RESTAURO"
ROMA

Digitized by Google